BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
165
H
8-9
NAP

III
9
11.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DECISIONES
SACRAE ROTAE ROMANAE
CORAM
ALEXANDRO TANARIO
BONONIENSI

EIVSDEM SACRAE ROTAE AVDITORE

NVNC

S. R. E. DIACONO CARDINALI
TIT. S. MARIAE IN AQVIRO

IN DVAS PARTES DISTRIBVTAE.

PARS PRIMA.

ROMAE M. DCC. XLVII.

Sumptibus JO. LAVRENTII BARBIELLINI in Foro Paſquini.

Typis GENEROSI SALOMONII in Platea S. IGNATII.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEXAND. TANARIO
CARD. AMPLISS.

PHILIP. M. PIRELLIVS.

POSTQVAM tuo ductu diſciplinaque, AMPLISSIME CARD., dum Rotae Aud. eſſes, nonnullos aetatis meae primae annos Juris ſtudio operam dederam, quum inter Conſiſtorii Advocatos relatus, juſſu Principis Opt. BENEDICTI XIIII. P. M. in Forum veniſſem, illud jucundiſſimum mihi accidit, ut Romana Purpura te exornatum conſpicerem; multoque magis quod exſultantem in tua dignitate ac geſtientem ſingulari laetitia Civitatem omnem animadverterem, quem popularis tuae apud omnes gratiae, atque hu-

manitatis fructum habebas locupletiſſimum. Conſtitui eo tempore, ut aliquam pro ſtudiorum meorum ratione immortalis in te meae voluntatis ſignificationem oſtenderem, eas Deciſiones, quas tuo nomine ſingulatim vulgaveras, colligere, atque in unum edendas dare: ſed quum ſtatim tunc fuerim Neapolim, & Beneventum ad Ampliſs. Cardd. Vrſinum, & Landum pro Purpureis deferendis Inſignibus ablegatus, ob diuturnam meam ab Vrbe abſentiam meditatum opus differre coactus fui. Hoc nunc itaque expeditum tandem abſolutumque, tanquam meae licet non vulgaris obſervantiae argumentum exiguum, tibi adfero ſtatuoque ignaro hactenus conſilii mei. Quod ſi tibi, uti exiſtimo, erit non injucundum, gratiſſimum id fortaſſe futurum auguror PRINCIPI LITERATISSIMO, QVI, dum in ceteras bonas artes adjuvandas incumbit, amantiſſimo ſinu fovet recreatque Juriſprudentiam, cujus olim egregia exercitatione probatiſſimam apud omnes ſibi nominis gloriam comparavit. Vale.

IN-

INDEX DECISIONVM,

Quæ in hoc primo Volumine continentur, per Diœceſes, juxta ordinem Alphabeticum.

A

ÆSina Domorum 13.*Junii* 1738.*Deciſ.*111. pag.415
Alben. Prioratus 16. *Martii* 1736. *deciſ.*42. 145
Anconitana Donationis 28.*Martii* 1735. *deciſ.*21. 76
Ariminen.Laudemiorum 17.*Mart.*1738. *deciſ.*100. 369
Aſten. Beneficii 10.*Junii* 1739.*deciſ.*149. pag. 556
Averſana Juriſpatronatus ſeu Cappellaniæ 16. *Februarii* 1739. *deciſ.*135. 503
Auguſtana Canonicatus 21. *Junii* 1734. *deciſ.*2. 4
Aurien. Parochialis de Rivela 6. *Februarii* 1736. *deciſ.*39. 129
Parochialis de Podentes 25. *Aprilis* 1738. *dec.*105. 393

B

Bituntina Cap. Odoardus 21. *Januarii* 1735. *deciſ.*8. 25
Bononien. Fideicommiſſorum ſuper Dote 16. *Junii* 1738. *deciſ.*113. 419
Fideicommiſſorum ſuper detractionibus 16.*Junii* 1738. *deciſ.*114. 422
Fideicommiſſorum 30. *Junii* 1738. *deciſ.*123. 450
Fideicommiſſorum ſuper Fructibus 10. *Decembris* 1738. *deciſ.*128. 477
Fideicommiſſorum de Blanchettis ſuper identitate 23. *Januarii* 1739. *deciſ.*134. 500
Fideicommiſſi de Romantiis ſuper liberatione a moleſtiis 13. *Martii* 1739. *deciſ.*138. 514
Fideicommiſſorum de Blanchettis ſuper identitate 27. *Aprilis* 1739. *deciſ.*144. 539
Primiceriatus 14. *Martii* 1738. *deciſ.*99. 362

C

CÆſarauguſtana Diſtributionum 4. *Martii* 1735. *deciſ.*17. 60
Cavallicen. Fideicommiſſi 13. *Apr.*1736. *deciſ.*45. 152
Colonien. Declaratoriæ ſuper expenſis 26. *Junii* 1737. *deciſ.*88. 317
Manutentionis ſuper expenſis 26.*Junii* 1737. *deciſ.*87. 316
Comen. Parochialis 5. *Decembris* 1735. *deciſ.*32. 110

F

FAventina Cautelæ Angeli & Pecuniaria 17.*Januarii* 1735. *deciſ.*7. 20
Immiſſionis ſuper Reſervatis 20.*Junii* 1738. *deciſ.*115. 424
Ferrarien. Evictionis 25.*Junii* 1738. *deciſ.*118. 435
Eadem 10. *Apr.*1739. *dec.*141. 531
Eadem ſuper Relevatione 10. *Aprilis* 1739. *deciſ.*142. 535
Ferrarien., ſeu Ravennaten. Exemptionis 27. *Januarii* 1736. *deciſ.*35. 116
Eadem 21.*Mart.*1736. *dec.*43. 147
Firmana Donationis 17. *Junii* 1737. *deciſ.*82. 284
Forolivien. Succeſſionis 4.*Maii* 1736. *deciſ.*47. 159
Fulginaten. Immiſſionis 20. *Junii* 1735. *deciſ.*27. 93
Eadem 3. *Febr.* 1736. *dec.*38. 125
Redditionis Rationis & Cautelæ Angeli 27.*Januarii* 1736. *deciſ.*36. 119
Societatis ſuper Expenſis 21.*Januarii* 1735. *deciſ.*9. 29
Fulginaten. ſeu Spoletana Alimentorum 13.*Junii* 1738. *deciſ.*112. 417

G

GIennen. Beneficii 21. *Martii* 1738. *deciſ.*20. 74
Gravinen. Cenſus 23. *Junii* 1738. *deciſ.*117. 433

Iller-

I

ILlerden. Canonicatus Pœnitentiarii 16. *Januarii* 1739. *deciſ.* 131. pag. 481
Interamnen. Cenſus 7. *Decembris* 1736. *deciſ.* 65. 224
Eadem 1. *Aprilis* 1737. *dec.* 72. 246
Liberationis a Moleſtiis 1. *Aprilis* 1737. *deciſ.* 73. 250

L

LEodien. Beneficii 18. *Martii* 1735. *deciſ.* 19. 72
Eadem 4. *Junii* 1735. *deciſ.* 22. 80

M

MElevitana Beneficii 2. *Junii* 1738. *deciſ.* 109. 404
Habitus 26. *Junii* 1737. *dec.* 84. 296
Societatis 16. *Apr.* 1736. *dec.* 46. 155
Monopolitana Aſſociationis 28. *Aprilis* 1738. *deciſ.* 106. 397
Eadem 20. *Febr.* 1739. *dec.* 136. 506
Mutinen. Parochialis, ſeu Plebaniæ 21. *Junii* 1737. *deciſ.* 83. 290
Eadem 13. *Januar.* 1738. *dec.* 95. 340

N

NArnien. Fideicommiſſi 20. *Jun.* 1737. *deciſ.* 116. 429
Neapolitana Funerum 28. *Junii* 1737. *deciſ.* 89. 318
Eadem 5. *Decem.* 1738. *dec.* 127. 468
Nullius Abbatiæ S. Hilarii 28. *Junii* 1737. *deciſ.* 90. 324
Eadem 21. *Mar.* 1738. *dec.* 102. 382
Nullius ſeu Meliten. Manutentionis 18. *Junii* 1736. *deciſ.* 57. 196
Nullius ſeu Meliten. Spolii 18. *Junii* 1736. *deciſ.* 58. 202
Nullius Putiniani Præeminentiarum ſuper Expenſis 22. *Febr.* 1737. *dec.* 70. 241

P

PAderbonen. Beneficii 28. *Junii* 1734. *deciſ.* 3. 7
Pampilonen. Parochialis de Alſaſua 12. *Martii* 1736. *deciſ.* 41. 142
Eadem 17. *Mart.* 1738. *dec.* 101. 377
Peruſina Reintegrationis 15. *Maii* 1739. *deciſ.* 145 544
Piſtorien. Beneficii 4. *Maii* 1736. *deciſ.* 48. 164
Eadem 7. *Decemb.* 1736. *dec.* 64. 221
Placentina Parochialis 13. *Januar.* 1736. *deciſ.* 33. 112
Eadem 27. *Jan.* 1738. *dec.* 91. 352

R

REcineten Legatorum ſuper Legato Annæ Roſæ 22. *Junii* 1736. *deciſ.* 59. 203
Romana Aſſociationis 3. *Decembris* 1736. *deciſ.* 63. 219
Eadem 8. *Apr.* 1737. *deciſ.* 77. 265
Cambii 6. *Junii* 1735. *dec.* 23. 80
Eadem 27. *Junii* 1736. *dec.* 61. 208
Eadem 10. *Maii* 1737. *dec.* 78. 268
Eadem 27. *Junii* 1738. *dec.* 119. 439
Eadem 6. *Mart.* 1739. *dec.* 137. 509
Cenſus 6. *Decem.* 1737. *dec.* 93. 333
Cenſuum 27. *Jun.* 1738. *dec.* 120. 443
Concurſus ſuper Redditione Rationis 7. *Februarii* 1735. *deciſ.* 14. 45
Eadem ſuper Prælatione 7. *Februarii* 1735. *deciſ.* 15. 54
Eadem ſuper Redditione Rationis 24. *Februarii* 1736. *deciſ.* 40. 134
Eadem ſuper Prælatione 11. *Maii* 1736. *deciſ.* 50. 172
Fideicommiſſi de Rhodianis 20. *Junii* 1735. *deciſ.* 26. 90
Eadem 14. *Maii* 1736. *dec.* 51. 177
Eadem 10. *Decem.* 1736. *dec.* 66. 225
Eadem 8. *Aprilis* 1737. *dec.* 76. 259
Honorarii 11. *Junii* 1734. *dec.* 1. 1
Immiſſionis ad Hæreditatem Principiſſæ de Butero quoad tertiam partem ſuper Identitate Bonorum 10. *Decembris* 1734. *deciſ.* 5. 15
Eadem quoad tertiam partem ſuper Reintegratione 10. *Decemb.* 1734. *deciſ.* 6. 17
Eadem ſuper Reverſione 14. *Martii* 1735. *deciſ.* 18. 66
Eadem quoad tertiam partem ſuper Reintegratione 2. *Decembris* 1735. *deciſ.* 30. 104
Eadem jam quoad tertiam partem, nunc quoad medietatem ſuper primo dubio, quoad reintegrationem Locorum Montium, Officiorum vacabilium, Creditorum, & Pecuniarum 4. *Junii* 1736. *deciſ.* 52. 182

Ea-

Eadem ſuper ſecundo Dubio quoad reintegrationem Gemmarum aliarumque rerum pretioſarum 4. *Junii* 1736. *deciſ.*53. pag. 187
Eadem jam quoad tertiam partem, nunc quoad medietatem ſuper tertio Dubio, quoad reintegrationem bonorum, redituum, & Creditorum Siciliæ, atque Vineam Urbis 8. *Junii* 1736. *deciſ.*54. 189
Eadem ſuper quarto Dubio quoad reintegrationem reliquorum Mobilium & Suppellectilium 8. *Junii* 1736. *deciſ.*55. 192
Immiſſionis ſuper Subminiſtratione expenſarum, & ſumptus litis 30. *Januarii* 1736. *deciſ.*37. 124
Immiſſionis 15. *Martii* 1737. *deciſ.*71. 243
Immiſſionis 14. *Junii.* 1737. *deciſ.*81. 279
Immiſſionis ſuper Melioramentis, & Fructibus 24. *Mar.* 1738. *dec.*104. 388
Legati ſuper Sequeſtris 16. *Maii* 1738. *deciſ.*107. 399
Locorum Montium ſuper Læſione 6. *Decembris* 1737. *deciſ.*94. 335
Manutentionis 4. *Julii* 1738. *deciſ.*124. 454
Pecuniaria 28. *Januarii* 1735. *deciſ.*10. 33
Eadem ſuper Reſervatis 28. *Januarii* 1735. *deciſ.*11. 37
Pecuniaria 11. *Februarii* 1737. *deciſ.*69. 237
Pecuniaria 17. *Maii* 1737. *deciſ.*79. 272
Salviani 16. *Maii* 1738. *dec.*108. 401
Tranſactionis 4. *Februarii* 1735. *deciſ.*12. 39
Eadem 13. *Apr.* 1736. *deciſ.*44. 148
Eadem ſuper Manutentione 4. *Februarii* 1735. *dec.*13. 44
Eadem ſuper Manutentione 16. *Januarii* 1736. *deciſ.*34. 114
Romana ſeu Mediolanen. Legati 24. *Novembris* 1738. *deciſ.*126. 459
Romana, ſeu Portuen. Tenutarum quoad Fructus 11. *Junii* 1736. *deciſ.*56. 193
Romana, ſeu Savonen. Fideicommiſſi 16. *Januarii* 1739. *deciſ.*132. 486
Eadem 16. *Mart.* 1739. *dec.*139. 518
Romana, ſeu Signina Salviani 5. *Aprilis* 1737. *deciſ.*74. 251
Eadem ſuper reſervatis 5. *Aprilis* 1737. *deciſ.*75. 257
Eadem 1. *Julii* 1737. *dec.*91. 320
Romana, ſeu Spoletana Hæreditatis 1. *Julii* 1737. *deciſ.*92. 332
Romana, ſeu Tyburtina Immiſſionis 2. *Julii* 1736. *deciſ.*62. 210
Eadem 10. *Decembris* 1736. *deciſ.*67. 228
Romana, ſeu Urbinaten. Teſtamenti ſuper Creditis 26. *Februarii* 1738. *deciſ.*98. 357
Roſſanen. Celebrationis Miſſarum 30. *Junii* 1738. *deciſ.*121. 446
Eadem ſuper Aſſiſtentia quoad Remiſſoriam 30. *Junii* 1738. *dec.*122. 448

S

Salamantina Pecuniaria 28. *Februarii* 1735. *deciſ.*16. 57
Eadem 2. *Decem.* 1735. *dec.*31. 105
Salernitana Alimentorum ſuper Compenſatione 13. *Junii* 1735. *dec.*24. 84
Juriſpatronatus 6. *Decembris* 1734. *deciſ.*4. 11
Senogallien. Pecuniaria 25. *Iunii* 1736. *dec.*60. 205
Pecuniaria 21. *Ianuarii* 1737. *deciſ.*68. 233
Pecuniaria 17. *Maii* 1737. *deciſ.*80. 275
Sorana Aggregationis 13. *Aprilis* 1739. *deciſ.*143. 536
Squillacen. Juriſpatronatus 17. *Junii* 1735. *deciſ.*25. 86
Abbatiæ ſuper executione Literarum Apoſtolicarum 30. *Junii* 1739. *deciſ.*148. 553
Eadem ſuper Inſtitutione 8. *Junii* 1739. *deciſ.*147. 550
Sutrina Pecuniaria 9. *Junii* 1738. *deciſ.*110. 410

T

Tiraſonen. Cappellaniæ 15. *Maii* 1739. *deciſ.*146. 549
Toletana Jurium Parochialium 7. *Maii* 1736. *deciſ.*49. 170
Tricaricen. Decimarum 26. *Junii* 1737. *deciſ.*85. 311
Eadem ſuper Compulſoria, & Remiſſoria 26. *Junii* 1737. *dec.*86. 314

Eadem ſuper Attentatis 4. *Julii* 1738. *deciſ.* 125. pag. 458
Eadem ſuper Liquidatione 16. *Martii* 1739. *deciſ.* 140. 529
Trojana Nullitatis obligationis 19. *Januarii* 1739. *deciſ.* 133. 494
Tyburtina Donationis etiam ſuper Manutentione quoad Expenſas 12. *Januarii* 1739. *deciſ.* 129. 480
Eadem ſuper Attentatis quoad Expenſas 13. *Januarii* 1739. *dec.* 130. 481

V

Valentina Beneficii 27. *Junii* 1735. *deciſ.* 28. 100
Eadem ſuper Sequeſtro 27. *Jun.* 1735. *deciſ.* 29. 103
Vigilien. Nullitatis Tranſactionis 21. *Martii* 1738. *deciſ.* 103. 384
Viterbien. Salviani 13. *Januarii* 1738. *deciſ.* 96. 350

Finis Indicis Deciſionum.

IMPRIMATVR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Archip. Tharſi Viceſgerens.

IMPRIMATVR.

Fr. Nicolaus Ridolfi Ordinis Præd. Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

IN-

INDEX ARGVMENTORVM,

Quæ in hoc primo Volumine Deciſionum continentur.

Romana Honorarii.

Veneris 11. Junii 1734.

ARGUMENTUM I.

Salarium non conventum debetur, ſi operarius locare ſolitus ſit operas ſuas. Illud, ſi nec a jure, nec a conſuetudine, nec a partibus taxatum ſit, prudenti Judicis arbitrio eſt decernendum. Proxenetæ munus minime dicitur exercuiſſe, qui negotium geſſit ſolummodo pro uno ex contrahentibus. Pag. 1

Auguſtana Canonicatus.

Lunæ 21. Junii 1734.

ARGUMENTUM II.

A Canonicatibus Auguſtanæ Eccleſiæ in vim ejus Statutorum excluduntur filii Auguſtanorum tam Maſculorum, quam Fœminarum, alibi Matrimonium contrahentium, & commorantium, & jura Civitatis amplius non retinentium. 4

Paderbonen. Beneficii.

Veneris 28. Junii 1734.

ARGUMENTUM III.

Ultimus ſtatus, ſive quaſi poſſeſſio præſentandi prodeſt etiam ſucceſſori, nulla habita ratione petitorii, quod illico clarum non appareat ex confeſſione Partis, vel re judicata, vel publico Inſtrumento, vel alia plena, & concludenti probatione. Vocatio deſcendentium non comprehendit uterinos eorundem. In tranſitu ad lineam fœmininam deſcendentes ex filia ultimi maſculi præferuntur deſcendentibus ex ipſius Sorore. 7

Salernitana Juriſpatronatus.

Lunæ 6. Decembris 1734.

ARGUMENTUM IV.

Res judicatæ firmant in Beneficialibus ſtatum perpetuum, etiamſi producantur Actis non traſportatis; præſertim ſi ſint antiquæ, & diutiſſime obſervatæ. Qui præſentat uti Compatronus, actum præſentationis explere videtur tam pro ſe, quam pro Compatronis non præſentantibus. Præſentatio, ubi titulus non fuit expreſſus, præſumitur facta titulo competenti, & magis proficuo. Ultimus ſtatus non prodeſt, ſi in contrarium adducatur aliqua antiqua ſententia, & poſſeſſio quaſi immemorabilis; cum adverſus jus ex iis quæſitum requiratur vel centenaria, vel quadragenaria poſſeſſio cum qualitate coactiva. 11

Romana Immiſſionis ad hæreditatem Principiſſæ de Butero, quoad tertiam partem ſuper identitate bonorum.

Veneris 10. Decembris 1734.

ARGUMENTUM V.

Identitas bonorum hæreditariorum probatur ex Inventario. 15

Romana Immiſſionis ad hæreditatem Principiſſæ de Butero, quoad tertiam partem ſuper reintegratione.

Veneris 10. Decembris 1734.

ARGUMENTUM VI.

Actio pro reintegratione fideicommiſſi competit fideicommiſſario adverſus hæredem gravatum, ſive bona, ſive mala fide is alienaverit. Trebellianica non detrahitur ex fideicommiſſo ordinato in contractu. Ea præſumitur conſumpta ex fructibus ſpatio 20. annorum per hæredem gravatum perceptis, necnon ex notabilibus alienationibus per eundem factis. 17

Faventina Cautelæ Angeli, & Pecuniaria.

Lunæ 17. Januarii 1735.

ARGUMENTUM VII.

Ubi Filius a Patre fideicommiſſo gravatus Inventarium non confecit, ac nonnullas commiſit diſtractiones, præſumptio eſt, quod detractiones ipſi competentes conſumptæ ſint; idque procedit, etiamſi non probetur alienationes adæquare detractiones, ſi tamen agatur non cum tertiis poſſeſſoribus bonorum alienatorum, ſed cum Creditoribus hæredis gravati. Creditores, qui Inventarium tacite approbarunt, de illius nullitate dicere amplius non poſſunt. Tempus conficiendi Inventarium eſt trium menſium, curritque non a die mortis, ſed a die aditæ hæreditatis. Conſtitutiones Pauli IV., & Pii V. præſcribentes ejus decurſum a die mortis locum habent ſolum in Urbe, & intra ejuſdem diſtrictum. 20

Bituntina Cap. Odoardus.

Veneris 21. Januarii 1735.

ARGUMENTUM VIII.

Beneficio Cap. Odoard. non fruuntur Clerici pro debitis eorum auctoris, ſi ſint hæredes ſimplices; prout neque pro propriis, ſi ex tutelæ, vel curæ geſſione, vel rei alienæ adminiſtratione, præcipue doloſa proficiſcantur, demum ſi in denegando debito ſint pertinaces: dolus ex quibus eruatur. 25

Fulginaten. Societatis ſuper Expenſis.

Veneris 21. Januarii 1735.

ARGUMENTUM IX.

Judice Partes ab expenſis abſolvente, quatenus ſententiæ acquieſcant, nequit acquieſcens, etiamſi victor fuerit, eas a ſuccumbente repetere; quod idem eſt, ſi non quidem remiſſæ ſint, ſed in ſententia omiſſa fuerit condemnatio. Victus autem non dicitur impugnare appellando a partibus ſententiæ ſibi contrariis. Ad expenſas redditionis rationis tenetur Dominus, non vero Adminiſtrator, item ſocietas, non Socius adminiſtrans. 30

Romana Pecuniaria.

Veneris 28. Januarii 1735.

ARGUMENTUM X.

Expenſæ ab uno ex Sociis factæ inſciis aliis, ſi in utilitatem ſocietatis cedant, ab omnibus pro rata ſubiri debent, non obſtante pacto, quod Socius de proprio teneatur ad impenſas ſine aliorum ſcientia, & conſenſu factas; cum ad ſummum tale pactum afficere poſſet paciſcentes, non vero tertium ſocietatis creditorem. 33

Romana Pecuniaria ſuper Reſervatis.

Veneris 28. Januarii 1735.

ARGUMENTUM XI.

Socius ſolidaliter obligatur Creditori Societatis, ſi hæc ſit univerſalis, vel particularis quidem, ſed cum qualitate Inſtitoris uni ex Sociis attributa; qua deficiente in hoc ſecundo caſu Socius non tenetur in ſolidum de Bonis propriis, quamvis ſecus ſit de utilibus, vel capita-

pita-

prali in ſocietate poſito. Edictum Cardinalis S. Honuphrii locum habet quoad menſas nummularias, non vero quoad alias ſocietates. pag. 37

Romana Tranſactionis.

Veneris 4. Februarii 1735.

ARGUMENTUM XII.

Tranſactio enormiſſime non læſiva non reſcinditur. Auth. *Res quæ* non prodeſt differenti petitionem dotis poſt obitum hæredis gravati dotantis. Nomine Maſculorum veniunt Maſculi ex Fœminis, ſi verba vocationis eos ex ſui natura apta ſint comprehendere, & occaſione nominandi lineam maſculinam habita fuerit præciſe relatio ad Perſonas ſupra vocatas. Vocatio Fœminarum continet etiam earum Deſcendentes, quoties ſuffulta eſt nota perpetuitatis. Deficiente vocatione, vulgaris anomala, & repræſentatio locum non habent. Filius familias ex Urbis Statuto contrahere nequit ſine conſenſu Patris, niſi pro Patrefamilias ſe gerat. 39

Romana Tranſactionis ſuper Manutentione.

Veneris 4. Februarii 1735.

ARGUMENTUM XIII.

Poſſeſſio contra defunctum capta continuatur, & prodeſt etiam contra hæredem. Ex Tranſactione, quam quis impugnat, commodum ſentire poteſt, ſi impugnatio ex adverſo acceptata non fuerit. 44

Romana Concurſus ſuper Redditione Rationis.

Lunæ 7. Februarii 1735.

ARGUMENTUM XIV.

Penſio Conductori non remittitur, niſi probet damnum deductis expenſis ejuſdem Penſionis medietatem ſuperare, & quidem habita ratione annorum fertilium. Pactum in hac materia eſt nullum, ſi rei ſubſtantiam, vel impedimentum ex facto Locatoris proveniens reſpiciat, non vero ſi meros fructus, quamvis omnes. Renovatio tacita conductionis continet pacta primæ explicitæ, ſi Locator in ea proteſtatus fuerit ita intelligendam eſſe non facta diſdicta. Adminiſtrator, & Ceſſionatius ad exigendum ſegnes tenentur de nominis deteriotatione, non autem Creditor agens contra Debitorem Debitoris. Triticum in horreis repoſitum ad differentiam aliorum fructuum potius creſcit, quam minuatur. Impenſæ pro vectura, gabella, & exoneratione Creditori ſunt reficiendæ. 45

Romana Concurſus ſuper Prælatione.

Lunæ 7. Februarii 1735.

ARGUMENTUM XV.

Locatori ſuper fructibus prædii, & animalibus in eo exiſtentibus debetur prælatio, maxime ſi dominium, ac hypothecam ſuper iis ſibi reſervavit: quoad reliqua vero bona Conductoris proceditur cum regula anterioritatis. Renovatio ſi fuerit in Inſtrumento Locationis conventa, creditum Locatoris a die dicti Inſtrumenti anterioritatem deſumit; ſecus ſi ſit tacita. Conditio poteſtativa ex voluntate Contrahentium retrotrahitur. 54

Salamantina Pecuniaria.

Lunæ 28. Februarii 1735.

ARGUMENTUM XVI.

Confidejuſſor totum debitum ſolvens repetere poteſt, etiam ceſſione Jurium non reportata, ejus medietatem a Confidejuſſore. Adminiſtrator pro ſuo Credito non præſumitur ſibi de bonis adminiſtratis ſatisfeciſſe, ſi vel Creditum tempore adminiſtrationis nondum aderat, vel ejuſdem adminiſtrationis rationem reddidit. 57

Cæſarauguſtana Diſtributionis.

Veneris 4. Martii 1735.

ARGUMENTUM XVII.

Incompatibilitas ex reſidentia præciſa, & perſonali oritur, at non ex cauſativa. Miſſarum celebratio ut plurimum alteri demandari poteſt, non item ſervitium Chori. Diſtributiones ſi a Beneficiato ſeparatim a Maſſa communi per aſſignationem peculiaris Prædii percipiantur, eo abſente, Locis Piis arbitrio Epiſcopi elargiendæ ſunt; ſi vero percipiantur ex eadem communi Maſſa, aliis accreſcunt. 62

Romana Hæreditatis Principiſſæ de Butero ſuper Reverſione.

Lunæ 14. Martii 1735.

ARGUMENTUM XVIII.

Facultate diſponendi ſi quis non utatur, ea perinde habetur, acſi conceſſa non fuiſſet: uſus autem dici nequit per ſolam generalem inſtitutionem hæredis, quoties in caſum omiſſæ diſpoſitionis dantur ſubſtituti, cum tunc requiratur expreſſa, & individua ejuſdem facultatis mentio. Verba — *acciò poſſa con maggior decoro tirare avanti la Caſa* — Fideicommiſſum præſeferunt agnatitium perpetuum. Donatarius inſtitutus Bona donata capere nequit titulo inſtitutionis æquale jus ipſi tribuente ac donatio. 66

Leodien. Beneficii.

Veneris 18. Martii 1735.

ARGUMENTUM XIX.

Reſidentia præciſa, & perſonalis excluditur ex facultate in fundatione tam Fundatoribus, quam ſubinde Executoribus reſervata ſuper ea diſpenſandi; itemque ex Proviſionibus Apoſtolicis eam rejicientibus, & ex re judicata, & confeſſione Adverſarii: Immo in vim dictæ diſpenſationis, & Proviſionum immutatur qualitas Beneficii. Privatio ob non adimpletam intra præfinitum tempus conditionem locum non habet, niſi ſecluſo omni legitimo impedimento, ac juſta excuſatione. 72

Giennen. Beneficii.

Lunæ 21. Martii 1735.

ARGUMENTUM XX.

Facultas Nuntii Hiſpaniarum circa collationem Beneficiorum reſtringitur ad Beneficia, quorum reditus non excedunt valorem 24. Ducatorum auri Cameræ: cujus narratio per non exceſſum ſufficienter ex Libris, & Diſtributione redituum Eccleſiæ probatur. Literis in forma gratioſa expeditis, idoneitas Proviſi præſumitur probata in Dataria, nec ab Executore diſquirenda eſt. 74

Anconitana Donationis.

Lunæ 28. Martii 1735.

ARGUMENTUM XXI.

Subreptio non incurritur per levis circumſtantiæ reticentiam. Ceſſio a Papa facta de juribus Rev. Cameræ ſuper Bonis Regularis extra Clauſtra degentis non impedit conceſſionem Indulti ad teſtandum; quia eatenus jura Cameræ eventualia ſunt, & conditionalia; ſi nempe Regularis, vel Indultum non obtineat, vel eo non utatur. Præſervatio regreſſus ad Bona renunciata ob ingreſſum in Religionem, ſi dependenter a Diſpenſatione fiat, eſt valida; & Diſpenſatio ſuperveniens quodcunque jus renuntiatariorum reſolvit. 76

Leodien. Beneficii.

Lunæ 4. Junii 1735.

ARGUMENTO XXII.

Non indiget. 80

Romana Cambii.

Lunæ 6. Junii 1735.

ARGUMENTUM XXIII.

Apocha privata etiam Teſtium ſubſcriptione, & obligatione Camerali carens probat Creditum: immo Apocha de recepto eas prorſus non requirit. Exceptio non numeratæ pecuniæ non eſt, niſi intra biennium allegabilis: immo nunquam, ſi contra adſit Excipientis confeſſio de recepto. ibib.

Salernitana Alimentorum ſuper Compenſatione.

Lunæ 13. Junii 1735.

ARGUMENTUM XXIV.

In materia Alimentorum futurorum compenſatio nuſquam locum habet, etiamſi agatur de impenſis litis inju-

Digitized by Google

Injuſtæ, quamvis in hoc caſu illam ſibi vindicet quod Beneficium *Cap. Odoardus*, & *Deductio ne egeat*. Patronus habens uxorem divitem alimenta ab Eccleſia petere nequit. In taxandis alimentis habenda eſt ratio Perſonæ, Loci, & Conſuetudinis. pag. 84

Squillacen. Juriſpatronatus.

Veneris 17. Junii 1735.

ARGUMENTUM XXV.

Extincta lite nullus locus eſt ſubrogationi gratioſæ. Ad extinctionem autem litis non ſufficit renunciatio favore Patronorum, ſed ea debet eſſe pura, & abſoluta. Lis deſerta non dicitur, niſi vel per expreſſam declarationem, vel per lapſum 30. annorum, vel per Sententiam ſuper Deſertione emanatam. Regula *de triennali* non favet Poſſeſſioni pendente lite captæ. Gratia *perinde valere* efficit, ut quæ in ſecundis Literis expreſſa ſunt, cenſeantur expreſſa in primis. 86

Romana Fideicommiſſi de Rhodianis.

Lunæ 20. Junii 1735.

ARGUMENTUM XXVI.

Fideicommiſſum in unam lineam ingreſſum non poteſt ab ea, niſi penitus finita ſit, avocari. Filii in conditione poſiti ex *Statuto Urbis* habentur pro diſpoſitive vocatis. Qualitas maſculinitatis in una ſubſtitutione expreſſa repetita non cenſetur in altera diverſas perſonas comprehendente. 90

Fulginaten. Immiſſionis.

Lunæ 20. Junii 1735.

ARGUMENTUM XXVII.

Filiorum appellatione veniunt tam Maſculi, quam Fœminæ in ſubſidium; etiamſi poſt vocabulum *Filii* adjecta ſint verba — *cioè al Primogenito, e agli altri vitto, e veſtito, e Dote* —, & adſit Statutum excluſivum Fœminarum extantibus Maſculis; quoties tamen adſit Fideicommiſſum perpetuum, quod oritur ex verborum in rem, & hæreditatem directione, ex digreſſu ad plures gradus ſubſtitutionum, ex onere perpetuo Hæredibus, & Deſcendentibus impoſito, & ex prohibitione alienationis præſertim in rem directa, non obſtante quod nomen *Primogeniti* in ſingulari prolatum ſit, & relatum ad Filium Primogenitum certæ Perſonæ. Renunciatio non ſubſcripta a Renuntiante, vel læſiva nullius eſt roboris, etiamſi ſit de Juribus tantum futuris, & eventualibus, non obſtante neque contemplatione agnationis in ea expreſſa, quando appoſita tantum fuit ad colorandum actum, neque titulo donationis, Dos in primis Nuptiis conſtituta, nequit in ſecundis, vel ulterioribus Nuptiis a Patre aut mutari, aut revocari, aut minui. 93

Valentina Beneficii.

Lunæ 27. Junii 1735.

ARGUMENTUM XXVIII.

In Judicio poſſeſſorio non habetur ratio niſi ultimi ſtatus. Obreptio ex falſi narratione oritur, ſubreptio ex veri, puta alternativæ reticentia. Gratia cum derogatione Juriſpatronatus in totum lite pendente conceditur. Juſpatronatus per viam ultimæ voluntatis acquirens præſentare poteſt etiam ante aſſenſum Ordinarii. 100

Valentina Beneficii ſuper Sequeſtro.

Lunæ 27. Junii 1735.

ARGUMENTO XXIX.

Non indiget. 103

Romanæ Immiſſionis ad Hæreditatem Principiſſæ de Butero, quoad tertiam partem ſuper Reintegratione.

Veneris 2. Decembris 1735.

ARGUMENTUM XXX.

Contra alienantem Bona fideicommiſſaria, vel ejus hæredem agi poteſt pro reintegratione Fidæicommiſſi, & reſtitutione fructuum a die purificationis, ſive mala, ſive bona fide alienaverit; bona enim fides prodeſt tantum tertio Poſſeſſori, contra quem agi nequit actione reali niſi mala fide concurrente. 104

Salamantina Pecuniaria.

Veneris 2. Decembris 1735.

ARGUMENTUM XXXI.

Confidejuſſor ſolvens totum debitum repetere poteſt a Confidejuſſoribus eorum ratam, etiamſi jurium ceſſionem non reportaverit. Hæres ille eſſe intelligitur, cui Teſtator Bona ſua reliquit cum onere ſolvendi omnia debita, & legata; quod tamen verum eſt, ſi nullus alius in teſtamento nominatus ſit hæres; maxime vero ſi poſt onerum adimplementum Teſtator vult, ut ita gravatus de ſui hæreditate poſſit libere diſponere. Qualitas hæreditaria ex quibus probetur. Bona dotalia æſtimata tranſeunt in dominium Viri uxore remanente Creditrice mere pecuniaria; quod habet locum, quando agitur de vera æſtimatione, non vero quando Bona dumtaxat æſtimantur ad dignoſcendum eorum pretium, veluti quando conſtitutio Dotis incipit a Bonis. Obligatio aliam priorem obligationem confirmans non inducit novationem. Fidejuſſores gaudent Beneficio diviſionis; quod non admittunt denegando præſtationem fidejuſſionis, quando ſe retrahunt antequam per ſententiam convincantur. 106

Comen. Parochialis.

Lunæ 5. Decembris 1735.

ARGUMENTUM XXXII.

Executioni Gratiæ — *Si neutri* — non eſt locus, ubi conſtat de bono jure alterius. Convocatio Univerſitatis ſieri debet a Conſule, alias eſt nulla, & ejus acta remanent nulla: ex mandato tamen Deputatorum negotia Univerſitatis expedientium habet Proconſul jus coactivum pro legitime convocanda Univerſitate. Interventus Vicarii Foranei in nominationibus Parochialium ſi requiratur relative ad ſpecialem deputationem Epiſcopi, ea non ſequuta neceſſarius non eſt. 110

Placentina Parochialis.

Veneris 13. Januarii 1736.

ARGUMENTUM XXXIII.

In Parochialibus ſubjective unitis non requiritur concurſus, ſed approbatio dumtaxat Nominati præſtanda ab Epiſcopo; quia hujuſmodi Parochiales veluti Prædia Eccleſiarum principalium nunquam vere vacare dicuntur. Subjectio vero ex obſervantia probatur. 113

Romana Tranſactionis ſuper Manutentione.

Lunæ 16. Januarii 1736.

ARGUMENTUM XXXIV.

Impugnans Tranſactionem nequit interim ejus commodum ſentire, immo, priuſquam Judicium reſciſſorium incipiat, reſtituere debet quidquid ejus cauſa accepit: quæ tamen limitantur, ſi certum ſit, creditum Impugnantis diminutioni obnoxium non fore Tranſactione pro valida habita, ea vero reſciſſa potius augmentum eſſe habiturum. 114

Ferrarien., ſeu Ravennaten. Exemptionis.

Veneris 17. Januarii 1736.

ARGUMENTUM XXXV.

Communitas Sæcularis, ac etiam Locus pius habens jus privativum vendendi aquam Vitis, ſive demum eorum Conductor ſi impedire volunt Eccleſiaſticis ejuſdem venditionem, tenentur ad eam emendam pretio juſto, & intrinſeco, nulla habita ratione augmenti ex jure privativo provenientis. Corruptio, & imminutio pretii intra terminum ad emendum cedit damno Venditoris. 116

Fulginaten. Redditionis Rationis, & Cautelæ Angeli.

Veneris 27. Januarii 1736.

ARGUMENTUM XXXVI.

Inventarium non redditur illegitimum ob omiſſionem Stabilium, & Nominum Debitorum. Emphyteuſis ex pacto, & providentia defertur jure ſanguinis, non

hæreditario ! immò ſi Bona ipſa allodialia concedantur in emphyteuſim cum pacto, & providentia; Allodialitas efficit quidem, ut Dominus directus finitis generationibus ſibi retinere nequeat Bona, & ne iis permanentibus poſſit denegare conſenſum alienationibus; ſed comprehenſi in inveſtitura, donec aliquis ex ipſis ſuperſit, veniunt jure ſanguinis excluſo hærede defuncti. Dos quantitativa ſoluto per obitum Viri Matrimonio non parit fructus, niſi facta interpellatione: prout nequeſi Mater geſſerit curam, & tutelam Filiorum. Tutor inveſtire debet pecuniam Pupilli, alias tenetur ad damnum, & intereſſe. pag. 119

Romana Immiſſionis ſuper Subminiſtratione expenſarum, & ſumptus litis.

Lunæ 30. Januarii 1736.

ARGUMENTUM XXXVII.

Reus poſſidens rem fructiferam tenetur præſtare ſumptus litis Actori pauperi bonum jus foventi; Quantitatis autem ſubminiſtrandæ taxatio a Judicis arbitrio pendet. 124

Fulginaten. Immiſſionis.

Lunæ 3. Februarii 1736.

ARGUMENTUM XXXVIII.

Idem, quòd in Deciſione xxvii. 125

Aurien. Parochialis de Rivela.

Lunæ 6. Februarii 1736.

ARGUMENTUM XXXIX.

Ex præſervationibus effectum ſortitis acquiritur quaſi poſſeſſio præſentandi tranſmiſſibilis ad hæredem: in poſſeſſorio autem habetur ratio ultimi tantum ſtatus. Per præſentationem ab uno factam uti compatrono præſervantur jura aliorum non præſentantium: ſecus ſi ille præſentet uti unicus Patronus. 129

Romana Concurſus ſuper Redditione Rationis.

Veneris 24. Februarii 1736.

ARGUMENTUM XL.

Compenſatio ſterilitatis cum ubertate in Locationibus non ſolum facienda eſt habita ratione annorum unius novennii, ſed inſpectis etiam cæteris novenniis: ſi adſit pactum, ut finito novennio, & deinceps, Locatio, non facta diſdicta, cenſeatur renovata cum iiſdem legibus, & conditionibus; quod afficit quoque Pupillos, & minores Filios Conductoris, etiamſi in renovatione adhibitæ non fuerint ſolemnitates Statuti. Hujuſmodi tamen compenſatio non intrat, ſi damnum intolerabile oriatur ex caſu valde inſolito, ac inopinato. Cætera habes in Argumento Deciſionis xiv. 134

Pampilonen. Parochialis de Alſaſua.

Lunæ 21. Martii 1736.

ARGUMENTUM XLI.

monia locum non habet, ubi non adeſt præcedens conventio, in cujus executionem aliquid datum, vel factum probetur. Diffamatio, ut apta ſit ad inducendam privationem Beneficii debet ſolide vigere apud majorem, & ſpectabiliorem Populi partem. 142

Alben. Prioratus.

Veneris 16. Martii 1736.

ARGUMENTUM XLII.

Multiplicitas Subcollectorum tollit reſervationem orientem ex Regula V. Cancellariæ, niſi agatur de Subcollectoribus generalibus plurium partium Diœceſis ſub diverſis Dominiis exiſtentium. Ad hæc tamen, ut Beneficia Subcollectoris reſervata maneant, ſufficit eum aliquando unicum, & generalem Subcollectorem remanſiſſe, quod nunquam verificari poteſt, ſi ejus deputatio ad aliquem particularem locum fuerit limitata. 145

Ferrarien., ſeu Ravennaten. Exemptionis.

Mercurii 21. Martii 1736.

ARGUMENTO XLIII.

Non indiget. 147

Romana Tranſactionis.

Veneris 13. Aprilis 1736.

ARGUMENTUM XLIV.

Læſio in Tranſactione deſumenda eſt non a pretio rei litigioſæ, ſed a ſubſiſtentia, vel inſubſiſtentia Prætenſionum. Vocatio ex quibus excludatur. Cætera habes in Argumento Deciſionis xii. 148

Cavallicen. Fideicommiſſi.

Veneris 13. Aprilis 1736.

ARGUMENTUM XLV.

Subſtitutio a Teſtatore facta in caſu, quo ipſe moriatur cum filiis, qui deinde ſine filiis decedant, evaneſcit ipſo ſine filiis decedente, ſi ad primum caſum reſtricta dignoſcatur; vel ſi Teſtator utrumque caſum prævidit, & diverſimode diſpoſuit. 152

Melevitana Societatis.

Lunæ 16. Aprilis 1736.

ARGUMENTUM XLVI.

Contractus Societatis, & aſſecurationis certi lucri, etiamſi unus ex Sociis ponat ſortem, alter induſtriam, valent, tam ſi ſeparatim fiant, quam ſi conjuncte; modo tamen taxatio certi lucri uſque ab initio exceſſiva non fuerit, habita ratione lucri ex Societate proventuri. Trinus contractus an validus ſit, ſaltem quando agitur cum mercatore? remiſſive. 155

Forolivien. Succeſſionis.

Veneris 4. Maii 1636.

ARGUMENTUM XLVII.

Tam de jure communi, quam ſtatutario Forolivii legitima matris in bonis filii eſt tertia portionis inteſtatæ fratribus cum effectu ſuccedentibus. Quomodo ex eodem ſtatuto regulanda ſit ſucceſſio matris non exiſtentibus fratribus defuncti, eorumve filiis maſculis. Materialis exiſtentia unius tunc ſufficit ad excludendam purificationem vocationis alterius, quando conſiderata fuit ad faciendam conditionem, ſecus ſi ad inducendam ſucceſſionem, quo caſu ſi ille abdicative renunciet habetur pro mortuo. Repudiatio inducit jus accreſcendi pro conjunctis in gradu per Edictum ſucceſſorium: renuntiatio vero abdicativa locum aperit ſequenti gradui, quotiea ſola exiſtentia ita renuntiantis illum excludebat. 159

Piſtorien. Beneficii.

Veneris 4. Maii 1736.

ARGUMENTUM XLVIII.

Juſpatronatus familiare defertur in capita. Renuntiatio bonorum, & jurium quorumcunque non comprehendit Juſpatronatus, ſi cauſa finalis renuntiationis in proœmio expreſſa loquatur de bonis, & effectibus temporalibus. Juſpatronatus Monacho competens acquiritur Monaſterio, in quo profitetur, non in quo degit. 164

Toletana Jurium Parochialium.

Lunæ 7. Maii 1736.

ARGUMENTUM XLIX.

Domus unius Parochiæ incorporatæ cum domo alterius Parochiæ huic ſubjectæ evadunt de jure tam communi, quam ſtatutario Eccleſiæ Toletanæ. Conſuetudo contraria utrique mox dicto juri, ut obliget, debet eſſe longæva; & quomodo hæc probetur. 170

Romana Concurſus ſuper Prælatione.

Veneris 11. Maii 1736.

ARGUMENTUM L.

Renovatio, ſeu potius continuatio Locationis ſi fiat in vim pacti expreſſi in Inſtrumento exarato ab initio ejuſdem Locationis, creditum Locationis etiam ex cauſa penſionum ultimi novennii deſumit ſuam anterioritatem uſque a tempore prædicti Inſtrumenti, quod ſecus eſt, ſi renovatio tacite fiat; Prædictaque vera ſunt, etiamſi continuatio dependeat a conditione non factæ diſdictæ, quia hujuſmodi conditio eſt reſolutiva non ſuſpenſiva; & proinde non impedit retrotractionem hypothecæ. Piſtores præferuntur quibuſcunque Creditoribus reſervationem dominii, & ſpecialia hypothecæ non habentibus. 172

Ro-

Digitized by Google

Romana Fideicommiſſi de Rhodianis.

Lunæ 14. Maii 1736.

ARGVMENTVM LI.

Qualitates in parte diſpoſitiva adjectæ repetitæ cenſentur in conditionali, ubi agitur de iiſdem perſonis; præſertim ſi ex tali repetitione non oriatur reſtrictio Revocationis, ſed prælatio dumtaxat maſculorum. Recenſentur, & refelluntur conjecturæ repetitioni contrariæ. Prærogativa ſexus vincit beneficium lineæ, ubi a Teſtatore volita fuit in omnibus gradibus deſcendentiæ prælatio maſculorum, in quorum tantum defectu vocavit fœminas. Deſcendentes a communi ſtipite conſtituunt quidem diverſos columnellos, ſed non diverſas lineas. pag. 177

Romana Hæreditatis Principiſſæ de Butero jam quoad tertiam partem, nunc quoad medietatem ſuper primo dubio, circa reintegrationem locorum montium, officiorum vacabilium, creditorum, & pecuniarum.

Lunæ 4. Junii 1736.

ARGVMENTVM LII.

Ad exequendam immiſſionem in genere conceſſam neceſſaria eſt liquidatio, & ſpecificatio bonorum fideicommiſſariorum; prout liquidatio crediti ad reintegrationem obtinendam. Fructus locorum montium debentur a die motæ litis ſaltem in linea damnorum, & intereſſe. Bonorum, quæ conſumptioni obnexia non ſunt, ſi alienata fuerint, reintegratio debetur fideicommiſſo. Legata, & æs alienum, itemque impenſæ ultimæ infirmitatis, funeris, & veſtium lugubrium, & ſalaria familiæ debent ſolvi ex fideicommiſſo. 182

Romana Immiſſionis ad hæreditatem Principiſſæ de Butero jam quoad tertiam partem, nunc quoad medietatem ſuper ſecundo dubio circa reintegrationem argentorum, gemmarum, aliarumque rerum pretioſarum.

Lunæ 4. Junii 1736.

ARGVMENTVM LIII.

Mobilia conſumptioni non obnexia veniunt in reſtitutione fideicommiſſi, iiſque alienatis debetur reintegratio habita ratione eorum pretii de tempore conſignationis, ſi non demonſtretur, per quod tempus apud gravatum alienantem permanſerint, & quod ex uſu eorundem a Teſtatore volito probabiliter ſequi potuerit deterioratio. 187

Romana Hæreditatis Principiſſæ de Butero jam quoad tertiam partem, nunc quoad medietatem ſuper tertio dubio, circa reintegrationem bonorum, redituum, & creditorum Siciliæ, atque Vineam Urbis.

Veneris 8. Junii 1736.

ARGVMENTVM LIV.

Fructus bonorum fideicommiſſariorum reſtituendi ſunt a die motæ litis. Reintegratio evitari nequit, niſi oſtendendo, vel bona fideicommiſſaria exiſtere, vel alienata fuiſſe ex cauſa afficiente fideicommiſſum. 189

Romana Immiſſionis ad hæreditatem Principiſſæ de Butero jam quoad tertiam partem, nunc quoad medietatem ſuper quarto dubio circa reintegrationem reliquorum mobilium, & ſuppellectilium.

Veneris 8. Junii 1736.

ARGVMENTO LV.

Ob brevitatem non indiget. 192

Romana, ſeu Portuen. Tenutarum quoad Fructus.

Lunæ 21. Junii 1736.

ARGVMENTVM LVI.

Non conſtito de certo pretio prædiorum, locus eſſe nequit taxæ legali, prout ſi conventum fuerit, ut reditus concludenter probetur; cujus probatio ſi haberi nequeat, proventus calculatur in tribus ſcutis pro quolibet rubro, & anno. Canon ſolvendus eſt ex fructibus rei emphyteuticæ. Donatio, & rem ſſio præſertim ſummæ conſpicuæ, & in Loco Pio non præſumitur. 193

Nullius, ſeu Meliten. Manutentionis.

Lunæ 18. Junii 1736.

ARGVMENTVM LVII.

Poſſidenti jure proprio datur manutentio, ſecus poſſidenti nomine precario. Ad oſtendendam autem poſſeſſionem ſufficiunt leviores probationes, & ea in dubio præſumitur retenta nomine proprio, præſertim ſi ſit antiquiſſima; exceptiones autem contra manutentionem rejiciuntur, niſi incontinenti probentur, vel per confeſſionem partis, vel per rem judicatam, vel per publicum Inſtrumentum. 196

Nullius, ſeu Meliten Spolii.

Lunæ 18. Junii 1736.

ARGVMENTO LVIII.

Ob brevitatem non indiget. 202

Recineten. Legatorum ſuper Legato Annæ Roſæ.

Veneris 22. Junii 1736.

ARGVMENTVM LIX.

Renuntiatio omnium bonorum comprehendit Legatum pecuniarium; Ea porro ſi ad vitam alicujus fiat, tribuit Renuntiatario tacitam facultatem diſponendi in vita, vel in morte. Ad ejus autem indolem dignoſcendam, ſiquidem conſtet de animo addendi, & innovandi, habetur ratio Inſtrumenti; ſi vero hujuſmodi animus excludatur, habetur ratio Capitulorum. 203

Senogallien. Pecuniaria.

Lunæ 25. Junii 1736.

ARGVMENTO LX.

Non indiget. 205

Romana Cambii.

Mercurii 27. Junii 1736.

ARGVMENTVM LXI.

Solutio debiti facienda eſt in loco contractus, alias debitor tenetur ad expenſas cambiorum, quas Creditor remittere non cenſetur conſtituendo alibi Procuratorem ad exigendum, nec ob talem conſtitutionem amittit facultatem agendi contra fidejuſſorem ſolidalem ante excuſſionem debitoris, niſi per eam novata fuerit præcedens obligatio. 208

Romana, ſeu Tyburtina Immiſſionis.

Lunæ 2. Junii 1736.

ARGVMENTVM LXII.

Immiſſio non retardatur niſi ex credito claro tam quoad ſubſtantiam, quam quoad quantitatem. Amiſſio bonorum ex caſu fortuito cedit damno Commodantis, non Commodatarii; caſus autem fortuitus cenſetur Spolium Camerale. Adminiſtrator donec datum, & acceptum calculatum, & contrapoſitum non fuerit, dici

dici nequit debitor; ejuſque omne debitum ex ratio-num exæquatione extinguitur. Convocato concurſu creditum extra eum allegari nequit. Retentio, & compenſatio non admittuntur de una ad aliam hæreditatem, & niſi debitum, & creditum verificetur in una, eademque perſona. pag. 211

Romana Aſſociationis.

Lunæ 3. Decembris 1736.

ARGVMENTVM LXIII.

Hæres ſimplex non tenetur ad debita authoris niſi pro ejus quota, modo tamen non conveniatur actione hypothecaria, quia tunc ad commodum Creditoris tenetur in ſolidum. Solutio debiti alieni non tribuit actionem hypothecariam, ſed vel merum officium Judicis, vel actionem perſonalem tantum. Deficiente credito Aſſociationi non eſt locus. 219

Piſtorien. Beneficii.

Veneris 7. Decembris 1736.

ARGVMENTVM LXIV.

Declaratio renuntiationis habet locum, ſi hæc ſit dubia, non quando eſt clara. Ad Jura renuntiata non datur regreſſus. Patronus exhibendo Ordinario nominationem a Compatronis de ipſo factam, ſe præſentare non dicitur. Cœtera habes in Argumento Dec. XLVIII. 221

Interamnen. Cenſus.

Veneris 7. Decembris 1736.

ARGVMENTVM LXV.

Donatio facta intuitu certi, & determinati matrimonii, eo non ſecuto, reſolvitur. 224

Romana Fideicommiſſi de Rhodianis.

Lunæ 10. Decembris 1736.

ARGVMENTVM LXVI.

Habes in Deciſione 1. 225

Romana, ſeu Tyburtina Immiſſionis.

Lunæ 10. Decembris 1736.

ARGVMENTVM LXVII.

Habes in Deciſione LXII. 228

Senogallien. Pecuniaria.

Lunæ 26. Januarii 1737.

ARGVMENTVM LXVIII.

Debitor liberatur per depoſitum, cui locus eſt, etiamſi dubium tantummodo adſit exiſtentiæ Creditorum anteriorum, nec illud invalidum eſt, ex quo non ſit integrum, cum remaneat actio pro reſiduo, nec debitoris refert, an deinde ex pecunia depoſitata dimittantur Creditores anteriores, vel poſteriores. Reſervatio dominii tam Creditori, quam ejus Ceſſionario anterioritatem tribuit. 233

Romana Pecuniaria.

Lunæ 13. Februarii 1737.

ARGVMENTVM LXIX.

Debitum particulare compenſari nequit cum credito ſociali. Libri Nummulariorum legaliter retenti plene probant etiam pro ſcribente: legalitas ex quibus oriatur. Ad hæredem univerſalem ſpectat ſolvere debita defuncti. 237

Nullius Putiniani Præeminentiarum ſuper Expenſis.

Veneris 22. Februarii 1737.

ARGVMENTVM LXX.

Exceſſus in taxatione expenſarum non præſumitur, ſed concludenter probandus eſt: unde vicetur, dignoſcitur a petitione, & ſubſecuto Judicato, non ab aliqua incidenti declaratione. 241

Romana Immiſſionis.

Veneris 15. Martii 1737.

ARGVMENTVM LXXI.

Filiabus dotatis non competit contra voluntatem Patris coæqualia ſucceſſio in ejus bonis. Dos a Patre conſtituta de jure præſumitur congrua; ita ut pro obtinendo ſupplemento plene probanda ſit incongruitas; immo ex Statuto Urbis filiæ contentæ eſſe debent dote a Patre ipſis tradita, etiam minori legitima, & incongrua, modo tamen cum ea invenire poſſint æqualem virum: quod ſi a fratre dos conſtituatur, ea tamen ex Statuto Urbis debet eſſe congrua, & de paragio: ad decernendam autem congruitatem habetur ratio bonorum de tempore dotationis, non obitus Patris, qualitatis perſonarum, & conſuetudinis regionis, quæ circumſtantiæ ſi ita ſuadeant, dos poteſt eſſe congrua, etiamſi notabiliter ſit minor legitima. Legitima non eſt quota hæreditatis, niſi deducto ære alieno. 243

Interamnen. Cenſus.

Lunæ 1. Aprilis 1737.

ARGVMENTVM LXXII.

Donatio facta intuitu certi matrimonii, eo non ſecuto, reſolvitur ob defectum cauſæ finalis; quod ſi matrimonium incertum contemplatum fuerit, & in donatione fuerit expreſſa etiam cauſa amoris, matrimonium habetur pro cauſa tantum impulſiva; ubi vero agatur de matrimonio certo, & determinato, tunc amor, & liberalitas æque conſtituere valent cauſam finalem, ſi donatio matrimonium ſubſequatur, non ſi præcedat. Læſio locum non habet in contractibus, qui in ſua origine æque ſe habere poſſunt ad damnum, ac ad lucrum. 246

Interamnen. Liberationis a Moleſtiis.

Lunæ 1. Aprilis 1737.

ARGVMENTO LXXIII.

Non indiget ob brevitatem. 250

Romana, ſeu Signina Salviani.

Veneris 5. Aprilis 1737.

ARGVMENTVM LXXIV.

Ad bona, quæ tempore conſtitutæ hypothecæ reperiebantur in patrimonio conſtituentis, competit immiſſio pro reintegratione tam pretii bonorum evictorum, quam damnorum. Mulier nulliter ſe obligat ultra medietatem dotis, non obſtante juramento, & ſolemnitatibus. Conſtitutio dotis a matre facta, exiſtente Patre, reſolvitur in ſimplicem fidejuſſionem. Cætera vide in Summario. 251

Romana, ſeu Signina Salviani ſuper Reſervatis.

Veneris 5. Aprilis 1737.

ARGVMENTVM LXXV.

Hæres adeundo quaſi contrahit, & ſe obligat Creditoribus hæreditariis. Moderna poſſeſſio eſt alterum ex requiſitis Salviani; quæ tamen non bene probatur ex lite ſuſtentata ob aliam cauſam, quam poſſidendi. Cætera habes in Argumento ſuperioris Deciſionis. 257

Romana Fideicommiſſi de Rhodianis.

Lunæ 8. Aprilis 1737.

ARGVMENTVM LXXVI.

In fideicommiſſo progreſſivo vocatio alicujus, ejuſque deſcendentium intelligitur facta ordine ſucceſſivo præſertim concurrente clauſula — *di grado in grado ordine ſucceſſivo* —. In vocatione filiorum tot dicuntur conſtitutæ lineæ, quot ſunt filii, ubi ſtipes fuit unicus, deindeque diviſus fuerit in plures columnellos: tranſitus de uno ad alium columnellum non continet odium fideicommiſſi ſaltuarii. Quoties in deſcendentia fœminina diſtincta fuit linea maſculina a fœminina, & prima fuit prælata, prærogativa ſexus vincit prærogativam lineæ. Proximioritatis ratio habetur inter perſonas ejuſdem generis, & qualitatis, non inter diverſas. Quando fœminæ promiſcue vocantur cum maſculis, quibus deinde datur prælatio, iſti excludunt fœminas ejuſdem gradus, non vero proximiores, ubi vero maſculi ſemper vocantur excluſive ad fœminas, & ſeparata fuit deſcendentia maſculina, & fœminina, ac primæ data prælatio cum verbis perpetuitatem denotantibus, tunc maſculi, licet remotiores, & diverſæ lineæ excludunt fœminas proximiores. Cætera habes in Deciſione 1. 259

Ro-

Romana Aſſociationis.

Lunæ 8. *Aprilis* 1737.

ARGVMENTVM LXXVII.

Hæres etiam mediatus tenetur proportionabiliter ad debita Auctoris; ob adjudicationem fundi cenſiti ex juribus anterioribus extinguitur cenſus; qui conſiſtere nequit ſuper melioramentis, ſi ad debitorem cenſus non pertineant. Debitor cenſus fideicommiſſarii non liberatur illum extinguendo libere in manibus gravati, ſi ille emptus in origine fuit pecuniis fideicommiſſariis, & in impoſitione adjecta fuit lex reinveſtiendi eveniente reſtitutione; ſecus ſi emptus fuit ante conſtitutionem fideicommiſſi, & ſine d. pacto. pag. 265

Romana Cambii.

Veneris 10. *Maii* 1737.

ARGVMENTVM LXXVIII.

Hæredi ſimplici non competit beneficium retentionis; niſi creditum ſit liquidum, & ceſſum in tranſactione; vel niſi agatur ad effectum retinendi, non vero agendi; nemo ceſſione crediti uti poteſt ultra ſummam vere perſolutam. Creditor hypothecata habens omnia bona debitoris, eligere poteſt, quæ perſequatur. Pro expenſis, tam judicialibus, quam extrajudicialibus competit, proportionabiliter tamen, ſuper bonis defenſis prælatio adverſus quoſcunque Creditores antiquiores. 268

Romana Pecuniaria.

Veneris 17. *Maii* 1737.

ARGVMENTVM LXXIX.

Ex morte Scribentis, & veritate, ac ſubſiſtentia partitarum majoris ſummæ præſumuntur veræ, ac ſubſiſtentes etiam aliæ minoris. Inter diverſas perſonas non eſt locus compenſationi. Cætera habes in Argumento Deciſionis LXIX. 272

Senogallien. Pecuniaria.

Veneris 17. *Maii* 1737.

ARGVMENTVM LXXX.

In venditionibus voluntarie a debitore factis pro dimittendis ſuis Creditoribus, non tenentur iidem Creditores præſtare cautionem de reſtituendo prior., & potior. favore emptoris; qui tamen, quotieſcunque illa ei competit, eligere poteſt vel illam, vel depoſitum. Pura, & ſimplex aſſumptio debiti ad dimittendum continet tacitam conditionem, quatenus Creditores anter., & potior. non detegantur, ſed ſi ſit expreſſa, majorem vim habet. Reliqua habes in Argumento Deciſionis LXVIII. 275

Romana Immiſſionis.

Veneris 14. *Junii* 1737.

ARGVMENTVM LXXXI.

Certa qualitas expreſſa, ubi etiam deficiant verba reſtrictiva, oſtendit diſpoſitionem eſſe taxativam, non demonſtrativam. Quando Pontifex ad alterius petitionem de re Creditoris diſponit, gratia intelligitur *prout de jure* ſalva inter Creditores tam expreſſos, quam non, tam cognitos, quam incognitos anterioritate, & potioritate; ſecus quando de re propria, & ex motu proprio diſponit favore Creditorum alicujus, quia tunc gratia reſtringitur ad ſolos expreſſos, repulſis etiam anterioribus, & potioribus. 279

Firmana Donationis.

Lunæ 17. *Junii* 1737.

ARGVMENTVM LXXXII.

Scriptura privata ſufficienter non recognita, nec in totum ſcripta, ac ſubſcripta a Donante, inutilis eſt; nec ſola recognitio ſubſcriptionis per notam manum facta a Teſtibus etiam omni exceptione majoribus ſuffragatur in materia præſertim donationis, quando Teſtes præſentes non fuerunt confectioni Schedulæ; niſi concurrant fortiſſima adminicula. Ex quo autem donatio exarata fuerit in medio folio, ejuſque ratificatio in octava parte folii, convincitur de falſitate, quæ inſuper oriri poteſt ex aliis circumſtantiis, quas vide in *Deciſione*, ubi etiam plura de Teſtibus, quando fidem non mereantur. 284

Mutinen. Parochialis, ſeu Plebaniæ.

Veneris 27. *Junii* 1737.

ARGVMENTVM LXXXIII.

Parochiales, quæ cum concurſu, vel intra ſpatium ſex menſium ab Ordinario collatæ non fuerunt, Sedi Apoſtolicæ reſervantur. Juſpatronatus a perſonis petentibus rigoroſe probandum eſt, vel per exhibitionem publici Inſtrumenti fundationis, & dotationis, vel per immemorabilem cum pluribus præſentationibus effectum ſortitis ſpatio continuato 50. annorum, & juſtificandis per publica Inſtrumenta earundem, tam ſi agatur in petitorio, quam in poſſeſſorio. Juſpatronatus ut ex augmento dotis dicatur acquiſitum ex cauſa onerosa, augmentum debet ſaltem attingere medietatem antiquæ dotis, alias dicitur ex privilegio, & ſubjacet revocationibus, a quibus, ſi præſervatum ſit, obnoxium manet reſervationibus. Per allegationem tituli invalidi enervatur vis centenariæ, & immemorabilis, nec amplius allegari poteſt in vim hujuſmodi obſervantiæ melior titulus. 290

Melevitana Habitus.

Mercurii 26. *Junii* 1737.

ARGVMENTVM LXXXIV.

Petentes habitum Militum *Juſtitiæ* Religionis Hieroſolymitanæ probare tenentur juxta conſuetudinem Italiæ generoſam nobilitatem duorum ſæculorum in familiis Patris, Matris, Aviæ paternæ, & Aviæ maternæ: Et quomodo probetur. 296

Tricaricen. Decimarum.

Mercurii 26. *Junii* 1737.

ARGVMENTVM LXXXV.

Poſt diviſionem Parochiarum jus decimandi translatum fuit in Parochos; ſolumque pro quarta decimarum aſſiſtit Epiſcopo juris diſpoſitio, niſi tamen in diviſione, & erectione expreſſe omnes in Parochos translatæ fuerint: immo eadem juris diſpoſitio non ſufficit ad adjudicandam Epiſcopo d. quartam, niſi concurrat conſuetudo. Decimæ novales pertinent ad originarium Decimatorem, nec comprehenduntur ſub antecedenti locatione, conventione, aut qualibet alia conceſſione. 311

Eadem ſuper Compulſoria, & Remiſſoria.

Mercurii 26. *Maii* 1737.

ARGVMENTVM LXXXVI.

Compulſoria generalis ſemper conceditur ad libitum Petentis; ſpecialis vero, niſi ubi adſit fumus exiſtentiæ, & relevantiæ documentorum. Remiſſoria ob improbabilitatem, vel irrelevantiam non profutura, denegatur. 314

Colonien. Manutentionis ſuper Expenſis.

Mercurii 26. *Junii* 1737.

ARGVMENTO LXXXVII.

Non indiget ob brevitatem. 316

Colonien. Declaratoriæ ſuper Expenſis.

Mercurii 2. *Junii* 1737.

ARGVMENTVM LXXXVIII.

Juſta cauſa litigandi non excuſat de ſtilo Curiæ a refectione expenſarum, quæ ſi judiciales, & vivæ ſunt, integre reficiuntur, ſi vero extrajudiciales, juxta ſtilum. 317

Neapolitana Funerum.

Veneris 28. *Junii* 1737.

ARGVMENTVM LXXXIX.

In funeribus, & proceſſionibus Capitulo Cathedralis, vel alteri corpori habenti pro ſe immemorabilem competit prærogativa elevandi unice propriam Crucem in excluſionem Parochialium; His vero non intervenientibus hujuſmodi privilegium in funeribus competit Parochiæ tumulanti. Dicta autem prærogativa communicari nequit aliis a Capitulo per traditionem propriæ Crucis, quia eſt perſonalis Canonicorum capitulariter incedentium. Collegium Hebdomadariorum Eccleſiæ Cathedralis eſt dependens a Capitulo, & illius ſervitorium, & conſequenter inferius, & minus dignum Collegiatis. 318

Nul-

Nullius Abbatiæ S. Hilarii.

Veneris 28. *Junii* 1737.

ARGVMENTVM XC.

Evictione ſecuta, vel etiam imminenti emptor ſolvere non tenetur pretium bonorum emptorum, prout in primo caſu, neque fructus compenſativos. Simulatio, ex concurſu cauſæ ſimulandi, & conjecturarum concludenter probatur. Pretium bonorum, præſertim feudalium, quomodo probetur. pag. 324

Romana, ſeu Signina Salviani.

Lunæ 1. *Junii* 1737.

ARGVMENTVM XCI.

Extrema Salviani ſunt creditum cum hypotheca, poſſeſſio antiqua penes debitorem, & moderna penes reum conventum. Poſſeſſor ex ſupervenientia novi tituli præſumitur mutare cauſam poſſidendi, etiam ſecluſa declaratione. Diſpoſitio *l. vindicantem Cod. de evictione* militat contra hæredem univerſalem, non vero contra Poſſeſſorem particularem. 329

Romana, ſeu Spoletana Hæreditatis.

Lunæ 3. *Julii* 1737.

ARGVMENTO XCII.

Non indiget ob brevitatem. 332

Romana Cenſus.

Veneris 6. *Decembris* 1737.

ARGVMENTVM XCIII.

Titulus dotis impedire nequit executionem, & ſubhaſtationem bonorum viri etiam ad inſtantiam Creditoris poſterioris, modo tamen Creditrix, vel ejus hæres non amoveantur a poſſeſſione, & oblationes ſuperent creditum dotale. Cautela Angeli ſervanda eſt, donec hæres negligens fuerit in reddenda ratione, vel eam male reddiderit. In cenſibus non eſt locus præſtationi fundi liberi, vel ſubrogationi alterius, niſi fundus cenſitus oſtendatur incapax omnium onerum. 333

Romana Locorum Montium ſuper Læſione.

Veneris 6. *Decembris* 1737.

ARGVMENTVM XCIV.

Rota ſuas Deciſiones ſolet ſupponere, etiamſi novum judicium introductum fuerit ſuper inibi firmatis, & a Signatura Juſtitiæ remiſſum ad Judicem ordinarium. Quando Loca Montium vinculata venduntur non ad vitam gravati, ſed in proprietate, vincula remanent incerta, & eventualia, nec quoad pretium conſiderari valet læſio. Pactum redimendi reſtrictum ad triennium æſtimari ad ſummum poteſt in ſexta parte veri pretii: & emptor ſcientiam habens onerum rei emptæ donare cenſetur id, quod in pretio excedit; & quatenus contractum reſcindat, compenſare tenetur ſuum creditum cum fructibus plus juſto perceptis. 335

Mutinen. Parochialis, ſeu Plebaniæ.

Lunæ 13. *Januarii* 1738.

ARGVMENTVM XCV.

Epiſcopus poſt proviſionem Eccleſiæ tanquam de Jurepatronatus allegare amplius nequit alternativam. Subrogatio gratioſa collitiganti conceſſa ad differentiam ſubrogationis, quæ reſtin conceditur, non eſt proviſio, ſed ſubingreſſus in jus defuncti. Beneficia de Jurepatronatus laicali etiam vacantia per reſignationem in Curia non conferuntur in vim *Regul.* 42. *Cancellar.*, niſi vel cum expreſſa derogatione Juriſpatronatus, vel cum conſenſu Patronorum. Juſpatronatus etiam Potentum probari valet per ſcripturas authenticas comprobantes præſentationes, & per centenariam continuatam. Facilius admittitur Juſpatronatus perſonæ privatæ, quam potentis. Cætera habes in Argumento Deciſionis LXXXIII. 340

Viterbien. Salviani.

Lunæ 13. *Januarii* 1738.

ARGVMENTVM XCVI.

Ex ſolo lapſu temporis, non concurrentibus aliis univocis probationibus, cenſus non præſumitur extinctus. Hypotheca non præſcribitur contra Creditorem niſi data in eo ſcientia alienationis vera, & certa, non autem præſumpta. Exceptio melioramentorum non eſt apta retardare immiſſionem, niſi concludenter probetur impenſum, & melioratum habito reſpectu ad ſtatum antiquum. 350

Placentina Parochialis.

Lunæ 27. *Januarii* 1738.

ARGVMENTVM XCVII.

Epiſcopus habet Juris aſſiſtentiam pro viſitandis, privative quoad alios, Eccleſiis, aut Locis Piis ſuæ Diœceſis, & Juriſdictione in eis exercenda; limita in Eccleſiis plenarie unitis Monaſteriis exemptis, quæ unice ſubmittuntur Abbati, excepta cura animarum, & adminiſtratione Sacramentorum; reſpectu cujus Epiſcopo cumulative competit Jus viſitandi, ita tamen, ut in diſcrepantia Decretorum utriuſque Superioris prævaleant Decreta Epiſcopi. Obſervantia quando inducatur, vel non. 352

Romana, ſeu Urbinaten. Teſtamenti ſuper Creditis.

Mercurii 26. *Februarii* 1738.

ARGVMENTVM XCVIII.

Specifica mentio legitimæ ad effectum eam includendi in diſpoſitionibus neceſſaria eſt, ubi agitur de legitima a diſponente adhuc acquirenda, non ubi agitur de jam acquiſita. Quando loco mobilium ſubrogata ſunt bona inconſumptibilia, hæc ſemper repeti poſſunt. Prima exactio cedere debet in cauſam debiti antiquioris, & durioris in dubio, non quoties adeſt veriſimilitudo in contrarium. 357

Bononien. Primiceriatus.

Veneris 14. *Martii* 1738.

ARGVMENTVM XCIX.

Contemplata rigoroſa agnatione Cognati neque per poſterius admittuntur; ſecus ubi agnati prædilecti duntaxat fuerunt, ex quo nempe inſtitutum fuerit fideicommiſſum ſimpliciter maſculinum prolaris tamen alicubi verbis communibus, & indifferentibus. Nomen gentilitium additum domui excludit in ſubſidium Cognatos, quoties domus ipſa, ſeu familia particularis imperſonaliter, & per ſe vocetur, aut vocentur perſonæ habentes, & deferentes cognomen aliquod; non vero ubi vocatio directa eſt ad perſonas ex aliqua familia, ſeu domo derivantes. In materia indifferenti Juriſpatronatus, quoties non concurratur cum maſculo ex maſculis, vel cum fœmina agnata, ſemper admittuntur Cognati, modo literaliter excluſi non ſint, etiam ſi diſpoſitio nulla alia contineat verba, quam illa contemplantia familiam Fundatorum cum adjectione cognominis. Juſpatronatus paſſivum inſervit pro interpretatione activi. 362

Ariminen. Laudemiorum.

Lunæ 17. *Martii* 1738.

ARGVMENTVM C.

Bona ad inſtar allodialium redacta nunquam poſſunt ab Eccleſia ammenſari, neque in caſu alienationis, neque in caſu lineæ finitæ; ſed eorum inveſtitura renovanda ſemper eſt favore cujuſcunque acquirentis, vel ſucceſſoris etiam extranei cum ejuſdem in utroque caſu Laudemii ſolutione a Statuto præſcripti, quia alias pro hujuſmodi bonis nullum de jure Laudemium debetur. Ob non ſolutionem Laudemii non incurritur caducitas. Conſuetudo ut contra Jus inducatur, debet eſſe continuata, & in contradictorio judicio firmata. 369

Pampilonen. Parochialis de Alſaſua.

Lunæ 17. *Martii* 1738.

ARGVMENTVM CI.

Puer laicus, & illiteratus eſt incapax Beneficii Eccleſiaſtici. Quæ procedunt a quadam honeſtate, & gratitudine, non vero à neceſſaria, & legali obligatione ſimoniam non inducunt. Simplex diffamatio tunc ſufficit ad excludendum diffamatum ab aſſecutione Parochialis, quando alter cum eo concurrit habens æqualia ſuffragia, ſecus ſi diffamatus præſentetur a majori parte Patronorum. Cætera habes in argumento Deciſionis XLI. 377

Nul-

Nullius Abbatiæ S. Hilarii.

Veneris 21. Martii 1738.

ARGVMENTVM. CII.

Habes in Deciſione xc. pag. 381

Vigilien. Nullitatis Tranſactionis.

Veneris 21. Martii 1738.

ARGVMENTVM CIII.

Tranſactio a nulliter, & injuſte carcerato facta in ipſo carcere, vel extra quidem, ſed illico, & incontinenti poſt excarcerationem nulla eſt; immo ita carcerato non ſolum reſtitui debet quidquid per tranſactionem amiſit; ſed inſuper reficit expenſæ, damna, & intereſſe, etiam ab ipſo Judice, ſi proceſſit non citata, nec audita parte, ad differentiam caſus, quo his præmiſſis injuſte, vel nulliter per imperitiam dumtaxat judicaret. 385

Romana Immiſſionis ſuper Melioramentis, & Fructibus.

Lunæ 24. Martii 1738.

ARGVMENTVM CIV.

Ex impenſo, & meliorato debet refici quod minus eſt; ad hoc autem dignoſcendum ſegregandus eſt ſtatus antiquus a moderno; quod ſi ob incorporationem, & confuſionem fieri nequeat, inſpiciendus eſt reditus bonorum ante meliorationem, & exceſſus conſtituit ſtatum modernum, calculatis, ad decernendum pretium melioramentorum, quatuor pro centenario; & ſi agatur de domibus locari ſolitis Hebræis tribus pro centenario; modo tamen ante determinationem dicti exceſſus detrahatur ſumma bonificari ſolita univerſitati Hebræorum. Hebræi in Urbe non poſſunt retinere domos niſi ex titulo locationis; fructus reſtitutioni obnoxii compenſandi ſunt cum melioramentis. 388

Aurien. Parochialis de Podentes.

Veneris 25. Aprilis 1738.

ARGVMENTVM CV.

Juſpatronatus tranſit cum hæreditate, & univerſitate bonorum etiam per viam permutationis ceſſa; aſſignari vero nequit Juſpatronatus in dotem ſine conſenſu Ordinarii. Ultimus ſtatus per concordiam tranſactus non attenditur, ſed in ejus locum ſubintrant penultimus, & cæteri anteriores clari. Gratioſe ſubrogatus ſibi acquirit fructum, & effectum vocum Colliriganti competentium. 393

Monopolitana Aſſociationis.

Lunæ 28. Aprilis 1738.

ARGVMENTVM CVI.

Reſervatio dominii tribuit remedium aſſociationis. Per lapſum 30. annorum præſcribitur via executiva, ſi contractus non ſit juratus; Si vero ſit juratus, præſcribitur per lapſum 40. annorum; & talis præſcriptio viæ executivæ cepta contra defunctum perficitur contra ſucceſſores, & currit etiam contra agere non valentem, ad differentiam præſcriptionis ipſius crediti, vel alterius negocii principalis. 397

Romana Legati ſuper Sequeſtris.

Die 16. Maii 1738.

ARGVMENTVM CVII.

Sequeſtrum apponi nequit, ubi quantitas crediti non eſt liquida; apponibile autem eſt etiam ſuper fructibus fideicommiſſi ad debitum non obligati, ubi pertinent ad debitorem. 399

Romana Salviani.

Veneris 16. Maii 1738.

ARGVMENTVM CVIII.

Immiſſus in Salviano ubi non excipit de ſuo credito ad effectum retinendi, ſed ob inſufficientiam fructuum perceptorum agit adverſus alia bona debitoris, tenetur de iiſdem fructibus rationem reddere, & inſufficientiam oſtendere; nec ſtatur ejus notulæ juratæ. In prædiis ruſticis probata aſſociatione præſumitur perceptio fructuum. Ubi debita & credita in unam eandemque perſonam coaluerunt, eſt locus compenſationi, & præſumitur animus compenſandi; ſecus in diverſitate perſonarum. 401

Melevitana Beneficii.

Lunæ 2. Junii 1738.

ARGVMENTVM CIX.

Donatio Juriſpatronatus eſt nulla ſine Ordinarii conſenſu, qui tamen ex lapſu 40. annorum præſumitur. Confirmatio donationis munitæ Juramento cum promiſſione de eam non revocando retrotrahitur ad diem ipſius donationis, licet ſupervenerit poſt mortem tam Donantis, quam Donatarii, etiam in præjudicium intermediæ donationis ab Ordinario approbatæ; ſecus ſi prædictum Juramentum, & promiſſio non interceſſerint. Clericatus ſufficit quod adſit tempore præſentationis, neque Patroni tenentur conditionem Clericatus apponere in ipſo actu nominationis. Ut expreſſio Clericatus verificata cenſeatur, ſufficit, quod adſit tempore datationis gratiæ. Valida eſt nominatio pueri, ſi Patroni conditionem apponant prius obtinendi diſpenſationem ætatis. Quæritur compræſentato habili eſt Jus quæſitum vel ob lapſum quadrimeſtris, vel ob legem fundationis habilitatem requirentis tempore nominationis, aut præſentationis, tunc in ſupplicatione pro gratia derogationis medietatis vocum debet fieri mentio tam ejuſdem compræſentati, quam litis pendentis. 404

Sutrina Pecuniaria.

Lunæ 9. Junii 1738.

ARGVMENTVM CX.

Cautela Angeli ab hærede allegata ratione prætenſi crediti, non vero ex cauſa dominii apta non eſt ad retardandam executionem mandati contra bona hæreditaria relaxati. Ex ſimplici promiſſione ſolvendi debita hæreditatis non amittitur beneficium Inventarii; amittitur tamen ex tranſactione, in qua hæres obligando propria bona aliquid utilitatis percipiat. 410

Æſina Domorum.

Veneris 13. Junii 1738.

ARGVMENTVM CXI.

Res vendita, vel in ſolutum data ſi gravata comperiatur, ſit locus reſciſſioni contractus, reſtitutioni pretii, ac refectioni omnium damnorum, & intereſſe; neque hujuſmodi rem recipiens cogitur ad recipiendam loco pretii rem aliam. Ex ſubſtitutione omnium deſcendentium tam maſculorum, quam fœminarum in perpetuum, prohibitione alienationis, ut bona ſemper remaneant in familia, ac pluribus gradibus ſubſtitutionum oritur fideicommiſſum perpetuum, & progreſſivum. Contractus perfectus nullam conditionem, vel gravamen admittit in damnum alterius ex contrahentibus diſſentientis. 414

Fulginaten., ſeu Spoletana Alimentorum.

Veneris 13. Junii 1738.

ARGVMENTVM CXII.

Aſcendentes, & deſcendentes omnes tenentur ſe ſe invicem alere; taxa vero alimentorum relinquitur Judicis arbitrio. Concurrentibus litibus, hujuſmodi alimenta peti poſſunt extra domum alere debentis, ſed iſte non tenetur ad plus, quam quod in domo propria impendiſſet; alimenta debita officio Judicis, non vero ex cauſa miſerationis, non debentur niſi a die motæ litis. 417

Bononien. Fideicommiſſorum ſuper Dote.

Lunæ 16. Junii 1738.

ARGVMENTVM CXIII.

Deficientibus bonis liberis, mulieri competit actio pro ſua dote contra fideicommiſſum aſcendentale; immo ſi ultima ſit de ſuo Columnello, everti poteſt pro ejus congrua dotatione totum fideicommiſſum ejuſdem Columnelli; & quæ dos ſit congrua. 419

Bo-

Bononien. Fideicommiſſorum ſuper Detractionibus.

Lunæ 16. Junii 1738.

ARGUMENTUM CXIV.

Exceptiones turbidæ retardare nequeunt immiſſionem. Jura R. Fabricæ locum non habent, niſi prius interpellatis debitoribus legatorum, aſſignatoque termino, intra quem de eorum adimplemento non doceatur. Annua onera ſolvenda ſunt ex fructibus fideicommiſſi a gravato, ita ut contra ejus hæredes actio maneat, non contra fideicommiſſum. pag. 428

Faventina Immiſſionis ſuper Reſervatis.

Veneris 20. Junii 1738.

ARGUMENTUM CXV.

Expreſſa probibitio alienationis efficit, ut qualitas hæreditaria etiam deſtituta beneficio legis, & inventarii non ſit apta ad retardandam fideicommiſſario immiſſionem, ad differentiam caſus fideicommiſſi ſimplicis ſuper primogenitura, & fideicommiſſo particulari in quo peti nequeunt detractiones, niſi in ſubſidium, cujus caſum eveniſſe probandum eſt a petente detractiones: quod tamen ſine Inventario fieri nequit, & conſequenter nec detractionum prætextu impedit immiſſio. Folia quando Inventarii defectum ſupplere non valeant. 424

Narnien. Fideicommiſſi.

Veneris 20. Junii 1738.

ARGUMENTUM CXVI.

Filii in conditione poſiti cenſentur ob prædeceſſum patris diſpoſitive vocati, ubi pater ſubſtitutus erat, ſecus ubi ipſe quoque ſimpliciter in conditione erat poſitus: Data vero ſubſtitutione patris filiorum vocatio ob ejus prædeceſſum inducitur, ſi alias ipſi inhabiles remaneant ad acquirendam legitimam ſucceſſionem ejus, cui pater ſubſtitutus fuerat. Ex quibus conjecturis inducatur, vel non vocatio poſitorum in conditione, 429

Gravinen. Cenſus.

Lunæ 23. Junii 1738.

ARGUMENTUM CXVII.

Cenſu nullo exiſtente unice ob non impetratum Beneplacitum Apoſtolicum, debentur ab Imponente fructus loco damnorum, & intereſſe, etiamſi Creditor uſque ab initio certior fuerit de invaliditate contractus proveniente ex defectu dicti Beneplaciti, ad differentiam caſus, ubi pariter uſque ab initio noverit invaliditatem cenſus orientem ex defectu dominii fundi in Imponente, vel facultatis per eundem impetrandæ a Domino. In Inveſtimentis activis locorum piorum non requiritur nec Beneplacitum Apoſtolicum, nec auctoritas Ordinarii, 433

Ferrarien. Evictionis.

Veneris 25. Junii 1738.

ARGUMENTUM CXVIII.

In venditione præſtanda eſt evictio ex ipſa natura contractus. Fructus in exceſſu percepti ipſo jure imputantur in ſortem in cambiis, aliiſque ſimilibus creditis fructiferis, non vero in cenſibus, quorum reſpectu copulative neceſſariæ ſunt interpellatio, & declaratio debitoris cenſus, & acceptatio Creditoris, qui cogi nequit ad recipiendam niſi medietatem ſaltem ipſius ſortis. 435

Romana Cambii.

Veneris 27. Junii 1738.

ARGUMENTUM CXIX.

Accollatio a Poſſeſſore ſuſcepta tacitam conditionem incluſam habet, quatenus nempe bona poſſeſſa a creditis, & hypothecis anterioribus non abſorbeantur. Emptor ſimul, ac Creditor facit fructus ſuos ratione dominii, & ab eorum petitione repellit Creditores poſteriores in vim anterioritatis; nec unus titulus alium deſtruit. Cætera habes in Argumento Deciſionis xxviii. 439

Romana Cenſuum.

Veneris 27. Junii 1738.

ARGUMENTUM CXX.

Tutor cum Decreto Judicis alienare poteſt bona immobilia Pupilli, ac ſuper iis cenſuum imponere, & ceſſiones etiam ad ſui commodum reportare, modo non ſint de juribus litigioſis, & acquirantur pro quantitate juribus ceſſis æquivalenti, non vero minori, quia alioqui ceſſiones Pupillo acquiruntur. Valide quoque Tutor acquirit cenſum contra Pupillum, ſi id fiat mediante alio Tutore ad talem actum ſpecialiter a Judice deputato. Cenſus ſuper bonis Pupillæ impoſitus, pro aſſignanda eidem dote eſt validus etiam ſine ſolemnitatibus. Dotes Monialium non poſſunt conſiſtere niſi in pecunia numerata. 443

Roſſanen. Celebrationis Miſſarum.

Lunæ 30. Junii 1738.

ARGUMENTUM CXXI.

Dignitates, Canonici, & Presbyteri deficiente contraria conſuetudine tenentur per ſe ipſos Divina Officia adimplere; quod ſi legitime impediantur, non poſſunt ſubſtituere niſi perſonas ejuſdem ordinis. 446

Roſſanen. Celebrationis Miſſarum, ſuper Aſſiſtentia quoad Remiſſoriam.

Lunæ 27. Junii 1738.

ARGUMENTUM CXXII.

In materia profana, ubi concurrat relevantia articulorum, ſemper conceditur remiſſoria, etiam abſque fumo materiæ articulatæ. Cæremoniale Epiſcoporum quoad abrogationem immemorabilis procedit circa clare, & literaliter diſpoſita ab illo, ſecus circa caſus dubios. 448

Bononien. Fideicommiſſorum.

Lunæ 30. Junii 1738.

ARGUMENTUM CXXIII.

Privilegium Auth. *Res quæ* non habet locum niſi in ſubſidium, & probata deficientia bonorum liberorum a petente detractionem, ſi agatur de dote detrahenda. In legitimam filii imputatur quicquid ipſe ex ſubſtantia Patris obtinet, Ex ſimplici conteſtatione litis ante purificationem fideicommiſſi non inducitur mala fides. Sententia Immiſſionis retrotrahitur ad diem petitionis quando eſt pura; ſecus quando eſt conditionalis. Hæres uſufructuaria gravati conſequitur fructus fideicommiſſi uſque ad diem reſtitutionis ejuſdem, puta ad diem declarationis a fideicommiſſario faciendæ, an velit fideicommiſſum acceptare. 450

Romana Manutentionis.

Veneris 4. Julii 1738.

ARGUMENTUM CXXIV.

In judicio ſummariſſimo retinendæ manutentio regulatur a poſſeſſione, pro qua demonſtranda admittuntur leviores probationes, & præſumitur retenta jure proprio, non precario, & familiaritatis, ſi actus poſſeſſorii ſint multiplices, & titulus etiam nullus, & invalidus concurrat: immo titulus familiaritatis ex decennali poſſeſſione excluſus remanet, prout ex lapſu ejuſdem temporis vim ſuam ad hunc effectum amittit clauſula *Conſtituti*. Inventarium deficiens in deſcriptione ſtabilium, & mobilium eſt nullum: nullaque conſequenter eſt renunciatio hæreditatis; ab ea autem ex actibus incompatibilibus, & contrariis receſſum cenſetur. 454

Tricaricen. Decimarum ſuper Attentatis.

Veneris 4. Julii 1738.

ARGUMENTUM CXXV.

Sequeſtra ab Executore relaxata ante notificationem Literarum Executorialium, & ſuper rebus ſub mandato Judicis delegantis non comprehenſis, ſunt attentata, & nulla. Ubi non agitur cum forenſibus, ſed cum poſſidentibus bona in loco, executioni obnoxio non proceditur pro aſſecuratione Judicii ad ſequeſtrum ante Judicis mandatum. 458

Ro-

Romana, ſeu Mediolanen. Legati.

Lunæ 13. Novembris 1738.

ARGUMENTUM CXXVI.

Legatum conceptum per imperfectum modi conjunctivi cum relatione ad tempus mortis non ſolum comprehendit bona exiſtentia tempore teſtamenti, ſed etiam quæ poſtea acquiruntur, & poſſidentur tempore mortis: hunc quoque effectum producit univerſalitas verborum. Plura de comprehenſione bonorum futurorum, præſertim in legato per participium præſens concepto. De Jure novo ſuper re legata relinqui poteſt aliud Legatum a Legatario principali præſtandum. pag. 460

Neapolitana Funerum.

Veneris 5. Decembris 1738.

ARGUMENTUM CXXVII.

Privativa elevandæ propriæ Crucis in tumulatione Cadaverum comperit Canonicis Cathedralis Capitulariter incedentibus, non vero aliquibus ex iis ſingulariter intervenientibus. Duæ Eccleſiæ materialiter diſtinctæ repræſentare poſſunt unam Eccleſiam formalem; prout duo Corpora, & Capitula unum Corpus, & Capitulum formale. In una, eademque materiali Eccleſia adeſſe non poſſunt duo diſtincta Capitula; etiamſi unum ex iis ſit Capitulum Cathedralis, alterum Collegiatæ. Cætera habes in Deciſ. LXXXIX. 468

Bononien. Fideicommiſſorum ſuper Fructibus.

Mercurii 10. Decembris 1738.

ARGUMENTUM CXXVIII.

In judicio immiſſionis in vim *l. fin.* fructus debentur a die productionis Jurium, ſi ſententiæ fuerint puræ; ſecus ſi conditionales, tunc enim debentur a die dumtaxat purificatæ conditionis. In conditionibus poteſtativis non habet locum retrotractio. Incompatibilitas profluens ex diſpoſitione hominis verbis negativis concepta non ſolum impedit retentionem, ſed etiam principium acquiſitionis. Nonnulla alia vide in Deciſione. 477

Tyburtina Donationis, etiam ſuper Manutentione quoad Expenſas.

Lunæ 12. Januarii 1739.

ARGUMENTO CXXIX.

Non indiget. 480

Eadem ſuper Attentatis quoad Expenſas.

Lunæ 13. Januarii 1739.

ARGUMENTO CXXX.

Non indiget. 481

Illerden. Canonicatus Pœnitentiarii.

Veneris 16. Januarii 1739.

ARGUMENTUM CXXXI.

In Electionibus Canonicis, nec Ordinarius, nec Electores tenentur præſtare juramentum ſuper electione dignioris, ſed eorum tantum conſcientia ad id gravatur: In Regnis tamen Caſtellæ, & Legionis hujuſmodi juramentum requiritur ex peculiaribus Conſtitutionibus in proviſione Canonicorum Doctoralium, & Magiſtralium. In electione Canonici Pœnitentiarii præcellentia meritorum ſupplet defectum ætatis 40. annorum etiam in concurſu alterius talem ætatem habentis. ibid.

Romana, ſeu Savonen. Fideicommiſſi.

Veneris 16. Januarii 1739.

ARGUMENTUM CXXXII.

A Conſilio 21. Oldradi ex conjecturis receditur, quarum præcipuæ, & concludentiſſimæ ſunt conſervatio agnationis tam naturalis, quam artificialis, & digreſſus ad plures gradus ſubſtitutionum. Perpetuitas fideicommiſſi ex quibus eruatur. Concurrente vero conſervationis agnationis, deſignatio parentum non ſtat reſtrictive ad denotandos filios primi gradus, nec obſtat comprehenſioni Nepotum, & ulteriorum deſcendentium, etiam per duplex medium fœmininum, ſi agnatio quoque artificialis contemplata fuit. 486

Trojana Nullitatis Obligationis.

Lunæ 19. Januarii 1739.

ARGUMENTUM CXXXIII.

Eccleſia, cui uniuntur, & incorporantur bona alterius, obſtricta remanet oneribus, & obligationibus iiſdem bonis infixis. Ut Privilegia exemptiva Monaſteriis competant, requiritur expreſſa derogatio Decreti *Concilii Viennen.* relati *in Clement. Dudum de ſepult.* In novorum Monaſteriorum erectionibus neceſſario exigitur Parochorum conſenſus, qui vel ſolum præſtare poſſunt cum reſervatione omnium jurium Parochialium, vel de eorum pretio convenire. Sacerdotes pro unico Sacrificio nequeunt accipere duplex ſtipendium, niſi Benefactorum expreſſa voluntas conſtiterit, vel unum ex iis peculiariter detur pro ſervitute celebrandi in certo, & deſignato loco, alterum vero pro applicatione. 494

Bononien. Fideicommiſſorum de Blanchettis ſuper Identitate.

Veneris 23. Januarii 1739.

ARGUMENTUM CXXXIV.

Res ex cauſa dotis a fideicommiſſo avulſa, non eſt amplius eidem obnoxia. 500

Averſana Juriſpatronatus, ſeu Cappellaniæ.

ARGUMENTUM CXXXV.

Lunæ 16. Februarii 1739.

In Laudo prolato ab Arbitratore, & amicabili Compoſitore neceſſaria non eſt forma judicialis, præſertim ſi Partes auditæ fuerint, adinumque habuerint ad ſua jura deducenda. Defectus conditionis ſub pœna reſcindenda appoſitæ inducit reſciſſionem actus; defectus vero modi tribuit dumtaxat actionem ad petendum adimplementum. 503

Monopolitana Aſſociationis.

Veneris 20. Februarii 1739.

ARGUMENTUM CXXXVI.

Præſcriptio viæ executivæ contra Defunctum cœpta non impeditur ab ignorantia Succeſſorum, ad differentiam præſcriptionis ipſius crediti. Cætera habes in argumento Deciſionis CVI. 506

Romana Cambi.

Veneris 6. Martii 1739.

ARGUMENTUM CXXXVII.

Cambium tam quoad ſortem, quam quoad fructus ſaltem loco damnorum, & intereſſe reviviſcit, ſi res præſertim fructifera in ejus extinctionem Creditori adjudicata evincatur, ſive adjudicatio voluntaria fuerit, ſive judicialis. Ceſſio reportata in actu dimiſſionis Crediti, vel proprii, vel authoris, eſt extinctiva, reportata vero in actu dimiſſionis Crediti alieni, eſt tranſlativa. 509

Bononien. Fideicommiſſi de Romantiis ſuper Liberatione a Moleſtiis.

Veneris 13. Martii 1739.

ARGUMENTUM CXXXVIII.

Omiſſio deſcriptionis ſtabilium, mobilium, jurium, & actionum operatur nullitatem Inventarii, quod propterea non impedit confuſionem actionum. 513

Romana, ſeu Savonen. Fideicommiſſi.

Lunæ 16. Martii 1739.

ARGUMENTUM CXXXIX.

Habes in Deciſion. CXXXII. 518

Tricaricen. Decimarum ſuper Liquidatione.

Lunæ 16. Martii 1739.

ARGUMENTO CXL.

Non indiget. 519

Ferrarien. Evictionis.

Veneris 10. Aprilis 1739.

ARGUMENTUM CXLI.

Habes in Deciſ. CXVIII. 515

Fer-

Google

Index Argumentorum.

Ferrarien. Evictionis ſuper Relevatione.

Veneris 10. Aprilis 1739.

ARGUMENTO CXLII.

Non indiget ob brevitatem. pag. 535

Sorana Aggregationis.

Lunæ 13. Aprilis 1739.

ARGUMENTUM CXLIII.

Vera civilitas acquiritur per admiſſionem ad munera civica, ſolutionem onerum, decennalem habitationem cum voluntate ſemper in eodem loco permanendi per deſertionem alterius domicilii. Immemorabilis quomodo probanda ſit, & ex quibus excludatur. 536

Bononien. Fdeicommiſſorum de Blanchettis ſuper Identitate.

Lunæ 27. Aprilis 1739.

ARGUMENTUM CXLIV.

Per pactum reverſivum bonorum fideicommiſſariorum in tranſactione appoſitum favore vocatorum non inducitur nova diſpoſitio, ſed dumtaxat aſſignationis jam factæ reſolutio; qua eveniente bona ipſo jure revertuntur ad fideicommiſſum, abſque eo, quod agi debeat ex ſtipulatu in ſuo congruo Judicio. Bona permutata cum bonis fideicommiſſariis iſtorum naturam induunt, etiamſi permutatio facta non fuerit nomine fideicommiſſi. 539

Peruſina Reintegrationis.

Veneris 15. Maii 1739.

ARGUMENTUM CXLV.

In rebus de ſui natura ad hæredes tranſitoriis Pactum reverſivum nunquam eſt perſonale, ſed hæreditarium, ſeclusa expreſſa conventione in contrarium, non obſtante deſignatione perſonæ, cum qua ſtipulatum fuit, & defectu mentionis hæredum. Ex facultate alienandi vel excluditur quodcunque fideicommiſſum, vel remanet conditionale in caſu nempe non ſecutæ alienationis. Ex ſola poſitione in conditione lineæ maſculinæ non inducitur nec diſpoſitiva vocatio, nec fideicommiſſum. 544

Tiraſonen. Cappellaniæ.

Veneris 15. Maii 1739.

ARGUMENTUM CXLVI.

Juſpatronatus Eccleſiaſticum ſubjicitur Reſervationibus Apoſtolicis, quæ læſæ non remanent ab antiquiſſima contraria poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione. 549

Squillacen. Abbatiæ ſuper Inſtitutione.

Lunæ 8. Junii 1739.

ARGUMENTUM CXLVII.

Verbum *Familia* includit agnationem, & excludit cognationem, etiamſi adjiciatur aliis generalibus verbis — *hæredibus*, *& Succeſſoribus quibuſcurque* — Præſentari poteſt inhabilis ex defectu ætatis ſub conditione diſpenſationis reportandæ. 550

Squillacen. Abbatiæ ſuper Executione Literarum Apoſtolicarum.

Lunæ 30. Junii 1739.

ARGUMENTUM CXLVIII.

Pro deſertione litis requiritur vel animus expreſſus, vel tacitus inductus per lapſum 30. annorum, vel Sententia Judicis. 553

Aſten. Beneficii.

Veneris 19. Junii 1739.

ARGUMENTUM CXLIX.

Requiſita ſubrogationis gratioſæ ſunt poſſeſſio defuncti, & exiſtentia Litis; Calumnia autem ad repellendum gratioſe ſubrogatum intervenire debet uſque ab initio, & excluditur a titulo etiam levi. 556

Finis Indicis Argumentorum.

Digitized by Google

DECISIONES
SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
CORAM
ALEXANDRO
TANARIO
Ejuſdem Sacræ Rotæ Auditore,
NUNC
S.R.E. DIACONO CARDINALI
TIT. S. MARIÆ IN AQUIRO.

ROMANA HONORARII.

Ven. 11. Junii 1734.

ARGUMENTUM.

Salarium non conventum debetur ſi operarius locare ſolitus ſit operas ſuas. Illud ſi nec a jure, nec a conſuetudine, nec a partibus taxatum ſit, prudenti Judicis arbitrio eſt decernendum. Proxenetæ munus minime dicitur exercuiſſe qui negotium geſſit ſolummodo pro uno ex contrahentibus.

SUMMARIUM.

1 *Sententia non obſtante appellatione tranſit in rem judicatam, ſi appellans intra annum a die obtentæ appellationis commiſſionem non incapſet, ac intra ſequentem annum acta non tranſportet.*

2 *Operario debetur merces, ac ſalarium.*

3 *Quæ tamen, ſi conventa non ſint, non debentur.*

4 *Limita ſi operarius ſolitus ſit locare operas ſuas.*

5 *Proxenetis emptiones, ac venditiones feudorum perficientibus ex Urbis conſuetudine dari ſolent ſcut. 2. pro quolibet centenario.*

6 *Salarium, ſi nec a jure, nec a conſuetudine, nec a partibus taxatum ſit, prudenti Judicis arbitrio decernendum eſt.*

7 *Munus Proxenetæ exercuiſſe minime dici poteſt, qui negotium pro uno tantum ex contrahentibus geſſit, & confecit.*

8 *Quia munus Proxenetarum eſt negotium gerere, ac perficere pro utroque contrahente.*

9 *Hujuſmodi munus unicè Laicis congruit, Clericis vero, & maxime Sacerdotibus prohibitum eſt.*

10 *Actus ultronei, gratioſi, ac ex liberalitate geſti trahi nequeunt in argumentum juris coactivi.*

11 *Declaratur deciſio* in Romana Honorariorum 29. April. 1711. coram Aldrovando.

12 *Nulla ratio habenda eſt Deciſionum in caſibus, in quibus cirumſtantiæ ſunt variæ.*

DECISIO I.

AD aſſequendam remunerationem laborum in curanda Duci Caſſani emptione Feudi Ceræ inſumptorum Advocatus Nicolaus de Marinis eundem in jus vocavit coràm R. P. D. Paſſerino Judice ab A. C. deputato, petens ſibi decerni Sala-

Salarium in ſumma ſcutor. 9360., votique compos effectus fuit quoad ſcuta 1500. per relaxationem Mandati executivi, deinceps in plena Signatura Juſtitiæ diei 4. Septembris 1721. approbati in rata dumtaxat ſcut. 300. prævio reſcripto = *S. P. quoad ſcut. 300., & in reliquis S. Q. E.*

At cum Cauſa deinceps nec fuerit in hoc S. Auditorio commiſſa Eminentiſs., & Reverendiſs. Cardiali Aldrovando tunc emerito illius Decano, nec acta fuerint transportata niſi anno 1726., hinc Ego hodie in locum Cardinalis ejuſdem ſuffectus propoſui dubium ab eodem ſubſcriptum -- *An conſtet de re judicata, & de credito in majori ſumma* -- Et reſponſum accepi -- *Conſtare de re judicata, & de credito juxta modum* -- nempe pro ſumma ſc. 600. dumtaxat, comprehenſis ſcut. 300. jam antea ex reſcripto Signaturæ Juſtitiæ per d. Advocatum conſequutis.

Siquidem res judicata viſa eſt DD. innegabilis eo ipſo, quod appellans nec infra annum à die obtentæ appellationis commiſſionem incapſavit, neque intra alterum annum Acta transportavit; quibus non adimpletis infra dicta tem-
1 pora ſemper Decreta definitiva, & ſententiæ tranſeunt in rem judicatam. *Cap. Cum ſit Romana. 5. de Appellat., Auth. & qui. Cod. de tempor., & reparat. appellat., Rot. coram Bich. dec. 345. num. 1. & 2., dec. 237. coram Herrera, deciſ. 1228. coram Molines utrobique num. 1., ac in Interamnen. Juris nominandi 12. Decembris 1718. §. Etenim coram Reverendiſs. P.D. Corio Decano.*

Potiſſimum concurrentibus validitate, quæ a Collitigantibus in dubium non revocabatur, ac juſtitia, ſaltem in genere, ex eo deſumpta, quod cuili-
2 bet operanti debetur merces, ac ſalarium juxta documentum ab ipſa Divina ſapientia in Sacris literis non ſemel nobis traditum, uti habetur in *Cap. Charitatem 2. quæſt. 2., & in l. 1. ff. de var. & extraordinar. cognit., Zacch. de Salar. in Prohæm. n. 2. & 13.*

Haud faceſſente, mercedem, ac ſalarium prædictum nec conventa, nec
3 promiſſa fuiſſe, & conſequenter non deberi; quia cum Nicolaus de Marinis
4 eſſet ſolitus locare operas ſuas, nec credendum ſit eas aliis voluiſſe gratis inſumere, inanibuſque laboribus ſeſe defatigare, præſertim hic in Urbe, fit inde, ut etiam ſi conventa non fuerint, debeantur ad tradita per *Jul. Cappon. Diſcept. 109. n. 50. 51. & 52., Zacch. de Salar. quæſt. 102. à n. 15. ad 19., Rot. poſt eund. dec. 52. num. 1. & ſeqq., coram Cavaler. deciſ. 499. num. 2., & deciſ. 416. num. 3., coram clar. mem. Card. Falconer. deciſ. 22. num. 7. tit. de ſolut., & in Recent. deciſ. 238. num. 1. par. 1.*

Minuſque, quod idem geſſerit pro Duce mandante negocium damnoſum, ac præjudiciale, ut docuit ſucceſſivus eventus; dum ipſe Dux ad ſeſe eximendum ab hiſce damnis, & præjudiciis poſt paucos annos coactus fuit idem Feudum retrovendere eidem Duci Brachiani minorato pretio in conſpicua ſumma ſc. 35. millium; quia hæc contractus diſſolutio non evenit, ex quo idem contractus in ſeſe contineret damnum, & præjudicium dicti Ducis, ſed ex aliis cauſis, & præcipuè ex ſucceſſiva peſſima ejuſdem Feudi adminiſtratione geſta per ipſius Miniſtros, & propterea non ex aliqua culpa, vel defectu Advocati prædicti, qui omnia geſſit, ne dum mandantibus, ſed etiam videntibus, ac approbantibus ipſo Duce Emptore, Advocato Piſtoja, & Procuratore Caſtilia, qui omnes e Civitate Neapolitana ſeſe ad Urbem contulerant ante Apocæ ſtipulationem.

Quo verò ad quantitatem d. Salarii: Prætendebat idem Nicolaus illud eſſe taxandum in petita uſque ab initio judicii ſumma ſcutor. 9360. tàm ex modo, & qualitate ejus laborum per plures menſes in hac re adhibitorum, gravitate negocii conſiſtentis in concluſione emptionis antiquiſſimi, ac nobiliſſimi Feudi, ac opulentia Ducis Caſſani, quàm inſuper ex conſuetudine in
5 Urbe vigente, dandi ſcilicet in ſimilibus contractibus operantibus, ac tractantibus eorum concluſionem ſcut. 2. pro quolibet centenario juxta Teſtes ab eodem relatos, tum denique ex eo, quod idem Dux Advocato Piſtojæ, & Procuratori Caſtiliæ, quos ad hunc eſſe-

fectum e Civitate Neapolitana ad Ur-
bem traduxerat, dono dedit ſcut.8000.,
& Abbati Franciſco de Romanis Mini-
ſtro Ducis Brachiani ſc.4000.

E converſo autem prætendebant Hæ-
redes Ducis lite pendente defuncti,
in omnem caſum idem ſalarium non
deberi niſi in ſumma ſc.50. aut 60. ad
ſummum, nedum inſpecto tempore
tractatus ſupradicti contractus, ac la-
boribus ejuſdem Advocati, quos jacti-
tabant reduci ad ſimplicia colloquia
cum Miniſtris Ducis Brachiani vendi-
toris, ac viſura, & lectura Inſtrumen-
torum, ſed etiam ducto exemplo ab
eo, quod alias practicavit Sac. Tribu-
nal *in Romana Honorarior.* 29. *Apri-
lis* 1711. *coram Eminentiſs. Aldrovan-
do*, in qua primario Urbis Cauſarum
Patrono, qui diuturnos labores im-
penderat in patrocinandis cauſis, ac
aliis peragendis non uberius ſalarium
deberi viſum fuit, quam in menſtruis
ſc.16.

Neutram tamen DD. ex his ſupputa-
tionibus amplectendam putarunt, ſed
in unum coacervatis omnibus facti cir-
6 cumſtantiis, illiſque de more conſidera-
tis, pro eorum prudenti arbitrio, cujus
eſt in caſu Salarii nec à Jure, nec à parti-
bus, nec a conſuetudine conſtituti, illius
quantitatem decernere, *Bald. in l. Bi-
nos Cod. de Advoc. diverſ. Judic.*, *Bart. in l.
Scio ff. de ann. legat.*, *Menoch. de Arbitr.
Judic. lib.* 2. *centur.*6. *caſ.*512. *n.*17.,
*Zacch. de Salar. quæſt.*9. *n.*39. *& ſeq.*,
*Rot. poſt eund. dec.*52. *ſub n.*8., *Rot. cor.
Cerro in deciſ.*53. *num.*26., *coram Coc-
cin. deciſ.*256. *num.*3., *& in Recent.
deciſ.*84. *n.* 7. *par.* 14. exiſtimarunt il-
lud in præſenti caſu unicè deberi in ſu-
per enunciata ſumma ſc.600.

Non attentis quidem ſupra deductis
ab Advocato de Marinis; Non primo,
quia licet ejùs labores adhibiti in ſupra-
dicto contractu non eſſent pauci ob gra-
vitatem emptionis inſignis Feudi cum
conſpicua ſumma ſcut. 468. millium,
quæ exegit plures congreſſus inter ip-
ſum, & Miniſtros Ducis Brachiani,
ac examen plurium Scripturarum, ac
Inſtrumentorum pro ſecurirate con-
tractus; attamen tanti a DD. æſti-
mati non fuere, ut mererentur ma-
jorem mercedem, quam ſupradictam.

Non ſecundo ſuper ſolutione Salarii
ad rationem ſcut.2. pro quolibet cente-
nario, quia Teſtes ab eodem Advocato
adducti loquuntur in terminis Proxe-
7 netarum Urbis, quorum figuram, ſive
munus non geſſit Advocatus, qui nego-
cium geſſit pro parte tantum Ducis Caſ-
8 ſani, quando Officium Proxenetarum
eſt negocium tractare, & concludere
pro utroque contrahente *ad Text. in
cap.*1. *ibique Gloſſ.*2. *Verb. Mediatores
de Teſlib.*, *& in §. Quoniam verò Auth.
de Teſlib.*, *Bald. conſ.*370. *n.*3. *lib.*4.,
*Alexand. conſ.*128. *num.*1. *lib.*2., *Can-
cer. var. lib.*1. *cap.*20. *de Teſtib. num.*2.,
*Zacch. de Salar. quæſt.*83. *num.*1., *Co-
bell. ad Bull. Bon. Reg. cap.*34. *art.*27.,
quod munus ipſe neque gerere poterat
veluti ſæcularibus perſonis unicè con-
gruo, non autem Clericis, & maximè
9 Sacerdoti, qualis eſt d. Advocatus, cum
ſimilia exercere hujuſmodi perſonis
prohibitum ſit *Cap. Conſequens, & Cap.
Negotiatore diſt.*88. *Cap.*1. *& ſeqq.*21.
*quæſt.*3., *Cap. Cleric.* 15. *de Vita, &
Honeſt. Cleric. Cap.*1., *& toto tit. Ne
Clerici, vel Monaci ſæcular. negot. ſe
immiſc.*, ibique omnes ſcribentes, præ-
ſertim *Fagnan. in Cap.*1.

Non Tertio, quia, ultra quod Advo-
catus Piſtoja, & Procurator Caſtilia
a Duce Caſſani e Civitate Neapolitana,
ubi domicilium trahebant, ac munere
fungebantur Advocati, & Procuratoris
cum maximo eorum lucro, traducti
fuerunt ad hunc effectum ad Urbem,
proptereaque indigebant majori remu-
neratione, Abbati vero de Romanis Mi-
niſtro Ducis Brachiani fuerunt præ-
ventivè a d. Duce Caſſani promiſſa ſcu-
ta 4000., hoc unum certum eſt, quod
ſi idem Dux explevit, & explere
voluit actus liberalitatis erga prædi-
ctos, non per hoc ad eandem exercen-
dam cogendus eſt erga Advocatum
agentem pro conſecutione ſui Salarii
per viam Juſtitiæ, cum actus ultronei,
10 gratioſi, & ex liberalitate geſti trahi
non valeant in argumentum juris coa-
ctivi, *Rot. cor. Merlin. dec.*817. *nm.*6.,
*& cor. Molin. dec.*313. *n.*19. *Tom*2. col-
limantibus in idem Sacroſancti Evan-
gelii verbis *Matth. Cap.* 20. — *Amice*

non facio tibi injuriam, tolle quod tuum eſt, & vade: an non licet mihi quod volo facere? —

At vero neque deductis ut ſupra ex parte Heredum Ducis Caſſani DD. aures præbuerunt pro taxando d. Salario in minori ſumma dd. ſc. 600.; quia labores quidem Advocati fuerunt quamplurimi in d. contractu; & taxa à Sac. Tribunali deducta in d. Cauſa *Romana Honorarior. 29. Aprilis 1711. coram Eminentiſs. Aldrovando* non erat applicabilis,
11 quia ibidem agebatur de defenſione Cauſarum habentium certa, & determinata honoraria, & conſuetudo eſt in Urbe aſſignandi Cauſarum Patronis ſimilia menſtrua ſalaria pro earum defenſione, ut innuit *Rota poſt Zacch. dec. 52. num. 5.*; quod deficit in hoc extraordinario negotio non habente pro ſe, nec de Jure, nec de conſuetudine ullam certam taxam mercedis, & honora-
12 riorum; unde cum circumſtantiæ varient caſus, exempla attendi non debent *Cap. 1. de poſtulat. Prælat., l. Licet ff. de Offic. Præſid., l. Nemo Cod. de Senten. interlocut., Rota coram Molines deciſ. 903. num. 21., & deciſ. 966. num. 53.*

Et ita utraque Parte acerrime contradicente reſolutum fuit.

AUGUSTANA CANONICATUS.

Lunæ 21. Junii 1734.

ARGUMENTUM.

A Canonicatibus Auguſtanę Eccleſię in vim ejus Statutorum excluduntur filii Auguſtanorum tàm Maſculorum, quàm Fœminarum, alibi Matrimonium contrahentium, & commorantium, & jura Civitatis amplius non retinentium.

SUMMARIUM.

1 *Ex Statuto Auguſtanæ Eccleſiæ ejus Canonicatus conſequi nequeunt Cives Auguſtani.*

2 *Ratio hujus Statuti eſt, ne Cives ad Canonicatus evecti revelent aliis Civibus ſecreta Capituli, eiſque tradant privilegia, literas, ac jura, aliove pacto ab Eccleſia alienent*, & num. 11.

3 *Diſpoſitio Auguſtani Statuti ex identitate rationis fuit etiam extenſa ad natos ex Auguſtanis ſive maſculis, ſive fœminis.*

4 *Statutum in forma ſpecifica confirmatum habetur pro lege Pontificia.*

5 *Executioni demandari non debent Literæ Apoſtolicæ contrariæ Statuto in forma ſpecifica confirmato, ſi Papa illi literaliter, ac expreſsè non derogaverit.*

6 *Statuto in forma ſpecifica confirmato derogatum dici non poteſt in iis Literis Apoſtolicis, in quibus de eo expreſſa mentio non fit.*

7 *Derogatio quæcumque per clauſulas generales, licet Motu proprio, & ex certa ſcientia, operari nihil valet adverſus ſtatutum in forma ſpecifica confirmatum.*

8 *Canonicatus Eccleſiæ Auguſtanæ in vim ejus ſtatuti conſequi nec poſſunt nati ex Auguſtanis, ſive Maſculis, ſivè Fœminis extra Civitatem, & diſtrictum Matrimonium contrahentibus, & animum redeundi non habentibus.*

9 *Eaque propter Statutum Auguſtanum, excludendo a Canonicatibus natos ex Auguſtanis Civibus rationem habuit non qualitatis civicæ, concernentis jura, ac privilegia civica, ſed qualitatis civicæ naturalis, ac indelebilis.*

10 *Ratio Statuti Auguſtani æquè militat quoad filios Auguſtanorum in ipſa Civitate commorantium, ac quoad filios Auguſtanorum alibi degentium, & non gaudentium qualitate civica.*

11 *Ac proinde ejus vis & efficacia quoad omnes locum habet.*

12 *Omni interpretatione vitandum eſt, ne Statutum remaneat eluſorium ac fruſtraneum.*

13 *Semper capi debet ea interpretatio, quæ favet menti ſtatuentium, & rationi Statuti, & operatur illius effectum.*

14 *Teſtimonium in quo habetur aliquem carere Conſanguineis proximis, nihilque dicitur de Conſanguineis remotis, minimè probat horum carentiam.*

DECISIO II.

VAcato in menſe S. Sedi reſervato per obitum Othonis Comitis Schlembèrg Canonicatu in Inſigni Eccleſia Cathe-

thedrali Auguſtana, fuit de illo provi-
ſus Franciſcus Joſeph liber Baro Dey-
ring ab eadem S. Sede, cui proviſioni
ſeſe opponente Capitulo dictæ Cathe-
dralis Eccleſiæ, & delata ad Sac. Rotam
controverſia, directaque commiſſione
Eminentiſs. Cincio Archiepiſcopo Bene-
ventano, tunc emeritiſſimo hujus Au-
ditori, ego in illius locum ſubroga-
tus propoſui Dubium -- *An Literæ
Apoſtolicæ ſint exequendæ* -- & Domini
abjerunt in ſententiam negativam, reſ-
pondendo -- *Literas non eſſe exequen-
das* --

Ad ita decidendum moti fuere ex
eo, quod in dicta Eccleſia Cathe-
drali adeſt antiquiſſimum Statutum
per plura ſæcula ſemper religioſè,
& inconcuſsè obſervatum, excludens
1 in ſui origine ab aſſecutione Canonica-
tuum Cives Auguſtanos propter publi-
cum ejuſdem Eccleſiæ bonum, ac tran-
2 quillitatem, ne ſcilicet iſti ad Canoni-
catus aſſumpti revelent aliis Civibus
ſecreta Capituli, ac eiſdem tradant
Privilegia, Literas, ac Jura, eaque ab
Eccleſia alienent, ſucceſſivè etiam ex
dicta ratione extenſum ad eorundem
3 utriuſque ſexus Civium filios, atque
a quatuor Summis Pontificibus, nem-
pè Sixto IV., Innocentio VIII., Julio II.,
& Paulo IV. in forma ſpecifica con-
firmatum, & approbatum, tandem-
que ſucceſſivis temporibus inviolabili-
ter obſervatum.

Quapropter cum non controverta-
tur dictum Baronem Deyring eſſe
filium Mariæ Annæ Eleonoræ Civis
Auguſtanæ, veluti natæ Auguſtæ, in-
de ſequitur, ut Literæ Apoſtolicæ a di-
cto Barone obtentæ nullam mereantur
executionem ob reſiſtentiam præfati Sta-
tuti, quod uti in forma ſpecifica a di-
ctis Summis Pontificibus cum ampliſſi-
4 mis clauſulis confirmatum, habetur pro
Statuto, ac Lege Papali, &, ad diffe-
5 rentiam aliorum ſimilium Statutorum
a S. Sede in dicta forma ſpecifica non
confirmatorum, locum ſibi vindicat
etiam in Proviſionibus Apoſtolicis, niſi
oſtendatur, Summum Pontificem illi li-
teralitèr, ac expreſsè derogaſſe, ad com-
munem ſententiam, de qua *Gabriel.
conſ.* 183. *num.* 16. *lib.* 2., *Mandoſ. ad
Regul. Cancell. Reg.* 22. *quæſt.* 10. *n.* 7.,
Gratian. diſcept. Foren. cap. 9. *num.* 4.,
Card. de Luc. de Judic. diſc. 35. *n.* 62.,
Rot. coram Bich. deciſ. 381. *num.* 23.,
coram Coccin. deciſ. 1986. *num.* 23., *co-
ram Falconer. dec.* 5. *ſub num.* 17. *de Be-
nefic.*, *coram Molines deciſ.* 904. *n.* 54.
55. *&* 56. *Tom.* 3. *par.* 2., *& in Recen.
dec.* 339. *num.* 3. *in fin. par.* 2., *dec.* 157.
num. 9. *par.* 6., & in præciſis terminis
Apoſtolicarum Proviſionum *Gonzal. ad
ad Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 45. §. 1. *n.* 73.
& ſeqq., *Amayd. de ſtylo Datar. lib.* 1.
Cap. 5. *quæſt.* 3. *num.* 89. *& ſeqq.*, *Lot-
ter. de re Benefic. lib.* 2. *quæſt.* 43. *n.* 41.
juncto num. 10. *&* 11., *& Rota in Leo-
dien.*, *ſeu Aquiſgranen. Canonicatus ſu-
per bono jure* 7. *Martii* 1701. §. *Non
obſtantibus*, *coram cl. mem. Cardinali
Scotto*.

Quæ quidem individua Statuti de-
rogatio in Literis Apoſtolicis a Baro-
ne obtentis non cernitur; dum in illis
6 non fit ulla ſpecifica mentio ſupraracen-
ſiti Statuti, ejuſque extenſionis, & præ-
cedentium Pontificiarum confirmatio-
num. Non ſufficiente ad hunc effectum
illa conſecutiva derogatione per clau-
ſulas generales contenta in dictis Litte-
ris Apoſtolicis; non ſolum quia in Bul-
la ſan: mem: Pauli IV. confirmatoria
Statuti, Additamenti, necnon præce-
dentium Conſtitutionum Sixti IV., In-
nocentii VIII., & Julii II. cautum ex-
preſsè fuit eiſdem validè derogari non
poſſe, nec etiam a S. Sede, niſi facta de
omnibus antedictis expreſſa, ſpecifica,
& individuali mentione cum inſertione
quoque tenoris, atque tenorum eorun-
dem Statutorum, & Additamenti, ſine
7 qua propterea derogatio quæcumque
per clauſalas generales, licet motu pro-
prio, & ex certa ſcientia, nullum operari
valet juris effectum ad ſenſum *Rot. cor.
cl. me. Card. Falconer. dec.* 5. *n.* 24. *&* 25.
Tit. de Benef., *& dec.* 1. *n.* 9. *de reſcritp.*,
& in Recen. deciſ. 68. *num.* 5. *par.* 10.,
& deciſ. 159. *num.* 10. *part.* 18. Verum
etiam quia in iiſdem Literis Apoſtoli-
cis cavetur, quod derogatio quæcum-
que cum inſertione tenorum, ac deſcri-
pto modo deſuper obtenta, poſſit provi-
ſo tantummodo ſuffragari ad effectum
reſignandi, vel permutandi favore al-

terius

terius pollentis requiſitis Statutorum, & Pontificiarum confirmationum.

Hæc quoad efficaciam Statuti, & defectum dictæ individuæ derogationis Informantes pro Barone non impugnabant, ſed ſolum acriter ſuſtinere conabantur dictum Statutum,ejuſque Additamentum non obſtare eidem Baroni, licet nato ex fœmina Cive Auguſtana,eo ſub fundamento,quod cum iſta uſque de Anno 1710. nupta fuiſſet, ac domicilium contraxiſſet in Bavaria apud ejus Virum ſine licentia Senatus, ſeu Magiſtratus Auguſtani, nec perſolverit quoddam annuum tributum,uſque tunc illa Civicam qualitatem amiſerit; eamque nunquam ex poſt habitam fuiſſe pro Cive Auguſtæ, ſubdebant reſultare ex teſtimonio præfati Senatus: ex quo inferebant dictum Baronem ex illa natum dici minime poſſe filium Civis Auguſtanæ,jam tali qualitate exſpoliatæ,de tempore, quo is ortum habuit

Verum Dominis viſa hæc fuerunt penitus eſſe nullius momenti, quia, quidquid ſit de quæſtione in puncto Juris,
8 an mulier nupta extra propriam Patriam amittat ejuſdem civilitatem, quoad Jura, & Privilegia Civica, de quibus loquuntur Decretum Senatus Auguſtani, ac ejus atteſtatio, non autem quoad odioſa, & præjudicialia, legeſque indictas præditis qualitate Civili infixa a nativitate, & origine, quæ veluti a natura deſcendens ſemper immutabilis eſt, omne fundamentum corruebat ex clariſſimo facto, nempe ex ipſo Statuto, ſeu Conſtitutione Innocentii VIII. tranſcripta, & in forma ſpecifica confirmata a Julio II.,ubi ad omnē præcidendam dubitationem inhabiles ad conſequendos Canonicatus declarantur etiam filii nati ex Civibus tàm Maſculis, quam Fęminis nuptis extra Civitatem, & Diſtrictum Auguſtanum, & animum redeundi ad dictam Civitatem non habentibus, ibi — *Et nihilominus ad omne dubium tollendum dictum Chriſtopharum, omneſque alios, & ſingulos natos ex Civibus tàm maſculis, quàm fœminis etiam extra Civitatem, & Diſtrictum Auguſtenſem, etiam in locis, ad quæ domicilium quavis de cauſa, etiam ratione Matrimonii transferant; vel qui animum redeundi ad dictam Civitatem Auguſtenſem non habent, ſub Statuto, & Additamento comprehendi, & ſubijci, & ad obtinendum Canonicatum omnino inhabiles eſſe* — Quod nimis evidenter oſtendit ſtatuentes unicè reſpexiſſe in
9 dicto Statuto ad qualitatem Civilem naturalem, & indelebilem, non autem ad illam concernentem Jura, & Privilegia civica,eo ipſo,quod diſpoſitionem extenderunt ad Filios etiam Civium nuptarū extra Civitatem, & Diſtrictum Auguſtanum, & ſic acquirentium civilitatem Patriæ Mariti ad tradita per *Gratian. Diſcept. Foren.cap.*211.*n.*26., *Pacion. allegat.*195. *num.*2., *Rota coram Molin. deciſ.*772. *num.*18., *& deciſ.*782. *num.*21. *&* 22. *tom.*3.

Id etiam magis ad evidentiam confirmatum remanet ex ipſa ratione animativa Statuti in eo ſiſtente, ne admiſ-
10 ſis Civibus, vel eorum filiis ad Canonicatus, iſti aliis Civibus, & eorum Conſanguineis revelent ſecreta Capitularia, eiſque Privilegia, Literas, ac Jura tradant, aliove pacto ab Eccleſia alienent, atque ita ejuſdem Eccleſiæ tranquillitas, & quies turbetur; quæ ratio cum militet tàm quoad filios Civium in Civitate commorantium, quam quoad filios Civium amplius non gaudentium qualitate Civicâ, & extra Civitatem, & Diſtrictum habitantium, dum etiam iſti ad originariam Patriam per Canonicatus adeptionem reverſi poſſent memorata detrimenta Capitulo, & Eccleſiæ inferre, ad omnes pro-
11 indè æquum eſt, ut porrigatur vis, & efficacia Statuti, *Lotter. de Re Benef. lib.*2. *quæſt.*21. *num.*90., *& ſeqq.*, *Rot. coram Duran. deciſ.*337. *num.*5., *& coram Bich. deciſ.*241. *num.*20., *& coram Falconer. deciſ.*38. *num.*8. *Titul. de Miſcell., in Recen. deciſ.*309. *n.*11. *part.*12.,*& deciſ.*44. *num.*7. *par.*13.,*& in Parmen. Beneficii* 15. *Febr.* 1717. *§.Præſertim. coram bon. mem. Anſaldo.*

Aliàs enim ſi ex facto Civis, ſive maſculi,ſive fęminę ſine permiſſione Senatus alibi domicilium transferentium, etiam animo non redeundi ad Civitatem, habilitarentur eorum filii ad conſequendos Canonicatus in Cathedrali Auguſtana, diſpoſitio, & ratio ſupradicti

ſti Statuti, & tot Pontificiarum Conſtitutionum facile nimis eludi valeret, dum in cujuſque poteſtate ſitum eſſet, modo prædicto nubere, atque ita gignere filios capaces Canonicatuum; ad honores verò, cæteraque privilegia Civica a Magiſtratu recuperanda, parum aut nihil negocii haberent, ſoluta ei conſueta mulcta, juxta Decretum Senatus §. 7., talique pacto Statutum, & Additamentum, pro quorum firmitate tot ſæculis Capitulum inſudavit, inania remanerent, quod ſane eſſet abſurdum intolerabile, & ſic omni con-
12 traria interpretatione vitandum *Felin. in Cap. Rodulphus de reſcript.*, *Cravett. conſ.* 175. *n.*3., *Oſaſch. deciſ. Pedemont.*57. *num.*7., *Rot. coram Falconer. deciſ.*7. *num.*3. *Tit. de Statut. fæm. excluſ.*, *& dec.*38. *n.*6. *in Miſcell.*

Non juvante replicatione Baronis, quod verba Statuti tranſcripta ſuperiori §. *Verum Domini* intelligi debeant de illis Civibus alibi etiam ex cauſa matrimonii cum animo non redeundi ad Civitatem Auguſtanam domicilium habentibus, ſed tamen retinentibus Prilegia Civica, ex quo ſupradicta verba, ſive declaratio Statuti emanaverit tempore Julii II. occaſione proviſionis Chriſtophari Welſer filii Civis Auguſtani alibi quidem moram cum domicilio trahentis, ſed adhuc ſuſtinentis onera Civitatis Auguſtanæ; quia de Patre d. Chriſtophari publica munera obeunte nulla habetur mentio, àc ratio in Bulla dicti Julii II., ac proinde intellectus hujuſmodi eſt directè contrarius relatis verbis, ſive declarationi generaliter, ac indifferenter loquenti de filiis Civium alibi domicilium habentium etiam ex cauſa Matrimonii, necnon rationi Statuti, produceretque ſupradictum abſurdum, & conſequenter nullam meretur conſiderationem,
13 cum ſemper ſit capienda illa interpretatio, quæ favet menti ſtatuentium, ac rationi Statuti, & operatur illius effectum, *Card. de Luc. de Regul. diſc.*159. *num.*14., *Rot. cor. clar. mem. Cardin. Falconer. dec.*6. *num.*11. *tit. de Statut. fæm. excluſ.*

Minuſque officiente, quod ratio ſupradicti Statuti ceſſet in Barone Deyring, quem ejus Defenſores ajebant nullos conſanguineos habere in Civitate Auguſtana; quandoquidem prætermiſſo, an hujuſmodi circumſtantia in hoc ca-
14 ſu particulari capax eſſe poſſet deſtruendi dictam ſtatutariam diſpoſitionem pro bono publico generalitèr editam; hoc unum certum, & indubitatum viſum eſt DD., talem conſanguineorum defectum non probari per eundem Baronem Deyring, quia teſtimonium Senatus Auguſtani unicè in eo ſiſtit, quod Franciſcus Albertus liber Baro à Deybach Pater Mariæ Annæ Eleonoræ genitricis ſupradicti Baronis Franciſci Joſeph Deyring objerit anno 1725., & poſt ſe non reliquerit ullos deſcendentes maſculini, aut fœminini ſexus, aut fratrem, aut ſororem, aut horum filios, vel filias, ſed non concludit, nullos adeſſe in eadem Civitate Auguſtæ conſanguineos remotiores, vel affines ex latere Pater-
15 no, aut Materno dictæ Mariæ Annæ Eleonoræ, quibus adaptabilis ſemper eſſet ratio Statutorum, quod penè redditur incredibile, & de quibus atteſtatio prædicta nullum facit verbum *ex regula Textus in l. Neque natales Cod. de probat.*

Et ita utraque &c.

PADERBONEN. BENEFICII.

Veneris 28. *Junii* 1734.

ARGUMENTUM.

Ultimus ſtatus, ſive quaſi poſſeſſio præſentandi prodeſt etiam ſucceſſori, nulla habita ratione petitorii, quod illico clarum non appareat ex confeſſione Partis, vel re judicata, vel publico Inſtrumento, vel alia plena, & concludenti probatione. Vocatio deſcendentium non comprehendit uterinos eorumdem. In tranſitu ad lineam fœmininam deſcendentes ex filia ultimi maſculi præferuntur deſcendentibus ex ipſius Sorore.

SUMMARIUM.

1 *Quaſi poſſeſſio Defuncti præſentandi prodeſt etiam hæredi.*

2 *Præſentatus ab habente pro ſe ultimum ſtatum omninò præferri debet in ejuſdem beneficii inſtitutione*, & n.13.

3 *Li-*

3 *Limita, quando clarè conſtat de pertinentia juriſpatronatus.*

4 *Declara, in quibus terminis procedat limitatio.* & num.6. & 10.

5 *Extincta linea maſculina juſpatronatus pertinet ad lineam fœmininam ſucceſſivè vocatam.*

6 *Ad effectum infringendi ultimum ſtatum, & privandi quaſi poſſeſſorem fructu ſuæ poſſeſſionis preſentandi, deſcendentia debet plenè, & concludenter probari.*

7 *Probationes vero genericæ, ac æquivocæ minimè attendi debent.*

8 *Fides Baptiſmatum, ac Matrimoniorum ſunt legales probationes deſcendentiæ.*

9 *Soror uterina dici nequit de agnatione, ac ſtirpe fratris uterini.*

10 *Dum agitur de formanda deſcendentia adverſus habentem pro ſe ultimum ſtatum, probationes debent eſſe omni exceptione majores, vel ſaltem æquales adductis per illum.*

11 *Fœminæ deſcendentes ab ultimo maſculo præferuntur fœminis tranſverſalibus etiam Sororibus in jurepatronatus, etiam protracto in remotum tempus, quod deficientibus maſculis tranſire debet ad lineam fœminarum*; & n.12. ſeq.

DECISIO III.

SEcuta per obitum Joannis Petri Turmulen. anno 1728. vacatione ſimplicis Beneficii de jurepatronatus Laicorum erecti in Altari S. Brigidæ exiſtente in Eccleſia Cathedrali Paderbonen., orta fuit lis coram Decano Capituli dictæ Eccleſiæ Cathedralis inter Rebeccam Eliſabeth Beckmannam Kleinſorgen, quæ præſentavit Joannem Theodorum Dingerchus, & Antonium Donop, qui præſentavit Joannem Chriſtianum Alferdingh ſuper pertinentia Juriſpatronatus, & lite hujuſmodi pendente dictus Joannes Theodorus reportavit ab Ordinario collationem dicti Beneficii jure devoluto, vigore cujus adeptus fuit illius poſſeſſionem. Subindè vero ſupervenit judicatum, & ſententia d. Decani declarans Juſpatronatus pertinere ad d. Autonium Donop, & inſtitutionem reſpectivè concedens dicto Alferdingh ab eo præſentato, qui pariter ejuſdem Beneficii poſſeſſionem adeptus fuit.

At prævio reſcripto Signaturæ Juſtitiæ, ad quam ambæ partes recurſum habuerunt, utraque poſſeſſio prædicta circumſcripta exſtitit, & appoſitum ſequeſtrum, ac Cauſa commiſſa *in Sacra Rota b.m. R.P.D. Samminiato*. In cujus prædefuncti Collegæ locum ſuffectus Ego propoſui in hodierna audientia Dubium — *An, & cui ſit adjudicandum Beneficium* — quod reſolutum fuit pro Joanne Theodoro, mediante reſponſo — *Beneficium adjudicandum eſſe Joanni Theodoro.*

Quidquid enim ſit de vi collationis Ordinarii jure devoluto conceſſæ dicto Joanni Theodoro, ſuper qua DD. non fuerunt concordes, in eo tamen convenerunt, quod Beneficium controverſum adjudicandum ipſi eſſet, ea ratione, quod ipſe præſentatus fuerat a ſupradicta Rebecca Eliſabet Beckmanna, quæ habet pro ſe ultimum ſtatum, & quaſi poſſeſſionem præſentandi mediante facto Annæ Cordulæ ejus Matris, quæ ad controverſum Beneficium præſentavit in antecedenti vacatione memoratum Joannem Petrum Turmulen, cujus quidem præſentatio admiſſa fuit ab Ordinario cum ſucceſſiva pacifica acquiſitione poſſeſſionis ejuſdem Beneficii. Etenim quaſi
1 poſſeſſio præſentandi ſuffragatur etiam Succeſſori, ex notatis per *Piton. controv. Patron.*40. *num.*14., *& controverſ.*46. *num.*1., Rota *coram Caprara deciſ.*165. *num.*15., *& coram Molines deciſ.*1109. *num.*8., *& coram Lancett. deciſ.*360. *num.*1., *& in Mediolanen. Prioratus* 14. *Februarii* 1701. §. *Quoniam coram clar. mem. Card. Scotto, &* 5. *Maii* 1702. §. *Nec dicatur. coram bon. mem. Priolo*, & conſequentèr idem Joannes Theodorus uti præſentatus ab
2 habente pro ſe ultimum ſtatum omninò præferendus eſt in ejuſdem Beneficii inſtitutione, ſeu adjudicatione, *Vivian. de jurepatr. par.*2. *lib.*7. *cap.*3. *num.*17., *Rot. coram Emerix Jun. dec.*67. *num.*3., *& deciſ.*420. *num. unico, & cor. Molines deciſ.*850. *num.*1., *& deciſ.*1289. *num.*11., *& in Caſertana Beneficii*

14. *Ju-*

Digitized by Google

14. *Junii 1716. §. Ita equidem coram clar. mem. Card. Althan.*

Nec urget quod quando clarè conſtat de pertinentia Juriſpatronatus, tunc
3 dicta quaſi poſſeſſio, ac ultimus ſtatus non attendatur, cum Judicium poſſeſſorium abſortum remaneat a petitorio, quia ad talem effectum de pertiuentia
4 debet ita conſtare, ut nullam penitùs dubietatem admittat, & nullam requirat altiorem indaginem, ſed illicò, & incontinenti ſuffocet, ac abſorbeat dictam quaſi poſſeſſionem, quod regulariter ſequi dicitur, quando ſuper eadem pertinentia concurrunt confeſſio Partis, vel res judicata, vel clarum Inſtrumentum publicum *Poſth. de Manutent. obſervat.32. num.8., Rot. poſt eundem deciſ.332. num.5. & 6., & coram Caprar. deciſ.22. num.4., & dec.179. num.13., & in Placentina Beneficii coram bon: mem: Foſcaro 2. Julii 1717.§. Motivum.*

Non ſolum autem in facti ſpecie, ſedulò rimata fundatione, aliiſque documentis allatis pro parte dicti Joannis Chriſtiani, non conſtat clarè, & evidentèr de pertinentia favore ſupradicti Antonii Donop, ſed immò DD. exiſtimarunt eamdem fundationem potiùs aſſiſtere quoad pertinentiam Juriſpatronatus Rebeccæ Eliſabeth Beckmannæ, quæ præſentavit Joannem Theodorum; nàm ex Inſtrumento pùblico fundationis, apparet Juſpatronatus fuiſſe primo loco reſervatum Lodulpho Skarman, inde Joanni, & Godifrido ejus filiis, necnon deſcendentibus maſculis, & in iſtorum defectum maſculis de ſtirpe ſupradicti Lodulphi, ac tandem in horum omnium maſculorum defectum prius favore fœminarum deſcendentium a dictis Joanne, & Godifrido, deindè favore fœminarum de ſtirpe ſupradicti Lodulphi, ibi — *Ita, & talitèr, quod ipſe Lodulphus Pater primum, ac deindè Joannes, & Godifridus Filii, quamdiù ſupervixerint, ac deinceps Maſculini ſexus a ſtirpe dd. Joannis, & Godifridi, dummodò maſculus aliquis de eorumdem Joannis, ac Godifridi ſtirpe fuerit, & alioquin Senior maſculus de ſtirpe ejuſdem Lodulphi Patris etiam recta linea deſcendens, qui maſculi, ſi non ſuperfuerint, quod ex tunc Fœminini Senior ſexus de dd. Joannis, & Godifridi filiorum primo, & Lodulphi Patris deinceps ſtirpe.*

Proindeque cum jam ceſſaverit deſcendentia, linea, ac ſtirps maſculina dd. Joannis, & Godifridi per obitum Henrici ultimi maſculi, ut non controvertitur, ac nullus alter maſculus adſit de ſtirpe Lodulphi illorum Patris, & ſic factus fuerit locus ſucceſſioni iu jurepatronatus favore lineæ fœmininæ eorumdem Joannis, & Godifridi primo loco vocatæ, ſequitur inde, ut juſpatronatus hujuſmodi pertineat ad ſupra-
5 dictam Rebeccam Eliſabeth, quæ veluti filia Annæ Cordulæ filiæ ſupradicti Henrici ultimi maſculi deſcendentis à dd. Joanne, & Godifrido eſt de linea fæminina iſtorùm, ut ſupra vocata, uti ponderat *Rota deciſ.62. n.16. tit. de jurepatron. coram clar. mem. Card. Falconer., & in Piſana Juriſpatronat.26. Junii 1709. §. Taliſque & ſeqq. coram clar. mem. Card. Priolo.*

Quin obſiſtat quod ſuprarecenſitus Antonius Donop ſit filius Mauritii filii Annæ Margaritæ Sckarman Sororis dicti ultimi Maſculi, & ſic etiam ipſe deſcendat ex linea Fæminina dd. Joannis, & Godifridi, ac propterea ad Juſpatronatus admittendus ſit uti maſculus in excluſionem Rebeccæ Eliſabeth veluti feminæ; quia a Joanne Chriſtiano non probatur deſcendentia ſupradictæ Annæ Margharitæ a prædictis Joanne, & Godifrido, & quod fuerit Soror ſupradicti Henrici, prout
6 ad hunc effectum requiritur, & quidem plenè, & concludentèr, maximè ad effectum infringendi, ut hic ultimum ſtatum, ac privandi poſſeſſorem fructu ſuæ quaſi poſſeſſionis præſentandi: *Lotter. de Re benefic. lib.2. quæſt.11. n.94. & ſeqq., Rota coram Lancetta dec.752. num.3., & in Tuden. Parochialis de Reverteme 25. Junii 1708. §. Non ſic, coram bon. mem. Anſaldo.*

Nec probatio hujuſmodi reſultare viſa fuit ex documentis allatis a Joanne Chriſtiano, videlicèt ex aliquibus præſentationibus ad quoddam aliud Beneficium ab Antonio Donop, uti de familia Sckarman factis, item nec ex enunciativis emiſſis in quibuſdam Inſtru-

ſtrumentis, nec demum ex quadam aſſerta Epiſtola ſcripta ab Henrico Beckman Patre prædictæ Rebeccæ Eliſabeth Mauritio Donop Patri ſupradicti Antonii, quia hæc omnia ſunt æqui-
7 voca, & generica, ac ad aliam deſcendentiam referibilia, quæ per conſequens perfectè non probant dictum aſſumptum, vel deſcendentiam; dum ſi vera extitiſſet ea deſcendentia, facillimum fuiſſet dicto Antonio id probare ex fidibus Baptiſmatum, & Ma-
8 trimoniorum, quæ ſunt legalia media ad habendam concludentem deſcendentiæ probationem, ut dixerunt *Gobb. conſult.74. num.32., Rot. coram Ludoviſ. deciſ.188. num.5., & in Ilerden. juris votandi ſuper manut.29. Junii* 1704. *§. Quæ quidem cor. clar. mem. Card. Scotto*.

In quem ſenſum eo faciliùs Domini devenerunt, quia ex una parte Rebecca Eliſabeth perfectiſſimè probavit ſuam deſcendentiam a Joanne, & Godifrido, itaut ea nullo modo controvertatur a Joanne Chriſtiano; è converſo autem, ut animadverſum fuit ſupra, non deerant æquivoca circa gradus Deſcendentię Antonii Donop, ex cujus etiam confeſſione reſultabat ſupramemoratam Annam Margaritam Aviam dicti Antonii non fuiſſe Sororem conſanguineam Henrici ultimi maſculi, ſed tantum Sororem ute-
9 rinam, quæ proindè dici non valet neque de agnatione, neque de ſtirpe ſupradictorum Joannis, & Godifridi Ludolphi Sckarman, *Rota coram Molines deciſ.586. num.17., & in Rec. deciſ.287. num.10. part.16., & deciſ.112. n.15. part.17.*, in quibus terminis eo magis inſufficientes dijudicatæ fuere dictæ genericæ, ac æquivocæ probationes, quæ immò eſſe debuiſſent omni exceptione majores, vel ſaltem æquales illis, quæ allatæ fuerant pro parte Rebeccæ Eliſabeth in comprobationem ejus de-
10 ſcendentiæ, quæ redditur indubitata inter partes, *Card. de Luc. de Jurepatr. diſc.27. ſub num.5. verſic. Alter erat., Rot. coram Duran. dec.8. num.3. & ſeqq., & cor. Lancett. dec.752. n.4.*

Ponderantibus ulteriùs Dominis quod ubi Joannes Chriſtianus perfectè probaſſet, Annam Margaritam Aviam Antonii fuiſſe Sororem ex utroque latere ultimi Maſculi, adhuc non relevaret. Prævalet namque proximitas reſpectu ultimi Patroni etiam in caſu, quo Maſculis deficientibus in jurepatronatus protracto in remotiſſimnm tempus fieri debeat tranſitus ad
11 lineam fœminarum, quia nihilominùs fœminæ Deſcendentes ab ultimo maſculo, ſeu illi proximiores anteferuntur fœminis remotioribus, *Ramon. conſil.100. num.409., Card. de Luc. de Fideicom. diſc.203. num.11., latè Piton. de controv. Patron. alleg.92. num.47., allegat.93. n.7., & diſcept. Eccleſ.26. num.3. part.2., Rot. in Auximana Juriſpatronatus 27. Junii 1701. §. Quin obicem cor. bon. mem. Anſaldo*; Quare cum ſupradicta Rebecca Eliſabeth ſit deſcendens dicti ultimi maſculi, ac proximior, veluti illius Neptis ex filia, ſemper ad eam ſpectaret dictum Juſpatronatus excluſo Antonio tranſverſali, & remotiori, ſicuti reſpondit
12 *Rot. deciſ.62. num.16. tit. de jurepatron. coram clar. mem. Card. Falconer., in Auximana Juriſpatronatus 27. Junii 1702. §. Quin obicem. cor. bon. mem. Anſaldo, & in Piſana Juriſpatronatus 26. ejuſdem menſis 1709. §. Taliſque. & ſeqq. coram bon. mem. Card. Priolo*.

Addito tandem quod præmiſſa, & cętera alia, quæ in oppoſitum cumulabantur in die propoſitionis, reſpicientia negocium petitorii, & meritorum, opitulari quidem poterunt prætenſo Patrono pro futuris vacationibus, at in præſentiarnm nullius penitùs momenti evadunt, cum modo, ut ſupra firmatum eſt, unicè habenda ſit ratio ultimi ſtatus, ne alias poſſidens privetur fructu
13 ſuæ poſſeſſionis, inſimulque ejus præſentatus fruſtratus remaneat debita inſtitutione, *Rot. deciſ.1289. num.10., & deciſ.1293. num.1. coram bon. mem. Molines, deciſ.34. n.6. tit. de jurepatr. coram clar. mem. Card. Falconer., in Melevitana Juriſpatronatus 31. Martii 1702. §. Minuſque, coram clar. mem. Card. Scotto, & in Firmana Beneficii 11. Januarii 1715. §. Neque dicatur, coram bon. mem. Lancetta*.

Et ita &c. utraque &c.

SA-

SALERNITANA JURISPATRONATUS.

Lunæ 6. Decembris 1734.

ARGUMENTUM.

Res judicatę firmant in Beneficialibus ſtatum perpetuum, etiamſi producantur Actis non traſportatis; præſertim ſi ſint antiquæ, & diutiſſimè obſervatæ. Qui præſentat uti Compatronus, actum præſentationis explere videtur tàm pro ſe, quàm pro Compatronis non præſentantibus. Præſentatio, ubi titulus non fuit expreſſus, præſumitur facta titulo competenti, & magis proficuo. Ultimus ſtatus non prodeſt, ſi incontrarium adducatur aliqua antiqua ſententia, & poſſeſſio quaſi immemorabilis; cum adversùs jus ex iis quæſitum requiratur vel centenaria, vel quadragenaria poſſeſſio cum qualitatę coactiva.

SUMMARIUM.

1 *Sententia, a qua intra decem dies non appellatur, tranſit in rem judicatam.*
2 *Ex Præſentationibus acquiritur quaſi poſſeſſio præſentandi.*
3 *Exiſtenti in quaſi poſſeſſione præſentandi competit Manutentio.*
4 *Habens pro ſe auctoritatem rerum judicatarum habet Juris aſſiſtentiam, & intentionem fundatam.*
5 *Res judicata, præcipuè in Beneficialibus, firmat ſtatum perpetuum.*
6 *Facitque jus clarum, etiam contra habentem pro ſe ultimum ſtatum.*
7 *Ob antiquitatem temporis præſumuntur omnes interveniſſe ſolemnitates, ad validitatem actus neceſſariæ.*
8 *Maximè ſi ſententiæ antiquitùs latæ ſucceſſivis temporibus ſemper fuerint inviolabiliter obſervatæ.*
9 *Quo caſu attendendæ ſunt, ac probant etiam ſine actis.*
10 *Patronis ad egeſtatem redactis præſtantur alimenta ex fructibus Jurisſpatronatus.*
11 *Sententiæ ſtrictiſſimi juris ſunt, nec comprehendunt niſi quod verbis expreſſum eſt.*
12 *Præſentationes ad Cappellaniam diverſam ab ea, de qua quæritur, nihil probant.*
13 *Qui præſentat uti Compatronus, fatetur, atque admittit alios Patronos præter ſeipſum.*
14 *Diciturque actum præſentationis etiam pro aliis non præſentantibus expleviſſe.*
15 *Proindeque præſentationes ab eo peractæ non deſtruunt quaſi poſſeſſionem aliorum, ſed potius illam ſervant.*
16 *Compatronus enim, qui ſolus præſentat, ſciens alium eſſe Compatronum, mala fide uti cenſetur:*
17 *Nullam acquirit quaſi poſſeſſionem privativam præſentandi in præjudicium alterius Compatroni.*
18 *Ubi titulus non fuit expreſſus, quiſque cenſetur præſentare titulo ſibi competente, & magis proficuo.*
19 *Ultimus ſtatus in Jurepatronatus non prodeſt, ubi antiqua ſententia, & quaſi poſſeſſio immemorabilis in contrarium adducitur.*
20 *Inde enim conſtitutum dicitur clarum petitorium abſorbens quamcumque poſſeſſionem:*
21 *Cum ad tollendum jus acquiſitum ex re judicata, longiſſimaque poſſeſſione, non ſufficiant pauci actus, ſed requiratur centenaria poſſeſſio pacifica:*
22 *Vel quadragenaria cum qualitate coactiva.*
23 *Habenti majorem partem vocum debetur inſtitutio.*
24 *Patronis Laicis minime licet variare in præſentatione.*

DECISIO IV.

PRævia contumaciali *Deciſione* edita die 12. *Aprilis* anni *currentis*, pronunciavit Rm̃us P. D. meus Calcagninus Decanus, Abbatem Paulum Capograſſo, uti *Rectorem* Parochialis Eccleſiæ S. Andreæ de Lavina eſſe manutenendum pro *medietate* in poſſeſſione, ſeù quaſi Juriſpatronatus, ſive Juriſnominandi *ad primam, ſecundam, & quartam* Cappellaniam, quæ olim erectæ in d. Eccleſia Parochiali, & ſucceſſivè unitæ fuerunt, cum onere Cappellano injuncto exercendi per novem anni Menſes actualem Curam Animarum in eadem Parochia; uti vero *de Familia* Capograſſo, & ſic ex perſona propria, ac

ac utì *Donatarium* Matthæi Capograſſo manutenendum eſſe in poſſeſſione, ſeù quaſi duarum vocum alterius medietatis diviſæ intèr illos de dicta Familia in ſex voces; eamdemque manutentionem dandam eſſe Franciſco Capograſſo, alteri ex ſex Perſonis illius Familiæ, & propterea Antonium Doti præſentatum, non ſolùm a dicto Abbate Paulo, verùm etiàm ab eodem Franciſco eſſe inſtituendum in prædictis Cappellaniis *nulla habita ratione de Præſentationibus factis* a reliquis *de præfata Familia*, nempè *Joſepho Hieronymo, & Dominico*.

Tranſacta tali Sententia, ob non interpoſitam appellationem, in rem judicatam, obtinuerunt dicti Hieronymus, & Joſeph de Capograſſo, cum interim Dominicus, alter ex Contradictoribus, liti renunciaſſet, a plena Signatura Juſtitiæ Commiſſionem cum clauſula -- *De cauſis reſtitutionis in integrum, non retardatà inſtitutione favore Antonii Doti* -- Ad cujus tramites propoſui Dubium -- *An conſtet de re judicata, ſeù potiùs de cauſis reſtitutionis in integrum* -- Et DD. reſponderunt -- *Conſtare de re judicata*. --

Eo ipſo namque, quod ſupradicti Hieronymus, & Joſeph a dicta Sententia Rmi P. D. mei Decani non appella-
1 runt intrà decendium, clarum eſt, quod illa tranſivit in rem judicatam *Cap. quoad conſultationem de Sentent., & re judicat., Cap. Romana. §. Si verò, de Appellat. in 6., Auth. hodie Cod. eod. tit., Rota coram clar. mem. Card. Falconerio deciſ. 58. num. 1. tit. 19. de Jurepatron. tom. 2., & dec. 90. num. 1. Miſcellan. tom. 4.*

Maximè concurrente illius validitate, & juſtitia: quarum prima non controvertebatur, ſicuti nec minùs controvertebatur ſecunda quoad binas voces medietatis Juriſpatronatus ſpectantes ad Abbatem Paulum, alteram ſcilicet ex perſona propria, tamquàm ad unum de Familia Capograſſo, & alteram vigore donationis Matthæi Capograſſo, neque quoad alteram vocem ex eadem Juriſpatronatus medietate pertinentem ad Franciſcum Capograſſo; ac proinde tota quæſtio reducebatur ad Juſtitiam quoad alteram *medietatem* dicti Juriſpatronatus attributam eidem Abbati Paulo, uti *Rectori* ſupraenunciatæ Eccleſiæ Parochialis, an ſcilicet pro ea manutenendus ſit in poſſeſſione præſentandi, & in hac quæſtione Domini exiſtimarunt, claram utique, ac evidentem eſſe juſtitiam dictæ Sententiæ Rmi P. D. Decani.

Quandoquidem dictus Abbas Paulus docuit, Rectores ſupradictæ Eccleſiæ Parochialis pro una *medietate* præſentaſſe Cappellanos ad has Cappellanias annis 1595. 1599. 1622. 1669., & pro altera medietate præſentaſſe illos de dicta Familia Capograſſo; haſque præſentationes ſortitas fuiſſe ſuum effectum cum Inſtitutionibus reportatis a Rmis Archiepiſcopis Salernitanis per Præſentatos, qui etiam apprehenderunt Cappellaniarum poſſeſſionem; & propterea quemadmodùm ex hiſce effectuatis Præ-
2 ſentationibus præfati antecedentes Rectores acquiſiverunt quaſi poſſeſſionem præſentandi pro d. medietate, *Poſth. de Manut. obſervat. 32. num. 2., Rota poſt eumdem dec. 200. num. 2., & ſeqq., & dec. 267. num. 1., & 9., coràm Duran. dec. 62. num. 1., & in Recent. dec. 197. numer. 1. part. 4., & deciſ. 35. num. 1. part. 5.*, ità de plano ſequebatur, ma-
3 nutenendum in ea eſſe dictum Abbatem Paulum modernum Rectorem Eccleſiæ ex juribus allegatis in *dec. Reverendiſſimi P. D. Decani 12. Aprilis anni currentis §. Quoad eam*.

Fortiùs ſpectata auctoritate rerum judicatarum in Curia Archiepiſcopali Salernitana inter Rectores Eccleſiæ pro tempore, ac illos de Familia Capograſſo ex una parte, & Promotorem Fiſcalem dictæ Curiæ ex altera, nempè *die 28. Novembris 1595., & die 30. Octobris 1599.*, & demum *die 10. Februarii 1622.*, in quibus unanimitèr definitur, ac decernitur, medietatem dicti Juriſpatronatus ſpectare ad Rectorem, aliam verò medietatem ad illos de Familia Capograſſo, prout illarum Sententiarum verba luculentèr oſtendunt, videlicet -- *Definitivo Decreto proviſum eſt, Juſpræſentandi Cappellanum &c. ſpectaviſſe, & ſpectare EX AN-*

Digitized by Google

*ANTIQUA CONSUETUDINE pro
una parte ad. Reverendum Rectorem
præfatæ Eccleſiæ pro tempore exiſten-
tem ratione dictæ Eccleſiæ , & pro
alia parte ad dictos DD. Compatronos
Laicos &c.*, itemque *pro una parte præ-
ſentatio ipſius ſpectat ad Rectorem Ec-
cleſiæ , & pro alia parte ad Laicos Com-
patronos* ; rursùs *pro una parte præſen-
tationem ſpectare ad Rectorem dictæ
Eccleſiæ Parochialis , & pro alia parte
ad DD. Compatronos &c.*
Inde enim videbatur modernus Rector
4 habere claram Juris aſſiſtentiam , & in-
tentionem concludenter fundatam ſu-
per pertinentia *medietatis* dicti Juriſpa-
tronatus , ſivè Juriſnominandi , ut ul-
trà adductos in *Deciſione* R̃mi P. D. De-
cani §. *Quibus quidem* , dixit *Rota cor.
Buratt. dec.26. n.8.,coram Falconer. de-
ciſ.81. num.10. de Miſcell., & Præ-
term. tom.4., & dec.147. num.6. par.5.,
& dec.170. num.8. part.16. Recent.* ,
5 nam res judicata , præcipuè in Benefi-
cialibus , firmat perpetuum ſtatum re-
ligioſè ſervandum , *leg. Si res judicata
ff. de Regul. Jur.*, & latè eſt notatum in
celebri *Cap. Cum de Beneficio de Præ-
ben. in 6.* , *Rota in Recent. deciſ.140.
6 num.11. part.14.*, & facit jus clarum ,
etiâm contrà habentem pro ſe ultimum
ſtatum , *Rota coràm Biebio deciſ.396.
num.28., & ſeqq., cor. Priolo dec.136.
num.14., & ſeqq., & cor. clar. mem.
Card. Falconerio tit.19. de Jurepatron.
dec.51. num.13.*, quo circa eo libentiùs
dixerunt DD. , dandam ei eſſe petitam
manutentionem ad *text. in cap. Cum
contingat, & in Cap. Cum in tua de De-
cimis , Gratian. diſceptat.402. num.1.,
Rota cor. Arguell. dec.52. num.4. , cor.
bon. mem. Lancetta deciſ.578. num.1.,
& in Piſauren. Molendinorum ſupèr
Manutentione 17. Junii 1707. §. Non
prætereundo, cor. bon. mem. Kaunitz* .
Nullatenùs attento , quòd ſupradi-
ctæ antiquæ Sententiæ , ac res judica-
tæ in nulla conſideratione ſint haben-
dæ, cum productę fuerint ſine tranſpor-
tatione Actorum : Quia cum nunc non
agatur de illarum executione , ſed tan-
tummodò de judiciali firmatione ſta-
tus Beneficii , ac prima emanata *anno*
1595. ferè attingat metam annorum
140. , probant etiam ſine dictorum
Actorum tranſportatione , cum ob an-
7 tiquitatem temporis præſumantur omnes
nes interveniſſe ſolemnitates ad validi-
tatem neceſſariæ , *Rot. coràm Cerro de-
ciſ.836. num.7., & in Mantiſſ. ad Car-
din. de Luc. deciſ.28. num.12. libr.12.
tit.2., dec.81. num.11. cor. clar. mem.
Card. Falconer. de Miſcell., & Præ-
term., & in Trivicana Reſtitutionis in
integrum 13. Junii 1732. §. Ità , & al-
tera cor. Reverendiſs. P. D. meo Deca-
8 no.* Maximè quia inpoſterum, & ſucceſ-
ſivis temporibus dictæ Sententiæ fue-
runt inviolabilitèr obſervatæ , dùm in
vacationibus Cappellaniarum , quæ de-
inceps contigerunt , ſemper præſenta-
runt pro *medietate* Rectores, & pro alia
medietate illi de Familia Capograſſo ,
in quibus terminis abſque ulla peni-
tus difficultate , omnino dictæ Senten-
tiæ attendendæ ſunt , ac probant etiam
9 ſine Actis , *Card. de Luca de Jurepatr.
diſc.4. num.5.*, *Rota cor. Rembold. de-
ciſ.234. num.6., & 7., cor. Caprar. de-
ciſ.497. num.6., & ſeqq., in diverſ.
part.2. dec.144. num.1., & ſeqq., &
in Rec. dec.270. num.22. part.9.*
Neque in oppoſitum adduci poterat
recentior res judicata Sacri hujus Tri-
bunalis de anno 1712. coram cl. mem.
Card. *Scotto* , & *Falconerio* inter Ab-
batem Dominicum del Pezzo tunc Re-
ctorem ſupradictæ Eccleſiæ Parochialis,
& illos de Familia Capograſſo ; Nam
res judicata hujuſmodi cecidit ſupèr
præſtatione alimentorum petita ab il-
lis de Capograſſo , uti Patronis ad ege-
10 ſtatem redactis , contra ſupradictum
Rectorem , ex fructibus Rectoriæ ; nec
ùlla fuit habita mentio controverſarum
Cappellaniarum, ac Cappellanorum , &
Juris pręſentandi ad illas, ſpectantis *pro
medietate* ad eundem *Rectorem* , & con-
ſequenter cenſuerunt DD. , nil penitùs
officere ſupradictis antiquis Sententiis ,
ac rebus judicatis , cum Sententiæ , ve-
11 luti ſtrictiſſimi Juris, non comprehen-
dant niſi id , quod in illis literalitèr
apparet fuiſſe declaratum , ac defini-
tum , necnon inter Collitigantes diſcuſ-
ſum, & diſputatum , *Ancaran. conſ.437.
num.3., Rota cor. Seraphin. deciſ.835.
num.6., & cor. Buratt. deciſ.558. nu-*

mer.

*mer.4., & in Recent. dec.391. num.9.
part.15., & decif.622. num.6., & 9.
part.19. tom.2., & in Romana Cappel-
laniæ S. Nicolai 28.Junii 1709. §.Com-
perto cor. bon. mem. Anſaldo.*

Conſtabilita quaſi poſſeſſione, & per-
tinentia Juriſpatronatus pro *medieta-
te* ad *Rectorem*, viſa fuerunt non office-
re quidem reliqua deducta à Joſepho, &
Hieronymo, quòd videlicèt in ultimis
ſtatibus, ſeu vacationibus annorum
1590. 1716., & *1723.* ſolùm præſenta-
verint privativè quoad Rectorem illi
de dicta Familia Capograſſo; Siquidem
illæ præſentationes non fuerunt in
Actis productæ, at quatenùs etiàm pro-
ducerentur, nihil probarent, quia ca-
12 dunt ſupèr diverſo ſubjecto, utpotè
factæ ad tertiam Cappellaniam, & hìc
agitur de prima, ſecunda, & quarta.

Prætereà etiàm in illo diverſo ſubje-
cto nullius videbantur eſſe momenti; illa
namquè anni *1690.*, quæ facta fuit ab
Antonio Patre modernorum Fratrum
de Capograſſo, minimè in eo ſtatu arctat
negativam, quòd non præſentaverit
etiam Rector, cum eam præſentatio-
nem ille fecerit tanquam COMPA-
TRONUS, & ex hoc titulo præſentatus
13 obtinuerit a Sancta Sede gratiam de-
rogatoriam medietatis vocum, qui ve-
ro præſentat uti COMPATRONUS,
nedùm dicitur fateri, alios, prætèr
ſeipſum, jus habere ad præſentandum;
ſed etiàm videtur actum præſenta-
14 tionis explere tàm pro ſe, quàm pro
aliis Compatronis, licet actu non præ-
ſentantibus, ut ex *leg. Communis Ser-
vus ff. de acquiren. poſſeſſ.*, ibique *Bar-
tol. &c.* concludunt in terminis Juriſ-
patronatus *Rocc. de Curt. de Jurepatron.
verb. Competens quæſt.17., Corrad. in
Prax.Benef. lib.4. cap.6. a n.45. ad 47.*,
15 ob eamque rationem hujuſmodi præ-
ſentationes non deſtruunt quaſi poſſeſ-
ſionem, in qua reperiuntur Patroni non
præſentantes, ſed illam potiùs præſer-
vant, *Abb.conſ.54. ſub n.3. lib.1., Fede-
ric. de Sen. conſ.112., Calderin. conſ.15.
de Jurepat., Garz. de Benef. c.5. n.115.,
Vivian. de Jurepatron. lib.5. cap.2. nu-
mer.37., Card. de Luca eodem Tractat.
diſc.63. num.28., Rota cor. ſan. mem.
Gregor. XV. dec.417., coram Priolo de-
ciſ.46. num.25., cor. ſan.mem. Alexan-
dro VIII. dec.3. num.22., coram Moli-
nes dec.645. num.37., & cor. cl. mem.
Card. Falconer. tit.19. de Jurepatr. de-
ciſ.19. num.2. tom.2:*

Addito inſuper, quod Antonius non
erat ignarus juris *Rectoris*, ex quo in
vacatione anni *1669.*, non obſtante
quod præcedenter donaverat Joſepho
Fratri vocem ad ſe ſpectantem uti
unum de Familia, attamen tamquàm
de eo tempore *Rector* ſupradictæ Eccle-
ſiæ utì *talis* præſentaverat ad *primam*,
ſecundam, & *quartam Cappellanias*,
16 & proindè ob ſcientiam exiſtentiæ
Compatroni, quæ inducit malam fi-
dem, poſito etiam quod ille, tam-
quàm unicus Patronus deinde præſen-
tare intendiſſet, utique acquirere mini-
17 mè valuiſſet ullam quaſi poſſeſſionem
privativam in præjudicium ſupradicti
Rectoris, *Federic. de Sen. conſ.147. nu-
mer.3., Rota cor. bon. mem. Lancetta
deciſ.657. num.25. tom.3., & coràm
clar. mem. Card. Falconerio tit.19. de
Jurepatr. dec.19. num.9.*

Quo verò ad præſentationes anno-
rum *1716.*, & *1723.*, iſtæ non fuerunt
privativæ, dum in illis legitur, præſen-
taſſe quoque Abbatem Paulum moder-
num, & tunc etiàm *Rectorem* Eccleſiæ
Parochialis, etſi non expreſſerit ad has
præſeutationes ſe devenire etiam nomi-
ne ſuæ Eccleſiæ, ex quo inſuper infe-
rebatur, eundem faſſum fuiſſe, & appro-
baſſe integrum Juſpatronatus ſpectare
ad illos de Familia Capograſſo; quia
18 cum prẹſentationes conceptæ non fue-
rint verbis reſtrictivis ad titulum
derivantem ex jure ſanguinis, præ-
ſumptio eſt, quòd Abbas Paulus actus
præſentationum geſſerit ex quocumque
jure, ac titulo ſibi competente, & ma-
gis proficuo, & eo meliori modo, quo
fieri potuit, & ſic ex duplici repræſen-
tantia, & ex jure quoque ſui Rectora-
tus, *Cravett. conſ.149. num.12., Ma-
ſcard. de probat. concluſ.734. num.1.,
Pariſ. de Reſignat. lib.11. quæſt.4. nu-
mer.7., Rota coràm Molines dec.783.
num.28., & dec.836. num.24.*, quod
demonſtravit magis ſucceſſivus even-
tus, dum in Sententia ſuper inſtitutione
emanata in dicta vacatione anni *1716.*

Vica-

Digitized by Google

Vicarius Generalis dixit, eumdem Ab-
batem Paulum pręſentaſſe utì *Rectorem*.
Cęterum etiamſi pręſentationes hucuſ-
que memoratę tangerent Cappellanias,
de quibus agitur, & fuiſſent per illos de
Capograſſo privativè quoad Rectorem
factę, exiſtimarunt DD., illas eſſe nullius
roboris, dum habent in contrarium ſu-
19 pradictas antiquas Sententias, ac res
Judicatas, necnon ſucceſſivam, imò
etiam antecedentem, quaſi poſſeſſionem
inveteratam, ac immemorabilem ad *Re-
ctorem* ſpectantem præſentandi pro *me-
dietate*, quæ omnia infringerent, & ab-
ſorberent d. ultimum aſſertum Statum
privativum, qui in his terminis non ſuf-
20 fragatur, cum petitorium clarum, &
incontrovertibile abſorbeat quamcum-
que poſſeſſionem, ut dixit *Rot. cor. Prio-
lo dec.38.n.6., & 8., & dec.113.n.35.,
coram Emerix Jun. deciſ.1320. n.15.,
coram Penia deciſ.1630., in recen. de-
ciſ.83.num.5.par.5., dec.64. num.38.
part.13., & in Alatrina Juriſpatrona-
tus 15.Junii 1705.coram cl. mem. Car-
dinali Scotto §. Nec magis.* quamvis
fuiſſet admiſſus ab Ordinario, veluti
erroneus: *Rot. cor. Otthobon. dec.263.
num.9., & in Melevitana Juriſpatro-
natus 31. Martii 1702. §.Prout neque.
cor. cl. mem. Card. Scotto, & in Cre-
monen. Beneficii 11. Maii 1705. §. Eo-
que infælicitèr, & 14. Martii 1708.
§. Ex quo facto. coram bon. mem. Kau-
nitz, & in Mediolanen. Benef. 1. Apri-
lis 1707. §. Quod ſi non adhuc. cor. bon.
mem. Anſaldo*: Cum ad effectum tol-
21 lendi Jus alicui jam acquiſitum ex re
judicata, & longiſſima poſſeſſione, non
ſufficiant pauci actus, quando illi etiam
non eſſent æquivoci, ſed ſit neceſſaria
centenaria pacifica, vel quadragenaria
inducta cum qualitate coactiva per
22 actus in contradictorio judicio firma-
tos, ut in terminis rei Judicatæ dixit
*Rot. in Burgen. Juris viſitandi de Bri-
bieſca 12. Januarii 1714. §. Atque hinc,
& 22. Junii ejuſdem anni §. Ceteri, &
§. Tantominùs. coram clar. mem. Card.
Scotto, & 11. Januarii 1715. §. Quo
verò. coram bon. mem. Cerro*.
Ex his deſcendentes DD. ad aliam
partem ſententiæ Reverendiſs. P.D. mei
Decani continentem inſtitutionem
Antonii Doti in dd. Cappellaniis, eam
quoque Juſtitiæ conſonam ſine dubio
cenſuerunt; quia Antonius, veluti
præſentatus a dicto Abbate Paulo tàm
uti *Rectore*, quàm nomine proprio,
& uti *Donatario Matthæi* Fratris, at-
que a Franciſco Capograſſo ejus Fratre,
23 habet majorem partem vocum, & ſic
eo titulo eſt inſtituendus *nulla habita
ratione, quod alii Fratres de Capograſſo*
ſuas voces accumulaverint præſentatio-
ni ut ſupra factæ de eodem Antonio,
quia cum ipſi prius nominaverint An-
gelum Amendolam, non erat licitum eiſ-
dem lite pendente explere d. aliam no-
minationem favore Antonii, ut fir-
24 matur *in deciſ. R.mi P. D. mei Decani
§. Dimenſis, & §. Nec in propoſito*.
Et ita &c. utraque Parte &c.

ROMANA IMMISSIONIS AD HÆREDITATEM PRINCIPISSÆ DE BUTERO QUOAD TERTIAM PARTEM SUPER IDENTITATE BONORUM.

Veneris 10. Decembris 1734.

ARGUMENTUM.

Identitas bonorum hæreditariorum probatur ex Inventario.

SUMMARIUM.

1 *Inventarium probat tam contra conficientem, quàm contra alios ſucceſſores, & ab eo cauſam habentes.*

2 *Conſtat de identitate bonorum hæreditariorum, quoties illis conveniunt demonſtrationes in Inventario deſcriptę.*

3 *Quæ ubi ſunt diverſæ, quælibet identitas excluditur.*

4 *Sufficiente ad hunc effectum qualibet poſſibilitate diverſitatis.*

5 *Subrogatio aliorum bonorum in locum hæreditariorum ut valeat, de ea factis conſtare debet.*

6 *Dicitur autem conſtare per expreſſam declarationem, & voluntatem hæredis ſubrogantis.*

DECISIO V.

OBtentis a Don Joanne Baptiſta Columna in hoc Sacro Auditorio geminis favorabilibus ſententiis latis præviis quinque Deciſionibus coram Eminentiſs. Aldrovando, & bon: mem: Gamaches, approbatis a plena Signatura Juſtitiæ cum clauſula *S.P. quoad tertiam*

par-

Digitized by Google

partem, indeque confirmatis in devolutivo a duabus DeciſionibusRm̃i P.D.mei Decàni, omnibus DD. ſuffragantibus, his inquam,obtentis ſententiis ſuper Immiſſione vigore fideicommiſſi ordinati a cl. m. D.Margarita ab Auſtria Principiſſa de Butero in poſſeſſionem illiusBonorum Fideicommiſſariorum contra Don Antonium Columnam hæredem Teſtamentarium bon: mem: D. Antonii Columnæ ſenioris ultimi ejuſdem Fideicommiſſi poſſeſſoris; de ordine Sacræ Rotæ fuit deſignatum Dubium poſtea à Reverendiſſimo P. D. meo Corio, tunc Decano, & nunc emerito Almæ Urbis Gubernatore ſubſcriptum — *An, & de quorum Bonorum identitate conſtet ad effectum &c.* — quod ego in illius locum ſubrogatus hodie propoſui, & DD., cum his me etiam ſuffragium ferente, ac Don Joanne Baptiſta tantùm informante, ſupplendo partes defenſorum, ut unicuique jus ſuum tribueretur, reſponderunt: *Conſtare de identitate juxtà modum*: nempe illorum Bonorum repertorum in hæreditate Antonii ultimi Poſſeſſoris, & quæ conveniunt cum illis deſcriptis in Inventario Bonorum hæreditariorum ſupradictæ Principiſſæ de Butero confecto per bon; mem: Don Dominicum Columnam primum hæredem gravatum.

Siquidem ex iſto Inventario, quod
1 probat tàm contra d. Don Dominicum, qui illud confecit, quàm contra alios Succeſſores, & ab eo cauſam habentes, *Peregrin. de Fideicomm.art.*44. *num.*2., *Rot. coram Buratt. deciſ.*637. *num.*6., *& ibi Adden. num.*15., *& coram Celſ. deciſ.*131. *num.*10., *coram Cavaler. deciſ.*578. *num.*5., *coram Otthobon. deciſ.*242. *num.*4., *& in Recent. dec.*426. *num.*2. *par.*1., *& dec.*160. *n.*1. *par.*18. Conſtat, quænam ſint bona hæreditaria, ſive Fideicommiſſaria dictæ Principiſſæ; & ex alio Inventario, ſive deſcriptione per Don Antonium hæredem ſupradicti Don Antonii ſenioris conſtat quoque, quænam ſint Bona ab iſto reli-
2 cta, & in ejus hæreditate reperta; Unde quotieſcumque iſta conveniunt quoad Confinia, qualitates, aliaſque ſimiles demonſtrationes cum illis deſcriptis in Inventario dictæ Principiſſæ,planum eſt dubitari non poſſe de illorum identitate, & eſſe hæreditaria, ac Fideicommiſſaria illius, *Rot. cor. Duran. dec.*325. *n.*1., *& cor.Caprar. dec.*10. *num.*7., *& in Recen. dec.*192. *num.*8. *par.*15.

Quo verò ad illa Bona, quæ reperiuntur deſcripta in Inventario Don Antonii, & non conveniunt cum deſcriptis in altero, DD. exiſtimarunt non liquere de identitate,eo quia ſi in quali-
3 tatibus non conveniunt, per conſequens ſunt diverſa, & ex diverſitate remanet excluſa quælibet identitas, *l. forma ff. de Cenſibus, l. ſi in rem in fin. ff. de rei vindicat., Bald. in l. demonſtratio falſa num.*18. *in fin. ff. de condit., & demonſtrat., Decian. conſ.*55. *num.*33. *lib.*4., *Rot. coram Merlin. deciſ.*415. *num.*5., *coram Arguelles dec.*30. *num.*2., *&* 4., *coram Priol. deciſ.*204. *n.*1., *& coram ſan: mem: Alexandro VIII. dec.*8. *n.*6., ſufficiente etiam ad hunc effectum ex-
4 cludendi identitatem qualibet poſſibilitate, quod bona poſſint eſſe diverſa, *Rot. coram Ninot. deciſ.*45. *num.*5., *coram Priol. deciſ.*429. *num.*15., *&* 16., *& in recen. dec.*226. *num.*13. *verſ. Non obſtat part.*5.

Nec ſuffragari viſum fuit, quod etſi illa bona, quæ non conveniunt, in eorum origine, non ſint hæreditaria Principiſſæ, nihilominus talia dijudicanda ſint ex facto ipſius ſupradicti Don Antonii, qui cum eſſet Debitor Fideicommiſſi ex cauſa alienationis bonorum factæ tàm ab ipſo, quàm à Don Dominico ejus Patre, ut firmatur *in alia mea contemporanea Deciſione ſuper reintegratione* allegavit uſquè de anno 1694. in hoc Sac. Tribunali contra Antonium Alamannum alterum ex Creditoribus præfati Don Dominici ejus Patris cauthelam Angeli, fatendo omnia bona à ſe poſſeſſa provenire ab hæreditate, & fideicommiſſo ſupradictæ Principiſſæ, ad hunc etiam effectum producendo teſtamentum illius, ac Inventarium ejus bonorum, ut patet ex *dec.*234. *in princ. coram Caprar.* eandemque deinceps pariter allegavit in hoc eodem Sacro Auditorio coram R. P. D. Millino hæres dicti Don Antonii contra Advocatum Franciſcum Blanciflorium ex quibus propte-

reà

Digitized by Google

reà ex his actibus reſultare dicebatur d. Don Antonium in locum bonorum fideicommiſſariorum alienatorum ſubrogaſſe omnia bona propria, hocque fuiſſe confirmatum a dicto ejus hærede, quæ bona proindè haberi debeant, ac ſi eſſent illamet fideicommiſſaria.

Etenim reſponderunt DD., quod dicti actus, ſive allegationes cauthelæ An-
5 geli ſunt equivocæ, & factæ ad alium effectum repellendi nempè Creditores D. Dominici, atque ideo non ſunt habiles ad convincendam dictam ſubrogationem, quæ requirit expreſſam animi declarationem, & voluntatem, nec
6 poteſt efformari per facta æquivoca, & ad alium finem, & effectum patrata. *Tiraquell. de retract. Lignager §. 32. gloſ. 1. num. 23., & 24., coram Coccin. deciſ. 539. num. 5. & ſeqq., & coram clar. mem. Falconer. tit. de fideicommiſſ. deciſ. 11. num. 4., & in recent. dec. 637. num. 5. part. 3., & deciſ. 30. num. 16. part. 12.*

Præcipuè dum Cauthela Angeli, quæ a Don Antonio allegata fuerat, remanſerat ineffectuata, & a Sac. Rota rejecta, ut ex ſupradicta *deciſ. 234. coram cl. mem. Card. Caprara*, & conſequentèr cum nullum habuerit effectum quo ad illum finem, pro quo allegata fuit, eo minus aliquid operari debet quoad prætenſam ſubrogationem ex regula *Text. in leg. Si quis ſub conditione. 11. ff. de Teſtam. tutel., leg. ex conſenſu 23. ff. de appellat., Rot. deciſ. 637. n. 5. part. 3., & dec. 30. num. 16. part. 12. recen.*, & cum aliis *in dec. 11. n. 4. tit. de fideicom. coram clar. mem. Card. Falconer.*

Accedente etiam alia ponderatione a DD. facta, quod pro indemnitate fideicommiſſi ſatis ſuperque Don Joanni Baptiſtæ remanet conſultum ex actione, quam habet contra dicta bona pro obtinenda reintegratione alienationum præter neceſſitatem ſupradictæ ſubrogationis, *ut ex contemporanea mea Deciſione ſuper eadem reintegratione*.

Et ità unica tantùm &c. omnibus DD. una mecum ſuffragantibus &c.

ROMANA IMMISSIONIS AD HÆREDITATEM PRINCIPISSÆ DE BUTERO QUOAD TERTIAM PARTEM SUPER REINTEGRATIONE.

Veneris 10. Decembris 1734.

ARGUMENTUM.

Actio pro reintegratione fideicommiſſi competit fideicommiſſario adverſus heredem gravatum, ſive bona, ſive mala fide is alienaverit. Trebellianica non detrahitur ex fideicommiſſo ordinato in contractu. Ea præſumitur conſumpta ex fructibus ſpatio 30. annorum per heredem gravatum perceptis, necnon ex notabilibus alienationibus per eumdem factis.

SUMMARIUM.

1 *Heres nequit impugnare peritiam a defuncto in actis productam.*
2 *Vocatis ad fideicommiſſum competit actio pro reintegratione adverſus hæredem gravatum, qui bona fideicommiſſaria ſine legitima cauſa alienavit.*
3 *Non ſolum autem pro pretio bonorum alienatorum, ſed etiam pro fructibus, quos ex bonis alienatis percepiſſent, ſi eorum alienatio facta non eſſet, ſaltem in linea damnorum, ac intereſſe.*
4 *Idque indiſcriminatim verum eſt, ſive mala, ſive bona fide alienatum fuerit, quoties agitur contra alienantem, vel ejus hæredes; ſed ſi res ſit contra tertium ſingularem poſſeſſorem, is ex bona fide alienantis excuſatur.*
5 *Quando autem mala fides interveniſſe dicatur*; & num. ſeq.
7 *Qua ſtante actio pro reintegratione datur etiam contra tertium ſingularem poſſeſſorem.*
8 *Ex fideicommiſſo ordinato in contractu detrahi minimè poteſt Trebellianica.*
9 *Hæres extraneus fideicommiſſo gravatus imputare tenetur fructus in Trebellianicam.*
10 *Quæ præſumitur conſumpta ex fructibus ſpatio triginta annorum perceptis.*
11 *Item ex notabilibus alienationibus bonorum fideicommiſſariorum per hæredem gravatum factis.*
12 *Hæres ſervare tenetur factum defuncti.*

13 *Declara procedere in hærede univerſali, minimè vero in hærede in re certa inſtituto.*

DECISIO VI.

PRævidens Don Joannes Baptiſta Columna vigore Fideicommiſſi conditi a clar. memor. D. Margarita ab Auſtria Principiſſa de Butero, & ad ſui favorem canonizati per plures Deciſiones, ac ſententias hujus Sacri Tribunalis, difficile eſſe vindicare omnia Bona reperta in hęreditate bon. mem. Don Antonii Columnæ ultimi d. Fideicommiſſi Poſſeſſoris, tum ob identitatem ex adverſo controverſam, tùm ob prætenſam ſubrogationem Bonorum Don Antonii in locum Bonorum Fideicommiſſariorum jàm ab ipſo, quàm à Don Dominico ejus Patre, ac Authore alienatorum, reportavit una cum altera generali, etiam particularem Commiſſionem ſuper reintegratione dicti Fideicommiſſi; undè contemporaneè ad Dubium ſuper dicta identitate, de qua in alia mea Deciſione, propoſui etiam aliud ſuper reintegratione, nempè — *An ſit concedenda reintegratio* — & unicè informante dicto D. Joanne Baptiſta, omnibus D D. una mecum ſuffragantibus reſponſum affirmativum emanavit.

Quippè oſtenſum fuit a d. Don Joanne Baptiſta ex Inventario confecto a bon. mem. Dominico primo hęrede gravato, quod probat tàm contra ipſum, quàm contra habentes cauſam ab eo, ut firmatur *in d. mea contemporanea Deciſ. ſuper Identitate §. Siquidem*; oſtenſum inquam fuit, ſuprad. Principiſſam de Butero reliquiſſe ampliſſimum Patrimonium ſcut. 328. mil., & ultrà, obnoxium Fideicommiſſo perpetuo pro Filiis, & Deſcendentibus dicti Don Dominici; itemque ex Peritia judiciali Maximilli Scipionis producta in actis adicto Don Antonio Seniore quadraginta ab hinc annis adverſus paternum Creditorem,
1 quæ nullo modo impugnari valet à Don Antonio Columna juniore hærede ejuſdem Antonii Senioris producentis, *Rota coram Celſ. dec. 289. num. 11., coram Priolo deciſ. 219. num. 15., & coram cl. me. Card. Falcon. dec. 9. n. 10. de Inventar., & dec. 34. n. 6. de Fideicomm.*

Unde ſequitur, quod pro Bonis Fideicommiſſariis deficientibus, & quæ a gavatis non probantur alienata ex cauſis legitimis ipſum fideicommiſſum afficientibus competat actio d. Don Joanni
2 Baptiſtæ ulteriori vocato contra gravatos, eorumque Bona, ac Hæredes pro obtinenda Fideicommiſſi reintegratione, ut ex *Text. in L. Mulier 20. §. Sed enim. ff. ad Trebellian.* firmant *Bald. in L. Filium quem habentem. num. 43. Cod. famil. Ereiſcun., & in Leg. Cum tale 71. ff. de condit., & demonſtr., Peregrin. de Fideicomm. art. 10. num. 28., Molin. de Primogenitur. lib. 1. cap. 27. num. 1. & ſeq., Cyriac. controv. 5. n. 22., Vreeol. conſult. forenſ. cap. 22. num. 38., Gratian. deciſ. Marchiæ 225. num. 17.*, non ſolum quoad pretium Bonorum diſtractorum, *Torr. de Primogen. Ital. part. 2. quæſt. 34. n. 73., Peregrin. deciſ.*
3 *Patav. 220. num. 2., & 4., Rota coram Molin. deciſ. 831. num. 5., & dec. 844. num. 3., coram Bich. deciſ. 282. num. 3., & coram Celſ. deciſ. 230. num. 1.*, ſed etiam quoad fructus, quos dictus Don Joannes Baptiſta percepiſſet poſt obitum hæredum gravatorum, ſi Bona Fideicommiſſaria alienata non fuiſſent, ſaltem in linea damnorum, & intereſſe; utultrà mox allegatos tradit *Rot. coram Molin. deciſ. 266. n. 3., & dec. 308. n. 1.*

Quin obſtare valeat, quod tàm Don Dominicus primus hæres gravatus, quàm D. Antonius ejus Succeſſor alienaverint Loca Montium, & Officia vacabilia, ac alia Bona Fideicommiſſaria bona fide, cum alter alienationem patravit prævio Decreto, ac facto Judicis delentis à Locis Montium, & Officiis vacabilibus vinculum Fideicommiſſi, alter vero poſtquàm obtinuit contra R. P. D. Franciſcum Columnam Fratrem *binas Deciſiones coram bon. mem. Molines, ac clar. mem. Card. Priolo*, ac ſententiam A.C. ex Rotę Voto ſuper expiratione Fideicommiſſi.

Etenim bona fides in alienationibus ſuffragatur, quando pro reintegratione Fideicommiſſi agitur actione reali, & contra tertium ſingularem poſſeſſorem, contra quem requiritur hypotheca, non naſcens, niſi ex dolo, & mala fide

fide hæredis gravati alienantis; at ſecus
4 eſt quando ut in præſenti intentatur à Vocato ſola actio perſonalis ex Teſtamento contra gravatos, illius Bona, & Hæredes. Iſto enim caſu, ſive alienantes fuerint in bona, vel mala fide, & ſive ſcienter, vel ignoranter alienaverint Bona Fideicommiſſaria, ſemper contra eos datur actio pro reintegratione. *Peregrin. de Fideicom. art.*45. *n.*13., *& dec. Patav.*120. *num.*3., *& per tot. Rot.cor.Merlin. d.deciſ.*831.*n.*3.*& ſeq., dec.*141. *num.*5., *& deciſ.*235. *num.*2. *& ſeqq., coram Bich. deciſ.*182. *num.*3., *coram Lancett. dec.*635. *num.*1., *& coram clar. mem. Card. Falconerio tit. de Fideicomm. deciſ.*16. *num.*1. *&* 3.

Præterea dolus, & mala fides alienantium ſatis ſuperque reſultare viſa ſunt; quoad D. Dominicum quidem, quia is, quando reportavit ab A.C. mandatum de delendo vinculum Fideicommiſſi ab Officiis vacabilibus, ei non exhibuit Capitula Matrimonialia, in quibus conſtitutum fuit perpetuum Fideicommiſſum pro ejus filiis, & deſcendentibus, ſed unicè Teſtamentum, & Codicillos Principiſſæ de eodem Fideicommiſſo perpetuo nullam mentionem ſaltem expreſſam facientes, & propterea cum hìc modus agendi evidenter oſtendat omnia acta judicialia fuiſſe à D. Dominico præordinata ex condicto cum Curatore deputato Filiis impuberibus, ut dixit *Rot. in dec. hujus Cauſæ ſuper Immiſſione edita ab Emõ Aldrovando die* 31.*Martii* 1732. §.*De hujuſmodi, cum ſeqq.*, idcirco excludit om-
5 nem, & quamcumque bonam fidem in eodem D.Dominico ad *Text.in l.*3.§.*ultimo ff.Pro ſoc.,Donell.Commentar. Jur. Civil. lib.*8. *tit.de reb. dub. ad l.*2. *n.*60. *pag.* 435., *Arias de Meſa var. lib.* 1. *cap.*31.*ſub num.*2., *Rota coram Molin. dec.*1038. *num.*85., *&* 86., *& coram cl. mem. Card. Falcon. tit. de Fideicom. deciſ.*47. *num.*18., *& in Recen. dec.*207. *num.*16., *& ſeqq. par.*19.

Quoad D. Antonium vero, poterat quidem iſte ex ſupradictis Deciſionibus, ac ſententia A. C. deſumere Fideicommiſſum fuiſſe expiratum pro effectu tunc diſputato, ne ſcilicet R. P. D. Franciſcùs ejus Frater impugnare poſſet gratificationem in ipſum collatam à D. Dominico communi Genitore juxtà facultates ei attributas à ſupradicta Principiſſa, minimè verò pro futuro intereſſe vel ejus Filiorum, & deſcendentium, vel Fratrum, & ſuperſtitum, ſi deceſſiſſet ſine Filiis,de quo nil penitùs in dicta Cauſa actum fuit;& quod tale Fideicommiſſum juxta hunc ſenſum pro expirato non habuerit d.D.Antonius, evidentèr comprobat Factum ipſius,qui in vim illius allegavit Cauthelam Angeli contra alterum ex creditoribus paternis in hoc Sac. Tribunali coram clar. mem. Card. Caprara, ut inſinuatur *in alia mea contemporanea Deciſione ſuper identitate* §. *Nec ſuffragari*; quæ quidem Cauthela Angeli licèt non fuerit admiſſa, hoc
6 tamen non evenit ex dicta cauſa prætenſæ expirationis, ut videre eſt *in dicta deciſ.*234. *coram d. Card. Caprara*; & proptereà ſi ipſe Don Antonius non habuit, nec juſtè habere poterat ex ſupradictis pro expirato Fideicommiſſum, diſtrahendo illius bona ſemper dicitur fuiſſe in dolo, & mala fide, quæ locum
7 reintegrationi faceret etiam contra tertios poſſeſſores; *Altograd. conſ.*68. *n.*24. *& ſeqq. lib.*1., *Rocc. diſput. jur. ſelect. cap.*53. *num.*5., *& ſeqq., Card. de Luc. de Fideicomm. diſc.*169. *num.*2., *& in Romana Reintegrationis Fideicommiſſi* 17.*Junii* 1700. §.*Doloſè. cor. clar. mem. Card. Scotto.*

Nec petita Reintegratio impediri poteſt prætextu detractionis quartæ Trebellianicæ, ſive quia controverſum Fideicommiſſum fuit ordinatum in contractu, ideſt in Capitulis Matrimonialibus, ad quæ diſponens ſe retulit in ſuis teſtamentariis tabulis, ut apertè expreſſit in Codicillis,& ex fideicommiſſo ordinato in contractu regulariter Tre-
8 bellianica non detrahitur, *Craſſ. de ſucceſſ.* §. *Trebellianica par.*5. *num.*5., *Rot. coram Coccin. dec.*1174. *n.*12., *&* 16., *coram Lancett., dec.*660. *num.*6., *coram Rmõ Criſpo deciſ.*503. *num.*13., *& in recent. dec.*75. *num.*12. *& ſeq. par.*10., *& in Melevitana Bonorum* 9. *Maii* 1701. §. *Quin vis. coram cl. mem. Card. de la Tremoille*; ſivè quia hìc res eſt de
9 Herede merè extraneo, qui tenetur fructus imputare in quartam Trebellianicam;

cam; vulgata *l.Fideicommiſſum ubi DD. ff. ad Trebell.*, *Cravet.conſ.16. num.1. verſic. Sed dubitatio.*, *Fuſar.conſ.5. numer.36.*, *Peregrin. de Fideicom. art.49. num.62.*, *Rot. coram Celſ. dec.167. n.4.*, *coram Dunozzett. Jun. dec.47. paritèr num.4.*, *coram Molin. dec.95. num.10. & 11.*, *& dec.2205. num.27.*, *& in Recent. dec.54. num.5. par.11.*, *& deciſ.274. num. 12. part.12.*, *deciſ.199. num.15. part.17.*, *deciſ.145. num.12.*, *& deciſ.196. num.14. part.18.*; Itaut cum D. Dominicus ſpatio triginta an-
10 norum fructus perceperit, perneceſſe dicendum ſit dictam quartam remanſiſſe conſumptam, *Peregrin. de Fideicom. art.19. num.54.*, *Mangil. de imput. quæſt.125. n.20.*, *Gob. conſult.80. num.33.*, *Rot. coram Emerix Jun. deciſ. 1238. num. 13.*, *coram Molin. deciſ.397. num.6.*, *dec.828. n.9.*, *dec.1205. num.28.*, *& in recent. deciſ.578. n.14. par.18.*, ſivè demùm quia in omnem peſſimum caſum dicta quarta conſum-
11 pta fuiſſet ex notabilibus diſtractionibus Bonorum Fideicommiſſariorum *Adden. ad Gregor. deciſ.266. num.16.*, *Rot. coram Cavaler. deciſ.540. num.2.*, *& coram Falconer. dec.1. num.6. tit. de aliment.*, *& in recent. deciſ.735. n.29. par.18.*

Prout nec etiam eadem reintegratio impediri valet, eo quia Don Joannes Baptiſta, utpotè hæres in Teſtamento Don Dominici Patris honoratus annuo vitalitio aſſignamento, nec non certa ſumma ad effectum teſtandi, non poſſit pro illa agere contra illius hære-
12 des, ſed ſervare teneatur factum defuncti; hoc namque procedit in hærede univerſali, undè non vindicat ſibi locum
13 quoad Don Joannem Baptiſtam inſtitutum in re certa, ac particulari, & qui ad Fideicommiſſum venit jure proprio, & independenter à Patre, *Giovagnon. conſ.45. num.52. lib.2.*, *Cyriac. controv.312. num.105.*, *Rot. cor. Molin. dec.716. num.13.*, *& coram Celſ. dec.235. num.16.*, *& in recent. dec.363. num.12.*, *& ſeq. par.5.*

Et ita &c. unica tantùm &c. omnibus DD. ut ſupra una mecum &c.

FAVENTINA CAUTELÆ ANGELI, ET PECUNIARIA,

Lunæ 17. Januarii 1735.

ARGUMENTUM.

Ubi Filius a Patre fideicommiſſo gravatus inventarium non confecit, ac nonnullas commiſit diſtractiones, præſumptio eſt, quod detractiones ipſi competentes conſumptæ ſint; idque procedit, etiamſi non probetur alienationes adæquare detractiones, ſi tamen agatur non cum tertiis poſſeſſoribus bonorum alienatorum, ſed cum Creditoribus hæredis gravati. Creditores, qui inventarium tacitè approbarunt, de illius nullitate dicere amplius non poſſunt. Tempus conficiendi inventarium eſt trium menſium, curritque non a die mortis, ſed à die aditæ hæreditatis. Conſtitutiones Pauli IV., & Pii V. præſcribentes ejus decurſum à die mortis locum habent ſolùm in Urbe, & intra ejuſdem diſtrictu.

SUMMARIUM.

1 *Mortuo debitore Creditores nullum jus habent ſuper bonis, quæ ab illo poſſidebantur Fideicommiſſo ſuppoſitis.*

2 *Filius ex Fideicommiſſo, quo a Patre gravatus eſt, rectè detrahere poteſt legitimam ſibi debitam.*

3 *Item omne æs alienum a Patre contractum, & expenſas funeris.*

4 *Non confecto inventario præſumitur æs alienum Teſtatoris ſolutum ab hærede ex pecuniis, ac fructibus inconſumptis in hæreditate repertis.*

5 *Pariter eo per filium non facto, pluribuſque alienationibus peractis, legitima, aliæque detractiones conſumptæ præſumuntur.*

6 *Amplia, etiamſi non probetur diſtractiones adæquare detractiones, ſi tamen agatur non contra tertios poſſeſſores bonorum diſtractorum, ſed contra ſimplices Creditores hæredis gravati.*

7 *Ex alienatione facta ab hærede gravato, qui Inventarii confectionem omiſit, ſemper præſumitur conſumptio.*

8 *Niſi contrarium perfectè probetur ab iis, quorum intereſt.*

9 *Im-*

Digitized by Google

9 *Immo ex alienatione certa aliquarum rerum hæreditariarum rectè præſumitur alienatio aliarum etiam majoris pretii contra hæredem, qui inventarium non confecit.*

10 *Creditores Fideicommittentis nullam actionem excreere poſſunt in bona propria hæredis, in quæ alius ſucceſſit; habetque locum in his etiam cauthela Angeli.*

11 *Filiis ex juribus dotalibus matris competit retentio bonorum Patris, excluſis ejus debitoribus: atque in his bonis quoque locum obtinet dicta cauthela Angeli.*

12 *Creditor anterior præferri debet creditori poſteriori, &* num. ſeq.

14 *Creditores, qui inventarium tacitè approbarunt, illius nullitatem objicere amplius non poſſunt.*

15 *Tempus ad incipiendum, perficiendumque inventarium a jure definitumeſt trium menſium.*

16 *Tale tempus numeratur non à die mortis defuncti, ſed a die aditæ hæreditatis.*

17 *Conſtitutiones Pii IV., & Pauli V. illud numerantes a die obitus defuncti locum obtinent ſolum in Urbe, & intrà ejus diſtrictum.*

18 *Voluntas adeundi hæreditatem diſtinguitur ab aditione ipſa.*

19 *Quando ſuſpecta eſt mora hæredis in adeunda hæreditate, ab iis, quorum intereſt, adiri poteſt Judex, qui terminum conſtituat ad adeundum.*

20 *Serotina exceptio admitti non debet.*

21 *Legitimus poſſeſſor bonorum non poteſt juſtè per Æconomi appoſitionem ab eorum poſſeſſione amoveri.*

DECISIO VII.

VUlgatam Cauthelam ab Angelo Peruſino adinventam *in l. A Divo Pio. §. Si ſuper rebus. num.1. ff. de re judic.*, quam ex diverſis titulis ſuper bonis per ipſos poſſeſſis allegarunt Annibal Junior, aliique Fratres de Mazzolanis adverſus Creditores q. Cæſaris Poſthumi eorum Patris, Vicarius Generalis Faventiæ in prima inſtantia, & R.P.D. de Signoribus in ſecunda rejecerunt; immò hic ultimus Judex appoſuit Æconomum ſuper dictis bonis; In tertia verò inſtantia, præcedentia judicata revocando, eandem Cauthelam Angeli admiſit R. P. D. Caballinus; Devoluta poſtmodum cauſa ad Sacram Rotam, directaque mihi commiſſione propoſui hodie dubium – *An Cauthela Angeli ſit ſervanda, itaut ſit locus remotioni Æconomi* – & DD. -- *Affirmativè in omnibus* – reſponderunt.

Conſtitit namque *Domum ſitam in Caſtro Rioli, & bina Prædia nuncupata della Collina, e Caſe vecchie* eſſe hereditaria q. Julii Senioris de Mazzolanis, & ſuppoſita perpetuo, ac deſcenſivo Fideicommiſſo per illum Anno 1649. ordinato favore ejus filiorum, & deſcendentium, ac ad tale Fideicommiſſum eſſe vocatos Fratres de Mazzolanis, uti deſcendentes à fideicommittente, & propterea DD. exiſtimarunt, cauthelam Angeli per antedictos Fratres de Mazzolanis in vim dicti Fideicommiſſi allegatam ſine dubio eſſe ſervandam ſu-
1 per dictis bonis; cum Creditores, vel
primi hæredis gravati, vel ulteriorum vocatorum, prout ſunt ſupradicti, nullum jus habeant illis defunctis ſuper bonis fideicommiſſo ſuppoſitis in præjudicium aliorum vocatorum, qui in illo ſucceſſerunt ex juribus cumulatis per *Neguſan. de Pignor. membr.4. par. 3. principal. num.125., Rot. poſt Merlin. de Pignor., & Hypoth. dec.55. num.2., & coram Seraphin. deciſ.757. num.2. & 3., & coram Bich. deciſ.161. n.22., & deciſ.649. n.1., & coram bon: mem: Herrera deciſ.23. num.1.*

Haud attento, quod Cæſari Poſthu-
2 mo debitori, & ultimo poſſeſſori Fidei-
commiſſi ex perſona Annibalis Senioris ejus Avi primi hæredis gravati, ac filii ſuprad. Julii Senioris fideicommittentis competant Detractiones legitimæ, ac debitorum in ſumma ſcutorum 518.
3 ab eodem Fideicommitente contracto-
rum, quoniam ultra quod per Creditores doctum non fuit, eadem debita fuiſſe ſoluta per D. Annibalem, & inſupèr tàm iſta fuiſſe dimiſſa, quàm dictas expenſas Funeris fuiſſe ab illo factas propriis pecuniis; cum potiùs, ſtante de-
4 fectu Inventarii per eundem Anniba-
lem de Bonis fideicommiſſariis non confecti, præſumptio ſit, quod ſolutio

tio prædictorum ſequuta fuerit ex pe-
cuniis, ac fructibus inconſumptis in hæ-
reditate fideicommiſſaria repertis, *Ur-
ceol. Conſult. Forenſ. Cap.*20. *num.*27.,
*Rota cor. bon. mem. Molines dec.*1224.
*num.*7. *tom.*5., & *in Recent. dec.*330.
*num.*23. *part.*12., & *in Spoletana Im-
miſſionis* 1. *Februarii* 1704. §. *Et pro-
ſequendo, coram bon. mem. Anſaldo*. In
univerſum, & quoad omnia, ſicque
etiam reſpectu legitimæ ceſſare viſa fuit
difficultas ex eo, quòd, ut dictum eſt,
5 recenſitus Annibal primus hæres gra-
vatus nullum confecit Inventarium Bo-
norum fideicommiſſariorum, & è con-
tra diſtraxit, alienavitque plura Joca-
lia, Semoventia, & Mobilia pretio-
ſa, necnon Prædium fideicommiſſa-
rium valoris librarum 6400., quo ca-
ſu præſumptio eſt, quod prædictæ de-
tractiones ob tales alienationes fuerint
conſumptæ; *Gratian. Diſceptat. Fo-
ren.* 570. *num.*20., *Rota coram Bichio
dec.*670. *num.*15., & *cor. Dunozet. jun.
dec.*558. *num.*33., & 34., & *cor. bon.
mem. Anſaldo dec.*21. *num.*15., & *co-
ram bon. mem. Molines dec.*328. *n.*11.
*tom.*2., & *in Recent. dec.*31. *num.*28.
*part.*11., & *dec.*193. *num.*2. *part.*19.,
& *in Romana Immiſſionis ſuper Domo*
27. *Januarii* 1713. §. *Etenim. cor. Emi-
nentiſſ. Aldrovando*.

Minimè relevante, quod per Fratres
de Mazzolanis demonſtratum non fue-
rit, eaſdem alienationes adæquare di-
6 ctas detractiones, quia hìc non agitur
de præſumenda detractionum conſum-
ptione in præjudicium tertii poſſeſſo-
ris, qui earum titulo ſuam poſſeſ-
ſionem tueatur; ſed de ea præſumen-
da contrà ſimplices Creditores hęre-
dis gravati in favorem eorum, qui
ſunt rei, & poſſeſſores Bonorum,
in quo caſu ex quacunque alienatio-
7 ne conjuncta cum omiſſione Inventarii
ſemper præſumenda eſt conſumptio, ni-
8 ſi in contrarium per Actores detur per-
fecta probatio, ut diſtinguendo firmat
*Card. de Luca de Legitima diſc.*25. *nu-
mer.*54., & *pluribus ſeqq.*, *Gratian.
dict. Diſcept. Foren.* 570. *num.*20., *Ro-
ta cor. Emerix dec.*877. *num.*2., & *cor.
clar. mem. Card. Falconer. tit. de Cenſi-
bus dec.*14. *num.*12., & *in Miſcell. de-
ciſ.*27. *num.*7., & *in Recent. deciſ.*31.
*num.*9., & *in Eugubina Fideicommiſſi
ſuper Detractionibus* 16. *Martii* 1711.
§. *Atque hinc. cor. clar. mem. Card. Scot-
9 to*. Nam quemadmodum primus hæres
gravatus, qui non confecit Inventa-
rium, alienavit Bona, de quibus con-
ſtat, ita alia, & majora alienaſſe præſu-
mitur, de quibus non conſtat ob defe-
ctum Inventarii; *Rota cor. bon. memor.
Molines dec.*476. *num.*4; *tom.*2., & *de-
ciſ.*1014. *num.*3. *tom.*4., & *in Recent.
dec.*96. *num.*2. *part.*12., & *deciſ.*332.
*num.*37., & *dec.*371. *num.*8. *part.*18.,
& *dec.*193. *num.*4. *part.*19., & *in di-
cta Eugubina Fideicommiſſi* 16. *Martii*
1711. §. *Secùs autem. cor. eodem Cardi-
nali Scotto*.

Quo vero ad alterum Prædium in
vocabulo *del Prato*, & pauca mobilia
deſcripta in Inventario a Fratribus de
Mazzolanis confecto de Bonis hæredi-
tariis Cæſaris Poſthumi Debitoris, ſi-
mili modo DD. crediderunt, ſupradi-
ctam Cauthelam Angeli eſſe ſervandam,
10 eo quia dictum Prædium, & Mobi-
lia proveniunt ab hęreditate Anniba-
lis Senioris, cujus hæres pro medieta-
te fuit Sacerdos Julius ejus filius,
qui cum reliquerit hæredes Fratres de
Mazzolanis, ſequitur, enunciatum
Prædium, & Mobilia ſpectare pro me-
dietate ad dd. Fratres, & ſic Credito-
res ſupradicti Cæſaris Poſthumi nullam
actionem exercere poſſe contra recen-
ſita Bona, quæ ſunt alterius, quàm
Debitoris; *Gabr. conſ.*31. *ſub num.*6.
verſ. Secundò quia, *Honded. conſ.*20.
*num.*25. *lib.*2., *Rota cor. Seraphin. de-
ciſ.*385. *num.*1., & *cor. ſan. mem. Gre-
gorio XV. dec.*555. *num.*4., & *in Rec.
deciſ.*3. *num.*61. *part.*7., & *deciſ.*176.
*num.*11., & *ſeqq. part.*11.

Pro alia vero medietate Prædii, &
Mobilium non excedentium in totum
valorē ſc.600., licet ſpectantium ad Cę-
ſarem Poſthumum Debitorem ex perſo-
na Cæſaris ejus Patris, uti filii, & hære-
dis Annibalis, DD. viſum fuit, Fratri-
11 bus de Mazzolanis competere reten-
tionem ex juribus dotalibus Zenobiæ
eorum Matris, & reſpectivè Uxoris
Cæſaris Poſthumi, conſiſtentibus in ſcu-
tis 1905., & ſic pariformitèr etiam in
hac

hac parte ſervandam eſſe dictam Cauthelam Angeli. Quandoquidem hæc Dos tradita fuit Cæſari Poſthumo anno 1698., & pro illius reſtitutione obligavit ipſe omnia ejus Bona; quod Cre-
12 ditum cum ſit anterius omnibus aliis debitis ab eodem Ceſare Poſthumo contractis, indè fit, ut pro illo dictis Fratribus filiis, & heredibus Zenobiæ competat retentio in excluſionem omnium ſupradictorum Creditorum poſteriorum, ad *Text. in leg. Si potiores. in fin., Cod. de his qui in priori. credit., leg. Creditor. in princ. ff. Qui potior in pignor. hab., Neguſan. de Pignor. 2. membr. 5. part. num. 2., Rota cor. Buratt. deciſ. 858. num. 3., & cor. Cerro dec. 34. num. 7., & cor. bon. mem. Molines deciſ. 1163. num. 1., & in Rec. deciſ. 303. num. 2. part. 4.*

Abſquè eo quòd retentio hujuſmodi impediri valeat ex aliis anterioribus juribus dotalibus Fulviæ Mondinæ Matris Cæſaris Poſthumi ſcutor. 1000. receptorum per Cæſarem illius Patrem, à cujus hæreditate provenit medietas dicti Prædii, ac Mobilium, cum ipſe fuerit æquè Filius, ac Cohæres ſupraracenſiti Annibalis; Nam Cæſar Poſthumus debitor, ad quem prædicta bona jure hæreditario devenerunt, priuſquàm contraheret alia debita, & ſeſe obligaret favore aliorum Creditorum, recepit Dotem Zenobiæ, pro cujus quoque reſtitutione ſe priùs obligaverat, & conſequentèr, cum hæc anterior obligatio afficiat etiàm creditum dotale Mondinæ paritèr ad dictum Ce-
13 ſarem Poſthumum ſpectans, ſequitur proindè, quod ipſa potior, & validior dijudicanda ſit; *leg. Si Pignus, ff. Qui potior in pign. hab., Gloſſ. in l. Aſſiduis in verb. Licèt anteriores ſint. verſ. Nam & privatus. Cod. eodem tit., Neguſan. de Pignor. 4. Membr. 2. part. num. 98., Antonell. de Temp. leg. lib. 4. cap. ult. n. 3., Gratian. Diſcept. Foren. 730. num. 20., Rota cor. Celſo dec. 153. num. 12., & coràm bon. mem. Molines dec. 175. n. 20., & in Recent. dec. 419. num. 13. part. 4. tom. 2.*

Agnoſcentes Creditores firmitatem, ac ſubſiſtentiam ſupradictæ Cauthelæ Angeli, illamque fuiſſe plenè juſtificatam, ideo parum ſuper præmiſſis inſiſtendo, ferè dumtaxat ad eandem cauthelam Angeli declinandam ſeſe fundabant in eo, quod Fratres de Mazzolanis eſſent hæredes ſimplices Cæſaris Poſthumi debitoris, non obſtante Inventario illius bonorum hæreditariorum per ipſos exhibito, utpote nullo, ac illegitimo, veluti confecto poſt novem Menſes a die obitus Cæſaris Poſthumi Patris, & ſic extrà tempus à Jure præfinitum ad illud incohandum, & perficiendum, ac conſequentèr ob jurium, atque actionum confuſionem gaudere non poſſent beneficio allegatæ Cauthelæ Angeli.

Attamen DD. putarunt, hujuſmodi objectionem eſſe nullius momenti; non ſolùm quià in confectione Inventarii citati fuere omnes prædicti Creditores, qui comparuerunt, propriaque jura, & exceptiones deduxerunt, illiſque non obſtantibus in contradictorio Procuratorum Vicarius Generalis Faventiæ, coram quo illud confectum fuerat, & Creditores comparuerant, illud declaravit validum, ac legitimum dictoſque Fratres fuiſſe, & eſſe ad illius formam hæredes beneficiatos, talitèr ut tamquàm tales frui, ac potiri deberent omnibus, & quibuſcumque privilegiis quomodolibet a Jure ſic adeuntibus conceſſis; undè cum Creditores à tali Decreto, ſivè declaratione non reclamaverint, nec appellaverint, quinimò expoſt, & ſucceſſivis temporibus, convocato concurſu Creditorum coram eodem Vicario Generali inſteterint contrà dictos Fratres pro redditione rationis juxtà idem Inventarium Bonorum hæreditariorum, & ad hunc effectum illis præfigere fecerint plures terminos, ulteriùſque paritèr non reclamando permiſerint, ut dictus Judex Bona ſepararet, & eoſdem graduaret, nuncupando in ejus ſententia memoratos Fratres hæredes beneficiatos, ſimilemque expreſſionem fieri permiſerint in alia ſententia ad eorum favorem prolata ab R. P. D. de Signoribus; ſequitur proindè, eiſdem Creditoribus hodiè in hac quarta inſtantia, reſiſtentibus tot
14 actibus approbativis legalitatis dicti Inventarii, tàm ipſorum Creditorum, quam

quàm Judicium, non licere in medium adducere ſupradictam exceptionem illius nullitatis, iſtamque amplius in diſcrimen revocare, ex adductis per *Card. de Luca de Hered. dict. diſc.*25. *num.*1. & 3., *Rota cor. clar. mem. Card. Falconerio tit. de Inventar. dec.*4. *num.*4. 5. & *ſequen.*, & *in Recent. dec.*379. *numer.*12. *part.*4., & *dec.*272. *num.*2., & *ſeq. part.*14.

Sed etiam quia non ſubſiſtere viſum fuit, quod tempus ad incohandum, & perficiendum Inventarium debeat incipere à die obitus defuncti; Siquidem
15 tale tempus à Jure ad tres Menſes redactum, in quorum primo Inventarium incohetur, & intrà alios perficiatur, *Ridolphin. in Prax. part.*1. *cap.*9. *numer.* 31., *Rota in Recent. deciſ.* 118. *n.*25. *part.*12. juxtà communem, & ve-
16 riorem opinionem non incipit currere, niſi à die aditionis hæreditatis, non autem à die obitus defuncti; *Gloſſ. in leg. final.* §. *Sin autem dubius. in verb. Delatam. Cod. de Jur. deliber.*, *Gratian. Diſcept. Forenſ. cap.*563. *num.*28., *Cyriac. Contr.*127. *num.*5., *Conciol. de Hered. art.*1. *num.*406., *Card. de Luca de Hered. diſc.*21. *num.*5., & ſæpiſſimè firmavit *Rota in ſpecie coram Cavaler. dec.*310. *num.*6., & *cor. Cerro dec.*47. *num.*4., & 5., & *cor. Roxas dec.*330. *num.*11., & *dec.*349. *num.*22. *Adden. ad dec.*192. *num.*85., & *pluribus ſeqq. par.*9. *Recen.*, & *noviſſimè in Camerinen. Aditionis Hæreditatis* 26. *Maii* 1728., & 10. *Junii* 1729. *cor. Eminentiſſ. Aldrovando.*

Non ſuffragantibus Conſtitutionibus ſan. mem. Pii IV., & Pauli V. ſuper Reformatione Tribunalium Urbis injungentibus, terminum conficiendi Inventarium incipere debere à die obitus defuncti, & ſic delatæ hæreditatis; Quandoquidem ſimiles Conſtitutiones, veluti loquentes de Tribunalibus Urbis, & ſic locales, non vindicant ſibi locum, niſi quoad Inventaria confi-
17 cienda in Urbe, vel ad ſummum intra Diſtrictum, non autem quoad illa extra hæc loca conficienda veluti in caſu præſenti, ut generalitèr loquendo de ſimilibus Conſtitutionibus, tradunt *Zaul. ad Statut. Faventin. libr.*7. *rubric.* 7. *ſub num.*19. & 27., *Conſtantin. ad Statut. Urbis annot.*30. *artic.*1. *num.*111., & 112., *Thomat. Deciſ. Macerat.* 173. *num.*32. & *ſeqq.*, & in puncto initi Inventarii eiſdem Conſtitutionibus reſpondendo dixit *Rota coram Roxas dict. deciſ.*349. *ſub num.*22. *verſic. Conſtitutiones verò.* cui non contradicunt *deciſ.*20. *num.*17. *tit. de Inventar.*, & *in Miſcell. dec.*24. *num.*6. *cor. Card. Falconer.*, ac aliæ à Creditoribus allegatæ, cum non ſeſe habeant ſuper puncto extenſionis dictarum Conſtitutionum, nec de iſto loquantur.

Parùm officiente replicatione eorundem Creditorum, quod, etiamſi dictum tempus eſſet computandum a die aditionis, adhuc Fratres de Mazzolanis Inventarium non incepiſſent, nec compleviſſent intra ſupradictos tres Menſes, eò quià conſtat ex quodam ſupplici Libello per Mazzolanos porrecto anno 1723. Emo Legato Romandiolæ, ac ex quadam comparitione in ejus ſequelam per ipſos facta Menſe Decembris ſubſequentis coram Vicario Generali Faventiæ, & demùm ex quibuſdam citationibus edictalibus coram eodem Vicario expeditis, eoſdem Fratres uſque ab eo tempore adiviſſe hæreditatem Paternam Cæſaris Poſthumi, & tamen illi Inventarium non expediverunt, niſi Menſe Julii anni 1724., & ideò longè poſt lapſum trium Menſium; Nam dictus ſupplex Libellus, cæterique actus ſolùm exprimunt, & continent apertam voluntatem Fratrum de Mazzolanis adeundi hæreditatem prædictam cum omnibus cauthelis, & cum beneficio Legis, & Inventarii ob varia debita tunc detecta, & propterea cum hæc voluntas unicè tendat
18 ad futurum actum aditionis, non poteſt per conſequens in eo ſenſu capi, ut aditionem ipſam ab eo uſque tempore importet, ut optimè declarando tradunt *Bartol. in leg. Gerit numer.*10. *ff. de acquir. hæredit.*, *Jaſon. in leg. Servi electione num.*23., & 24. *ff. de Legat.*1., *Maſcard. de Probat. Concluſ.*41. *num.*5., & *ſeqqt*, *Fontanel. Deciſ. Cathal.* 88. *num.*3., & *ſeq.*, *aliique congeſti per Rot. cor. Roxas deciſ.*285. *n.*3.

Quæ

Quæ omnia circà validitatem, & legalitatem dicti Inventarii eò fortiùs amplectenda viſa fuerunt, cum in ſubſtantia ex contentis in dicto ſupplici Libello, aliiſque ſuperioribus actibus Inventarium præcedentibus, appareat, protelationem confectionis illius per aliquod breve tempus poſt obitum Patris eveniſſe unicè ad finem, ut dictum eſt, cautè procedendi ſuper immixtione, & aditione hæreditatis pene obęratę, non autem ad finem ſubtrahendi res hæreditarias, de quo Creditores nec in ipſa actuali Inventarii confectione, nec poſtmodùm unquàm conqueſti fuere, nec conqueruntur ad præſens, quod profectò ſignum evidentiſſimum eſt Fratres de Mazzolanis fideliter, ac ingenuè in Inventarii confectione ſeſe geſſiſſe, ac omnia integralitèr deſcripſiſſe; aliàs enim ſi Creditores ſuſpicionem ha-
19 buiſſent alicujus ſubtractionis impedire curaſſent ſupradictam procraſtinationem, petendo a Judice ut dictis Fratribus terminum ad adeundam hæreditatem præfigeret juxtà cauthelam relatam à *Rub. in reſol. practic. cap.62. à n.75.*, ac ab illo repoſitam in *Annot. ad dec.192. n.99. part.9. Rec.*, in quibus circumſtantiis eò magis ſupradicta feroti-
20 na exceptio dubio procùl erat rejicienda, nullo prorsùs in hæredibus beneficiatis concurrente dolo; ad tradita per *Gratian. Diſcept. Forenſ. 797. numer.15.*, *Rota ad ornat. Card. de Luc. de Teſtament. dec.20. num.23.*, *& deciſ.21. num.13.*, *& cor. clar. mem. Cardin. Falconer. tit. de Inventar. deciſ.18. num.35.*, *& in Rec. dec.747. num.4. part.2.*, *& deciſ.181. num.2. par.6.*, *& dec.272. num.2.*, *& 8. part.14.*

Quibus ita definitis deſcendentes DD. ad reliquam Dubii partem ſuper remotione Œconomi, cenſuerunt eidem locum eſſe, quia ſi Fratres de Mazzolanis aliis titulis, quàm hæreditario communis Patris, validis, atque legitimis poſſident bona, de quibus uſque modo
21 diſceptatum fuit, non poterant juſtè per appoſitionem Œconomi ab eadem poſſeſſione amoveri, ut notat *Conſtantin. ad Statut. Urb. de Cauthela Angeli Diſc. unic. num.7. tom.2.*, *Rota coram Dunozzet. Jun. deciſ.332. n.3.*, *Tom.I.* *& 4.*, *& in Recent. deciſ.730. num.6. part.18.*

Et ita &c. Utraque &c.

BITUNTINA CAP. ODOARDUS.

Veneris 21. Januarii 1735.

AGUMENTUM.

Beneficio Cap. Odoard. non fruuntur Clerici pro debitis eorum auctoris, ſi ſint hæredes ſimplices; prout neque pro propriis, ſi ex Tutelæ, vel curæ geſtione, vel rei alienæ adminiſtratione, præcipue doloſa proficiſcantur, demum ſi in denegando debito ſint pertinaces: dolus ex quibus eruatur.

SUMMARIUM.

1 *Beneficio* Cap. Odoardus *non fruuntur Clerici hæredes ſimplices pro debitis ab eorum auctore contractis.*

2 *Nec Clerici conventi actione tutelæ, vel curæ, vel ſimilis adminiſtrationis, ſi rationem aut non reddant, aut malè reddant.*

3 *Maximè ſi non coacti a Judice, ſed ſponte onus tutelæ, vel curæ, vel ſimilis adminiſtrationis ſuſceperint, & de ratione.*

4 *Certiùs, ſi dolosè, ac fraudulenter adminiſtraverint*, & n.6. & 9.

5 *Quia dolus nemini patrocinari debet.* & num.20.

7 *Et Lex nunquam intendit doloſis ſubvenire.* & num.21.

8 *Declaratur Deciſio* 15. *num.15. coràm Falconerio de Tutoribus, & Curatoribus.*

10 *Sententia, quæ eſt ultima, ac tranſiit in rem judicatam, attendi potiùs debet, quàm Deciſio prius habita in eadem Cauſa.*

11 *Vota de Mandato Principis præcedentèr danda dicuntur, & ſunt pars Sententiæ:*

12 *Quæ juxta ea declaratur, ac intelligitur.*

13 *Plura cumulantur, ex quibus eruitur doloſa adminiſtratio Tutoris.*

14 *Dolus autem alius eſt præſumptus, & oritur ex omiſſione Inventarii librorum tutelæ, ac redditionis.*

15 *Alius eſt realis, & probatur ex quietantiæ; & liberationis ab actuali* red-

redditione rationis extorſione, aliiſque argumentis.

16 *Media ubi ſunt mala, etiam intentio eſt mala.*

17 *Quando finis eſt malus, ejus etiam præordinatio mala eſſe intelligitur.*

18 *Ubi pars debiti Clerici Tutoris provenit ab ejus doloſa adminiſtratione, pars verò non, quoad hanc partem, quæ à doloſa ejus adminiſtratione non provenit, debet is gaudere beneficio* Cap. Odoardus.

19 *Adminiſtratio, licèt contineat plura negotia, unica tamen dicitur, & pro unico contractu habetur.*

22 *Quando conſtat de aliquo dolo, æquitas locum non habet.*

23 *Beneficio* Cap. Odoardus *non gaudent Clerici pertinaces Debitores, & per plures annos continuè impugnantes proprium debitum cum Creditoris diſpendio, & incommodo.*

DECISIO VIII.

AD eludendam integralem executionem quatuor Mandatorum, quæ à particulari Congregatione trium hujus Curiæ Prælatorum à ſan. memor. Benedicto XIII. deputata relaxata fuerant pro ſolutione ducatorum 5017. favore Birgittæ Loriani, & Archangeli Saraceni Conjugum, contrà Sacerdotes Michaelem, & Franciſcum Floriano, tàm nomine proprio, quàm uti filios, & hæredes Bizantiæ Lupis ex cauſa malæ adminiſtrationis Tutelæ, & Curæ dictæ Birgittæ priùs geſtæ per Bizantiam ejus Aviam Maternam, & inde per dictos Sacerdotes illius Avunculos, expoſtularunt iſti coram Epiſcopo Bituntino admiſſionem ad ſatis notum Beneficium *Cap. Odoardus de Solut.*, & voti compotes ab illo facti fuere; ſed devoluta Cauſa in gradu appellationis à dictis Conjugibus interpoſitæ ad A.C., fuit idem Beneficium ab R. P. D. Ancajano, meritiſſimo Signaturæ Juſtitiæ Decano, Judice ab eodem A. C. deputato, eiſdem Sacerdotibus denegatum, & in hoc eodem ſenſu in gradu ulterioris Appellationis mihi commiſſæ fuerunt DD., dubio per me hodie propoſito — *An competat Beneficium Cap. Odoardus* — Unanimitèr reſpondentes: *Negativè*.

Nam pro eo, quod attinet ad illam debiti partem, quæ ab adminiſtratione Bizantię Lupis dictorum Sacedotum Matris oritur, cum iſti illius hęreditatem ſimpliciter, & abſque ullo Inventario adiverint, ut conſtat ex Voto impreſſo recenſitę Congregationis particularis trium Pręlatorum, quorum duo, nempè Emi Lambertinus, & Gentilis, tota plaudente Curia, in Purpuratorum Collegium cooptati fuerunt, edito die 27. Septembris 1725. §.72., non poſſunt per conſequens gaudere benefi-
1 cio *Cap. Odoardus*, cum iſtud non concedatur Clericis hęredibus ſimplicibus, & Inventario deſtitutis ob pręſumptum dolum, & occultationem bonorum, ut firmant *Ricc. Reſolut. Eccleſ. part. 1. Reſolut.265. num.3., Squillant. de Priv. Cleric. cap.10. num.43., Barboſ. de Jur. Eccleſ. cap.39. §.6. num.52., Amoſtaz. de Cauſis Piis lib.7. cap.7. num.70. tom.2. verſic. Aut quando hæres. Conſtantin. ad Statut. Urb. Annot. 50. artic.2. num.251.*

Quo verò ad alteram ejuſdem debiti partem provenientem ex eorumdem Fratrum de Floriano adminiſtratione, paritèr DD. cenſuerunt, locum non eſſe Privilegio *Cap. Odoardus* ob receptiſſimam illam propoſitionem, quod ubi Clericus tutelam, vel rei alienæ adminiſtrationem geſſit, & earum actione
2 convenitur, ſi rationem aut non reddat, aut malè reddat, ſemper excluditur, & indignus redditur dicto Beneficio *Cap. Odoardus*, ut ultra ſuperiùs citatos firmant *Ancharan. cap.1. n.6. de Depoſit., Ferret. conſ.144. n.1., & ſeqq. lib.1. Cravett. conſil.142. n.15. & 16., Graſſ. de Effect. Cleric. effect.7. num.53., Antonell. de Jur., & Oner. Cleric. libr.1. part.2. cap.15. num.21., Rota in Rec. dec.207. num.3., & 4. part.15.*

Potiſſimùm dum Fratres prędicti non coacti a Judice, ſed ſponte, ac voluntariè ſeſe intruſerunt in adminiſtrationem Patrimonii, & bonorum ſupra enunciatę Pupillę, ut ſubbjicitur in dicto Voto Congregationis particularis §.53. *ad.*59.; quare eò magis excludendi ſunt ab expoſtulato Beneficio *Cap.*
3 *Odoardus*, quia Jura magis ſubveniunt iis, qui ex neceſſitate, & coactè rerum ali-

alienarum adminiſtrationem aſſumunt, quàm iis, qui ſponte, & voluntariè in illam ſeſe intrudunt, *Barbat, conſil.* 91. §. *Circa tertiam quæſtionem vol.* 3.

Eoque certius, quia ut animadverte-
4 bant DD., dd. Fratres dolosè, ac fraudolentèr ſeſe gesserunt in d.adminiſtratione, ut plenè comprobatum agnoverunt ex firmatis in ſupradicto Voto Congregat. particularis §.24., cum autem
5 dolus nemini patrociuari debeat, *leg. Verùm* §. *Hoc quoque ff. pro ſocio, leg.* 1. §.1. *ff. de dol. except.*, indè promanat,
6 ut Fratres de Floriano tantò minùs juvari valeant proptèr dictum dolum, & fraudem beneficio *Cap. Odoardus*; *Barboſ. in eodem Cap. Odoardus num.* 17., *Graſſ. de Effect. Cleric. Effect.* 7. *numer.* 20., & 21., *Rota cor. Puteo deciſ.* 384. *lib.* 1. *verſ. Dicebamus*; *coràm Royas dec.* 475. *num.* 3., & *coràm Falconer. tit. de ſolut. dec.* 15. *num.* 6., *latè Adden. ad dec.* 16. *num.* 34. 35. 36., & *pluribus ſeqq. part.* 8., & *dicta deciſ.* 207. *num.* 6., & 7. *part.* 15. *Rec.*:
7 Lex enim numquàm intendit doloſis ſubvenire; ad *Text. in leg. Auxilium* §. *In delictis, ff. de Minor.*, & ſubdit *Rota cor. Falconer. dict. dec.* 15. *ſub numer.* 5., & *dict. dec.* 207. *n.* 10. *part.* 15. *Recent.*

Nec dolus removeri viſus eſt ex *dec. cor. cl. mem. Card. Falconer. tit. de Tutor. dec.* 15. *num.* 15. edita in hac Cauſa ſuper redditione rationis propoſita olim inter has partes in hoc Sacro Noſtro Auditorio; tum quia inibi Fratres de Floriano fuerunt a dolo excuſati ad finem excludendi contra illos juramentum in litem, pro liquidandis fructibus a Pupilla petitum, quando talis liquidatio haberi poterat per media legalia Teſtium, vel Peritorum: unde firmata in dicta Deciſione potius ad effectum,
8 de quo agitur, retorquentur; nam ſi Sacrum Tribunal proceſſit per viam excuſationis, per conſequens neceſſarium dici debet pro certa, & indubitata habuiſſe malam, & doloſam adminiſtrationem dictorum Fratrum, argumento *Tex. in leg.* 2. *ff. de Juriſdict. omni Judic.*, *Rota cor. Anſaldo deciſ.* 68. *num.* 23., qui propterea in hac materia ſpeciali & diverſa ab ea, de qua agebatur in Deciſione clar. mem. Cardinalis *Falconerii*, nulla excuſatione digni ſunt
9 ob dolum, ac fraudem ex rationibus, & auctoritatibus ſuprà allegatis.

Tùm etiàm quia cum poſt præfatam Deciſionem avocata fuerit ab hoc Sac. Tribunali ſupradicta Cauſa redditionis rationis ex placito ſan. mem. Benedicti XIII., ac delegata ſupradictæ particulari Congregationi, quæ in ejus voto impreſſo declaravit, Fratres de Florianiſuiſſe Tutores, ſive Adminiſtratores doloſos, hoc ſatis efficit, ut pro talibus iidem Fratres habeantur ac ſæpedicto Beneficio *Cap. Odoardus* in hoc præſenti Judicio priventur, cum Sententia dictæ Congregationis particularis ſit ultima, ac in rem judicatam tranſiverit, & per conſequens omninò attendenda
10 veniat in concurſu ejus, quod fuiſſet dictum in ſupradicta antecedenti Deciſione, *Rot. in Rec. dec.* 299. *num.* 18. *part.* 7., & *deciſ.* 382. *num.* 9. *part.* 9., & alibi paſsim.

Neutiquàm refragante, quod in Sententia prolata a dicta Congregatione particulari, nulla nec quidem minima mentio fiat de doloſa adminiſtratione; ſiquidem cum ſan. me. Benedictus XIII. Cauſam ei delegaverit cum eo, ut procederet ex Voto Rotæ ſequitur indè, ut Fratres de Floriano condemnati dici debeant ex iiſdem cauſis, & rationibus extenſis in eodem Voto, & ſic ex doloſa adminiſtratione, licèt in Sententia literaliter expreſſa non fuerit cauſa judicati, quæ in Voto exprimenda erat, prout expreſſa fuerit. Vota enim de
11 Mandato Principis præcedenter danda dicnntur, & ſunt pars Sententiæ, *Caballin. conſ.* 125. *num.* 1. *lib.* 1., *Magon. dec. Florent.* 47. *n.* 10., & *dec.* 54. *num.* 1., & *deciſ.* 133. *n.* 16., quæ ad eorum ſenſum declaranda, & interpre-
12 tanda eſt; *Soccin. jun. conſil.* 181. *num.* 70., & *ſequent.*, *Caball. conſ. deciſ.* 125. *num.* 1. *part.* 1., *Rot. cor. Buratt. dec.* 327. *num.* 1., & *cor. Emerix jun. deciſ.* 185. *num.* 9., & *deciſ.* 1164. *num.* 12., & *cor. Card. Falconerio deciſ.* 5. *num.* 4. *tit. de Elect.*, & *in Rec. dec.* 76. *num.* 17. *part.* 9.

Cæterùm dolus, & fraus in dicta adminiſtratione nimis evidens, & damnabi-

nabilis apparuit ex aliis per Birgittam, & Archangelum Conjuges deductis; Etenim ſupradicti Fratres de Floriano ſponte, ut dictum eſt, ac voluntarie ſeſe intruſerunt in Tutelam, ac Adminiſtrationem rerum pupillarium; Nullum nec Inventarium, nec Librum Tutelarem, ubi deſcripta fuiſſent Bona, ſeù Patrimonium Pupillæ expleverunt, nullum, ubi reditus, ac exitus Patrimonii pupillaris adnotarentur; & e converſo in proprios uſus converterunt reditus ipſos pupillares ſuperexcedentes per annos 20., & ultra perceptos, neque illos reinveſtierunt; ſtabilia, & mobilia nulliter, & citra neceſſitatem alienarunt, & quædam alia infimo pretio vendita cum pacto redimendi, quandò poſteà poterant, non recuperarunt; Et quod pejus eſt, ad ſeſe eximendos à redditione rationis, non ſolùm à Pupilla abſque ullo examine partitarum extorſerunt ampliſſimam quietantiam, & liberationem, ſed etiam univerſalem donationem omnium illius bonorum præſentium, & futurorum, a Judicibus uti fraudolentas anullatas; deſcendendo uſque ad extorquendam ab Archangelo Saraceno Sponſo Pupillæ, occaſione nuptiarum promiſſionem modis omnibus inducendi ipſam Pupillam, & Sponſam ad iterum cedendum ſibimetipſis, & renunciandum omnia ſua jura, & actiones quaſcumque.

Quotieſcumque autem dicti Tutores,
13 ſive Adminiſtratores, taliter ſeſe geſſerunt, nulli eſt dubium, quin pro doloſis, & fraudulentis habendi veniant, nec ullo modo ſint excuſabiles, ad *text. in leg. Tutores. ff. de Adminiſtrat., & pericul. tutel., leg. Qui ſub conditione., ubi Gloſſ., & DD. ff. de Condit., & Demonſtrat., Bald. in leg. ultim. §. ultim. num.7. Cod. arbitr. tutel., & in leg. Rationes Cod. de Probat., Ancharan. conſil.159. ſub num.3. verſ. Primò quia. lib.2., Menoch. de præſumpt. lib.6. præſumpt. 97. num.10., & de Arbitr. caſ.174. lib.1., Panimoll. dec.163. annot.1. num.19., Rota cor. Verall. deciſ.119. num.6., & 7. part. 2., Rota cor. Cerro dec.76. num.9.*, & præciſè in hac Cauſa ſuper Redditione Rationis firmavit *cor. Card. Falconer. dict. deciſ.15. per tot. tit. de Tutor., & Curat.*
Et quidem nedùm ex ratione doli præſumpti inducti ex omiſſione Inventarii,
14 & Librorum Tutelæ, ac redditionis rationis; Verùm etiam ratione doli veri, & realis reſultantis præ cæteris ex
15 ſupra enunciata extorſione quietantiæ, ſive liberationis a formali, & actuali redditione rationis, ac univerſalis donationis Bonorum, & promiſſionis Viri inducendi ſuam Uxorem ad renunciandum Fratribus Tutoribus omnia jura, ut diſtinguendo tradunt *Tuſc. lit. D. concluſ.572. per tot., Card. de Luc. de Credit., & Debit. diſc.118. num.12.* latè *Surd. dec.216. a n.13. uſque ad 21.*

Quin profuerit allegare, quòd Fratres de Floriano, veluti Tutores, ac Avunculi Pupillæ promiſſa reportaverint non ad finem illam decipiendi, ac fraudandi, ſed ad eam retrahendam a Matrimonio cum Cive Bituntino; quandoquidem nulla aderat, nec docetur adfuiſſe cauſa vel diſparitatis, vel alia legitima impediendi dictum Matrimonium; Undè firmum remanet ſemper ex ſupradictis actibus illicitis, ac captioſis, voluntatem, ac intentionem dictorum Fratrum de Floriano fuiſſe decipiendi Pupillam, ac uſurpandi illius Bona, quemadmodum ipſimet faſſi fuerunt in jurata reſponſione data Poſitionibus pro parte Birgittæ exhibitis in Curia Epiſcopali Bituntina, & ſignanter ad nonam: Id quod oſtendunt quoque actus ſucceſſivi; Nam illam nuptui tradiderunt Viro extero, ne forſan, ſi tradita fuiſſet Viro Bituntino, de mala, ac doloſa adminiſtratione optimè informato, ſuper illa moleſtias reciperent; Et ex hac cauſa cognoſcitur fuiſſe excluſum ſupradictum alterum Matrimonium cum dicto Cive Bituntino; eidemque Pupillæ non tradiderunt in dotem ex illis per prius ab ea donatis, niſi pauca Bona, & alia apud ſe retinuerunt, exigendo ab Archangelo Sponſo ſupradictam promiſſionem cogendi Birgittam Uxorem modis omnibus ad renunciandum eiſdem omnia Bona, & jura, ac pro illius obſervantia dictum Archangelum convenerunt in ſupradicta Curia Bituntina

16 tina; Cum autem hæc omnia illicita,
doloſa, ac captioſa ſint, veluti ten-
dentia ad confirmandam præcedentem
uſurpationem, ut definiverunt Judices
Cauſæ principalis, indè deducitur, do-
loſam, captioſam, & fraudolentam
fuiſſe ſemper intentionem Fratrum de
Florianoin extorſione ſupradictæ quie-
tantiæ, ac donationis: Quando enim
17 finis eſt malus, ejus etiam præordinatio
mala, & doloſa eſſe intelligitur, dum exi-
tus acta probant; *leg. Si quis adulter. 33.
ff. de Adulter.*, *leg. Aut facta. §. Even-
tus. ff. de Pœnis*, *leg. Aurelius. §. Si Te-
ſtator. ff. de Liber. legat.*, *Aymon. con-
ſil.* 18. *num.* 4., *Rota in Recent. dec.* 54.
num. 10 *part.* 14.

Convicti Fratres de Floriano de ea-
dem doloſa, ac fraudulenta adminiſtra-
tione excipiebant, partem eorum debi-
ti provenire ex uſuris pupillaribus, &
expenſis litis, ac propterea cum dici
nequeat, eandem debiti partem profi-
ciſci ex cauſa doli, ideo pro illa ſal-
18 tem parte admitti petebant ad benefi-
cium *Cap. Odoardus*; At reſponderunt
Domini, quòd totum debitum proflue-
bat ex unico fonte malæ geſtæ admini-
ſtrationis, & non redditæ rationis, quæ
licet plura negotia in ſeſe involvat, ac
contineat, unica tamen dicitur, & pro
19 unico contractu habetur, juxta clarum
Text. in Leg. Sed & cum. 16. *ff. de Ne-
got. geſt.*, *Bartol. in leg. Pomponius.
la* 2. *num.* 2. *ff. eod. tit.*, *Rota cor. Fal-
conerio dec.* 11. *num.* 19., *& ſeq. tit. de
reb. credit.* Ac per conſequens, quòd
totum inficiabatur dolo, qui exclu-
dit quamcumque commiſerationem
erga eoſdem Fratres, licèt Avunculos
Pupillæ; nam commiſerationem, quam
ipſi non habuerunt erga Neptem, cu-
jus ſubſtantiæ inſidiati fuere, non me-
rentur obtinere a Pupilla; quia dolus
20 nemini patrocinari debet, & jura de-
ceptis, & non decipientibus ſubve-
21 niunt, *cap. Cum univerſ. de Rer. per-
mut.*, *cap. inter dilect. de Donat.*, *Rot.
de Reſt. ſpoliat. in antiqu. dec.* 22. *n.* 4.,
Adden. ad dec. 16. *num.* 33., *& plurib.
22 ſeq. part.* 8. *Recent.*, ubi quod quan-
do apparet de aliquo dolo, & de frau-
de nunquam intrat æquitas.

Qualitati debiti proficiſcenti ex tute-
la, ac doloſa adminiſtratione adide-
runt Domini pertinaciam Fratrum
de Floriano in defatigando Pupillam
in litibus, ac in denegando debito,
nam illi etiam poſt ſententiam Con-
gregationis particularis in rem judi-
catam tranſactam, & etiàm poſt ta-
xationem expenſarum ſeſe oppoſuerunt
executioni Mandatorum, pluraque in
partibus præſtiterunt impedimenta, &
eo uſque pervenerunt, ut prætermitte-
rent ſervitium Divinum in Choro, & ce-
lebrationem Miſſarum in Eccleſia Ca-
thedrali Bituntina, ubi alter ex illis eſt
Canonicus, & alter Beneficiatus, ne ad
formam rei judicatę exequerentur Man-
data ſuper eorum proventibus Eccleſia-
ſticis; immo poſtquam etiam debitum
agnoverunt, & coram Epiſcopo Bitun-
tino obtinuerunt admitti ad beneficium
Cap. Odoardus, denuo cor. A. C., ad
quem Conjuges appellaverant, redie-
runt ad impugnationem eorum de-
biti, itaut præcedens agnitio videa-
tur illuſoria, dum Commiſſionem
Cauſę obtinuerunt in devolutivo, ac
proindè, hiſce etiàm concurrentibus,
ſemper eò magìs, magiſque Fratres prę-
23 dicti excludendi ſunt ab expoſtulato
beneficio *Cap. Odoardus*, quo gaudere
non debent Clerici pertinaces debito-
res, & per annos continuò impugnan-
tes cum maximo Creditoris diſpendio,
& incommodo proprium debitum, ut
ex *Gloſſ. eod. Cap. Odoardus de ſolut.
verb. Recognoſcentem*, probant *Ferret.
conſil.* 144. *num.* 2. *lib.* 1., *Genuen. in
Prax. Cur. Archiepiſc. cap.* 3. *num.* 5.,
Amoſtaz. de Cauſis piis lib. 7. *cap.* 7. *nu-
mer.* 34., *Conſtantin. ad Statut. Urbis
annot.* 50. *num.* 238., *Rota cor. Puteo
dec.* 312. *lib.* 2.

Et ità DD. approbando in reliquis
reſponſiones datas à Conjugibus, re-
ſponderunt, utraque &c.

FULGINATEN. SOCIETATIS SUPER EXPENSIS.

Veneris 21. *Januarii* 1735.

ARGUMENTUM.

Judice Partes ab expenſis abſolvente, qua-
tenus ſententiæ acquieſcant, nequit ac-
quieſcens, etiamſi victor fuerit, eas
a ſuc-

a ſuccumbente repetere; quod idem eſt, ſi non quidem remiſſæ ſint, ſed in ſententia omiſſa fuerit condemnatio; Victus autem non dicitur repugnare appellando a partibus ſententiæ ſibi contrariis. Ad expenſas redditionis rationis tenetur Dominus, non vero Adminiſtrator, item ſocietas, non Socius adminiſtrans.

SUMMARIUM.

1 *Renuncianti non datur regreſſus ad jura renunciata.*
2 *Pacta reſolutiva locum non habent, niſi eveniente caſu reſolutionis.*
3 *Si ſententia Partes abſolvit ab expenſis, quatenus ei acquieſcant, & ei jam victor acquievit, nequit amplius is expenſas petere a ſuccumbente.*
4 *Idem eſt, ſi in ſententia omiſſa ſit condemnatio expenſarum, ſed Partes illi acquieverint.*
5 *Sententiæ autem acquieviſſe dici non poteſt is, qui ab ea appellavit.*
6 *Ubi conditio apponitur in rebus dividuis, ſufficit, quod illa eveniat quoad alteram ex illis, ad hoc, ut pro iſta habeat locum diſpoſitio, licèt non eveniat quoad reliquas, cum diſtributivè adjecta cenſeatur.*
7 *Redditio rationis, licèt redundet etiam in beneficium Adminiſtratoris pro liberatione, quam indè conſequitur, principaliter tamen reſpicit utilitatem Domini rei adminiſtratæ, cui ex redditione rationis naſcitur actio petendi id, quod intereſt adversùs Adminiſtratorem.*
8 *In materia oneris expenſarum inſpici debet, quis ex actu, pro quo illæ erogantur, ſentiat principale commodum.*
9 *Ac proinde onus expenſarum, quæ fiunt pro redditione rationis, pertinet ad Dominum rei adminiſtratæ, cujus utilitatem principaliter reſpicit redditio rationis.*
10 *Redditio rationis ſolet eſſe initium diviſionis ſocietatis.*
11 *Periti autem ejuſdem ſocietatis impenſis eligi debent*: & num. 14.
12 *Adminiſtratori ſatis eſt pro ſui exoneratione exhibere coràm Judice libros Adminiſtrationis.*
13 *Cum nemo debeat ob unam eandemque rem duplici onere gravari.*
14 *Contrà naturam ſocietatis eſt, ut alter ex Sociis ſit immunis ab omni expenſa, & labore.*
15 *Æqualitas in judiciis ſervari debet.*
16 *In judicando ad quem ſpectent expenſæ Periti, non tàm inſpici debet ad cujus inſtantiam is fuit electus, quàm cujus commodum ejus relatio contineat.*

DECISIO IX.

Abſoluto Judicio tàm Redditionis Rationis de Adminiſtratione per Joſephum de Gregoriis geſta ſocietatis Negocii fundacalis in Civitate Fulginei inter eundem, ac Marcum Antonium Porfirium, & Letium de Letiis initę, quàm etiam ſuper ſolutione Antipartis ſcutor. 11. m. loco Salarii prætenſæ per dictum Joſephum Adminiſtratorem, ac modo dividendi inter prædictos Socios utilia, & lucra, mediantibus Sententia A.C., ac aliis Sacri hujus Tribunalis cor.bo.me. Criſpolto, ac Emo Aldrovando a prædictis omnibus Collitigantibus acceptatis, prævia formali renunciatione; ob alias ſubalternas prætenſiones a ſupradicto Lelio altero Socio excitatas, memorati Porfirius, & Gregorius devenerunt ad tranſactionem, in qua præ cæteris Porfirius condonavit, ac remiſit favore Gregorii expenſas in lite factas ſuper dicta Antiparte ſcutor. 11. m., deciſa contra eundem Gregorium, excepta tamen expenſa Periti ab A. C. deputati pro parte ejuſdem Porfirii in alia Cauſa Redditionis Rationis ſuper Reviſione, ac confrontatione Bilancii totius negocii per eundem Adminiſtratorem in ſui exonerationem in Actis exhibiti, ſuper qua, ac aliis per ipſum Porfirium prætenſis voluerunt, quod fieret compromiſſum in perſonas duorum hujus Curiæ Advocatorum.

Cum autem idem Compromiſſum nunquam extenſum fuerit, hac via derelicta curavit Porfirius a me ſuffecto in locum Emi Aldrovandi, citato Joanne Petro, Fratre, ac hærede ſupradicti Joſephi Adminiſtratoris interim defuncti, ſubſcribi Dubium — *An ſit locus taxationi expenſarum, & pro qua ſumma* —, cui in hodierna Audientia per me propoſito, DD. reſponderunt — *Negativè*.

Fun-

Fundamentum reſolutionis in eo, quod reſpicit expenſas factas in Cauſa Antipartis, ſive Salarii a Joſepho Adminiſtratore petiti, iidem DD. conſtituerunt in ſupradicta tranſactioue, ſive condonatione, ac illarum remiſſione per Porfirium favore Gregorii facta, per quam ſublata remanſit quælibet actio illas amplius repetendi, cum ad
1 Jura renunciata non detur amplius regreſſus, *cap. Ex tranſmiſſa. de renunc. leg. final. Cod. de Remiſſ. pignor., leg. quæritur. 25. circà fin. ff. de. Edil. edict., Surd. conſ. 395. num. 4. lib. 4., Epiſcop. Rocc. diſput. Jur. ſelect. cap. 194. n. 9., Gallerat. de renunciat. lib. 1. cap. 5. numer. 4., & ſeq., Rota poſt Salgad. Laberint. credit. dec. 84. num. 8., & cor. Duran. dec. 121. num. 3., & cor. Bich. dec. 31. num. 1., & cor. bon. mem. Molines dec. 618. num. 8. tom. 2., & deciſ. 1241. num. 22. tom. 5., & in Rec. dec. 356. num. 4. part. 13.*

Nec obſtare videbatur, quod dicta condonatio, ſive remiſſio facta fuerit correſpectivè ad ſupradictum Compromiſſum, & Laudum ab Advocatis Judicibus compromiſſariis ferendum, & propterea cum idem Compromiſſum ejus effectum ſortitum non fuerit, immo expiraverit propter obitum tàm alterius ex prædictis Judicibus compromiſſariis, quàm alterius ex compromittentibus, ſic quoque evanuerit eadem remiſſio, ac condonatio; Quoniam ex tranſactionis lectura apparuit, eandem condonationem, ejuſque reſolutionem non fuiſſe correſpectivam formalitati ejuſdem Compromiſſi, ſed unice ſubſtantiæ Deciſionis, ac reſolutionis Judicum compromiſſariorum favore Porfirii quoad fructus, aliaque ab eo prætenſa; ibi — *con dichiarazione però, che quando il punto de' frutti, ed intereſſi preteſi, come nel detto cap. 2. foſſe deciſo a favore del detto Signor Porfirj, ceſſi la detta correſpettiva condonazione, e ritornino vive le raggioni hinc inde, prout de jure, & quatenus de jure &c. tanto delle dette ſpeſe, e ſigurtà, quanto delle dette recognizioni per lo ſtralcio, ed eſigenza &c.* — Ideoque quotieſcumque dictum punctum fructuum, ac intereſſe prætenſorum à Porfirio deciſum non fuerit vel ab aliis Judicibus compromiſſariis, vel ab alio Judice favore illius, ſemper firma remanet, ac obſervanda venit ſupradicta condonatio; Quia pacta reſolutiva nunquam
2 habent locum, niſi purificato illo caſu reſolutionis, in quo conventa ſunt; *leg. final. verſic. ex his. Cod. de revocand. donat., ibique DD., Barthol. in leg. 1. §. Quod autem ff. Ne quid in flum. publ. Poſth. reſolut. 146. num. 14., Urceol. de tranſact. quæſt. 99. num. 13., Surd. dec. 52. num. 2., & dec. 320. num. 6., Rota cor. Duran. dec. 379. num. 2.*

Quo vero ad alias expenſas Periti a Porfirio electi ex parte ſua pro reviſione, ac confrontatione Bilancii negocii ſocialis a Gregorio in Ais producti in Cauſa Redditionis rationis, exiſtimarunt DD. eas non deberi; tùm quia Gregorius ſuccubuit expenſæ Periti pro ejus parte; tùm quia ille fuit victor in puncto redditionis rationis, dum A. C. pronunciavit favore ipſius, declarando, benè, ac ſufficienter fuiſſe redditam rationem; Tùm etiam denique, quia idem A. C. Partes abſolvit ab expenſis, quatenus ejus Sententiæ acquieſcerent, quo caſu ille, qui
3 tali Sententiæ acquieſcit, ac eam acceptat, prout fecit Porfirius, licèt fuerit victor, nequit a ſuccumbente repetere expenſas; *Mangil. de evict. quæſtion. 26. num. 9., Maſtrill. deciſ. 166. num. 11.*; ut accidit etiam in eo caſu,
4 quo in Sententia omiſſa fuerit condemnatio expenſarum, & Partes illi acquieverint, *leg. terminato Cod. de fruct., & expenſ., leg. 4. Cod. de poſit., Federic. de Sen. conſil. 139. in fine, Rot. poſt Conſtantin. ad Statut. Urbis deciſ. 187. num. 2.*

Non attenta reſponſione, quod a ſententia prædictus Gregorius appellaverit, & ſic non verificata conditione
5 acquieſcentiæ ad expenſarum refectionem teneatur, & habeatur, acſi eſſet ad illam condemnatus, *Gratian. diſcept. Foren. cap. 572. num. 2., Maſtrill. dict. dec. 166. num. 12., & ſeqq., Rota poſt Conſtantin. ad Stat. Urb. dicta dec. 189. num. 5., & 6.*; quia idem Gregorius a dicta ſententia plura capita, & negocia continente appellavit quoad partes ſibi-

Digitized by Google

ſibimetipſi contrarias, nempe quoad denegationem petitæ antipartis ſc.11. m.; cæteras verò partes ſibi favorabiles ſpecialiter illam rectæ, ac integræ redditionis rationis, in ipſamet appellatione acceptavit, & propterea ſicuti per talem actum clarum eſt, Gregorium ſententiæ quoad redditionem rationis acquieviſſe: ita etiam dici debet, ob dictam abſolutionem eum non teneri ad expenſas eandem redditionem rationis reſpicientes; Conditio namque appoſita in rebus dividuis ſufficit, quod verificata remaneat quoad alteram ex illis, ad hoc, ut pro iſta habeat locum diſpoſitio, licèt conditio verificata non fuerit in reliquis, cum diſtributivè adjecta cenſeatur; *leg. ſi ita 13. ubi Gloſſ. ff. de Manum. Teſtam.*, *leg. ſi quis legata. 53. §. final. ff. de Condition.*, *& demonſtrat.*, *Capon de pact. quæſt. 7. num. 27.*, *Torr. de pact. futur. ſucceſ. lib.2. cap.36. num.21.*, *& pluribus ſequen.*, *Rot. cor. Bieb. dec.89. num. 26.*

Præterea licèt redditio rationis re-
dundare etiam valeat in favorem, &
commodum Adminiſtratoris pro ſui li-
beratione; nihilominus primaria, &
7 principalis ejus ntilitas cedit Domino
rei adminiſtratæ, cui ex ipſa redditio-
ne rationis naſcitur actio contra Admi-
niſtratorem petendi id, quod ejus in-
tereſt, alioquin ſine illa non competens;
ad firmata per *Crauet. conſ. 275. n.13. verſ. tertio.*, *Calvin. de Æquitat. lib.2.
cap.197. num.73.*, *Card. de Luc. de Tu-
tor. diſc.6. n.19.*, *Rot. in Rec. dec.332.
num.3.*, *& ſequen. part.10.*

Quapropter cum in hac materia one-
ris expenſarum inſpiciatur, quiſnam ex
actu, in quo illæ erogantur, conſe-
8 quatur primarium, ac principale com-
modum *Bald. in leg.3. Cod. de Adulter.*,
Anton. Sola. ad Decret., *& Conſtit. Duc.
Sabaudiæ tit. de min. & Ration. diſtra-
hen. part.1. Gloſſ.6. n.1. verſ. Et quam-
vis.*, *Quæſad. Pilo Controverſ. forenſ.
cap.47. num.16. 17.*, *& 18.*; inde de-
ducitur, quod ſi in redditione rationis
primaria utilitas eſt Domini, iſte utique
tenetur ſubjacere expenſis pro illa com-
9 pilanda neceſſariis; ut in terminis con-
cludunt *Eſcobar. de ratiocin. cap. 42.
num.6.*, *Anton. Sola loco cit. num. 1.
§. Cum igitur.*, *Quæſad. Pilo eodem ca-
pit.47. per tot.*, qui, etſi loquatur in
terminis Tutoris, aiit tamen *num.29.*
id etiam procedere propter identitatem
rationis quoad alios Adminiſtratores;
& *num.19.* advertit, quod aliàs ſeque-
retur hoc abſurdum, quod Adminiſtra-
tor ſalarium ſuum, quod alioquin de-
bet eſſe liberum, ac immune ab omni
expenſa reſpiciente Adminiſtrationem,
vel conſumeret in redditione rationis,
vel ſaltem reciperet valde diminutum;
& tandem *num.21.* teſtatur, ita decidiſ-
ſe Senatum Sardum; & generaliter di-
xerunt *Eſcobar. loc. ſupr. cit. num.21.*,
Rot. coram Emerix Jun. decis.122. n.6.,
*& in Romana Fideicommiſſi de Mat-
thiettis ſuper Expenſis 5. Martii 1704.
§. Placuit enim. cor. bon. mem. Anſaldo.*

Id quod eò magis putarunt DD. eſſe
recipiendum in concreto hujus caſus,
in quo concurrunt binæ circumſtantiæ;
Altera quod dum Domina rei admini-
ſtratæ erat Societas, & iſta jam fuerat
diſſoluta, & ſic facienda erat diviſio,
ipſamet redditio rationis Gregorii Ad-
miniſtratoris lucrum, ac damnum, nec-
non capitalia Societatis præſeferens,
10 viam ſtravit eidem diviſioni, cujus ea
ſolet eſſe exordium; *Maur. de ſolut.
cap.18. num.5.*, *Poſth. reſolut. Civil.29.
n.9. & 10.*, *Gratian. Dec. March.46.
num.6. 7.*, *& 14.*; Et de facto Judices
poſt illam, ac ad illius normam de-
mandarunt diviſionem lucrorum; Un-
de quemadmodum ſi nullus ex Sociis
adminiſtraſſet, Peritus expenſis Socie-
11 tatis eligendus fuiſſet pro redditione
rationis; *l.4. §. In Judicio. ff. fin. re-
gund.*, *Hieronym. de Monte de Fin. ca-
pit.26. num.11.*, *Excobar. de ratiocin.
cap.49. num.9.*, *Cappuc. in Prax. judi-
ciar. par.3. cap.11. art.1. num.5.*, *Zaul.
ad Statut. Favent. obſervat ad rubric.1.
lib.6. num.38. 39.*, *& ſequen.*, *Rot. co-
ram Lancet. decis.100. num.7.*, *& in
dict. Romana Fideicommiſſi de Matthiet-
tis ſuper expenſis 5. Martii 1704. §. Non
ita verò. coram bon. mem. Anſaldo*; Ita
Gregorius Adminiſtraror ex hoc etiam
capite eſt eximendus ab expenſis prædi-
ctæ redditionis rationis, quæ operata
fuit favore Societatis illummet effe-
ctum, pro quo habendo unicè illa ſu-
bire

bire debuiſſet omnes expenſas, ex auctoritatibus mox allegatis.

Altera circumſtantia eſt, quod Gregorius Adminiſtrator, cui pro ſui exoneratione ſatisfuiſſet exhibere coram Judice libros ſociales, & Adminiſtratio-
12 nis, relinquendo ſocietati onus curandi ſuper illarum partitarum reſtrictione, liquidatione, & calculatione, ut poſt *Alexand. in leg. Si morc. ff. ſolut. Matrim.* inquiunt *Nevizan. conſil.94. num. 17. §. Et optingendo. verſ. dicens.*, *Guttier. de Tutel. par.3. cap.1. ſub num.53.*, *Moguerol. allegat. 33. num.33.*, *Giurb. dec.15. num.14.*, & in terminis ſupraconſideratis *Quæſat. Pilo dict. cap.47. num.17.*, non parcendo labori, ut in omnibus rem dilucidaret, ac planam redderet, tam reſpectu redditionis rationis, quàm diviſionis, complevit ipſe Bilancium totius negocii, illudque in judicio redditionis rationis in Actis exhibuit, itaut Periti unicè electi fuerint ut illud conferrent cum libris ſocialibus; Propterea cum hoc etiam ceſſerit in utilitatem ſocietatis, eo quod major fuiſſet impenſa, quatenus Periti debuiſſent bilancium ex integro conficere, & hanc utilitatem ex proprio labore Gregorius Adminiſtrator attulerit, æquitas non patitur, quod ille ultra jacturam ejuſdem proprii laboris, ac ſolutionem mercedis factæ Perito pro ſua parte electo, gravetur etiam onere ſolvendi mercedem Perito Porfirii. Jura enim exhorrent,
13 quod in una eademque re quis duplici onere gravetur; *leg. Titiæ. §. Qui in vita. ff. de Legat. 2.*, *Menoch. conſ.35. num.4.*, *& conſ.153. num.21.*, *Calvin. de Æquitat. lib.2. cap.161. num.6.*; Et alter habens æquale intereſſe, ut eſt Porfirius, veluti Conſocius, remaneat
14 immunis ab omni expenſa, & labore contra naturam Societatis, de qua *leg. Si unus. 67. §. Si quid unus.*, *leg. ſecundum Julianum. ff. pro Socio.*, *leg. Cum*
15 *Sociis. ff. commun. dividun.*; prout æqualitatem quoque in judiciis ſervandam eſſe, ad *cap. Cum inter. 5.*, *ibique Gloſſ. verb. claudicare. de except.*, *leg. Non debet Actori. 42. ff. de Reg. Jur.*, docet *Rata cor. Arguell. dec.78. n.17.*, *& cor. Emerix dec.498. num.1.*, *& in Tom.I. Recent. dec.24. num.2.*, *& dec.71. num.6. part.17.*

Nulliuſque momenti viſum fuit, Bilancium illud a Gregorio confectum fuiſſe defectuoſum ob omiſſam in illo deſcriptionem quorumdam Mobilium Tabernæ fundacalis, ac aliquorum nominum Debitorum aſcendentium ad ſcuta 425., quia hæc leviſſima omiſſio ex errore, & non ex malitia exorta, & correcta a Peritis reviſoribus, non eſt apta removere illud magnum commodum, ac utilitatem a ſocietate aſſecutam quoad reliquas partes ejuſdem Bilancii optimè ſeſe habentes in negocio fundaci complectente infinitas partitas in totum conflantes ingentem ſummam ſcutor.100543. 91., & proinde Periti reviſores aſſeruerunt in eorum Peritia — *Che il ſudetto Bilancio, e partite in eſſo deſcritte confrontano in tutto, e per tutto con li libri della Compagnia, e con gl'altri documenti appartenenti al Negozio* — Et ad illius normam declaratum fuit in ſententia A: C. bene fuiſſe redditam rationem, & deventum ad diviſionem utilium.

Minoris denique relevantiæ, & ponderis eſſe conſideratum fuit, quod Gregorius Adminiſtrator inſteterit pro electione Peritorum, & ad ejus inſtantiam electi fuerint; Siquidem in his termi-
16 nis non ſpectatur, ad cujus inſtantiam Periti eligantur, ſed ſolùm cujuſnam commodum, & utilitatem eorum relatio contineat, ad hoc ut ſolus Inſtans gravatus non remaneat expenſis; *Text. in leg. 4. §. In Judic. ff. fin. Regund.*, & in puncto redditionis rationis, *Solà ſupracit. ad Decret.*, *& Conſtit. Duc. Sabaud. dict. titulo de minor. part. 1. Gloſſ.6. num.1. §. Cum igitur.*

Et ita &c. utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA
Veneris 28. Januarii 1735.

ARGUMENTUM.

Expenſæ ab uno ex Sociis factæ inſciis aliis, ſi in utilitatem ſocietatis cedant, ab omnibus pro rata ſubiri debent, non obſtante pacto, quod Socius de proprio teneatur ad impenſas ſine aliorum ſcientia, & conſenſu factas; cùm ad ſummum tale pactum afficere poſſet pa-

Digitized by Google

ciſcentes, non verò tertium ſocietatis creditorem.

SVMMARIVM.

1 *Socius æque ſentire debet commoda, & incommoda.*

2 *Pactum, quod Socius impendens ſine aliorum ſcientia, & conſenſu teneatur ad tales expenſas ad ſummum ipſos paciſcentes afficere poteſt, non verò tertium Creditorem.*

3 *Maxime ſi hujuſmodi impenſæ in ſocietatis utilitatem ceſſerint:*

4 *De cujus natura eſt, ut lucra, & damna æqualiter partiantur.*

5 *Solutio cedere debet in cauſam antiquiorem.*

6 *Debitoris obligatio niſi per ſolutionem debiti non extinguitur.*

7 *Exceptionis Juris Tertii nulla ratio habetur.*

8 *Lucra ſocietatis non fiunt propria Sociorum, niſi diſpunctis rationibus, Creditoribus dimiſſis, factiſque deductionibus de jure faciendis.*

9 *Solutio ex quietantia probatur.*

10 *Ad iteratam ſolutionem nemo tenetur.*

11 *Res inter alios acta Tertio non nocet.*

DECISIO X.

POST binas Sententias Rotales, quarum prima a clar. mem. Card. Scotto, altera vero a Rm̄o P. D. Criſpo, utraque autem præviis geminis Deciſionibus lata prodiit approbans pro tertia tantum parte creditum, pro quo Mandatum relaxaverat A. C. favore Hieronymi Barberini adverſus Joannem Baptiſtam Continum in ſcut.2316. placuit adhuc Signaturæ Juſtitiæ ulteriorem Cauſæ cognitionem delegare cum clauſula ſuſpenſiva, ad cujus tramites propoſito per me in locum clar. mem. Cardinalis Falconerii ſubrogatum Dubio juxta Commiſſionem — *An ſit procedendum ad ulteriorem legitimam executionem* — Domini reſponderunt — *Affirmative.*

Ratio ſic decidendi iterùm deſumpta fuit ex literali conventione particularis ſocietatis inter Continum, & Pompejum Capranicam initæ ſuper Operibus ſcenicis in Theatro Capranica recitandis, in cujus vim admiſſus fuit Continus ad participationem tertiæ partis lucri cum æquali onere contribuendi in eadem rata ad omnes expenſas durante ſocietate faciendas. Quapropter cum inter eas numeretur quoque pretium controverſarum mercium a Guarnerio Auctore Barberini Creditoris divenditarum, quæ dubio procul in cauſam prætatæ ſocietatis, ac neceſſarium uſum Theatri ceſſerunt, nil magis conſonum bonæ fidei videtur, quàm ut ad formam conventionis Continus ſolvere co-
1 gatur tertiam partem hujuſce debiti ſocialis; Æqui enim, bonique ratio po-
1 ſtulat, ut negocii particeps pari utilitate fruatur, & coæqualibus oneribus obnoxius ſit, quemadmodum ad *Text. in leg. Reos* §. *Cum in Tabulis ff. de duobus Reis*, *Rota dec.*294. *num.*4., & 5. *part.*4. *Recent.*, aliosque relatos, firmatum fuit in Deciſionibus utriuſque ſuperioris inſtantiæ 18. Februarii 1707. §. *Juſtum*, & 26. *Junii* 1709. §. *Rurſus coram clar. mem. Cardinali Scotto*, & 8. *Maii* 1711. §. *Mandatum*, ac 2. *Martii* 1714. §. *Denuò cor. Reverendiſſimo P. D. Criſpo*, *inter illius impreſſas dec.*94. *tom.*1., & *dec.*248. *tom.*1.

Non officiente, quod juxta pactum contentum in Apoca ſociali, expenſæ factæ ſine ſcientia, & conſenſu utriuſque Socii cedere debeant damno illius, qui eaſdem expenſas independenter ab altero Conſocio fecit; qua ratione Continus negabat teneri ad ſolutionem pretii mercium a ſolo Pompejo emptarum.

Præter quod enim conſenſus, & approbatio Contini quoad traditionem dictarum mercium palam reſurgebat ex pluribus Facti circumſtantiis, & argumentis ſedulo perpenſis in Deciſionibus clar. mem. Cardinalis Scotti, & Reverendiſſimi Criſpi, quibus adhæſerunt DD. in hodierna Audientia; Objectum facile removebatur in Jure, tum quia vis, & efficacia pactionis inter Pompejum, & Continum initæ requirendi viciſſim conſenſum comparandis rebus uſui Theatri neceſſariis ponderari fortaſſe mereretur, quoties ageretur de repellendo Pompejo petente con-
2 tributionem in hujuſmodi expenſis factis inſcio, & irrequiſito Contino contra

tra formam Apocæ Socialis, non autem in concreto caſu, in quo res vertitur inter Continum alterum ex Sociis, & Tertium Creditorem, qui tradidit merces ſocietati: Tum & fortiùs quia nulla cadit difficultas ſuper uſu, & verſione Mercium præſtitarum in utilitatem Theatri; In quibus terminis contractus factus intuitu, & contempla-
3 tione ſocietatis, ex natura rei, & agentis intentione refertur ad omnes Socios, eoſque efficaciter obligat in vim taciti Mandati, quantumvis in actu contrahendi nuſquam de ſocietate mentio facta fuerit, ut individualiter firmat *Rota dec.2., & dec.11. per tot. cor. Card. Celſo, eum aliis collectis in Deciſionibus utriuſque ſuperioris inſtantiæ*.

Ejuſdem levitatis apparuit altera exceptio in eo ſiſtens, quod Continus nequeat condemnari ad expenſas primi anni 1695., quæ juxta legem præfinitam in Capitulis ſocialibus fieri debebāt a ſolo Pompeo de pecuniis propriis, cum facultate ſeſe reintegrandi uſque ad ſummam ſcutor.1600. ex penſionibus Cellularum, aliiſque emolumentis ad communem ſocietatem ſpectantibus; Rimata ſiquidem litera conventionis, & mente contrahentium compertum fuit, impenſam ſcutor. 1600. præſtitutam pro primo anno 1695. explendam quidem fuiſſe ab omnibus Sociis, licet erogari deberent pecuniæ propriæ Pompeii, cui tributa fuit facultas ſeſe reſarciendi ex utilibus communibus ſocietati; ſicque pactum hujuſmodi reſpicere intereſſe peculiare Sociorum, & percutere modum ſervandum in faciendis expenſis anni 1695., ſed nullatenus immutare obligationem reſurgentem ex natura ſocietatis, juxta
4 quam particeps pro rata lucri, pro eadem ſubire tenetur proportionabiliter onus, ne aliàs locupletetur cum aliena jactura, ut in propoſito animadvertit *Rota dec.402. num.8., & 9. cor. Dunozett. jun.*, & late firmatum fuit in Deciſionibus, quæ revidentur.

Firmata ſic quoad Continum obligatione contribuendi tertiam partem omnium, & ſingularum expenſarum erogatarum in uſum Theatri durante integro tempore ſocietatis; Nil profuit eidem ſeſe tueri præſidio ſolutionis jam adimpletæ.

Præmiſſo enim, quod partitæ diverſis vicibus ſolutę Barberino Creditori ex utilibus ſocietatis cedere debent in cau-
5 ſam debiti ſocialis primi anni 1695. tanquam antiquioris, juxta regulam *Text. in leg. in iis 5., & in leg. ex pluribus 89. §. Soluto.*, cum qua, citatis concordantibus procedunt Deciſiones utriuſque præcedentis inſtantiæ; Quod attinet ad expenſas ejuſdem anni 1695. conſtat, reſiduale creditum Barberini pro tertia parte, quam ſolvere tenetur Continus, eſſe in *ſeutis* 271., quæ ſane ſumma abunde ſolvi valet ex tertia parte ſcut.1600., quam pro eodem anno 1695. contribuere tenetur Conti-
6 nus; Debitoris enim obligatio non extinguitur, niſi per ſolutionem ejus, quod debetur juxta vulgata principia, de quibus poſt *Textum in §. Inſtit. quibus mod. ſolv. oblig., Rot. dec.250. n.1., & 2. part.19. Rec., & cor. Molines dec.104. num.1.*

Parum reſragante, quod tertia pars ſcut. 1600. debita per Continum pro expenſis dicti primi anni 1695. nequeat in totum adjudicari Barberino Actori, ſed potius diſtribuenda ſit inter ſingulos Creditores ſocietatis ejuſdem anni; qua facta repartitione Barberinus pro rata ſibi tangente vix remaneret Creditor in tenui ſumma ſcut.47. 51. juxta diſtributionem maſſæ expenſarum integri anni; Urgeret quippe objectum, quoties alii Creditores æque privilegiati concurrerent unà cum Barberino, & pulſarent Continum pro ſatisfactione eorum crediti: Sed nullatenus attendi promeruit in caſu, in quo ſolus Barberinus inſtat pro ſolutione adverſus Continum, qui nunquam liberatus dici poterit, donec non doceat ſolviſſe etiam Barberino ſuam tertiam partem; Proindeque fruſtra declinare ſtudet
7 adimplementum propriæ obligationis, per exceptionem Juris tertio competentis, quæ non attenditur ad tradita per *Rot. deciſ.65., & deciſ.180. utrobique num.8. coram Celſ., & deciſ.1300. num.3. coram Emerix Jun., & in Salamantina Pecuniaria 28. Febr. proximè præteriti §. Non ſubſiſtente. cor. Me.*

Non attenta replicatione, quod inter alias exactiones factas a Barberino de anno *1695.* numeretur partita ſcutor. 500. retracta ex proventibus Plateæ Theatri; Quamvis enim eadem proveniat ex utilibus ſocietatis, ſuper quibus Contino competit tertia pars, non idcirco ſolutio dictæ partitæ reputari valet facta ex pecuniis ejuſdem Contini pro tertia parte, ea ratione, quia lucra, & utilia non efficiuntur propria Sociorum, & Participum ſocietatis,
8 niſi poſt univerſalem rationum diſpunctionem, neque detrahuntur, niſi ſatisfactis prius Creditoribus, factiſque deductionibus de jure faciendis. *Anſald. de commerc., & merc. diſc.53. numer.30., Thomat. deciſ.132. num.22., & deciſ.180. num.11. & 23., Rot. deciſ.1331.per tot.cor. Emer.Jun.*

Hactenus de expenſis primi anni *1695.*, quo verò ad alias ſequentis anni *1696.* patet ex calculo, quod tertia pars crediti Barberini conſtituit ſummam ſcutor.*612.*, quæ quidem inani conatu extenuari contenditur per Continum ſub obtentu, quod Barberinus Creditor receperit ex locationibus Cellularum Theatri ſc.*1026.*, & a Bartholomæo Guglinelli aliam ſummam ſcutorum 260. Quatenus enim attinet ad primam partitam ſolutam ex utilibus Theatri, recurrebat ſuperiùs enunciata reſponſio, quod nequeat dici proveniens ex pecuniis propriis Contini, ad quem ſpectat quidem tertia pars utilium, deductis tamen priùs expenſis,& debitis ſocietatis; De altera verò ſolutione facta Barberino a Guglinello, nulla habenda eſt ratio reſpectu Contini, cum doceatur,eam proveniſſe ex pecuniis Pompeii, ut reſultat ex tenore quietantiæ,
9 quæ probat ſolutionem ex juribus vulgatis, de quibus *Maſcard. de probat. concluſ.132. num.22., Rota coram Cerro dec.802. num.1., & cor. Card. Caprara dec.635, num.6., & cor. Herrera dec.92. num.8.*

Progrediendo ad expenſas anni *1697.*, quæ conſtant creditum Barberini in ſcutis 200,, hæc ſanè ſumma immeritò dicebatur extincta, & ſatisfacta ex ordinibus directis Conductoribus Cellularum Theatri:Ultra quod enim congrua reſponſio mutuatur ex ſuperiùs firmatis, quod nempe ejuſmodi extinctio, & ſatisfactio non fuit facta de proprio ære Contini, quia utilia non verificantur, niſi detractis detrahendis; diluitur ulteriùs objectum animadvertendo, quod partita retracta ex dictis ordinibus bonificata fuit in computum crediti anni *1695.* tanquam antiquioris; proindeque non decet eam iteratò calculari, ne aliàs duplex fiat ſolutio unius
10 tantùm partitæ contra omnia juſtitiæ, & æquitatis principia; de quibus *Salgad. in leg. Labyr. credit. part.3. cap.17. numer.57., Rota dec.552. num.1. par.19. & dec.570. per tot. cor. Molines.*

His ita ſe habentibus inutiliter Continus ad aliam convolabat exceptionem, quod nempe ipſe, ſi non perſolvit tertiam partem expenſarum ſingulis Creditoribus cujuslibet anni, generaliter tamen ſatisfecit propriæ obligationi, dum in diſpunctione rationum judicialiter peracta, ſubducta tertia parte omnium impenſarum ſibi tangente, adhuc remanſit Creditor Pompeii Capranicæ in notabili ſumma ſcut.1030., & quidem non ex nuda cauſa utilium ſocietatis, ſed ex verſione propriæ pecuniæ in dimiſſionem Creditorum ſocietatis, ut docebatur ex Peritia ſervatis ſervandis peracta.

Quidquid enim ſit de ſubſiſtentia, & realitate præfatæ redditionis rationis factæ inaudito, & non citato Barberino, necnon de ſolutionibus ceſſis in extinctionem aliorum Creditorum; Placuit Dominis reſponſio, quod ex eiſdem ſolutionibus nullum inferri potuit præjudicium Creditoribus non adhuc ſatisfa-
11 ctis pro tertia parte eidem obtingente, ex regula ſatis nota, quod res inter alios acta, tertio nocere non valet; Quibus proinde liberum remanet jus perſequendi Continum pro ſua proportionabili rata, juxta diſpoſita in Capitulis ſocialibus, ut firmant concorditer quatuor Deciſiones editæ in hac Cauſa *coram clar. mem. Card. Scotto, & Rmo P. D. Criſpo*, ad quas DD. ſeſe remiſſive habuerunt.

Et ita utraque &c.

RO-

ROMANA PECUNIARIA SUPER RESERVATIS.

Veneris 28. Januarii 1735.

ARGUMENTUM.

Socius ſolidaliter obligatur Creditori Societatis, ſi hæc ſit univerſalis, vel particularis quidem, ſed cum qualitate Inſtitoris uni ex Sociis attributa; qua deficiente in hoc ſecundo caſu Socius non tenetur in ſolidum de Bonis propriis, quamvis ſecus ſit de utilibus, vel capitali in ſocietate poſito. Edictum Cardinalis S. Honuphrii locum habet quoad menſas nummularias, & rationes bancarias, non verò quoad alias ſocietates.

SUMMARIUM.

1 *Socius æquè particeps eſſe debet lucri, ac damni;*

2 *Tam reſpectu Conſociorum;*

3 *Quàm tertii Creditoris Societatis, ſi hæc ſit univerſalis, vel particularis quidem, ſed cum qualitate Inſtitoris uni ex Sociis attributa; qua deficiente Socius non tenetur in ſolidum, ſed pro rata, quam promiſit contribuere Societati.*

4 *Excluditur autem Inſtitoria qualitas a pacto inter Socios inito, quod nemo inſciis Conſociis impenſas ullas facere poſſit;*

5 *Eo fortiùs, quia ut dicatur adeſſe, debet argumentis univocis probari.*

6 *Edictum Card. S. Honuphrii ſuper exhibitione Capitulorum ſocialium in Archivio, locum habet quoad menſas nummularias, & rationes Bancarias, non verò quoad ſocietates particulares:*

7 *Quarum reſpectu Creditor ſibi imputare debet, ſi Pacta ſocialia non novit, quia tenetur petere eorum exhibitionem*; & num. 3.

8 *Socius quamvis non teneatur in ſolidum de Bonis propriis, tenetur tamen de utilibus, & de Capitali in ſocietate poſito.*

DECISIO XI.

UNA ſimul cum altero Dubio percutiente tertiam partem Crediti canonizatam favore Hieronymi Barberini adversùs Joannem Baptiſtam Continum, de qua in contemporanea mea Deciſione: Super aliis duabus partibus ejuſdem Crediti, a quarum præſtatione Continus Reus conventus fuit abſolutus per geminas Sententias noſtri Sacri Tribunalis, editas coram cl. mem. Cardinali Scotto, & Rmo P. D. Criſpo, propoſui in hodierna Audientia Dominis meis congruum Dubium — *An conſtet de Credito* — prodiitque reſolutio *negativa*.

Conſtitit enim ex Capitulis ſocialibus iterato ſubjectis examini, quod Continus tenetur contribuere tertiam tantùm partem expenſarum erogatam pro ſervitio, & uſu Theatri durante Societate, correſpectivè ad participationem lucri pro rata æquivalenti: Non eſt itaque cur idem condemnari debeat in ſolidum ad ſatisfactionem integri debiti

1 ſocialis, reſiſtente clara litera conventionis inter Socios initæ; ut in puncto *Rota dec. 402. per tot. coram Dunozett. jun.*; & cum aliis latè ponderant *Deciſiones utriuſque ſuperioris Inſtantiæ, 26. Junii 1709. §. In Capitulis. coram Rmo P. D. Criſpo*, inter illius impreſſas *dec. 95. tom. 1., & dec. 249. tom. 2.*

Parùm refragante, quod reſtrictiva obligationis ad tertiam dumtaxat partem expenſarum locum habeat inter ip-

2 ſoſmet Socios, quorum unus erga alterum tenetur pro rata, & portione conventa; nullatenus autem procedat reſpectu Tertii contrahentis cum ſocietate, erga quem quilibet ex Sociis tenetur in ſolidum pro debito ſociali: Satisfecit quippe reſponſio, quod diſtin-

3 ctio ejuſmodi amplectenda venit in caſu, in quo agitur de ſocietate univerſali, vel ſi res ſit de Negocio particulari, quando uni ex Sociis, tanquam Inſtitori, data fuit ampla, & indefinita facultas obligandi omnes alios Conſocios: Non autem quoties, prout in hypotheſi, ſocietas eſt particularis, inita ſub certa lege contribuendi quotam præfinitam; & illius generalis Adminiſtratio cum expreſſa, vel tacita qualitate Inſtitoris nulli ex Sociis demandata fuit: Siquidem in hiſce circumſtantiis lex præſcripta in Capitulis Socialibus ſervanda dubio procul venit etiam

Digitized by Google

etiam a Tertio cum altero ex Sociis contrahente, qui ſane tenetur indolem, & naturam ſocietatis, & obligationis Sociorum, cum quibus contrahit, diligenter perquirere, & inveſtigare; eoque neglecto Barberinus non jure conqueritur, ſi Continus non jam in ſolidum, ſed condemnetur ad ratam, quam in Capitulis ſocialibus contribuere promiſerat erga ſocietatem; Prout conciliando auctoritates, & occurrendo huicmet objecto, firmat *Rota dicta dec.402. num.11., & 17. cor. Dunozet. jun.*, & aliis relatis in *Deciſionibus* duplicis ſuperioris Inſtantiæ *cor. cl. mem. Card. Scotto, & Rmo P. D. Criſpo*.

Quod autem verſemur in terminis ſocietatis particularis initæ ſuper Operibus ſcenicis in Theatro *Capranica* recitandis, nulla viſa fuit adeſſe difficultas; Minuſque dubitari potuit, quod Pompejus alter ex Sociis, cum quo contraxit Auctor Barberini Creditoris, fuerit ſuffultus qualitate Inſtitoris expreſſa, vel tacita, dum in ejus exclu-
4 ſionem occurrebat literalis conventio decernens, quod neuter ex Sociis poſſet ullas facere expenſas inſciis, & irrequiſitis Conſociis: Qua ſtante, quicumque actus etiam nomine proprio Pompeii geſti, referendi ſunt ad titulum puræ Adminiſtrationis communis inter Socios; non autem ad qualitatem inſtitoriam, quæ probari debet ex acti-
5 bus claris, & univocis eandem omnino convincentibus; quemadmodum præter collectos in Deciſionibus, quæ revidentur, firmat *Rota in Melevitana Deprædationis 16.Maii 1733. §.Redacto. & per tot. cor. Emo D. Cardinali Aldrovando*.

Non urgente ponderatione, quod omiſſa fuerit publicatio, & exhibitio Capitulorum ſocialium in Archivio juxta tenorem Edicti Cardinalis Sancti Honuphrii, de quo *Cataneus conſ.7. per tot.*, ad hoc, ut ea mediante, Contrahentes commodiùs inſtruerentur de pactis, & conventionibus initis in ſocietate, quas ſi Guarnerius Mercator, & auctor Barberini Creditoris ignoravit ex culpa Sociorum, eoſdem in ſolidum ſibi obligare voluiſſe cenſendum ſit: Domini ſiquidem animadvertebant,
6 quod cenſura præfati Edicti ſibi locum uſurpat in Menſis nummulariis, & rationibus bancariis, in quibus, ſi Socii privatim convenerunt de aliquibus pactis non expreſſis in Literis circularibus, quæ tranſmitti ſolent ad Reſponſales, tenentur eadem perneceſſe notificare, & exhibere; ne aliàs Creditores ſocietatis contrahentes ſub bona fide primarum conventionum decipiantur ex aliis pactis poſtea ſuperventis: Secùs autem in præſenti Facti ſpecie, in qua, cum agatur de ſocietate particulari, urgere viſum fuit dilemma, quod aut Guarnerius ignoravit ſocietatem, & noluit tradendo merces ſoli Pompejo ſibi obligare Continum Socium ſibi prorſus incognitum, cum quo non contraxit; aut ſciebat adeſſe ſo-
7 cietatem, & ſibi imputet, cur non petierit exhibitionem Capitulorum ſocialium ad dignoſcendas facultates Pompeii, cum quo contraxit, ut latiùs expendunt *Deciſiones* præcedentis Inſtantiæ; & præſertim poſtrema *2. Martii 1714, §. Quod ſi. cor. Rmo Criſpo*, inter impreſſas *dec.249. tom.2.*

Quocumque jure ſeſe deſtitutum agnoſcens Barberinus in tuenda ſolidali obligatione Contini favore Creditorum ſocietatis, extremum conatum conſtituit in eo, quod idem Continus ſaltem pro capitali poſito in ſocietate, necnon pro utilibus ex ſociali negocio retractis, in ſolidum teneatur: Purus enim nuduſque particeps alicujus negociatio-
8 nis, licèt conveniri nequeat actione ſolidali in bonis propriis, exponitur tamen periculo amittendi ratam Capitalis poſiti in ſocietate; & tenetur refundere eam portionem utilium, quæ ſibi tanquam participi obtigit in repartitione rerum ſocialium; Ne aliàs locupletetur cum jactura Creditorum ſocietatis; ut in puncto, articulo formiter diſcuſſo, tradit *Rota in Melevitana Deprædationis 16. Martii 1733. §. Conſtabilita. cum ſeqq. cor. Emo D. Cardinali Aldrovando*.

Verùm placuit Dominis reſponſio in præteritis Deciſionibus amplexa, quod nempe non doceatur in facto, Continum quidquam recuperaſſe de Capitali poſito in ſocietate, minùſque ali-

Digitized by Google

aliquid lucri participaſſe ex ſociali Negocio; dum ſumma ſcut. 1200. pervenit ad illius manus in vim ceſſionis reportatæ a Creditoribus ſocietatis de propriis pecuniis dimiſſis; Proindeque eandem ſummam, non uti Socius, ſed uti Tertius jure, meritoque retinere poteſt; ut optimè concludunt *Deciſiones, quæ revidentur*, & ſignanter *dicta poſtrema R̃mi Criſpi* 2. *Martii* 1714. *§. fin. inter ſuas la* 249. *tom.* 2.

Et ita utraque &c.

ROMANA TRANSACTIONIS.

Veneris 4. *Februarii* 1735.

ARGUMENTUM.

Tranſactio enormiſſimè non læſiva non reſcinditur. Auth. *reſquæ* non prodeſt differenti petitionem dotis poſt obitum hæredis gravati dotantis. Nomine Maſculorum veniunt Maſculi ex Fęminis, ſi verba vocationis eos ex ſui natura apta ſint comprehendere, & occaſione nominandi lineam maſculinam habita fuerit præcisè relatio ad Perſonas ſupra vocatas. Vocatio Fęminarum continet etiam earum Deſcendentes, quoties ſuffulta eſt notâ perpetuitatis. Deficiente vocatione vulgaris anomala, & repræſentatio locum non habent. Filius familias ex Urbis Statuto contrahere nequit ſine conſenſu Patris, niſi pro Patrefamilias ſe gerat.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum ut concedatur adverſus ſententiam in rem judicatam tranſactam, conſtare debet vel de invaliditate, vel de injuſtitia.*

2 *Tranſactio poſt ſententiam ſolemniter inita, & diù obſervata, bona fide inita cenſetur:*

3 *Nec verti poteſt, niſi probata enormiſſima læſione.*

4 *Quando tempus eſt diverſum nequit fieri illatio de pretio ad pretium.*

5 *Magna Juris dubietas læſionem excludit.*

6 *Auth.* res quæ *non prodeſt differenti petitionem dotis poſt obitum hæredis gravati dotantis.*

7 *Linea maſculina a ſolis Maſculis ex Maſculis efformatur.*

8 *Non vocatus repellitur.*

9 *Linea maſculina ſumi debet pro linea qualitatis, quando adversùs Maſculum per medium Fœminæ deſcendentem concurrunt Fœminæ:*

10 *Quod tamen verum eſſe poteſt, ſi Maſculi invitati fuerint per verba de ſui natura comprehendentia Maſculos ex Fœminis, & alioquin occaſione nominandi lineam maſculinam habita fuerit præcisè relatio ad idem genus Perſonarum ſupra vocatarum:*

11 *Secùs ſi verba vocationis ad hujuſmodi Maſculos comprehendendos ex ſe apta non ſint:*

12 *Quia tunc excluduntur, etiamſi deſcendant a Fœmina agnata nupta in familia.*

13 *A fideicommiſſo ad fideicommiſſum inferri nequit, quando caſus, & perſonæ ſunt diverſæ.*

14 *Vocatis Fœminis vocati etiam cenſentur earum deſcendentes. Declara ut* num. 16.

15 *Vocationi Fœminarum in defectum Maſculorum ex Maſculis volitæ ſi addatur conditio non exiſtentiæ Maſculorum, per hanc Maſculi per Fœminas deſcendentes Fœminis prælati dicuntur. Declara, ut* num. 19.

16 *Sub vocatione Fœminarum continentur etiam earum deſcendentes, quoties illa ſuffulta fuerit notâ perpetuitatis.*

17 *In una ſubſtitutione nominati ſi in alia non nominentur, in ea vocati non cenſentur.*

18 *Deciſio unius quæſtionis ſtatum non firmat quoad aliam diverſam.*

19 *Verba quoties ad magis declarandam vocationem Maſculorum ex Maſculis inſervire poſſunt, non debent trahi ad inducendam vocationem Maſculorum ex Fœminis.*

20 *Deficiente vocatione nec vulgaris anomala, nec repræſentatio locum habent.*

21 *Contractus Filiifamilias ſine conſenſu Patris geſti ex Urbis Statuto ſunt nulli:*

22 *Limita, ſi Filiusfamilias ſeorſim a Patre vivat, ſeque pro Patrefamilias gerat.*

DECISIO XII.

IN ſpem denuo erectus Comes Alexander Urſinus filius qu. Flaviæ Urſinæ ſuccedendi in fideicommiſſum ordinatum

tum a Marco Lepido Urſino favore quatuor ejus Filiorum maſculorum, eorumque deſcendentium cum excluſione Fęminarum, donec extitiſſent Maſculi, ea adjecta ratione, ut Bona ſemper remanerent, & conſervarentur in *linea maſculina*, iterùm die 28. Novembris anni 1733. pro obtinenda Immiſſione ad Bona huic fideicommiſſo ſubjecta, & ſignanter ad Feudum, ſeu Caſtrum Arcis Juvenis, expedivit Monitorium coram R. P. D. Furietto, laudabiliter in Subſelliis jus dicente, adversùs Mariam Magdalenam Urſinam ipſius Materteram Oblatam in Venerabili Monaſterio Turris Speculorum, & hęredem ſcriptam a qu.Olimpia Urſina de Turre prædictę Marię Magdalenę Sorore.

Aſt quia aliàs idem Comes Alexander contrariam paſſus fuerat ſententiam in rem judicatam tranſactam ſuper prętenſa ſucceſſione, & ſubinde ſolemnem iniverat Tranſactionem cum dicta qu. Olimpia, ſtipulante nomine etiam dictæ Sororis Mariæ Magdalenæ, quarum favore ob extinctionem lineæ maſculinæ aperta extiterat ſucceſſio in dicto fideicommiſſo; quæ quidem Tranſactio, ultra quam quod literaliter probabat expreſſam acceptationem præcitatæ ſententiæ ipſi contrariæ, fuerat prætereà ab eodem pluries in Judicio producta ad effectum conſequendi ratas tertiæ partis fructuum dicti Caſtri Arcis Juvenis ſibi in eadem Tranſactione aſſignatæ; Proinde non aliter ei datum fuit proſequi prædictum Judicium rurſus intentatum, niſi impetrata Commiſſione ſignata cum clauſula -- *de Cauſis Reſtitutionis in integrum* -- ſine tamen præjudicio rei judicatæ. Quæ propterea Commiſſio cum mihi directa fuiſſet, interrogavi hodie de more DD. meos -- *An conſtet de Cauſis Reſtitutionis in integrum, itaut ſit danda Immiſſio, ſeu potiùs obſtet Tranſactio* -- Et retuli Reſponſum *negativum* quoad primam partem, *affirmativum* verò quoad ſecundam.

Fundamentum reſolutionis in eo ſtetit, quod cum in præſenti non ſolùm obicem præbeat petitæ in integrum reſtitutioni enunciata Sententia in rem judicatam tranſacta, contra quam cæ
1 teroquin concludenter doceri deberet de læſione reſultante vel ab ejus invaliditate, vel ab ejus injuſtitia ex vulgatis; Verùm etiam obſiſtat præcitata Tranſactio diù obſervata, poſt ean-
2 dem Sententiam ſolemniter inita, conſequenterque exarata cum omnimoda bona fide; *Rota cor. bon. mem, Molines in dec.937. num.4. tom.3. part.3.*; Idcirco quia ab eodem Actore concludentiſſimè, ut par erat, probata minimè fuit læſio, & quidem enormiſſima, longè excedens dimidiam juſti pretii Bonorum, & jurium, ſuper quibus tranſactum extiterat, putarunt Domini, haud locum eſſe reſtitutioni in integrum, itaut dánda eſſet Immiſſio, ſed obſtare Tranſactionem, quam in ſimilibus circumſtantiis evertendam non eſſe, aliàs reſpondit hoc Sacrum Tribunal in *deciſ.838. per tot., & in deciſ.1010. num.11. cor. bo.me. Molines. & in Romana Aperitionis Oris, & Tranſactionis 4. Maji 1733. §. Ac demùm. coram R̃mo P. D. Calcagnino.*

Minime obſtante, quod ſicuti dictus Comes Alexander recepit tertiam partem tantummodo valoris, ſeu fructuum dicti Caſtri vix aſcendentem ad ſummam ſcut.5000. pro ejus prætenſione ſuper eodem Feudo valoris ſcut.22500. & pro Creditis Dotalibus ejus Matris, & Aviæ Maternæ conſtantibus ſummam ſcut.4000. circiter, ita reſultet plena probatio læſionis excedentis dimidiam juſti pretii Bonorum, & jurium, ſuper quibus tranſegit. Nam præter quam quod valor d. Feudi in enunciata ſumma deſumebatur ex venditione tertiæ partis ejuſdem facta de anno 1632. favore Principis Burgheſii, & conſequenter ex hujuſmodi probationum genere nullatenus doctum remanebat de valore ejuſdem Feudi de tempore Tranſa-
4 ctionis initæ poſt ſæculum ab inde citra; ad regulam, de qua *Rota coram bon.mem. Molines dec.508. n.18. tom.1.*

Ceſſare viſum eſt obiectum, præ oculis habendo tum ceſſionem Jurium, quam ultra tertiam partem dicti Feudi in correſpectivitatem ejus prætenſionum obtinuit idem Comes Urſinus pro vindicandis Bonis fideicommiſſariis adver-

verſus tertios Poſſeſſores; tum validas exceptiones, a quibus immunes non erant conſecutio alterius ex dictis Creditis dotalibus, & ſucceſſio ab eo expetita in præcitato fideicommiſſo: In his namque circumſtantiis, quemadmodum compertum eſt, ipſum ferme percepiſſe pluſquam obtinuiſſet, ſi Judicium proſequutus fuiſſet, habito reſpectu ad fundamenta, quibus nitebantur dictæ ejus prætenſiones, facillimè iterum in formali Judicio reijciendæ; Ideo longè quoque exulare terminos læſionis a con-
5 troverſa Tranſactione in dubium revocari nequivit, ut conſiderata in ſpecie Juris nimia dubietate reſolvunt *Fontanell. de pact. Nupt. clauſ. 4. Gloſſ. 9. part. 5. num. 206., & ſeqq., Rota coram bon. mem. Anſaldo in dec. 67. num. 23., in Firmana legitimæ 27. Junii 1707. §. 12. cor. eodem, & in citata Romana Aperitionis oris, & Tranſactionis 4. Maii 1733. §. Eoque magis., & ſeq. cor. R.mo P. D. Calcagnino Decano.*

Et ſane fundamenta, quibus nitebantur prætenſiones ſæpe memorati Actoris probabiliter iterum in formali Judicio reprobata fuiſſent; Quandoquidem ſi ſermo eſt de ſcut. 2000., quæ ſibi deberi pro reſiduo Dotis Maternæ opponebat; cum hæc nunquam petita fuerint per longum temporis lapſum, & donec vixit Julius conſtituens, & ultimus Hæres gravatus in fideicommiſſo, ſolumque petitio promota fuerit adverſus idem fideicommiſſum defuncto ipſo Julio, & poſtquam detectum fuit ejus Patrimonium minus idoneum pro ſolutione; Propterea nil faciliùs, quàm ut in formali Judicio rejiceretur, ex eo, quod actio ſubſidiaria deſcendens a famigerata *Auth. res quæ. Cod. com. de le-*
6 *gat.*, non competat adversùs Bona fideicommiſſaria in caſu, quo Creditor ſive ex culpa, ſive ex conniventia erga principalem Debitorem non egit congruo tempore, quo ille vivebat, & Dotem poterat ſolvere ſive ex aliis Bonis, ſive ſaltem ex fructibus Bonorum fideicommiſſariorum; ad firmata per *Fuſar. de ſubſtit. quæſt. 531. num. 159., Card. de Luc. de Dot. diſc. 145. num. 73., Merend. controv. Jur. lib. 18. cap. 18. num. 3., & 4., Hodiern. controv. fo-*

renſ. cap. 31. num. 44., & ſeqq., Rota cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. 8. de dote in dec. 12. num. 2., & 3.

Si verò ſermo convertatur ad ſucceſſionem in ſæpedictum fideicommiſſum, quam ſibi deberi contendebat Actor, & ſuper qua paſſus jam fuerat ſententiam contrariam, melioris conditionis profecto viſa non ſunt fundamenta, quibus & in hoc caſu niti poſſet; Siquidem licet proponeretur ejus nomine, quod appellatione filiorum primorum hæredum inſtitutorum venire poſſent Nepotes, & ulteriores Deſcendentes, ac per conſequens dictus Actor, utpote ex iis Deſcendens maſculus prædictis ejus Materteris præferri debuiſſet, eo quod Teſtator ſemper prætulit Maſculos Fęminis: Nihilominus quia dictus Teſtator pro cauſa prælationis Maſculorum expreſſit — *E queſto ad effetto, che li detti miei Beni ſempre reſtino nella linea maſcolina* — Inde deduci valuit, quod vocatio Maſculorum reſtricta fuerit ad
7 ſolos Maſculos ex Maſculis, ex quibus dumtaxat conſtituitur, & efformatur Linea maſculina; *Redenaſc. conſ. 17. num. 133., Fuſar. conſ. 192. num. 29., Carol. Ant. de Luc. de lin. legal. part. 1. art. 16. num. 49., Gratian. cap. 901. num. 22., & ſeq., Rot. cor. Bichio deciſ. 493. num. 6., & ſeq., in Recen. deciſ. 269. num. 3. par. 15., dec. 278. n. 16., & dec. 445. num. 7. part. 18., & coram Reverendiſſ. Criſpo dec. 48. num. 3., & dec. 78. num. 21.* Atque ideo exiſtimarunt DD. Actorem licet maſculum, utpote tamen deſcendentem ab altero ex filiis Teſtatoris per medium Fęminę,
8 denuo repelli potuiſſe a limine Judicii ex defectu vocationis; juxta celebrem doctrinam *Caſtrenſ. in leg. Maritus. num. 5. Cod. de Procurat.*, quam in his terminis amplectuntur, & exornant *Palm. deciſ. Lucen. 210. num. 19., Rota poſt Cenſal. ad Peregrin. de fideicom. dec. 22. num. 7., & ſeq., dec. 99. n. 17. part. 17. Rec., cor. clar. mem. Cardinali Falconerio dec. 20. num. 7. tit. 8. de dot., in Romana fideicommiſſ 13. Januarii 1727. §. Quod autem cor. Eminentiſſ. D. Card. Aldrovando, & in Interamnen. fideicom. 15. Maji 1733. §. Retentis., & ſeq. cor. eodem.*

Parvipenſa replicatione , quod ex-
9 preſſio lineæ maſculinæ intelligenda ſit
de linea qualitatis,proindeque non aliàs
deſcendens maſculus a primis hæredi-
bus per medium fęminę, qualis eſt ſæ-
pedictus Actor, repelli debuiſſet a ſuc-
ceſſione , niſi concurrentibus Maſculis
ex Maſculis , ſecus in concurſu Fęmi-
narum; juxta deducta per Rot. *in Ro-
mana, ſeu Januen. Primogeniture de
Coſta ſuper Detructionibus in genere* 12.
Januarii 1731. §.10. *cor. Rm̃o Ratto,
& in ejus confirmat.emanatis altera pri-
ma Julii eiuſdem anni* §.21., *altera* 17.
Martii 1732. §. *Et in tali.coram Em̃o
D. Cardinali Cincio* .

Nam quidquid ſit in terminis , in
quibus Teſtator prius Maſculos invitaſ-
ſet mediantibus *verbis* de ſui natura
perneceſſe comprehendentibus Deſcen-
dentes maſculos per medium Fęminę ,
10 & deinde occaſione faciendi mentio-
nem de linea maſculina præciſam ha-
buiſſet correlationem, & ſubordinatio-
nem erga illud met genus Perſonarum ,
quæ fuerant prius expreſsè vocatæ ſub
dictis verbis neceſſariò , & de ſui natu-
ra comprehendentibus Maſculos ex Fę-
minis , in quibus facti ſpeciebus fortaſ-
ſe admitti poſſent auctoritates in obje-
cto allegatæ ; ut totidem fere verbis eis
reſpondendo explicat *Rot. in Interam-
nen. Fideicom.* 15. *Maji* 1733. §.*Quan-
tùm verò. coram Em̃o D. Card. Aldro-
vando* .

Diverſimodè tamen res procedit, ubi
prout in hypotheſi Teſtator nullum
prius protulit verbum de ſe aptum com-
11 prehendere Maſculos ex Fęminis, ſed
ſolùm interpretative contenditur , ap-
pellatione filiorum primorum hęredum
inſtitutorum venire deſcendentes; quo-
niam in his circumſtantiis ſi diſponens
profeſſus eſt ordinare fideicommiſſum
pro *linea maſculina* hæredum primo lo-
co vocatorum , ut contigit in præſenti
caſu, nulla ratio ſuadet, cur verbum *li-
nea maſculina* accipi debeat pro linea
qualitatis compoſita ex Maſculis ſive
per virilem , ſive per fęmininum ſexum
deſcendentibus; Immo potius , ne re-
cedatur abſque ratione a proprietate
ejuſdem verbi *linea maſculina* , ille ,
qui ſe vocatum contendit , duo ſimul
probare debet , ſcilicet quod ſit Maſcu-
lus , & quod ſit genitus a Maſculo, aliàs
ſi per medium fęmininum deſcendat ,
ei reſponderi poteſt, Fideicommiſſum
de te non loquitur ; ut de communiori
teſtantur *Giovagnon. conſ.* 7. *num.*41.
*lib.*1., *Rodulphin. allegat.*111. *num.*6.,
*Card. da Luca de Fideicom diſc.*28. *nu-
mer.*11., *de Comitibus dec. Senen.* 37.
*num.*3., *Rot. cor. Bichio dec.*492. *n.*6.,
*cor. Penia dec.*902. *num.*3. , *&* 4. , *co-
ram Benincaſa dec.*80. *num.*15. , *in Re-
cen. dec.*303. *ſub num.*5. *par.*2. , *dec.*95.
*num.*4. *part.*11. , *dec.*415. *n.*9. , *&* 10.
*part.*12. , *dec.*233. *n.*5. , *&* 6. *part.*14.,
*dec.*269. *num.*31. *part.*15., *dec.*69. *nu-
mer.*27. *part.* 17., *decif.*279. *num.*16.
*part.*18. , *cor. Rm̃o Criſpo dec.*78. *n.*2. ,
& in Imolen. Fideicommiſſ. 11. *Martii*
1729. §. *Ceſſabat. coram Rm̃o Ratto*;
Quamvis etiam deſcenderet per me-
dium Fęminę Agnatæ Nuptæ in Fami-
12 lia, quarum Deſcendentes, etſi Ma-
ſculos nuſquam appellatione lineæ ma-
ſculinæ contineri tuentur explicatis
contrariis *Bellon. Jun. conſ.*2. *num.*72.
*uſque ad finem , Rauden. conſ.*3. *n.*85. ,
& 26. *lib.*1. *Rot. in Recent. in dec.*84.
*num.*16., *&* 17. *part.*5. *tom.*1.

Neque pro ratione , ob quam facile
recedi poſſet in præſenti caſu a proprie-
tate dicti verbi *linea maſculina* valida
exiſtimata fuit animadverſio illa , quòd
ſicuti Teſtator ſubſtituit filios Cleriæ
ejus filiæ defectis Maſculis , & Fęminis
ex ejus primis hæredibus deſcendenti-
bus , ita a veroſimili non aberret , quod
expreſſio *lineæ maſculinæ* in ſuperiori
Teſtamenti parte appoſita intelligenda
ſit de *linea qualitatis* . Quandoquidem,
cum hujuſmodi ſubſtitutio filiorum Cle-
riæ legatur facta in caſu diverſo , & in-
ter diverſas perſonas , nullum præbere
poteſt argumentum pro fideicommiſſo
13 ordinato inter Maſculos primorum
hæredum tamquam reſpiciente alium
caſum , aliaſque Perſonas ; ut appoſite
notant *Fuſar. conſ.*17. *num.*9. , *&* 10. ,
*Card. de Luca de fideicom. diſc.*17. *n.*18.
*Rot. dec.*195. *num.*5. , *& ſeq. part.*5.
Recent. , *& cor. clar. mem. Card. Fal-
conerio dec.*9. *num.*2. *tit.*26. *de Primog.*

Minuſque bonum jus Comitis Actoris
ſuadere potuerunt cæteræ ipſius obje-
ctio-

Digitized by Google

ctiones, nimirum, qnod ſi ipſe comprehendi nequeat in illa Teſtamenti parte, in qua eſt facta mentio de linea maſculina, adhuc tamen vocatione non careat, vel quia vocatis Fęminis deſcendentibus a primis hæredibus intel-
14 ligantur vocati earum quoque deſcendentes, vel quia ſi idem Teſtator in caſu defectus Maſculorum, & poſtquam Fęminas ſubſtituit, addidit — *Ma eſſendovi Maſchi ſiano eſculſe le Femi-*
15 *ne.* — utique ſatis ſe explicavit, quod Maſculos ex Fęminis iucluſerat, cum Maſculi ex Maſculis ſupponerentur defecti, quos poſtea iterum Fęminis præferendos eſſe replicabatur ob toties injunctam a Teſtatore prælationem Maſculorum.

Pro eo namque, quod reſpicit priorem objectionis partem arriſit reſpon-
16 ſio, quod cum Fęminæ primorum hæredum fuiſſent vocatæ ſimpliciter, & abſque ulla dictione perpetuitatis notam præſeferente, idcirco ultra illas fideicommiſſum extendendum non eſſet; ad tradita per *Manſ. conſult.*526. *n.*8., *Altograd. Jun. controv.* 97. *num.*23., *Rot. cor. Bichio dec.*279. *num.*14., *in Recent. dec.*170. *num.*25. *part.*17., *in Mantiſs. ad Card. de Luca dec.*64. *numer.*19. *lib.*10., *optime cor. R.mo Criſpo dec.*130. *num.*3., *& ſeq.*, *& num.*12., *& ſeq.*, *cor. clar. me. Card. Falconerio tit.*16. *de fideicom. dec.*54. *ante num.*7., *& in Ferrarien. fideicom.* 10. *Januarii* 1727. *§. Porro. cor. bon. me. Cornelio*; Præſertim in hypotheſi, in qua ubi Teſtator voluit Fęminarum deſcendeutes,
17 illos expreſſe vocavit, ut fecit in præcitata Cleriæ ſubſtitutione: unde ſi eos non invitavit occaſione ſubſtituendi Fęminas a primis hæredibus deſcendentes, non ſine ratione ſemper datum erit argumentari, quod noluit ipſos vocare; *Rot. dec.*17. *§. Quibus omnibus. ad Ornat.*, *Card. de Luca ſuper materia de fideicom. lib.*10. *tom.*2., *& in cit. deciſ.*130. *n.*14. *cor. Reverendiſs. Criſpo.*

Nullamque conſiderationem promereri viſæ ſunt *Deciſiones* 112. 114., *&* 115. *poſt Conſtant. ad Stat. Urb.*, in quibus contendebatur firmatum fuiſſe, Marcum Lepidum ordinaſſe fideicommiſſum progreſſivum ad omnes deſcendentes, eo quia licet in his Deciſionibus dicatur prædictum fideicommiſſum progreſſivum ad omnes deſcendentes, attamen quia de tempore earumdem reſolutionum quæſtio ſimpliciter agitabatur inter Agnatos, iuter quos procul dubio fideicommiſſum eſt progreſſivum, & perpetuum: propterea
18 intelligi ſemper debuere iutra limites quæſtionis de eo tempore diſceptatæ, & conſequenter nullum unquam validum ſtatum firmare potuerunt pro præſenti inſpectione totaliter ab illa diverſa; ad regulam, de qua eadem Sacra Rota in *in dec.*969. *num.*48., *& in deciſ.*1104. *num.*6. *tom.*4. *cor. bon. mem. Molines.*

Circa deinde id, quod pertinet ad ſecundam præcitati objecti partem, conſiderantes Domini, quod enunciata verba expreſſa poſt vocationem Fęminarum, & in caſu deficientiæ lineæ maſculinæ, poterant eſſe prolata a Teſtatore per modum majoris declarationis enixæ ejus voluntatis excludendi Fęmi-
19 nas in concurſu Maſculorum ex Maſculis; juxta quem ſenſum ſuperflua non remanent; *Rot. cor. cl. me. Card. Falcon. tit.*16. *de fideicom. dec.*9. *num.*12. Hinc factum eſt, quod neque ex hac ratione reputatum fuit ſatis clarum Jus dicti Actoris, ſed tamquam rationabili reſponſione ſublatum nullius momenti remanere viſum fuit, nullamque propterea ex dicti Actoris excluſione læſionem induci; ut in ſimili reſpondet *Rota Lucen. inter recollect. per Palm. Nep. in dec.*170. *ſub num.*9. *§. Verum. tom.*2.

Parique, immo majori inefficacia ſubiude laborare DD. crediderunt alterum Partis aſſumptum, nimirum, quod per præobitum Matris ipſius Comitis Actoris, ipſe ſuccedere ſaltem debuiſſet, ſive vigore vulgaris Anomalæ, juxta *Theoricam Bart. in l. Quamdiu. num.*10. *ff. de acquiren. hæreditate.*; ſive ex perſoua ejuſdem Matris defunctæ vigore repræſentationis: Utrumque enim corruere viſum eſt animadverſione, quod ſtante maxima dubietate ex ſuperius adductis, utrum ſcilicet locum in Teſtamento haberet, quo ſe vocatum deſignaret, itaut non ſine juridico fundamento repellendus foret

a prætenſa ſucceſſione, ex quo vocatus non fuiſſet: Inde legitimè ſequebatur, quod nullum majus jus ſibi adſcribere potuiſſet ex hujuſmodi objectionibus,
20 quia neque vulgaris Anomala, neque repræſentatio locum habent, ubi deficit a parte ante vocatio; ut de prima tradunt *Manſ. conſult.610. ſub num.8. verſ.9.*, *Rota cor. clar. mem. Cardinali Falconerio dec.46. tit.16. de fideicom. ſub num.6.* Et de ſecunda *Robles de repræſent. lib.5. cap.7. num.5.*, *Tondut. Reſolut. Civil. lib.1. quæſt.99. num.3.*. *Vreeol. dec. Florent.4. num.73.*, *Rota cor. Reverendiſs. Criſpo dec.25. num.30. & 31.*, *& in Auximana, ſeu Camerinen. fideicommiſſorum 3. Junii 1711. §. Ex his igitur. cor. bon. mem. Anſaldo.*

Ex his vero conſtabilito, quod Tranſactio, de qua quæſtio eſt, non ſit læſiua, ſed potius undique fundata dignoſcatur in regulis Juſtitiæ, ſpretum omnino fuit poſtremum Patris diffugium,
21 quod ſcilicet fuiſſet nulla, & inefficax tamquam ſtipulata per dict. Comitem Urſinum Filiumfamilias abſque conſenſu Patris adhuc viventis a Statuto Urbis requiſito; quia cum ipſe quantumvis Filius familias, tam longe ante hanc Tranſactionem, quam de tempore Tranſactionis ſeorſim a Patre vixiſſet,
22 ſe gerendo pro Patre familias publice, & palam, hoc ſatis eſt pro validitate ejus obligationis, licet initæ ſine conſenſu Patris; ut concordantibus allegatis firmat *Conſtantin. ad Stat. Urbis annot.45. art.2. num.123.*, *& ſeq.*

Et ita &c. utraque &c.

ROMANA TRANSACTIONIS SUPER MANUTENTIONE.

Ven. 4. Februarii 1735.

ARGUMENTUM.

Poſſeſſio contra defunctum capta continuatur, & prodeſt etiam contra hæredem. Ex Tranſactione, quam quis impugnat, commodum ſentire poteſt, ſi impugnatio ex adverſo acceptata non fuerit.

SUMMARIUM.

1 *Quaſi poſſidenti debetur manutentio*:
2 *Potiſſime ſi quaſi poſſeſſio nitatur titulo tranſactionis, quæ omnes æqualiter obligare debet.*
3 *Quaſi poſſeſſio capta adverſus defunctum continuatur adverſus hæredem.*
4 *Ex tranſactione, quam quis impugnat, commodum ſentire non debet*:
5 *Limita, quando impugnatio ab Adverſario acceptata non fuit.*

DECISIO XIII.

Quamvis Comes Alexander Urſinus in hac eadem Audientia contrariam expertus ſit ſortem quoad reſtitutionem in integrum ab ipſo petitam adversùs ſententiam aliàs contrà eundem prolatam ſuper prætenſa ſucceſſione in fideicommiſſum, de quo diſceptatur in contemporanea mea Deciſione: Attamen commiſſa mihi eodem contextu per Signaturam Juſtitiæ cum clauſula *S. P.* altera quæſtione ſuper Mandato de manutenendo per R. P. D. Viceſgerentem, uti Judicem ab A. C. deputatum relaxato ad favorem dicti Comitis Alexandri in quaſi poſſeſſione exigendi tertiam partem fructuum, ſeu proventuum Feudi Arcis Juvenis ſibi aſſignatam in Tranſactione, de qua pariter mentio habita eſt in dicta altera mea Deciſione, propoſitoque per me Dubio -- *An, cui, & quomodo ſit danda Manutentio* — Voti compos factus eſt mediante Reſcripto -- *Manutentionem eſſe dandam Comiti Alexandro juxta modum* -- nempè in exactione tertiæ partis Affictuum ſeu fructuum Feudi Arcis Juvenis.

Et meritò, ſiquidem pro ejus parte non ſolum doctum extitit, ipſum aliàs judicialiter obtinuiſſe Mandata pro conſequenda memorata tertia parte fructuum, ſed inſuper oſtenditur, quod in ſequelam dictorum judicialium Mandatorum opportunam adeptus fuit ſatisfactionem: Unde quemadmodum in his circumſtantiis dubitari nefas eſt de ejus quaſi poſſeſſione; Proinde neque in dubium revocari poteſt, quin
1 ad tramites hujuſce poſſeſſionis ei concedenda ſit Manutentio; ad not. *Text. in §. Retinendæ. Inſtit. de Interdict.* in propoſito exornatum per *Poſth. de Manutent. obſervat. 74. num. 1.*, *Rota in Recent. deciſ.97. num.23. part.13.*, *deciſ.71. num.2. part.18.*, *coram Biehlo dec.*

dec.368. num.1., & in Toletana Decimarum quoad ſeptem Territoria ſuper Manutentione 2. Junii 1725. §. Verùm etiam. cor. R. P. D. meo Nunez.

Potiſſime quia jus exigendi dictam
2 tertiam partem fructuum competit ipſi Com. Alexandro vigore illius Tranſactionis, quam undique ſubſiſtere, ambaſque Partes tranſigentes legitime obligare probatum eſt in dicta contemporanea mea Deciſione: Quare ne ad imparia dijudicentur Tranſigentes, omnimodam executionem in hac etiam parte meretur præcitata Tranſactio; *Urceol. de Tranſact. quæſt.70. num.43. Cardin. de Luc. de Fideicom. diſc.133. n.6., Rot. cor. Emerix Jun. deciſ.1123. num.1., & in Piſauren. Tranſact. ſuper Executione 21. Februarii 1707. §. Primo. cor. clar. mem. Card. Scotto;*

Quin ullius momenti ſit animadverſio illa, quod prænarratæ ſatisfactiones reportatæ in ſequelam enunciatorum Mandatorum minime aptæ ſint in hoc Judicio tribuere ſufficiens jus dict. Actori adverſus Mariam Magdalenam Urſinam, utpote reſpicientes fructus decurſos uſque ad diem obitus Mariæ Olimpię Sororis ejuſdem Mariæ Magdalenę Reę conventæ perinde acſi per obitum dictæ Mariæ Olimpiæ ceſſare debuiſſet ejus effectus. Conſtito namque in facto, quod ipſa hodierna Rea conventa fuit hæres prædictæ Olimpiæ; illico ceſſare viſa eſt objectio: Exiſtens enim in poſſeſſione contra Auctorem, illam jure op-
3 timo continuat contra hæredem pro effectu etiam Manutentionis, *Poſth. de Manutent. obſervat.56. num.6. & ſeq., Rot. cor. Cavaler. deciſ.83. num.7., coram Coccino deciſ.292. num.2., & cor. clar. mem. Card. Caprara dec.564. n.1.*

Minus denique refragari compertum eſt alteram objectionem, videlicet, quod alienum a Jure videatur, dictum Comitem Alexandrum habere poſſe commodum ex ſuperius dicta Tranſa-
4 ctione, quam actu impugnat. Quandoquidem cum exadverſo nullatenus acceptata fuerit impugnatio ejuſdem Tranſactionis, putarunt DD. eam ſuf-
5 ficientem non fuiſſe, ut dictus Actor mediante Tranſactione quantumvis impugnata obtinere nequiret id, quod aliàs in d. Tranſactione ſibi aſſignatum fuit; ad notata in ſpecie per *Poſt. reſolut.73. num.55., Gratian. diſcept.279. n.36., Urceol. de Tranſact. quæſt.91. num.11., Rot. cor. Coccin. deciſ.1562. num.14.*

Et ita reſolutum fuit utraque &c.

ROMANA CONCURSUS SUPER REDDITIONE RATIONIS.

Lunæ 7. Februarii 1735.

ARGUMENTUM.

Penſio Conductori non remittitur, niſi probet damnum deductis expenſis ejuſdem Penſionis medietatem ſuperare, & quidem habita ratione annorum fertilium. Pactum in hac materia eſt nullum, ſi rei ſubſtantiam, vel impedimentum ex facto Locatoris proveniens reſpiciat, non verò ſi meros fructus, quamvis omnes. Renovatio tacita Conductionis continet pacta primæ explicitæ, ſi Locator in ea proteſtatus fuerit ita intelligendam eſſe non facta diſdicta. Adminiſtrator, & Ceſſionarius ad exigendum ſegnes tenentur de nominis deterioratione, non autem Creditor agens contra Debitorem Debitoris. Triticum in Horreis repoſitum ad differentiam aliorum fructuum potius creſcit, quàm minuatur. Impenſæ pro Vectura, Gabella, & exoneratione Creditori ſunt reficiendæ.

SUMMARIUM.

1 *Penſionis remiſſio ut debeatur, probandum eſt damnum.*

2 *Et quidem tale, ut deductis culturæ, & collectionis impenſis, fructus medietatem penſionis non attingant:*

3 *Quod tamen Conductor in ſpecie probare debet, præcisè oſtendendo damni quantitatem;*

4 *Quoad unum quidem annum, ſi conductio annualis ſit; ſi verò ad novennium ſit protracta, totum hujuſmodi tempus inſpici debet ad dignoſcendum, an damnum ſit ultra dimidium penſionum ſimul ſumptarum.*

5 *Nec Conductori ſatis eſt, ſi aliquorum annorum ſterilitatem probaverit, quia inſuper oſtendere tenetur, eam cum aliorum annorum ubertate compenſatam non fuiſſe.*

6 In

6 *In Terris ſativis ſi fructus deficiant, damnum ipſos fructus reſpicere dicitur, non rei ſubſtantiam.*

7 *Damnum, de quo initum eſt pactum ut non compenſetur, compenſandum non eſt.*

8 *Tunc pactum nullum eſt, quando ſubſtantiam rei, vel impedimentum a Locatore proveniens reſpicit, ſecus ſi fructus etiam omnes:*

9 *Præcipuè ſi Locator profiteatur, ſe non aliter eſſe locaturum.*

10 *Facta in Inſtrumento primæ Conductionis proteſtatione, quod non ſecuta diſdicta, contractus pro renovato habeatur eum iiſdem conditionibus, & pactis, illa neceſſaria eſt ad ea detenda.*

11 *Damni Conductori ex propria culpa evenientis ratio non habetur ad remiſſionem concedendam.*

12 *Qui impenſæ cauſam præbet, ille pro ea ſolvere tenetur.*

13 *Antecedente non probato, Conſequens nullius eſt ponderis.*

14 *Conjecturæ ad aliam cauſam referibiles nil probant.*

15 *Adminiſtrator, & Ceſſionarius ad exigendum ſegnes tenentur de nominis deterioratione; non vero Creditor agens contra Debitorem Debitoris.*

16 *Legumina ariditati, & diminutioni ſuapte natura ſunt obnoxia.*

17 *Dominus impugnare nequit calculum ſui Miniſtri.*

18 *Error perfectè probandus eſt.*

19 *Actu ſemel impugnato nemo uti poteſt ad ſuam utilitatem.*

20 *Triticum in Horreis repoſitum potius creſcit, quàm minuatur.*

21 *Teſtes extrajudiciales fidem non merentur:*

22 *Maxime ſi de mera poſſibilitate, & creduiitate teſtentur.*

23 *Nemo de rebus ad ſuas manus non perventis rationem reddere tenetur;* & num.25.

24 *Qui citatus non comparet, habetur pro præſente, & acquieſcente.*

26 *A præſentia ad traditionem inferri nequit.*

27 *Obligatio redditionis rationis non inducitur, niſi per actus claros, & certos.*

28 *Impenſæ pro Vectura, Gabella, & exoneratione Creditori reficiendæ ſunt.*

29 *Quoties oſtendi nequit ad probandum Creditum, niſi calculus proprii Miniſtri, & alioquin in eo non apparet immoderatio, ſatis eſt.*

30 *De impenſis minutatim factis reportari non ſolet apocha de recepto.*

DECISIO XIV.

Labentibus de die in diem in deteriorem ſtatum Gentile, aliiſque filiis & hæredibus quondam Æmiliani Paſcucci occaſione conductionis Tenutæ *detta Bottaccia* in Agro Romano poſitæ, quam die prima Octobris anni 1703. ad novennium, & pro annua reſponſione ſcutorum 1300. a clar. mem. Principe JoanneBaptiſtaPamphilio ſuſceperat dictus Æmilianus, & continuabant præfati illius filii, & hæredes; fuit ad inſtantiam moderni PrincipisDon Camilli, ut cautum ſeſe redderet de ſolutione Penſionum decurſarum, ab A.C. deputatus Æconomus Anno 1724. ſuper fructibus ex eadem Tenuta recolligendis, aliiſque rebus in ea exiſtentibus, & ad prædictos Conductores ſpectantibus.

Sed eodem Œconomo remoto anno 1727., atque traditis, prævio d. Judicis Decreto, fructibus collectis eodem anno 1727. Miniſtris d. Principis, emiſſa per ipſum obligatione eos retinendi in forma depoſiti, & tradendi, cui Judex mandaſſet, convocatus remanſit coram eodem A.C. univerſalis Concurſus Creditorum ſuper omnibus Bonis Fratrum de Paſcuccis, atque electo Perito Curiali ſuper illorum graduatione, & reſpective reviſione, ac liquidatione Crediti Principis D. Camilli Pamphilii tam nomine proprio, quam uti Cohæredis una cum Principe D. Hieronymo Fratre clar. mem. Card. Pamphilii aſſignatarii ratæ fructuum ejuſdem Tenutæ, eaque in Actis exhibita, idem Judex binas ſententias promulgavit, in quarum altera declaravit eundem Principem Don Camillum bene reddidiſſe de ſupradictis fructibus ad manus ejus Miniſtrorum perventis rationem, eorumque pretio compenſato, pro reſiduo illum una cum dicto Principe ejus Fratre nominibus, quibus ſupra, remanere liquidum Creditorem dd.

Fra-

Fratrum de Paſcuccis in ſcut.3683. 46. in altera vero graduavit Creditores, aſſignando præ cæteris dd. Principibus de Pamphiliis quoad tres Partitas illorum Crediti priorem locum in excluſionem Baronis Andreæ Franceſchi Concreditoris, cui aſſignavit poſteriorem locum, nempe quintum, exceptis tamen Dominico Bartoletti, & Dominico Rinaldi, quorum primo fuerunt conſignata ante dictam Sententiam graduatoriam ſcuta 130. 67. $\frac{1}{4}$, & ſecundus in iſta fuit graduatus in priore loco ad excluſionem etiam dictorum Principum.

Devoluta Cauſa ob appellationem a dicto Barone interpoſitam a ſupra recenſitis duabus ſententiis ad hoc Sac. Auditorium, & mihi commiſſa, propoſui hodie Dominis meis Dubium reſpiciens Redditionem Rationis, ac Creditum dd. Principum, nempe — *An conſtet de ſufficienti redditione rationis, & reſpective de credito, & in qua ſumma* — Qui reſponderunt — *Affirmative in omnibus juxta modum* inferius exprimendum.

Ad oſtendendum enim Principem D. Camillum Pamphilium, ſive ejus Miniſtros non reddidiſſe ſufficientem rationem de Frumento, aliiſque fructibus ex Tenuta collectis Anno 1727. & non conſtare de illius credito in enunciata ſumma ſcut.3683. 46., prout illam fuiſſe ſufficienter redditam, & conſtare de Credito Principis in dicta ſumma, pronunciaverat Judex præcedentis inſtantiæ; Baro de Franceſchis tuendo Patrimonium Fratrum de Paſcuccis communium Debitorum, plura reſpicientia eamdem Redditionem Rationis, atque alia provenientia ex diverſis cauſis deducebat; Et primo loco ſequendo ordinem a Perito ſervatum in ejus Peritia, dictus Baro opponebat, quod Annis 1722., & 1724. inſolita, ac inopinabilis ſuperveniſſet ſterilitas in ſupradicta Tenuta, propter quam Paſcucci in eiſdem Annis nullos fructus colligere valuiſſent, & conſequenter eiſdem debitum eſſet defalcum Affictuum dictorum Annorum; Verùm Domini cenſuerunt *Defalcum hujuſmodi non deberi*.

Quia ad hoc ut illud debeatur, non ſolum Conductor, ſive alter ex illius jure veniens, probare tenetur damnum
1 ſequutum, tanquam fundamentum ſuæ intentionis; ad tradita per *Corn. conſ. 127. lib.2., Pantzach. de Locat.quæſt.2. n.8. & 9., Pacion. eodem tract. cap.47. num.64., Rota coram Coccin. deciſ.562. num.1.*, ſed etiam, quod illud ſit tale, ut in eo Anno fructus percepti, deductis priùs omnibus expenſis pro cultura, & collectione factis, non fuerint æqui-
2 valentes, ac ſufficientes pro ſolutione medietatis Affictus, & ſic Conductor læſus remanſerit ultra dimidiam; ad terminos *Text. in l.2. Cod. de reſcind. vendit.*, cujus diſpoſitionem in hac materia ſequuntur *Bartol. in leg. Licet num.1. Cod. locat., Butr. Imol., & Abbas Panormit. in cap. Propter ſterilitatem. eodem tit., Pinell. in l.2. part.1. cap.3. num.21. Cod. de reſcind. vendit., Peregrin, conſil.198. num.3. poſt med. lib.5., Menoch. conſil.669. num.1., Gratian. diſcept.534. num.39., Faber. in Codic. lib.4. tit.42. defin.4., Rota coram Coccino deciſ.422. n.15., & coram Dunozzet. Jun. deciſ.1003. n.10.*, & cum hoc cognoſci nequeat per probationem damni in genere, ideo exigitur etiam,
3 ut Conductor in ſpecie, & in certa, ac præciſa quantitate d. damnum concludat; ut late notant *Riminald.Jun.conſ.92. num.12., & ſeq., Surd. conſ.282. n.16. Mantic. de tacit., & ambig. convent. lib.5. tit.8. num.39., Pacion. de locat. d. cap.47. n.65., Rot. coram bon. mem. Molines dec.722. num.10.*; Cum autem Baro de Franceſchis nil penitus ex præmiſſis, quoad dictos annos 1722., & 1724. probaverit nec in genere, nec in ſpecie, eo quia documenta ab ipſo exhibita reſpiciunt alias Tenutas, non autem illam *della Bottaccia*, de qua eſt quæſtio; & Peritus in ejus relatione ſuper hoc nil certi affirmet, de plano ſequitur, quod petitum defalcum non debeatur, ut probant *omnes prædictæ auctoritates*.

Tanto magis, quia ubi etiam dictus Baro expleviſſet enunciatam ſpecificam probationem quoad Annos prædictos, ne id quidem ſatis eſſet pro eodem Defalco obtinendo, dum non agitur de con-

conductione unius anni, in qua præmiſſa procedunt, ſed de conductione ad Novennium expleta, cujus reſpectu
4 quemadmodùm ſterilitas unius,vel duorum annorum compenſari valuit ex ubertate aliorum, facta computatione Annorum ſterilium cum fertilibus, juxta *Cap. Propter ſterilitatem de locat., & conduct.*, ita non facta tali computatione per Conductorem, ex qua appareat de ſuper enunciato damno intolerabili, ac læſione ultra dimidiam quoad integrum novennium, nunquam favore illius locus eſt alicui defalco, ſive remiſſioni mercedis; *Pacion. de loc. & conduct. d. cap.47. num.76. & ſeqq., Rocc. diſput. Jur. ſelect. cap.120. num.5., Anſald. de Commerc., & Mercat. diſc.96. num.3. & 26., Rot. poſt Zacch. de obligat. Cameral. dec.152. num.4. & 5., coram Dunoz. Jun, dec.1003.per tot., coram bon. mem. Molines deciſ. 425. num.10., & 11., & deciſ.1141. n.14. & ſeq., & in Recent. deciſ.288. n.11. part.12., & dec.275. num.9. part.19., & in Romana Affictuum, & Defalchi 11. Junii 1734. §. Reſervata. coram Illuſtriſs. P.D. meo Corio emeritiſſimo Almæ Urbis Gubernatore.*

Non urgente, quod dicta computatio Anni ſterilis cum fertili procedat in locatione perpetua, vel ad tempus valde diuturnum, non autem in Affictu ad novennium, ut in præſenti caſu; quia hoc nullatenus aſſerunt *auctoritates allegatæ* ex parte Baronis, & contrarium paſſim tenuit *hoc Sacrum Tribunal*, ut in ſpecie in *dicta deciſ.152. n.4. & 5. poſt Zacch. de obligat. Cameral., & deciſ.216. num.25. coram cl. mem. Card. Caprara, & dicta deciſ.425. num. 11. coram bon. mem. Molines*. Prout nec etiam urget, quod, hoc quoque admiſſo, ſufficiat Conductori probaſſe ſterilitatem unius, vel duorum Annorum
5 novennii pro obtinendo defalco, quia, ſi Dominus prætendit eamdem ſterilitatem fuiſſe compenſatam ubertate aliorum annorum, refunditur in ipſum onus hanc compenſationem probandi; nam tam ſterilitas prædicta, quam quod iſta compenſata non remanſerit ex aliorum annorum ubertate, complectitur copulativè intentionem, & fundamentum Conductoris, qui in hac prætenſione defalchi gerit figuram Actoris, & , *ex ſupra firmatis*, in hiſce terminis Affictus ad novennium, nunquam D. falcum conceditur, niſi facta prædicta computatione annorum fertilium cum ſterilibus; & conſequenter probatio prædictorum non a Domino rei Locatę, qui in dicta exceptione Conductoris eſt Reus, ſed ab eodemmet Conductore facienda venit; ut unanimiter tradunt *Gratian. diſcept. forenſ. cap.557. n.4., Rota poſt Zacch. de obligat. Cameral. deciſ.42. num.5. & 6., coram Millino deciſ.363. ad fin., cor. Coccin. deciſ.11. n.2., & in diverſ. dec.727. n.2., & 3. part.4.*

Pariterque non refert, quod ſupradictum damnum, ut ſupponitur, paſſum a Paſcuccis de anno 1722. & 1724. non fuerit in aliqua parte fructuum, ſed in ſubſtantia rei locatæ, ad exemplum Vineæ, cujus Vites, vel Olivæ quando tempore hyemali deſiccantur, dicitur deficere rei ſubſtantia; nam quidquid ſit in Vinea, hic agitur de Tenuta, ac
6 Terrenis ſeminativis, in quibus, ſi aliquo tempore fructus non colliguntur, hoc damnum unice reſpicere dicitur ipſos fructus, non autem ſubſtantiam Rei locatæ, ut in terminis advertit *Rota coram Coccino d. dec.11. ſub num.2. §. Non obſtat.*

His addebatur clariſſimum pactum initum in Inſtrumento Affictus, quod Affictuarii numquam prætendere poſſent ullum Defalcum, neque illud præſtare teneretur D. Princeps, etiamſi -- *detti Affittuarj uno, o più anni perdeſſero il frutto in tutto, o in parte* -- propter quod pactum eo fortius Paſcucci Affictuarii arcendi erant a petito defalco; cum illud damnum, quod cadit
7 ſub ſimilibus pactis, nunquam Conductori ſit bonificandum; *ad Textum in leg. Si unum in princip. ff. locata, leg. Licet Cod. eod. tit., Larr. allegat. fiſcal. num.15., Pacion. de locat., & Conduct. cap.47. num.21., Bertacchin. Vot.42. num.4., Magon. dec. Florentin.67. n.5., Triſtan. deciſ. Catalan.70. n.39., Rota coram Coccin. d. dec.422. n.1., & coram clar. mem. Card. Caprar. dec.216. n.20.*

Nec ſuffragatur, quod tale pactum ſit

ſit contrarium Juris diſpoſitioni, ac naturæ Locationis exigenti remiſſionem mercedis in caſu damni intolerabilis,
8 & proinde nullum, ac inſubſiſtens & non attendendum; Quia ſimilia pacta tunc inſubſiſtentia dicuntur, quotieſcumque verſantur circa damnum concernens ſubſtantiam rei locatæ, vel impedimentum proveniens ex facto Locatoris: ſecus vero ubi, ut hic, agitur de pacto reſpiciente damnum, & caſus fortuitos, qui contingere poſſunt ſuper ipſiſmet fructibus rei locatæ; In hoc namque caſu ſimilia pacta valida ſunt, & ſemper ſubſtinentur; *Riminald. Sen. conſ.154. num.2. verſ. Præmittendo, Velaſc. de Jur. Emphyt. quæſt.27. num.34. verſ.Secundus caſus., Caſtill. variar.reſol.par.3.cap.3. n.72., Pacion. de locat., & Conduct. cap.49. num.21., & ſeqq., Rot. in d. Romana Affictuum, & Defalchi 11. Januarii 1734. §. Reſervata in fine cum ſeqq. coram Illmo P. D. meo Corio.*

Signanter dum pactum, de quo eſt quæſtio conceptum fuit ſub unica ratio-
9 ne, quod — *detto Sig. Principe non avrebbe affittata detta Tenuta per detta ſomma, ma ne avrebbe voluto aſſai più*; quo ſtante cum idem pactum dicatur, & ſit pars pretii, ſive dimiuutionis Affictuum, eo fortius validum eſt, & ſubſiſtens; nam tunc cenſetur Conductorem Aleam incertam emiſſe, cujus reſpectu nulla læſio conſideratur; *ad Text. in leg. ſi jactum retis ff. de act. empt.*, dum æqualiter ſe habet ad damnum, ac ad lucrum; ut in propoſito ponderant *Card. de Luc. de regal. diſc.175. n.22., Rot. coram bon. mem. Molines dec.425. num.7., & d. dec.1141. num.12.*

Neutiquam officiente, quod ſupradictum pactum, uti initum in Inſtrumento Conductionis celebrato anno 1703. cum Æmiliano Patre dd. Fratrum de Paſcuccis, non cenſeatur repetitum in ſucceſſivis novenniis continuatis ab iiſdem Fratribus; Etenim in eodem In-
10 ſtrumento fuit etiam facta ſpecialis conventio; quod quatenus a neutra ex Partibus fuiſſet expleta diſdicta Affictus, cenſeretur facta illius renovatio, ſeu continuatio ad aliud novennium cum iiſdemmet pactis, capitulis, annua penſione, atque aliis contentis, & expreſſis in eodemmet Inſtrumento; unde cum hæc renovatio evenerit, nulli eſt dubium, quin illa contineat in ſe etiam præfatum pactum non petendi defalcum, ut ſupra; cum talis ſit virtus expreſſæ renovationis, & continuationis; *Malvaſ. conſ.87. n.39. vol.1., Cancer. var. reſol. lib.1. cap.14. num.65., Antonell. de temp. legal. lib.2. cap.35. nu.2., Rot. in Rec.dec.335. n.7., & 8. part.10.,* & magis in terminis, *Rot. cor. Caprara d. dec.216. num.28., & 29., & coram Molin. dec.336. num.3.*

Quod verò ſupradictum pactum veluti reſpiciens totum Novennium jam renovatum, ſive continuatum a dd. Fratribus de Paſcuccis obſtare eiſdem nequeat quoad ſupradictum defalcum annorum 1722. & 1724., dum quoad po-
11 ſtremos binos Annos ultimi novennii, in quibus forſan colligere poterant majores, ac uberiores fructus ex Tenuta, fuerint a Principe Don Camillo expulſi a conductione, nequidem ſubſiſtit; quia ultra quam quod ubertas in dictis ſucceſſivis annis quoad controverſam Tenutam probata non extitit; cum hoc evenerit ex culpa eorundem Fratrum non ſolventium ſtatutis temporibus mercedem locationis, licet ipſi ad hoc exequendum pulſati fuiſſent coram Judice, quidquid proinde mali ex hoc eiſdem Fratribus evenerit, ipſis imputandum eſt, non autem Principi, qui nil aliud explevit, quam id, quod ei Lex permittebat, & ſibi rotundis literis in Inſtrumento Affictus reſervaverat; nec ſub dicto motivo Fratres de Paſcuccis petere valent defalcum, & pactum eludere; per ea, quæ tradunt *Turrett. conſil.60. num.2. poſt medium, & ſeqq., Cobell. ad Bull. Bon. Regimin. cap.48. num.54., Pacion. de locat., & conduct. d. cap.49. n.31., Surd. deciſ.94. n.5. 6., & ſequen., Rota coram bon.mem.Molinei deciſ.825. num.10., & in recent. deciſ.57. num.4. part.3.*

Secundo loco Baro de Franceſchis contendebat, ex ſupra memorato credito dd. Principum eſſe demendam partitam ſc.58. pro penſione Horrei, in quo repoſitum eſt Triticum collectum anno 1727. a menſe Junii ejuſdem Anni

anni uſque ad menſem Maii 1728.; *Et hanc partitam eſſe detrahendam* dixerunt Domini, ea moti ratione, quia nempe idem Princeps D. Camillus obtinuit facultatem a Judice die 26. Junii prædicti anni 1727. vendendi Frumentum tunc in Tenuta collectum, ad rationem ſcut.5., & ob. 50. pro quoli-
12 libet rubro; & propterea ſi poſtea voluit venditionem hanc ulterius protrahere uſque ad ſequentem annum 1728., ut forſan pluris illud venderet, ſubire debet onus controverſæ penſionis cauſam habentis ex illius mora; *Leg. illicitas, §. Sicuti de Offic. Præſidis, Bartol. in leg. inter ſtipulantem. §. Sacram ff. de verbor. obligat., Jov. de ſolemnit. in contract. minor. Gloſ.25. num.556., & ſeqq. tom.2.*

Præter ſupradictas binas Partitas defalchi, & Penſionis Horrei, quas uti præliminares propoſuit Baro de Franceſchis, ut deſignavit Peritus in ejus relatione; ſequendo pariter ordinem peritiæ deduxit tertio loco *duodecim alias Partitas*, contendendo illas omnes referendas eſſe ad creditum ſupradictorum Fratrum de Paſcuccis, & reſpective in diminutionem debiti penſionum cum D. Principe Panphilio, & illis ſingulis examinatis; reſponderunt Domini, ut inferius.

Primam ſcut.920. 95. provenientem ex treſdecim Partitis Frumenti, & aliorum fructuum venditorum deſcriptis in primo loco in atteſtatione Ratiocinatoris. Appaltus *della Rubiatella non eſſe a Domino Principe bonificandam*; quia juxta relationem Periti, ille rationem reddidit tam de eiſdem treſdecim Partitis, quam *de decimaquarta, & decimaquinta* ultimo loco in eadem atteſtatione adnotatis, & comprehendentibus Rubra 301. Frumenti. Nec obſtat, quod talis redditio rationis unice verſetur circa d. Rubra 301., ac fructus collectos anno 1727., & ſic non includat fructus ſupradictarum treſdecim Partitarum, qui collecti fuerunt anno 1726.; nam ex recenſita atteſtatione Ratiocinatoris *della Rubiatella* non reſultat fructus ejuſmodi fuiſſe collectos dicto anno 1726., ſtante quod in illa non exprimitur, quo tempore Se-
13 getes in illis contentæ, & deſcriptæ fuerint collectæ; unde locum habet regula *Text. in leg. neque natales Cod. de probat.*, de qua *Rota in Auguſtana Canonicatus 21. Junii 1734. §. finali coram Me.*

Nec viſum eſt Dominis aſſumptum concludi ex quibuſdam adminiculis; ſive conjecturis adductis a Barone, quod videlicet D. Princeps non impugnet binas illas poſteriores partitas relatas in atteſtatione dicti Ratiocinatoris Rubrorum 301. Frumenti fuiſſe de meſſe anni 1726.; & ſic de eodem Anno dicendæ ſint etiam reliquæ treſdecim Partitæ; quodque in ſupradicta Atteſtatione adſint deſcriptæ binæ Partitæ Fabarum venditarum ſub diebus 16. Julii, & prima Septembris Anni 1727., quo tempore nondum erant collectæ Fabæ ejuſdem Anni 1727.; & quod demum pretium Frumenti, Segetum, ac Fabarum collectarum Anno 1727. ac venditarum non correſpondeat pretio eorumdem fructuum in ſæpedicta atteſtatione Ratiocinatoris enunciato; Quia in eadem atteſtatione non enunciatur dicta Rubra 301. Frumenti fuiſſe collecta anno 1726., & conſtat D. Principem ſub diebus 18., & 23. ejuſdem menſis Julii anni 1727. petiiſſe ab A. C. facultatem vendendi Fabas eodem anno collectas; Quoad pretium autem non ſtatur dicti Ratiocinatoris atteſtationi, cum aliquando Frumentum, ac alii ſupradicti fructus vendantur majori pretio, illo deſcripto in Libris Appaltus *della Rubiatella*, ut Princeps docuit fuiſſe venditum frumentum controverſum: Quæ facti circumſtantiæ imperfectas reddunt, & funditus proſternunt dictas conjecturas, & adminicula: at quando etiam iſta talia non eſſent, negari profecto non poſſet, quod ſaltem non eſſent nimis vaga, generalia, æquivoca, & ad alias cauſas referibilia, dum non excludunt poſſibilitatem in contra-
14 rium, & conſequenter inepta undique ad concludendum d. aſſumptum favore Baronis, quod requirit perfectiſſimam probationem, nullam admittentem contrariam interpretationem; *Leg. cum ff. de probat., Rot. coram ſan. mem. Gregorio XV. deciſ.220. num.2.*

Se-

Secundam Partitam complectentem exactionem crediti in ſumma ſc.344., quod ex cauſa pretii Herbarum habebant Fratres de Paſcuccis contra quoſdam de Moſtarda, ſimiliter Domini dixerunt *non eſſe bonificandam pro rata ſcut.304. a Domino Principe*, licet Baro de Franceſchis autumaret, quod idem D. Princeps non adhibuerit omnes poſſibiles diligentias pro illius exactione, & ex iſtarum omiſſione illud inde evaneſceret inexigibile; Quandoquidem conſtitit Principem ex parte ſua nullatenus fuiſſe negligentem, dum expedivit Mandatum contra Debitores, & poſt exactionem ſcut. 40. idem Mandatum etiam exequi perſonaliter fecit contra illos; & ulterius cum idem Prin-
15 ceps non egerit contra prædictos Debitores, vel uti Adminiſtrator, vel Ceſſionarius Fratrum de Paſcuccis, ſed ſolum uti iſtorum Creditor contra Debitores ſuorum Debitorum non tenebatur proſequi inſtantiam uſque ad effectivam exactionem, præcipue utpote Creditor ex Inſtrumento munito Camerali obligatione, quæ Creditori tribuit facultatem variandi; *Rota coram Emerix dec.1284. num.10. & in recen. dec.161. num.4. & 25. part.6.*

Idem decreverunt DD. quoad tertiam Partitam ſcut.20. 40. fundatam in defectu Rubrorum ſex Fabarum vulgo *Favetta* ex Rubr.109. collectis anno 1727. nempe *eam non eſſe bonificandam*; Quia talis defectus proceſſit ex naturali Fabarum exſiccatione, & diminutione propter non adeo promptam illarum
16 venditionem; dum Legumina inter aridos Fructus, & diminutioni ſuapte natura obnoxios connumerantur *a Bald., ac cæteris DD. in Auth. ad hoc colum.1. de uſur.*; Non ſubſiſtente, quod talis defectus ex hac cauſa evenire non potuerit, cum Fabæ venditæ fuerint in Area Tenutæ *della Bottaccia*, ubi fuerunt collectæ ex Decretis proviſionalibus A.C.; quia ſimilia Decreta probant facultatem vendendi, non autem quod venditio ſequuta fuerit in Tenuta; Multa enim tractantur, quæ poſtmodum nullum habent effectum; Et quia etiam contrarium apparuit ex notula expenſarum factarum a Miniſtris Principis pro tranſportatione dictarum Fabarnm ad Urbem, quod ſane venditionem illarum in d.Tenuta ad evidentiam excludit.

Quartam Partitam ſcut.64. 50. pro augmento valoris rubrorum 47. frumenti inferioris qualitatis, ſeu ut vulgo dicitur *diCappiamc* venditorum, cujus pretium Baro contendit eſſe liquidandum ad rationem ſc.4. pro quolibet Rubro, & contra Princeps ad rationem pretii inferioris, quo aſſerit dicta rubra vendita fuiſſe, dixerunt Domini *eſſe bonificandam ab eodem D. Principe*, ea ducti ratione, quia doctum fuit ex Computo tradito a Mariano Miniſtro ejuſdem Principis recenſita Rubra 47. fuiſſe ad rationem ſcut.4. pro quolibet Rubro vendita, quod Computum idem D. Princeps, uti confectum ab ejus Miniſtro impugnare non valet; *Rota coram Buratt. deciſ.453. num.3., & 4., & in recent. dec.284. num.30. par.9. tom.1.*; Neque attendi promeruit alterum Computum exhibitum ab aliis Miniſtris D. Principis poſt obitum dicti Mariani, in quo pretium dd. Rubrorum adnotatur in inferiori quantitate; Quia non docto de errore, licitum non eſt
17 recedere a dicto primo Computo, ac confeſſione in illo emiſſa circa pretium ſcut.4. pro quolibet Rubro; *Rota cor. Buratto dec.453. num.3. & 4., & cor. Molines dec.889. num.27., & in recen. deciſ.261. num.25. part,7.*

Quin error demonſtrari viſus fuerit, ex quo pretium deſcriptum in Libris Appaltus *della Rubiatella*, juxta fidem, ſeu teſtimonium Ratiocinatoris adductum a Barone reſpondeat potius dicto ultimo computo; quia recurrit reſponſio, quod dicti Libri non probant verum pretium Rei venditæ, ex ratione deducta ſupra *in dicta prima Partita*. §. *Primam*, & ideo ex eadem cougruentia, ſeu uniformitate non bene concluditur error, qui de ſui natura exigit probationes non æquivocas, ſed omni-
18 no perfectas, & univocas; *Cap. Lator.5. verſ. ſi vero, ubi Gloſſ. verb. Probare legitime, qui filii ſint legitimi*, ubi *Fagnan. num.4. & 57., Capyc. dec.150. num.23. lib.2., Rota coram Coccin. deciſ.1369. num.56. & 57., coram Moli-*

*lines deciſ.*1254. *num.*2., *& in rec. de-*
*ciſ.*403. *num.*16. *&* 17. *part.*19., & eo
ipſo quod Princeps eamdem atteſtatio-
nem Ratiocinatoris Appaltus *della Ru-*
biatella, ut ſupra impugnavit *in prima*
19 *Partita*, non poteſt illa poſtea uti in
hac quarta ad effectum oſtendendi er-
rorem primi Computi a Mariano ejus
Miniſtro exhibiti; *Cap. Ex eo* 38. *de*
Regul. Jur. in 6., *Rota coram Molines*
*deciſ.*82. *num.*9.

Et ſimiliter *bonificandam eſſe a Do-*
mino Principe quintam partitam ſcuto-
rum 58. 80. provenientem ex defectu
Rubrorum 17. a quantitate Frumenti
collecti anno 1727., & ad illius Hor-
rea aſportati, dictum fuit; Talis nam-
20 que defectus non valuit referri alicui
naturali diminutioni, cum frumentum
in Horreis repoſitum ſoleat potius au-
geri, quam minui, ad differentiam
aliorum fructuum exſiccationi ſubjecto-
rum; ut refertur in *Statut. Agriculturæ*
pag. mihi 142. *num.*53., & tradunt *Ca-*
*ſareg. de Commerc. tom.*1. *in fine*, *An-*
gleſ. in Hor. quæſt. Theolog. tit. de reſtit.
quæſt. de Æconom., *& depoſit. pag.*337.
*Sanchez conſ. moral. lib.*1. *cap.*5, *dub.*7.
*num.*1., *& per tot.*

*Sextam partitam ſcut.*951. 28. *non*
eſſe bonificandam concluſum fuit; nam
illa prætenſio Baronis, quod anno 1727.
in tenuta fuerint collecta Rubra 840.
frumenti, & conſequenter cum Prin-
ceps rationem non reddat, niſi de Ru-
briis 587., adſcribenda ſint ad ejus de-
bitum Rubra 253. deficientia in valore
dd. ſcut. 951. 28., hujuſmodi in quam
21 prætenſio non ſubſiſtit; tum quia ſu-
per collectione antedictorum Rubro-
rum 840. non fuit allata a Barone, niſi
ſimplex atteſtatio duorum Teſtium, qui
veluti extrajudicialiter deponentes nul-
lam merentur fidem; *Rot: coram Her-*
*rera deciſ.*94. *num.*16., *& coram Fal-*
*coner. de retinen. poſſeſſ. dec.*13. *ſub n.*4.;
Potiſſimum dum deponunt de mera poſ-
22 ſibilitate, & propria credulitate; *Rot*
*coram Molines deciſ.*439. *num.*11., *&*
in Salamantina Pecuniaria 28. *Fe-*
bruarii 1735. §. *Nec denique. verſic.*
Teſtes verò coram Me; Non obſtante,
quod illorum depoſitio coadjuvata ja-
ctetur a quodam Computo cujuſdam
Bartoletti ſuper tranſportatione Fru-
menti ad Urbem; dum Computum hu-
juſmodi in ſe includit etiam expenſas
aſportationis frumenti collecti anno
1726., & ſic probare nequit quantita-
tem frumenti collecti anno 1727., de
quo queritur; Tum etiam, quia D. Prin-
ceps, juxta Decretum A. C., ac illius
obligationem, non tenetur reddere ra-
tionem, niſi de illa quantitate frumen-
ti, ac fructuum tranſportatorum ad
Urbem in illius Horreis; ideoque cum
ad hæc Horrea non fuerint tranſporta-
23 ta, niſi ſupradicta Rubra 587., & de
his jam ratio fuerit reddita, ad nil ul-
tra ille tenetur; *Bartol. in l.*1. *num.*9.,
& ſeq. ff. de acquiren. poſſeſſ., *Rot. in*
*rec. deciſ.*380. *num.*4. *par.*4. *tom.*2., *&*
*deciſ.*158. *num.*3. *&* 8. *par.*11., *& de-*
*ciſ.*625. *n.*6. *par.*19. *tom.*2.

Septima partita continet expurgatio-
nem ſupradictorum Rubrorum 587., ex
qua Frumentum purum bonæ, ac mer-
cantilis qualitatis remanſit in Rubris
221. *in Terra*, *Conciatura*, *Cappiame*,
e granoſa, quod Baroni de Franceſchis
inveriſimile nimis videbatur; Sed in
hac parte dixerunt Domini, *nil eſſe re-*
ferendum ad debitum D. Principis, quia
in dicta expurgatione citati fuerunt a
Principe Creditores Fratrum de Paſ-
cuccis, ac moniti ad illi intereſſendum,
ac proinde non poſſunt ipſi hodie eam-
dem expurgationem, ut ſupra ſequu-
tam de aliqua inſubſiſtentia redargue-
re, cum eorum contumacia in non in-
24 tereſſendo æquipolleat præſcutiæ, vel
acquieſcentiæ; juxta notata in *l. final.*
Cod. de jur. deliber. Fortius dum illius
veritas confirmata apparuit non ſolùm
ex judicio Periti in ſua relatione, ſed
etiam ex ipſomet facto ſucceſſivo, dum
frumentum purum a D. Principe non
fuit venditum niſi in dicta quantitate
Rubrorum 366., illius excrementa *di*
Conciatura, *Cappiame*, *e Granoſa* non
fuerunt vendita niſi in recenſitis Rubris
221., de quibus omnibus fuit reddita
fidelis ratio.

Octavam partitam provenientem a
Rubris 50. Novalium a Paſcuccis ven-
ditorum Antonio Mariæ Ciocchetti, ac
Rubris 70. Frumenti eidem mutuati, ac
mercede Bobum eorumdem de Paſcuc-

cis,

cis, eum ultro faſſus fuerit D. Princeps ex his exegiſſe ab hæredibus Ciocchetti ultra ſcuta 107. jam a Perito calculata, alia ſcuta 307.71., & ſic in totum ſcuta 414.71., Domini dixerunt pariter *in dicta ſumma a D. Principe eſſe bonificandam*.

Nona Partita verſatur circa Plauſtra, ac alia Inſtrumenta ad uſum ArtisAgrariæ, & Gregis Ovium in Tenuta exiſtentis, ſpectantis ad Fratres de Paſcuceis, de quibus contendit Baro de Franceſchis teneri Principem ad reddendam rationem; *DD. verò contrarium exiſtimarunt*, quia per dictum Baronem dictum non fuit eadem Plauſtra, ac Sti-
25 lia fuiſſe conſignata Miniſtris D. Principis, ſine qua conſignatione ille cogi non valet ad eorum redditionem rationis; quemadmodum præter citatos numer.23. firmant *leg. Bovet 89. §. Inter. ff. de verbor. ſignificat.*, *Rota cor. Gregor. dec.554. num.2.*, *cor. Cavaler. deciſ.98. num.4.*, *& in Recent. dec. 186. n.1. part.*10., & licet idem Baro judicialiter prædicta Plauſtra, ac Inſtrumenta deſcribere fecerit præſentibus mox di-
26 ctis Miniſtris, attamen ex hoc non valet inferri ad illorum conſignationem, & ſic ad onus illa cuſtodiendi, & reddendi rationem, cum ſtet bene ſimul dicta deſcriptio, ac præſentia Miniſtrorum, & quod non fuerit facta ulla conſignatio, nam ad inducendum dictum onus, vel obligationem non ſufficiunt
27 actus æquivoci, & de per ſe non concludentes, ſed exiguntur actus clari, expliciti, ac certi; *Joſeph Ludovic. concluſ.14. in princip.*, *Rota cor. Coccino dec.1813. num.19.*, & 20., & *in Rec. dec.522. num.4. part.1.*

Decimam Partitam ſcut.74.95. ſolutorum a Miniſtris Principis pro Gabella, Vectura, & exoneratione Rubro-
28 rum 109. Fabarum, & aliorum Rubrorum 126. ſegetis ad Urbem aſportatorum, *non eſſe demendam a Credito ejuſdem Principis* concluſum fuit; Quia ſimiles expenſæ neceſſariæ ſunt, atque ideo eidem ſunt bonificandæ, & reficiendæ; *toto titulo Cod. de Adminiſt. Tutor.*, *Rota cor. bon. mem. Molines deciſ.693. num.5.*, & *in Rec. deciſ.165. num. 14. part. 11.* Spreta prorſus reſponſione Baronis, quod promota inſtantia per Principem coram A.C. ſuper facultate vendendi recenſitas Segetes pro certo, ac determinato pretio, eatenus illi adhæſerint Baro, ac alii Creditores, quatenus Defenſores Principis ſuppoſuerint eamdem venditionem eſſe faciendam in ipſamet Tenuta, ad effectum erogandi pretium retrahendum in ſolutione mercedis Operariorum, atque ideo ſi Princeps voluit vendere in Urbe, ſubire etiam de proprio teneatur expenſas; Quoniam Decreta A.C. non exprimunt venditionem faciendam eſſe in eadem Tenuta, quinimo illa emanarunt ſub diebus 18., & 23. Julii 1727., quibus jam ſupradictæ Faba, & ſeges integrè tranſportatæ erant ad Urbem, ut obſervat Peritus in ejus relatione *ſuper hac decima Partita*; unde eſt inveriſimile in his circumſtantiis, quod Judex demandaverit, & Defenſores Principis inſteterint pro illarum venditione in Tenuta, in qua amplius non erant.

Undecima Partita reſpiciens mercedem ſolutam a Miniſtris Principis pro aſportatione ad Urbem ſupraenunciatorum Rubrorum 587. Frumenti a Tenuta ad rationem obulorum 25. pro quolibet Rubro, quam eſſe exceſſivam in obul.5. pro quolibet Bubro contenderunt Baro, ac alii Creditores coram Perito, *viſa fuit in hoc prætenſo exceſſu non bonificanda*. Quia de tali exceſſu non conſtitit, dum non fuit probatum, quod eo tempore aſportatio commodè fieri potuerit pro minori pretio, nempe obul.20. pro quolibet Rubro, quod probe agnoſcens Baro, eamdem prætenſionem repetere omiſit in hac Propoſitione.

Duodecima tandem *Partita* eſt complexiva plurium Partitarum conflantium ſummam in totum ſcut. 1324.57. erogatorum a Principe in expenſas factas ad uſum Tenutæ, & pro collectione Frumenti, ac aliarum Segetum; Et licet Baro de Franceſchis contendat eſſe detrahenda ſcuta 200.52.; ſive quia aliquæ ſint exceſſivæ, ſive quia aliæ nullo modo juſtificatæ remaneant, & per conſequens quod Principi bonificandæ non ſint in tota dicta ſumma; Attamen

cum

Digitized by Google

29 cum idem Princeps in hac parte aliud
exhibere non valeat, quàm computum
datum a ſuo Miniſtro, in quo nulla ap-
paret exorbitantia, cumque agatur de
modicis expenſis minutatim factis, at-
30 que ſolutis, de quibus non ſolet repor-
tari Receputa; *Federic. de Sen. con-
ſil.119. num.4., & ſeq., Eſcobar. de
ratiocin. cap.10. num.62. verſ. rurſus.,
Anſald. de commerc., & mercat. di-
ſcurſ.64. num.7., Rota cor. bon. mem.
Molines dec.1070. num.14., & in Re-
cent. deciſ.117. num.2. part.13., & de-
ciſ.221. num. 6. 7., & 13. part.16.*;
ideo DD. prætermiſſo examine particu-
lari omnium dictarum Partitarum, cen-
ſuerunt *nullam eſſe faciendam detractio-
nem in damnum D. Principis*, præter-
quamquod de illa modica ſumma, in
qua Peritus recognovit errorem, & fe-
cit diminutionem, nempe in una Par-
tita ſcut.1., & in alia ſcut.4.; cum re-
liquæ exceptiones datæ a Barone, &
ſpecialiter relatæ a Perito cognitæ fue-
rint irrelevantes ex ipſiſmet rationibus
per eumdemmet Peritum allatis, ad
quas eidem Domini in hac parte remiſ-
ſive ſeſe habuerunt.

Atque ita demptis a Credito Principis Partitis, ut ſupra per ipſum bonificandis, juxta hunc modum responderunt Domini *conſtare de ſufficienti Redditione Rationis, & de Credito reſpective in reliqua ſumma ſcut.3290. 45.*

Utraque Parte ſatis audita &c.

ROMANA CONCURSUS SUPER PRÆLATIONE.

Lunæ 7. Februarii 1735.

A R G U M E N T U M.

Locatori ſuper fructibus Prædii, & Animalibus in eo exiſtentibus debetur prælatio, maxime ſi dominium, ac hypothecam ſuper iis ſibi reſervavit; quoad reliqua verò bona Conductoris proceditur cum regula anterioritatis. Renovatio ſi fuerit in Inſtrumento primæ Locationis conventa, creditum Locatoris a die dicti Inſtrumenti anterioritatem deſumit; ſecus ſi ſit tacita. Conditio poteſtativa ex voluntate Contrahentium retrotrahitur.

S U M M A R I U M.

1 *Pro credito Penſionum Locatori debetur prælatio adverſus quoſcumque Creditores tàm ſuper fructibus Prædii*;

2 *Quàm ſuper Animalibus in eo exiſtentibus*:

3 *Maxime ſi ſuper iis dominium, ac ſpecialem hypothecam ſibi reſervaverit*; & num.14.

4 *Super reliquis verò Bonis Conductorum proceditur cum regula anterioritatis*.

5 *Locatoris porro Creditum anterioritatem deſumit a die renovationis tantùm, non autem a die primæ Locationis, ſi agatur de renovatione tacita*; & num.8.

6 *Si enim renovatio in caſu omiſſionis diſdictæ conventa legatur in Inſtrumento primæ locationis, unicus cenſetur contractus*;

7 *Et ab eodem Inſtrumento hypothecam ambæ deſumunt*;

8 *Ac conſequenter etiam anterioritatem*;

9 *Quamvis enim regula ſit, quod Conditio poteſtativa non retrotrahatur, ad differentiam Conditionis cauſalis, & mixtæ*;

10 *Tamen in hoc caſu habet locum retrotractio, quia alioquin pactum remaneret inutile tum ob ſupervenientiam Creditorum*;

11 *Tum etiam, quia ſine eo renovatio haberi poterat ex Conductoris continuatione, & Locatoris taciturnitate*.

12 *Verbum* Continuare *initii, & progreſſus uniformitatem denotat*.

13 *Contrahentes efficere poſſunt, ut conditio poteſtativa retrotrahatur*.

14 *Locator ob reſervationem Dominii, & hypothecæ præfertur quibuſcumque Creditoribus*.

D E C I S I O XV.

UNacum Dubio *ſuper Redditione Rationis, ac Credito*, de quo *in mea contemporanea Deciſione*, in qua DD. Principes de Pamphiliis fuere declarati Creditores in ſumma ſcutor.3190. 45., propoſui etiam aliud *ſuper Prælatione* in Bonis Fratrum de Paſcuccis communium Debitorum, quam in conſignatione pretii ex illorum venditione retracti, vel retrahendi, ad excluſionem dicto-

dictorum DD. Principum, ab A. C. Met obtinuerunt Dominicus Bartoletti pro rata ſcutor.130. 68. $\frac{1}{7}$ jam illi conſignatorum ante Sententiam graduatoriam, & Dominicus Rinaldi Piſtor Urbis in illa primo loco graduatus, & quam obtinere contendebat Baro Andreas de Franceſchis Creditor ipſorum Fratrum de Paſcuccis in ſcut. 3181. 96. ex cauſa Conductionis Tenutæ *dell'Olgiata* ad dictum Baronem ſpectantis, & conductæ ab Æmiliano Paſcucci Patre dictorum Fratrum die 20. Julii anni 1716. ad Novennium; unde per me interrogatis DD. — *An, & cui danda eſſet Prælatio; & pro qua ſumma* -- habui reſponſum — *Prælationem eſſe dandam Fratribus de Pamphiliis pro ſumma liquidata in dicta mea contemporanea Deciſione* ſuper Redditione rationis, ac Credito.

Pro eo enim, quod ſpectat ad Baronem Andream, nulla apud Dominos adfuit dubitatio, quin ſuper pretio tàm Frumenti, aliorumque fructuum collectorum anno 1727. in Tenuta *della Bottaccia*, de quibus latè fit mentio in dicta mea contemporanea Deciſione, quàm etiam Bobum, Equarū, & Ovium, quæ in eadem Tenuta detinebantur; & depaſcebantur, omiſſo etiam puncto anterioritatis Crediti, ex cauſa ſolius potioritatis, præferendi eſſent DD. Principes Fratres de Pamphiliis tamquam Domini Tenutæ *della Bottaccia*, & Creditores ex cauſa illius penſionum decurſarum, dicto Baroni de Franceſchis, tàm de jure, juxta quod Locatori pro Credito Affictuum datur prælatio ſuper
1 fructibus Rei ſuæ adverſus omnes Creditores Conductoris etiam anteriores, & hypothecam habentes, juxta *Bald. in leg. in rebus. 30. num.3., Gratian. diſceptat.25. num.9., & per tot., Pacion. de Locat., & Conduct. cap.33. numer.37., & ſeq., Carocc. eodem Tract. tit. de difform. quæſt.5. verſ. Circa prælationem., Surd. dec.97. num.5., Rota coram Bichio dec.500. num.34., & coram Anſald. dec.11. num.1., & 2.*, ac
2 etiam ſuper Animalibus in Tenuta exiſtentibus, ac depaſcentibus; *Anſald. de Commerc., & Mercat. diſc.83. n.30., & 31.*, juncto præſertim *Statuto Agriculturæ cap.73.*, de quo late *Rota poſt Conſtantin. ad Stat. Urbis deciſ.75. numer.1. 7., & 8., ac ferè per tot.*; quàm
3 etiam ex clariſſima reſervatione Dominii, ſpecialiſque hypothecæ favore eorumdem Principum conventa in Inſtrumento Affictus ſuper omnibus fructibus, & Animalibus cujuſcumque qualitatis in eadem Tenuta, ut dictum eſt, exiſtentibus, & depaſcentibus; itaut nullo tempore acquiri valeret a quacumque Perſona etiam privilegiata, & privilegiatiſſima ſuper illis jus aliquod, aut actio; propter quam reſervationem pariter Locatori prælatio competit, juxta firmata per *Card. de Luca de Credit. diſc.17. num.5., Rota cor. Anſald. dicta dec.11. num.2., & in Rec. deciſ.46. num.31., & 32. part.9., & dec.351. per tot. part.11.*

Tota proinde hujus Cauſæ difficultas reducebatur ad reliqua Bona indifferentia dictorum Fratrum de Paſcuccis
4 Debitorum, in quibus, juxta inſinuata per *Pacion. de Locat., & Conduct. capit.39. ſub num.51.*, ſuper hoc puncto prælationis recurrendum eſt ad anterioritatem, ad normam regulæ *Text. in leg. potior. ff. qui potior. in pignor. habeant.*; & exiſtimarunt DD. præfatum Creditum Principum de Pamphiliis eſſe anterius illo Baronis de Franceſchis, & ſic eos eſſe præferendos etiam ſuper dictis Bonis, Quia Creditum Principum ſuum initium deſumit ab Inſtrumento Locationis dictæ Tenutæ *della Bottaccia* celebrato die 29. Maii 1702., & illud Baronis incipit die 20. Julii 1716., quo celebratum fuit aliud Inſtrumentum Locationis Tenutæ *dell'Olgiata* cum Æmiliano Patre dictorum de Paſcuccis, & ſic iſtud eſt poſterius.

Neque obſtat, quod in renovatione Locationis anterioritas, ſive potioritas temporis deſumenda ſit a die ipſius renovationis, non autem a die primæ Locationis, quando, ut hic res eſt cum tertio intermedio Creditore, non autem cum ipſomet Conductore, & propterea cum Principes ſint Creditores pro Affictibus ultimi Novennii renovati, quod incepit anno 1721., remaneant per conſequens poſteriores credito di-
5 cti Baronis; Hoc namque procedere viſum

viſum fuit in relocatione , ſive renovatione tacita , quæ efformatur ex novo , ac tacito conſenſu Contrahentium ex poſt præſtito , ideſt poſt ceſſatam Locationem , & dicitur novus , ac diverſus Contractus ab eadem priori Locatione , & conſequenter cum ſit novus Contractus , conſentaneum quoque eſt, quod hypotheca , & prælatio non a die primi contractus , ſed a die dictæ tacitæ reconductionis admittatur ; & in his terminis loquuntur , & per dictam rationem concludunt omnes actoritates a Barone allegatæ , & ſpecialiter *Gait. de Credit. cap.4. quæſt.11. a num.2153. uſque ad num.2159. , Salgad. Laber. credit. part.2. cap.27. a num.67. uſque ad 71.*

Minime vero in ſubjecta hypotheſi,
6 in qua dicta renovatio Locationis, ſive potius illius continuatio ad aliud Novennium, non facta a neutra ex Partibus diſdicta , literaliter , & expreſsè conventa fuit in Inſtrumento primæ Locationis, ibi -- *Et deinde &c. cum diſdicta tamen ſex Menſium praecedentium ante rompituram Maeſarum ultimi anni faciendam ab illa parte in hujuſmodi Inſtrumento Affictus amplius continuare nolente, quæ diſdicta non facta, & in Actis mei &c. non reproducta, tunc & eo caſu præſens Inſtrumentum Affictus CONTINUARE DEBEAT per alios novem annos &c., & ſic &c. de Novennio in Novennium, donec dicta præceſſerit diſdicta, ſemper cum eiſdemmet pactis, capitulis, annuo Affictu, & aliis contentis, & expreſſis in præſenti Inſtrumento* -- Nam cum in hoc caſu tam Locatio , quàm Renovatio dicantur , & habeantur pro unico, ac individuo Contractu ; *Bec. conſil.91. num.8., Decian. reſponſ.72. num.15., & 16. tom.2., Maur. de Fidejuſ. part.2. ſect.5. cap.3. num.13. , Salgadus Labirynt. credit. part.1. cap.34. num.9. 14., & ſeq., & part.2. cap.27. ſub num.71., Rota in Recent. dec.474. num.5., & 6. part.13.*
7 inde ſequitur, quod hypotheca illa expreſſa renovationis, quæ provenit ex illomet Inſtrumento, & obligatione Camerali in illo contenta, ex qua naſcitur etiam hypotheca Locationis ex ratione ponderata per *Rot. poſt Zacch. de obligat. Cameral. deciſ.61. num.2., & 3., & dec.273. num.10., & in Rec. deciſ.206. num.17., & 18. part.10.,*
8 non ſit diverſo jure cenſenda ab hac ultima hypotheca Locationis; itaut iſta habeat initium a die ſui Inſtrumenti, & altera non, contra naturam Actus individui; *leg.2. §.1. ff. Locati., leg. final. ff. de condit. ob cauſam., leg. Stipulationes non dividuntur. ff. de verbor. oblig., Gratian. diſcept. forenſ. 301. num.57., Salgad. Laber. Credit. dict. part.1. capit.34. num.14., Giurb. dec.85. n.13., Surd. deciſ.33. num.4., & ſeq., coram clar. mem. Card. Falconerio tit. de Locat. dec.3. num.11., & dec.4. num.1.*; & in conſimilibus terminis *Staiban. Jur. reſolut. cap.81. per tot. lib.1., Roec. diſputat. Jur. ſelect. cap.137. num.30., & 31., Rota cor. Priolo deciſ.350. numer.17., & ſeq., & in Romana Salviani ſuper Cambio 13. Decembris 1706. §. Siquidem., & ſeq. corum clar. mem. Card. Scotto*; & in hoc præciſo caſu, quod quando ſuper renovatione Affictus in caſu non factæ diſdictæ fuit initum pactum in Inſtrumento primæ Locationis, eadem renovatio, ſive ejus hypotheca deſumat ſuam anterioritatem a die dicti Inſtrumenti, diſtinguendo inter talem renovationem expreſſam, & relocationem tacitam, de qua ſupra, tradit *Pacion. de Locat., & Conduct. cap.39. num.60.*; & videtur admittere *Rot. in Romana Salviani 29. Januarii 1725. §. Nihil autem. cor. Reverendiſſimo P. D. meo Decano.*

Non officiente replicatione Baronis, quod ſupradicta conventio renovationis ſit conditionalis, quatenus nempe a neutra ex Partibus facta fuiſſet diſdicta, & quidem conditione poteſtativa,
9 veluti dependente a libera voluntate Partium, & propterea quoad ſuum eſſe non diverſificetur a dicta tacita relocatione, cum dicta quoque renovatio, & ejus obligatio non naſcatur, niſi a die illius, non autem locationis, in qua non dicitur perfecta, atque concluſa, ſed potius habitus tractatus de illa ineunda in caſu non factæ diſdictæ; proindeque non ſit locus ulli retrotractioni ad diem Locationis, maxime in præjudicium tertii, qui interim jus acqui-

Digitized by Google

quiſivit ad differentiam conditionis caſualis, vel mixtæ; ad tradita per *Mangil. de evict. quæſt.36. num.13., & 14., Salgad. Labir. Creditor. part.2. cap.21. num.15.*, & alios a Barone pariter allegatos.

Quandoquidem, quidquid ſit, an dicta conditio dijudicanda ſit poteſtativa, cùm Contrahentes iniverint dictum pactum renovationis in ipſomet Inſtrumento Locationis, ſatis manifeſtè eruitur voluiſſe, quotieſcumque fuiſſet purificata dicta conditio non factæ diſdi-
10 ctæ, & ſic inducta renovatio, quod illa retrotraheretur ad diem confectionis ejuſdem Inſtrumenti, & frueretur eademmet hypotheca anteriori, nè aliàs idem pactum remanſiſſet eluſorium, & inutile propter poſſibilem intermedio tempore locationis, & renovationis ſupervenientiam tot Creditorum, qui integrum Patrimonium Conductoris abſorbuiſſent; ut ad rem advertit *Rota cor. clar. mem. Card. Falconer. dec.11. ſub num.21. de reb. Credit.*;
11 & alioquin pro inducenda dicta renovatione neceſſarium non erat pactum, dum ſubintraſſet de jure ex continuatione Conductoris in re locata, & taciturnitate Locatoris; *leg. Item quæritur 13. §. Qui impleto cum., leg. ſequen. ff. locat., ibique DD., & leg. Legem. §. Primo. Cod. eodem.*

Idque apertius reſultat ex verbis ejuſdem renovationis ſeſe habentibus ſuper continuatione dicti Inſtrumenti ibi — *tunc, & eo caſu præſens Inſtrumentum Affictus CONTINUARE DEBEAT &c.* —, quod verbum — *CON-
12 TINUARE* — ſignificat initium, & huic conformem progreſſum; *Lancellot. de Attent. part.2. cap.4. limit.1. n.86., Rot. in Recent. dec.142. n.31. part.11.*; & propterea ſi talem retrotractionem ipſimet Contrahentes voluerunt, ſine dubio illa conſequi debet ſuum effectum a die Inſtrumenti Locationis; non obſtante etiam, quod ſupradicta eſſet conditio poteſtativa, & non caſualis, vel mixta; & non obſtaute ſucceſſiva hypotheca Baronis, cui in hoc caſu pacti antecedentis, & hypothecæ anterioris in nihilo remanet præjudicatum;
13 cùm Contrahentes poſſint efficere, ut etiam conditio poteſtativa retrotrahatur ad diem Contractus ſine ulla penitus diſtinctione; ut limitando tradunt *Mantic. de tacit., & ambig. convent. lib.14. tit.46. num.21., & 22., Salgad. Labir. Credit. part.2. cap.21. numer.51.*, & in terminis *Pacion. de Locat., & Conduct. dicto cap.39. num.60. verſic. Etiamſi illa obligatio*.

Quo verò ad Dominicum Bartoletti Creditorem Fratrum de Paſcuccis pro pretio Herbarum, & Fœni, ac Dominicum Rinaldi Piſtorem pariter Creditorem pro pretio Panis, ſimili modo exiſtimarunt Domini *eſſe præferendos DD. Principes*, tum quia illorum Credita non ſunt liquida ob plures exceptiones adversùs illa propoſitas a prædictis Principibus; tum etiam quia illorum Privilegia non videntur habere lo-
14 cum ſuper fructibus Tenutæ, & Animalibus, propter ſupraenunciatam conventam reſervationem dominii, ac ſpecialis hypothecæ ſuper eiſdem adverſus quoſcumque Creditores privilegiatos, & privilegiatiſſimos; quemadmodum ultra citatos num.3. firmant *Card. de Luca de Credit. diſc.16. num.15., Conſtantin. ad Statut. Urbis annot.30. artic.1. num.69., & artic.2. num.244., Rota in Recent. deciſ.114. num. finali part.4.*

Et ita informantibus tantùm Principibus de Pamphiliis, & Barone de Franceſchis; Bartoletto autem, & Rinaldi citatis, & intimatis, juraque ſua non deducentibus, Domini decreverunt &c.

SALAMANTINA PECUNIARIA.

Lunæ 28. Februarii 1735.

ARGUMENTUM.

Confidejuſſor totum debitum ſolvens repetere poteſt, etiam ceſſione Jurium non reportata, ejus medietatem a Confidejuſſore. Adminiſtrator pro ſuo Credito non præſumitur ſibi de Bonis adminiſtratis ſatisfeciſſe, ſi vel Creditum tempore Adminiſtrationis nondum aderat, vel ejuſdem Adminiſtrationis rationem reddidit.

SUMMARIUM.

1 *Actis intra biennium a die appellationis non tranſportatis ſententia tranſit in rem judicatam.*

2 *A qua reſtitutio in integrum deficiente læſione non conceditur.*

3 *Sententiæ ignoratio a citato allegari nequit.*

4 *Confidejuſſor totum debitum ſolvens repetere poteſt, etiam non reportata jurium ceſſione, ejus medietatem a Confidejuſſore*; & num.6.

5 *De jure tertii excipere non licet.*

7 *Adminiſtrator pro ſuo Credito præſumitur ſibi ſatisfeciſſe de Bonis adminiſtratis:*

8 *Limita, ſi creditum tempore Adminiſtrationis nondum aderat:*

9 *Vel rationem Adminiſtrationis reddidit.*

10 *Teſtes de auditu, & proprio judicio nullam probationem conſtituunt.*

11 *Dicta Teſtium poſtponuntur publico & legali documento.*

DECISIO XVI.

EMiſſa anno 1675. ſolidali obligatione, ſive fidejuſſione per Dominicum Fernandez de Rivera, & Joſephum Antonium Alvarez pro Joſepho Guzman Marchione de Almarza favore Balthaxaris Enriquez reſtituendi huic ultimo, ejuſque hæredibus locum nuncupatum *de Tavèra* tunc detentum per dictum Marchionem de Almarza, & reſpectivè ſolvendi eidem Enriquez loco fructuum e dicto loco perceptorum, & in poſterum percipiendorum ſummam ducatorum duodecim millium *de vellon* in eo caſu, & quatenus in Judicio detectum fuiſſet antedictum locum *de Tavera* minime pertinere ad Marchionem de Almarza, ſed ad Balthaxarem, ejuſque hæredes, ac poſtea tali caſu purificato de annis 1718., aliiſque ſequentibus, per plures ſententias latas favore hæredum D. Balthaxaris Enriquez, quibus fuit pronunciatum citatis hęredibus tam ſuprarecenſiti Marchionis de Almarza, quàm omnium dictorum fidejuſſorum ſupradictum locum *de Tavera* non ſpectare ad eumdem Marchionem, iiſque executioni demandatis, coactus fuit Joſeph Franciſcus Alvarez alter ex filiis, & hæredibus Joſephi Antonii Alvarez Confidejuſſoris totam dictam ſummam ducatorum 12000. *de vellon* perſolvere, reſervata ei actione agendi pro repetitione contra alios Cohęredes ſui Patris, & Hæredes Dominici Fernandez de Rivera alterius fidejuſſoris.

Pro reintegratione itaque medietatis fidejuſſionis prædictæ, & ſic ducatorum 6000. *de vellon* egit Joſeph Franciſcus Alvarez contra Alphonſum de Quiros mediatum hæredem Dominici Fernandez de Rivera Confidejuſſoris, & ſententiam favorabilem reportavit a Judice Scholaſtico Univerſitatis Salamantinæ, confirmatam in gradu appellationis a Reverendiſſimo Hiſpaniarum Nuntio. Delata demum Cauſa in gradu ulterioris Appellationis ab Alphonſo de Quiros interpoſitæ ad hoc Sacrum Tribunal, & ab illo intra biennium non tranſportato Proceſſu Actorum de Partibus, propoſui in hodierna Audientia Dubium — *An conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum* — cui, informante tantum Joſepho Franciſco Alvarez, reſponderunt Domini — *Conſtare de re judicata* —,
1 quæ ſemper quidem oritur, ubi, ut hic, Appellans intra bienniũ non tranſportat Acta præcedentis Inſtantiæ, ob inductam deſertionem Cauſæ; ad *Text. in Cap. Cum ſit Romana. de appell. ex Clem. Si appellationem. eodem tit.*, *Rota cor. Bichio dec.345. num.1., & 2., & coram Molines deciſ.788., & deciſ.802. utrobique num. 1., & in Romana Honorarii 11. Junii 1734. §.Siquidem. coram Me.*

Juſtitia verò, quæ ſicuti excludit læ-
2 ſionem, ita omnem viam præcludit reſtitutioni in integrum; *cap.1. de in integr. reſtit.*, *ibique Abb. num.2.*, *Bartol. in leg.1. num.8., & 9. Cod. Si adverſus rem judicat.*, *Rota cor. Molines deciſ.2040. num. 3., & in Recent. deciſ.308. num.3. part.14., dec.33. n.1., & 2., ac deciſ.514. num.1. part.19.*, deprompta fuit ex Inſtrumento publico fidejuſſionis præſtitæ non ſolùm per Joſephum Antonium Alvarez Auctorem alterius Joſephi Franciſci Alvarez Informantis, ſed etiam per Dominicum Fernandez de Rivera, de ſolvendo loco fructuum ducatos duodecim mille *de vel-*

vellon in caſu, quo judicatum fuiſſet dictum locum *de Tavera* fuiſſe reſtituendum Balthaxari Enriquez, vel ejus hæredibus; ideoque cum caſus ejuſmodi evenerit propter ſucceſſivas ſententias emanatas ad inſtantiam dictorum hære-
3 dum jam executioni demandatas, quæ controverti non poſſunt ab hæredibus fidejuſſorum, qui in omnibus, & ſingulis actibus citati fuerunt; *Paul. de Caſtr. in leg. Cum Filius famil. ſub numer. 3. verſ. Ex quibus ſimiliter. ff. de verbor. obligat.*, *Decius conſil.287. numer.2.*, *Surd. conſil.445. num.12.*, *Rota poſt Zacch. de oblig. Camer. dec.198. num.3.*, *& cor. Bichio dec.153. num.5. & 6.*, *& dec.248. num.14.*, *& in Recent. deciſ.348. num.9. par.5. tom.1.*; eaque de cauſa Joſeph Franciſcus Alvarez unus ex hæredibus alterius fidejuſſoris, nempe Joſephi Antonii, fuerit condemnatus, & coactus ſolvere totam dictam ſummam ducator. 12000.; ſequitur inde, quod cùm ille nedum ſolverit medietatem prædicto fidejuſſori tangentem, ſed etiam ducat. 6000. pro medietate tangente Dominico de Rivera alteri fidejuſſori, ſit omnino pro hac rata reintegrandus ab Alphonſo de Quiros mediato hærede ejuſdem de Rivera in ſolidum obligati: Confidejuſſor
4 enim ſolvens Creditori totum debitum, ſemper vel officio Judicis, vel actione negociorum geſtorum medietatem illius repetere poteſt ab alio Confidejuſſore, ejuſque hæredibus, licet a Creditore dimiſſo non reportaverit ceſſionem Jurium; ad *Text. in leg.2. Cod. de duobus Reis.*, *& leg. Si rei. 36. ff. de fidejuſſ.*, *Gloſſ. in leg.1. verſ. Juvare. verſus finem Cod. de duobus Reis.*, *Caſtren. in leg. Modeſtinus num.4. ff. de ſolut.*, *Bartol. in leg. Ut fidejuſſor. ff. de fidejuſſ.* *Ronchegal. in leg. Reos. num.49. ff. de duobus Reis*, *Cujac. in leg. Falcidia 62. ff. ad leg. Falcidiam.*, *Sicard. in leg. Si in rem. Cod. Si cert. petat.*, *Merlin de Pignor. lib.4. tit.2. quæſt.75. num.6.*, *& ſeq.*, *Olea de ceſſ. Jur. tit.5. quæſt.4. num.13.*, *& ſeq.*, *Anſald. de Commerc. & Mercat. diſc.94. num.8.*, *Rota cor. Falconer. tit. de fidejuſſ. dec.5. num.3.*, *& in Recent. deciſ.41. per tot.*, *& deciſ.353. num.12. part.6.*, *& dec.135. num.15.*, *& ſeq. part.16.*, *& in Urbevetana Salviani 28. Februarii 1707.* §. *Non minus. cor. clar. mem. Cardinali Priolo.*

Non ſubſiſtente, quod præfatus Joſeph Franciſcus Alvarez in recenſita lite cum ſucceſſoribus Balthaxaris Enriquez, in qua fuit condemnatus ad ſolvendum totam ſummam ducat. 12000. non exceperit, quod ultra ſemetipſum adeſſent alii Cohæredes Joſephi Antonii fidejuſſoris, quo mediante ſeſe liberare potuiſſet a ſolutione ratæ alios Cohæredes tangentis; tum quia recognitum fuit id non comprobari in facto, dum idem Joſeph Franciſcus etiam hanc exceptionem deduxit, & nihilominus ad ſolutionem totius debiti condemnatus remanſit; tum etiam quia talis oppoſitio reſpicit intereſſe aliorum Cohæredum, qui non ſunt in cauſa, nec contra eos actio intentatur pro reintegratione, & proinde deduci non valet ab Alphonſo Quiros ad effectum ſeſe eximendi ſub illius prætextu a ſolutione
5 ſupradictæ ratæ ducatorum 6000. ad ſe ſpectantis, cujus eſt liquidus, & clarus Debitor; cùm nemini liceat excipere de jure tertii ad *Text. in leg. Loci Corpus.* §. *Competit. ff. ſi ſervit. vindic.*, *ubi DD.*, *leg. Si quis captionis.* §. *Si verò nullum. ff. de præſcript. 30. annorum*, *Rota cor. bon. mem. Molines deciſ.411. num.2.*, *& dec.432. num.12.*, *& in Recent. dec.9. num.14. part.7.*, *& dec.51. num.15. part.8.*

Minuſque, quod a dicto Joſepho Franciſco in eadem Cauſa cum Hæredibus Balthaxaris Enriquez impugnatum fuerit Inſtrumentum fidejuſſionis propter quamdam proteſtationem ante ſtipulationem Inſtrumenti factam a Joſepho Antonio Alvarez ſuo Auctore; quoniam hæc impugnatio fuit a Judicibus Cauſæ rejecta veluti frivola, & inſubſiſtens, & ea non obſtante idem Joſeph Franciſcus condemnatus ad ſolutionem ad formam dicti Inſtrumenti fidejuſſionis; & propterea ſolutionẽ hujuſmodi pro ſua
6 rata ducatorum 6000. non poteſt evitare Alphonſus Quiros heres alterius Confidejuſſoris; *Pacian. de probat. libr.1. cap.19. num.4.*, *Gratian. diſceptat. forenſ. cap.109. num.57.*, *Merlin. de pignor.*

gnor. libr.4. tit.1. quæſt.20. num.11., Trentacinq. var. reſol. lib.3. reſolut.2. num.14., Hodiern. ad Surd. in addit. ad dec.262. num.25., & ſeq.

Nec denique obſtat, quod ſuprame-
moratus Joſeph Antonius Alvarez Con-
fidejuſſor, & Auctor Joſephi Franciſci
adminiſtraverit Bona Marchionis de
Almarza communis Debitoris, ideo-
7 que præſumatur de hoc ſuo Credito ſa-
tisfactus, junctâ potiſſimum depoſitio-
ne quorumdam Teſtium ſuper dicta
Adminiſtratione, & poſſibili ſatisfa-
ctione; quia dicta Adminiſtratio exer-
cita fuit uſque ad annum 1705., quo
tempore non adhuc orta erat actio pro
dicto Credito, quæ pendebat ab eventu
judiciali reſtitutionis Loci *de Tavera*
non purificato niſi annis 1718., & ſe-
quentibus, in quibus prodierunt ſen-
tentiæ condemnatoriæ ad reſtituendum,
ac conſequenter impoſſibilis erat dicta
8 ſatisfactio, quæ non eſt verificabilis
quo ad Creditum non exiſtens tempore
geſtæ Adminiſtrationis; ex regula *Text.
in leg. Ejus, qui in Provincia ff. Si cer-
tum petatur*; Et quia etiam dictus Al-
varez rationem reddidit ſuæ Admini-
ſtrationis, & ampliſſimam quietantiam
9 reportavit, quæ funditus dictam præ-
ſumptionem evertit; *Angel. in leg. Sed
ſi damnum. §. Peculium. ff. de pecul.,
Rot. coram Bieb. deciſ. 466. num. 26.,
& ſequen., & coram Herrera dec.101.
num.14., & coram Reverendiſs. Criſpo
deciſ.120. num.7., & ſequen., & in
Præneſtina Pecuniaria 1. Julii 1707.
§. fin. coram bon. mem. Omanna*. Te-
ſtes verò ſupradicti nullam merentur
10 conſiderationem, dum ultra quod de-
ponunt de auditu, & proprio judicio;
ad *Text. in cap. Auditis. tit. de Teſtib.,
in leg. Jus jurand., & leg. Teſtium. Cod.
de Teſtib., Felin. in cap. Cæterum. nu-
mer.15. de homicid., Valenzuol. conſ.77.
num.47., & conſ.78. num.45., Rot. co-
ram Merlin. deciſ.31. num.11., & de-
ciſ.637. ſub num.11. verſ. Demum., &
coram Zarat. deciſ.82. num.18. & 31.*,
eorum dictum poſtponendum eſt, &
non attendendum in concurſu prædictæ
redditionis rationis; cùm potius ſit ſtan-
11 dum iis, quæ reſultant ex publicis, &
ſegalibus documentis, quam iis, quæ
reſultant ex depoſitione ſupradictorum
Teſtium; *leg. Cenſus. ff. de probat. Cod.
tertio loco, ubi Gloſs. in verſ. Teſtium.
circa medium eodem. tit.; Roman. con-
ſil.319. n.1., Caſſan. conſ.16. num.1.,
Rot. coram Cavaler. deciſ.375. num.6.,
& coram. Coccin. deciſ. 121 num.2.,
& coram Falconer. tit. de Emphyteuſ.
deciſ.2. num.18., & in Recent. dec.64.
num.17. par.5. tom.1.*

Et ita unica tantum Parte &c.

CÆSARAUGUSTANA DISTRIBUTIONUM.

Veneris 4. Martii 1735.

ARGUMENTUM.

Incompatibilitas ex reſidentia præciſa, & perſonali oritur, at non ex cauſativa. Miſſarum celebratio ut plurimum alteri demandari poteſt, non item ſervitium Chori. Diſtributiones ſi a Beneficiato ſeparatim a Maſſa communi per aſſignationem peculiaris Prædii percipiantur, eo abſente, Locis piis arbitrio Epiſcopi elargiendæ ſunt; ſi verò percipiantur ex eadem communi Maſſa, aliis accreſcunt.

SUMMARIUM.

1 *Indultum, ſeu Breve ſubreptitium, & obreptitium executionem non meretur.*

2 *Subreptio oritur, narrando Beneficium requirere Reſidentiam dumtaxat cauſativam, cum præciſam poſtulet*: & num.14.

3 *Prima namque incompatibilitatis cauſa eſt, altera non eſt.*

4 *Pontifex ſcire præſumitur quæ Juris ſunt, non quæ ſunt facti*; & num.15. in fine.

5 *Nec legem fundationis, Statuta, ac pacta tollere ſolet.*

6 *Contra claram voluntatem ſubtilitatibus, & illationibus non datur locus.*

7 *Diſcretivus modus diſponendi oſtendit diverſam Diſponentis voluntatem.*

8 *Servitium Chori per Subſtitutum præſtari nequit*; & num.11.

9 *Divini cultus augmentum in majori numero Miniſtrorum conſiſtit.*

10 *Idem ſuffragium conſequitur Anima Fundatoris, ſive per unum, ſive per alium Miſſæ celebrentur.*

12 *Ex*

12 *Ex diverſitate rationis diverſitas voluntatis deprehenditur.*
13 *Non Fundatoris voluntas, ſed cooptatio in Collegium Beneficiatorum impertitur participationem diſtributionum.*
14 *Reticentia legis a Collegio Beneficiatorum pro Reſidentia perſonali latæ reddit Breve ſubreptitium.*
15 *Ad diſtributiones lucrandas neceſſaria eſt Reſidentia.*
16 *Pontifex derogare non ſolet juri alteri ex proprio facto quæſito, niſi de eo in ſupplici Libello fiat mentio, & juſta cauſa accedat.*
17 *Abſente Beneficiato, Diſtributiones ſeparatim a Maſſa communi ei aſſignatæ elargiendæ ſunt Locis piis arbitrio Epiſcopi:*
18 *Si verò ex eadem Maſſa communi eas percipiat, tunc accreſcunt aliis:*
19 *Proptereaque difficilius Pontifex Indultum eas percipiendi abſenti concedit in ſecundo caſu, quàm in primo:*
20 *Tunc autem Diſtributiones dicuntur ſeparatim percipi, cum peculiare Prædium fructiferum Beneficiato aſſignatur.*
21 *Effectus commixtionis eſt, ut partes commixtæ unum, & idem corpus conſtituant.*

DECISIO XVII.

IN executionem ultimę voluntatis Joannis Vincentii Moliner, ab ejus Executoribus Teſtamentariis anno 1724. erectum fuit in Eccleſia Parochiali S. Egidii Civitatis Cæſarauguſtanæ Beneficium ſub Invocatione Aſſumptionis Beatiſſimæ, ſemperque Virginis Mariæ, reſervato Jurepatronatus paſſivo favore Filiorum, & Deſcendentium Thomæ Moliner, ac Petri Joſephi la Parte; Itidemque ad obſequendum voluntati, ac deſiderio dicti Teſtatoris, ut nempe Poſſeſſores ejuſdem Beneficii aſſiſterent Choro, aliiſque Divinis Officiis peragi ſolitis a Communitate, ſive Collegio Beneficiatorum in eadem Parochiali Eccleſia exiſtente, ac lu rarentur Diſtributiones quotidianas aari conſuetas cuilibet Beneficiato dicti Collegii Horis Canonicis, ac Divinis Officiis aſſiſtenti, atque intereſſenti, ab eiſdem Executoribus Teſtamentariis petita, & obtenta fuit, prævia tamen ſolutione librarum 2000. *Jaquentium* cooptatio Poſſeſſorum pro tempore ſupradicti Beneficii in memoratum Collegium, necnon participatio Diſtributionum quotidianarum, quæ deinde confirmata etiam, & approbata fuerunt a Vicario Generali Cæſarauguſtano.

In primum Beneficiatum talis Beneficii ſic ut ſupra erecti nominatus fuit in eodemmet Fundationis Inſtrumento Sacerdos Petrus Bernardus la Parte, qui veluti proviſus in Eccleſia Metropolitana ejuſdem Civitatis Cæſarauguſtanæ reſidentiali Beneficio *Portione* nuncupato, cùm non valeret ex hac cauſa intereſſentiam, & aſſiſtentiam præſtare Horis Canonicis, ac Divinis Officiis in dicta Parochiali Eccleſia Sancti Egidii, & ſic lucrari iſtius quotidianas Diſtributiones, obtinuit a Sancta Sede Indultum eas percipiendi, etiamſi dictis Horis Canonicis, ac Divinis Officiis non intereſſet; denegataque per ſententiam definitivam eidem Indulto, ſive Brevi Apoſtolico executione a ſupradicto Vicario Generali, ob appellationem interpoſitam a D. Petro Bernardo la Parte devoluta fuit hæc Cauſa ad noſtrum Sacrum Auditorium, eaque mihi commiſſa propoſui in hodierna Audientia Dubium — *An Breve Apoſtolicum ſit exequendum, itaut debeantur Diſtributiones quotidianæ in caſu &c.* — & DD. *negative* reſponderunt.

Quandoquidem conſtitit recenſitum Indultum, ſive Breve Apoſtolicum participandi de prædictis quotidianis Diſtributionibus etiam abſque intereſ-
1 ſentia eſſe infectum inſanabili vitio ſubreptionis, & obreptionis, ac per conſequens nullam mereri executionem; *cap. Super literis, & cap. Cum dilecta 22. de reſcript., cap. Si Capitulum, ibique Gloſſ. verb. Exequatur. de conceſſion. Præbend. in 6., Rota in Recen. dec. 223. num. 17. part. 19., & in Mediolanen. Beneficii 9. Decembris 1707. §. Sicuti. cor. bon. mem. Caffarello, & in Urbanien. Archipresbyteratus 26. Februarii 1720. §. Hinc tranſeundo. cor. bon. mem. de Gamaches, & in Foſſanen. Canonicatus*

Digitized by Google

catus 17. *Aprilis* 1722. §. *Literæ enim.*
cor. bon. mem. Foſcaro, & in terminis
conſimilis Indulti lucrandi Diſtributio-
nes quotidianas abſque intereſſentia per
ſubreptionem extorti *Rota cor. Puteo*
*decis.*193. *lib.*1. *in correct.*, *cor. Man-*
*tic. deciſ.*267. *num.*8., *cor. Duran. de-*
*ciſ.*5. *num.*4., *& ſeq.*, *cor. Ninot. de-*
*ciſ.*67. *per tot.*, *& in Recent. deciſ.*73.
*num.*1., *& ſeq. part.*14.

Subreptionem porro DD. deſumpſe-
runt ex eo, quod Petrus la Parte unice
ac ſimpliciter expoſuit Summo Pontifi-
ci Beneficium ut ſupra fundatum exi-
gere dumtaxat cauſativam, non verò
2 præciſam, & arctatam reſidentiam in
Eccleſia Parochiali S. Egidii: reticen-
do econtra, quod talis reſidentia, ac in-
tereſſentia ad hunc præciſum finem per-
cipiendi Diſtributiones quotidianas op-
tata fuerat a Fundatore Beneficii, in-
juncta in Statutis Eccleſiæ, quorum ob-
ſervantia ſub juramento promitti ſolet,
ac debet ab omnibus Beneficiatis, &
peculiariter conventa, ac in pactum
deducta in Inſtrumento Cooptationis
D. Petri Bernardi in Collegium alio-
rum Beneficiatorum Eccleſiæ pro fruen-
da participatione dictarum quotidiana-
rum Diſtributionum.

Propterea cùm ex recenſita expoſi-
tione reſidentiæ cauſativæ Summus Pon-
tifex ſolùm percipere potuerit, quod
dictum Beneficium fundatum in Eccle-
ſia S. Egidii non eſſet incompatibile
cum altero nuncupato *Portione* per
eumdem Petrum Bernardum poſſeſſo in
Eccleſia Metropolitana: quodque non
intraret privatio Tituli juxta diſtinctio-
3 nem reſidentiæ cauſativæ ab alia præci-
ſa, & neceſſaria, quam late expendunt
*Lotter. de re beneficiar. lib.*3. *quæſt.*27.
*num.*30., *& plurib. ſeq.*, *Piton. de con-*
trov. Patron. allegat. 27. *num.*4., *&*
*ſeqq. tom.*1.: Et demum quod unice ex
Juris diſpoſitione exigebatur pro lu-
crandis Diſtributionibus prædictis in-
tereſſentia Petri Bernardi in eadem Ec-
cleſia S. Egidii, juxta *Text. in Cap. unic.*
de Cleric. non reſid. in 6., *Fagnan. in*
*Cap. Olim. num.*49. *de verbor. ſignificat.*
Minime vero ſupraenarratas Facti cir-
cumſtantias dignoſcere valuerit, quod
nempe intereſſentia, ultra eamdem Ju-
ris diſpoſitionem, ad effectum lucran-
di Diſtributiones optata fuerat a Teſta-
tore, demandata a Statutis Eccleſiæ,
atque conventa cum Collegio Benefi-
4 ciatorum; Cum Papa preſumatur qui-
dem ſcire ea omnia, que in Jure, non
autem ea, quæ in mero, ac nudo facto
conſiſtunt; *Card. de Luca de Benefic. di-*
*ſcurſ.*23. *num.*19., *&* 24., *Adden. ad*
*Gregor. dec.*84. *num.*6., *Adden. ad Bu-*
*ratt. dec.*778. *num.*11., *Rota cor. Mo-*
*lin. dec.*70. *num.*4.

Hinc ſequitur, quod ſi Summus Pon-
tifex de prædictis edoctus non fuit, præ-
fatum Indultum, ſive Breve Apoſtoli-
cum remanet manifeſte ſubreptitium;
quia ſi ea ſciviſſet, dubio procul illud
non conceſſiſſet, vel ſaltem valde dif-
ficiliùs; Cum Papa uti Religioſiſſimus
5 Princeps non ſoleat derogare, ac tolle-
re legem fundationis, Statuta Eccle-
ſiæ, in quæ jurare mos ſit, & pacta
inita inter privatos; ut de lege funda-
tionis *Koehier. ad Regul. Cancell. tit. de*
derogat. Juriſpat. in addit. litt. P., *&*
lit. Q. §. Præſentationem, *Amaiden. de*
Styl. Datar. cap. 15. §. 15. *num.*128.,
& ſeq., *Piton. de controv. Patron. al-*
*legat.*50. *num.*1., *&* 2., *Rota coram*
clar. mem. Card. Kaunitz poſt eamdem
*allegat. num.*17., *cor. bon. mem. Lan-*
*cetta dec.*1135. *num.*9., *& in Recent.*
*dec.*159. *num.*3., *& dec.*725. *num.*2.,
*& ſeq. part.*18.; & de Statutis Eccle-
ſiarum, præſertim quando illorum ob-
ſervantia promitti ſolet ſub juramento
Gloſſ. in Cap. Cum non doceat. verb. Ef-
fectus, de Election. in 6., *Roman. con-*
*ſil.*393. *num.*13., *Riminald. Jun. con-*
*ſil.*79. *num.*30., *& ſeq. lib.*1., *Rota*
*cor. bon. mem. Lancetta deciſ.*618. *nu-*
*mer.*20., *& cor. clar. mem. Card. Fal-*
*conerio dec.*5. *num.*22. *tit. de Benefic.*,
*Adden. ad dec.*18. *de Reſcript. in antiq.*,
*& in Rec. deciſ.*347. *num.*1. *part.*4. *to-*
mo 2.; & de pactis privatorum *Cap. ex*
multiplici 3. *de Decimis*, *Gloſſ. final.*
*cap.*1. *verb. derogetur. de pact. in* 6.,
*Lotter. de Re Benefic. libr.*1. *quæſt.*45.
*num.*21., *& ſeq.*, *Rota coram Buratt.*
*dec.*434. *num.*4., *cor. Duran. deciſ.*48.
*num.*20., *& coram clar. mem. Cardin.*
*Falconer. dec.*8. *n.*7. *&* 8. *tit. de Pactis*,
*& par.*1. *diverſor. dec.*614. *n.*3., *&* 4.

Neque

Digitized by Google

Neque vis, & efficacia fundationis Beneficii, ac Statutorum Eccleſiæ evitari valuit ea ratione, quod in eadem met fundatione Petro Bernardo, aliiſque Beneficiatis de deſcendentia Fundatoris, ad differentiam Beneficiatorum extraneorum, detur facultas onus Miſſarum Beneficio annexarum adimplendi per alium, atque in alio Altari & Eccleſia, ac fructus percipiendi etiam per Procuratorem, licet non capta Capitulari poſſeſſione Beneficii; necnon caveatur quoad celebrationem Miſſarum, & perceptionem fructuum, in caſu obitus dicti Petri Bernardi, aliorumque ſucceſſorum, ut donec hujuſmodi poſſeſſio capiatur, unice obſerventur Conſtitutiones Synodales, & Statuta Eccleſiæ; quaſi vero, ex quo idem Petrus Bernardus quoad prædicta exemptus fuit a perſonali reſidentia, & ab obſervantia Statutorum Eccleſię, exemptus etiam dici debeat a ſervitio, & intereſſentia in Choro, aliiſque Divinis Officiis, quoad perceptionem Diſtributionum quotidianarum.

Siquidem animadverſum fuit, quod verba fundationis ad hujuſmodi reſidentiam, & Diſtributiones pertinentia ſunt nimis clara, & literalia, atque generaliter reſpiciunt omnes Beneficiatos, nulla facta diſtinctione inter illos, qui eſſent deſcendentes, & illos, qui eſſent extranei; ibi — *Item per quanto il detto qu. Vincenzo Moliner ſommamente deſiderò, che il Beneficiato di detto Beneficio foſſe ammeſſo alle Diſtribuzioni, e che aſſiſteſſe al Coro, ed altri atti Conventuali, e Capitolari, dando &c.* — Atque ideo indiſtinctè etiam de omnibus Beneficiatis, tàm deſcendentibus, quàm extraneis intelligenda ſunt, manentibus circa hanc quæſtionem in ſuo
6 robore Statutis Eccleſiæ: Cum ubi conſtat de clara voluntate, non ſint admittendæ ſimiles ſubtilitates, & illationes ad illam deſtruendam, ac penitùs reddendam eluſoriam; ut monet *Text. in leg. penultima. §. ultimo. ff. de legat. ſecundo*, de quo *Rota cor. bon.mem. Moliner dec.*1162. *num.*19., *& cor. cl. me. Card. Falconerio tit. de Legatis. dec.*11. *num.*3., *& dec.*14. *num.*5.: Si enim Fundator ab hujus etiam reſidentię onere Petrum Bernardum, cæteroſque ex ſe deſcendentes liberare voluiſſet, id utique literaliter expreſſiſſet, prout egit quoad onus celebrationis Miſſarum, & apprehenſionem Capitularis poſſeſſionis Beneficii, necnon perceptionem fructuum, circa quæ expreſsè cavit, ut Conſtitutiones Synodales, ac Statuta Eccleſiæ obſervanda non eſſent. Dum igitur hoc ipſum diſpoſitum ab eo non fuit circa reſidentiam, & ſervitium Chori, ſignum evidens eſt, quod ab il-
7 lis immunes, atque exempti Beneficiati nullo modo eſſe debuerint: inde potius oriente effectu diſcretivæ voluntatis, & diſpoſitionis; ut argumentantur *Vrceol. conſult. Forenſ.*81. *num.*10., *Rota cor. Priolo dec.*110. *num.*11., *& dec.*176. *num.*17., *& cor. bon. memor. Molines dec.*750. *num.*14., *& in Rec. dec.*304. *num.*12. *part.*19.

Ideo autem recenſita exemptio conceſſa non fuit quoad ſervitium Chori, & Diſtributiones quotidianas, uti conceſſa extitit quoad prædicta, quia magna inter utrumque caſum intercedit differentia: Nam circa primum non eſt uti-
8 bilis exemptio, cùm ſervitium Chori per ſubſtitutos præſtari nequeat; *Fagnan. in Cap. Vt Abbates. num.*89., *& ſeq. de ætat., & qualit., Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib.*3. *cap.*5. *num.*40. *verſ. Cappellanus., Piton. de controverſ. Patron. allegat.*27. *num.*17. *§. Demum ergo, Rota cor. Molin. dec.*399. *num.*3., *& ſeq.*, quo omiſſo Fundator in hac parte ſuæ piæ voluntatis fraudatur, &
9 imminuitur Cultus Divinus, cujus augmentum conſiſtit in majori numero Miniſtrorum, per quos & Sacrificia fiant, & Divinæ laudes perſolvantur; *Signoroll. conſ.*148. *num.*3., *Lotter. de re benef. lib.*1. *quæſt.*6. *num.*27., *& quæſt.*28, *num.*87., *Rot. cor. Greg. deciſ.*483. *num.*1., *& in Recen. deciſ.*59. *num.*20. *part.*7.

In celebratione vero Miſſarum, earumque adimplemento per alium, & perceptione fructuum per Beneficiatum, etiam non capta poſſeſſione Capitulari longe aliter res ſe habet; quia per talem facultatem nec minuitur Cultus Divinus, nec fraudatur voluntas Fundatoris, dum ſive per hunc, ſive per

10 per illum Sacerdotem Miſſæ celebren-
tur, ſemper idem eſt Sacrificiorum pre-
tium ex ipſo opere operato, quod nulla-
tenus ex operantis perſona immutatur,
itaut eadem ſint ſuffragia, quæ Anima
Fundatoris conſequitur; *Gratian. di-
ſceptat.*133. *num.*8. *&* 9-, *Rota coram
Merlin. dec.*825. *num.*4., *& in Recen.
dec.*335. *num.*30. *part.*19. Quod ſecus
eſt, ubi de reſidentia, atque intereſ-
11 ſentia agitur, quo caſu onus uni per-
ſonæ impoſitum non impletur ab altera,
ut ſupra dictum eſt: Ideoque hac ſtante
diverſitate rationis inter unam, & al-
teram diſpoſitionem, eo magis depre-
henditur fuiſſe quoque diverſam vo-
12 luntatem Fundatoris, & non poſſe ab
uno caſu inferri ad alium; *leg.*9. *ff. de
Jur., & Facti ignoran., Decian. reſp.*1.
*num.*227. *lib.*1., *Mantic. de conject.
ultim. volunt. lib.*6. *tit.*14. *num.*19. *in
fine*, *Rota in Recent. dec.*307. *num.*13.
*part.*16., *& in Mantiſſ. ad Card. de
Luc. dec.*81. *num.*17. *lib.*10. *vol.*3.

Semperque urget, quod aliud eſt Beneficium in Eccleſia S.Egidii eſſe fundatum, aliud vero aggregatio Beneficiati in Collegium Beneficiatorum Eccleſiæ, & participatio Diſtributionum quotidianarum. Quod autem eidem Beneficiato non aliter participatio conceſſa fuerit, quàm ſub conditione intereſſentiæ, oſtendunt clara verba dictæ aggregationis, ibi -- *Colla qual quantità promettiamo ſempre, e quando il Beneficiato, che foſſe di detto Beneficio prenda il poſſeſſo Capitolare di eſſo, e lo riſieda &c., e ſerva d'ammetterlo al godimento, e lucro delle diſtribuzioni, che ſi faceſſero tra li Capitolari Beneficiati di queſto Capitolo, e di ripartirgli, e dargli l'ugual porzione, che ripartiſſe, e daſſe agli altri ſuoi Concapitolari ugualmente reſidenti, e ſervienti &c.*; Ideoque quoquotandem modo ſe habuerit fundatio Beneficii, eadem lex Aggregationis veluti ab Executoribus teſtamentariis Fundatoris acceptata, & in contractum deducta, ſervanda venit:
13 Nam in hoc caſu, non quid voluerit
Fundator, ſpectandum eſt, ſed quo-
modo Beneficiati a Collegio Beneficia-
torum fuerint admiſſi ad participan-
dum; quia non pura illius voluntas,
ſed præcipue hic actus Collegii parti-
cipationem Diſtributionum impertitur
Beneficiatis hujus controverſi Beneficii;
*Rip. reſponſ.*6. *num.*8., *& ſeq.*, *Lam-
bertin. de Jurepatr. lib.*1. *artic.*5. *quæ-
ſtion.*2. *num.*2., *Lotter. de re benefic.
lib.*1. *quæſt.*32. *num.*4., *Rota in Aſten.
Prioratus ſuper pertinentia* 7. *Decem-
bris* 1708. §. *Vis igitur cor. Eminentiſs.
Aldrovando*, *& in Senogallien. Canoni-
catus de Lucchis* 23. *Junii* 1710. §. *Mi-
nime relevante. cor. eodem*, *& in Foſ-
ſanen. Canonicatus* 17. *Aprilis* 1722.
§. *Quia ad vindicandum. cor. bon. mem.
Foſcaro*. Et hujus Legis reticentia ſuf-
14 ficeret ad reddendum ſubreptitium ſu-
pradictum Indultum juxta rationem,
& auctoritates ſuperius allegatas n.5.

Neque vero obſtat, quod ſupraenun-
ciata fundatio, Statuta Eccleſiæ, atque
participatio ſub dicta conditione inte-
reſſendi in Choro, ac Divinis Officiis
15 conceſſa non operentur niſi id, quod
eſt de jure; juxta quod ad Diſtributiones
quotidianas lucrandas neceſſaria etiam
eſſet reſidentia, & intereſſentia; *Fagnan.
in Cap. Cum olim. num.*49. *de verbor. ſi-
gnificat.*, *Rota cor. Pamphil. dec.* 671.
*num.*4., *& coram bon. mem. Molines
dec.*895. *num.*14., *& in Ilerden. Di-
ſtributionum* 20. *Februarii* 1702. §. *Cum
enim. cor. bon. mem. dell'Olmo*; & prop-
terea eo ipſo, quod fuit Summo Ponti-
fici expreſſa reſidentia cauſativa, ne-
ceſſarium non fuerit narrare, illam in-
ſuper ad prædictum effectum participa-
tionis exigi a Fundatione, Statutis, ac
Pacto. Etenim, cum idem Pontifex ex
dicta nuda expoſitione intelligere po-
tuerit reſidentiam eſſe unice requiſi-
tam de Jure, non verò etiam ex diſpoſi-
tione Hominis, qui hanc legem impo-
ſuerit, ſemper opus erat ad evitandam
ſubreptionem id quoque exprimere,
quod uti in facto conſiſtens, non aliter
illi innoteſcere poterat, ut ſupra dictum
16 fuit num.4. Pontifex enim facilius le-
ge ſolvit a Jure dumtaxat indicta, in
quo nemini facit injuriam, quàm ubi
præter Juris ſanctionem adſit vel Fun-
datio, vel Statuta Eccleſiæ, vel Pa-
ctum, & multo magis ſi hæc omnia
ſimul, ut hic, concurrant: Nam in hoc
caſu eſt injuriam facere, & alicui au-
ferre

ferre, quod ſibi ex ſuo facto quæſivit, quod agere non ſolent Summi Pontifices, niſi de prædictis fuerit facta peculiaris, atque individua mentio, & accedat juſta, ac rationabilis cauſa; ad *Text. in Cap. Paſtoralis.*, *ubi Gloſſ. fin. de privileg.*, *Corrad. in prax. diſpenſat. lib.5. cap.6. num.30.*, *Card. de Luca de Canonic. diſc.13. num.16.*, *Eminentiſſimus Petra ad Conſtit. Apoſtol. tom.2. in Conſtit.12. Innocentii III. ſect.2. n.22.*, *& 25.*, *Rota coram Ottobon. deciſ.115. num.6.*, *& ſeq.*, *& coram bon. mem. Kaunitz dec.202. num.8.*, *& ſeq.*, *& in Recent. dec.59. num.7. part.7.*

Præter mox probatam ſubreptionem cenſuerunt Domini in controverſo Indulto adeſſe quoque vitium obreptionis, propterea quod Pontifici narratum fuit Diſtributiones a Petro Bernardo percipiendas fuiſſe eidem in peculiari fundo, & ſic ſeparatim ab illis Collegii Beneficiatorum aſſignatas, ut indicant verba ejuſdem Indulti — *Ut tu etiamſi dictæ Parochiali Eccleſiæ non inſervias, nihilominus Diſtributiones prædictas, attenta particulari Diſtributionum hujuſmodi aſſignatione, percipere, exigere, lucrari, ac in tuos uſus, & utilitatem convertere libere, & licite poſſis* —; ex quo cenſetur facilius eumdem Pontificem adduci potuiſſe, ut Indultum concederet; quia cum in hoc caſu abſente

17 Beneficiato Diſtributiones ita ſeparatim, ac peculiariter aſſignatæ arbitrio Epiſcopi elargiendæ fuiſſent alicui Loco pio; *Barboſ. ad Concil. Trident. ſeſſ.21. cap.3. de reformat. num.18.*, *Garz. de Benefic. par.3. cap.2. num.465.*, neque accreſcerent aliis Beneficiatis intereſſentibus; nemini proinde eorum detrimentum inferretur.

Quæ ſane expoſitio cum falſa, ac ſimulata ſit, eo quia dictæ Diſtributiones non ſunt ſeparatæ, ſed percipi debent ex communi maſſa Diſtributionum Collegii Beneficiatorum, & æqualiter ſunt dividendæ inter omnes Beneficiatos intereſſentes, ut ex Inſtrumento cooptationis, & conventionis initæ cum Collegio Beneficiatorum liquet, atque ideo ex dicto Indulto grave oriatur damnum eidem Collegio, cui tàm ex pacto inito in dicto Inſtrumento, quàm

18 de Jure accreſcere debet pars illa Diſtributionum Beneficiati abſentis, & non intereſſentis; *Gloſſ. in verb. Pars dimidia. in Clement. 2. de ætat.*, *& qualit.*, *Azor. Inſtit. moral. part.2. libr.7. cap.7. quæſt.8.*, *& 9.*, *Monet. de Diſtribut. quotid. part.3. quæſt.6. num.16.* *Pignatell. conſultat.134. num.2.*, *Rota cor. bon. mem. Molines dec.863. num.4.*, *& in Recent. dec.336. num.3. part.17.*, conſequens eſt, ut Indultum obreptionis vitio laboret, nec executioni mandari debeat, quia ſi Papæ quidem notum

19 fuiſſet Diſtributiones prædictas eſſe percipiendas ex Maſſa communi, ex qua oritur jus accreſcendi intereſſentibus, illud non conceſſiſſet, vel ſaltem non ita facilè propter detrimentum ſupradicti Collegii, ac Beneficiatorum intereſſentium; *Fagnan. in Cap. Conſultationibus. num.76. de Cleric. ægrotan.*, *Rota cor. Millin. deciſ.198. per tot.*, *& cor. bon. me. Lancetta dec.618. num.21. & 22.*

Nil officiente, quod Executores Teſtamentarii ad quærendam Beneficiato participationem Diſtributionum Maſſæ communis dicti Collegii Beneficiatorum S. Egidii eidem perſolverint libras

20 biſmille Jaquenſes; quia cum iſtæ non fuerint erogatæ in emptionem alicujus peculiaris Prædii fructiferi, ex quo Beneficiatus ſeparatim ab eodem Collegio conſequeretur ſuas Diſtributiones; ut in his caſibus practicari ſolet, & ad rem obſervat *Rota in Romana, ſeu Sabinen. Pecuniaria 7. Junii 1726. §. Adamuſſim, & ſeq. cor. R. P. D. Nunez*, *& in Romana Supplementi, & Applicationis 11. Junii 1731. §. Secus autem. cor. Emo Aldrovando*, ſed fuerunt commixtæ cum cæteris reditibus ſupradicti Collegii, non dicuntur conſtituere ſeparatum fundum, & ſeparatam peculiarem aſſignationem a Maſſa communi prout Summo Pontifici expoſitum fuit; ſed unum, & idem corpus cum dictis cæteris Bonis Collegii, veluti partes

21 integrales totius eſſe noſcuntur; qui proprie eſt effectus commixtionis; uti advertunt *Joan. de Platea in leg. Si vacantia. n.3. Cod. de bon. vacant. lib.10.*, *Pariſ. de Puteo de Feud. reintegr. Rubric. res ſolita concedi quando dicatur. num.*

num. 7., *Menoch. conſ.* 79. *num.*14., *Maſcard. de probat. concluſ.*203. *n.*11., *& ſeq.*, *Gratian. diſceptat. Forenſ. capit.*291. *num.*1. 2. *&* 3., *Rota cor. Dunozet. Jun. dec.*966. *num.*13., *& coram clar. mem. Card. Falconerio dec.*1. *n.*13. *tit. de Reſcript.*, *& Liter. Apoſt.*
Et ita Domini utraque Parte &c.

ROMANA HÆREDITATIS PRINCIPISSÆ DE BUTERO SUPER REVERSIONE.

Lunæ 14. *Martii* 1735.

ARGUMENTUM.

Facultate diſponendi ſi quis non utatur, ea perinde habetur aeſi conceſſa non fuiſſet: uſus autem dici nequit per ſolam generalem inſtitutionem hæredis, quoties in caſu omiſſæ diſpoſitionis dantur ſubſtituti, cum tunc requiratur expreſſa, & individua ejuſdem facultatis mentio. Verba — *acciò poſſa con maggior decoro tirare avanti la Caſa.* — Fideicommiſſum præſeferunt agnatitium perpetuum. Donatarius inſtitutus Bona donata capere nequit titulo Inſtitutionis æquale jus ipſi tribuente ac Donatio.

SUMMARIUM.

1 *Ulteriori deficiente vocatione Bona fideicommiſſaria evadunt libera.*
2 *Nominatio ſubſtituti facta ab hærede ad id facultatem habente perinde reputatur, aeſi facta fuiſſet ab ipſomet hæredis Auctore.*
3 *Facultas diſponendi in certo caſu, diſpoſitione non ſecuta, pro non conceſſa habetur, nullumque jus tribuit*; & num.9.
4 *Cum aliud ſit facultas diſponendi, aliud ipſamet diſpoſitio.*
5 *Sententiam acceptatam nemo amplius impugnare poteſt.*
6 *Facultas diſponendi ad actum perducta dici nequit per ſolam generalem inſtitutionem hæredis, quoties in caſu omiſſæ diſpoſitionis dantur ſubſtituti, ſed requiritur expreſſa, & individua ejuſdem facultatis mentio.*
7 *Verba* — Tirare avanti la Caſa — *diuturnitatem, ac propagationem Familiæ præſeferunt.*
8 *Quem caſum quis ignoravit, in eo diſpoſuiſſe dici nequit.*
10 *Idem eſt non diſponere, ac diſponere extra caſum in facultate diſponendi deſignatum.*
11 *Ex quo quis ſit capax ſuccedendi inferri nequit, quod eum diſponens vocare voluerit.*
12 *Inſtitutio facta dici debet in vim ejus facultatis diſponendi, cui magis conſonans eſt.*
13 *Verba* — acciò poſſa con maggior decoro tirare avanti la Caſa — *Fideicommiſſum conſervatorium inducunt pro omnibus de Domo.* & num.17.
14 *Clauſula* — omni meliori modo — *caſum expreſſum, qua melius poteſt, ſubſtinet; at cum non extendit ad alium diverſum.*
15 *Nemo ſibi ipſi ſuccedere poteſt.*
16 *Inutilis vocatio nullum jus tribuit ad hæredes tranſmiſſibile.*
17 *Donatarius inſtitutus bona donata capere nequit titulo Inſtitutionis æquale jus ipſi tribuente ac Donatio.*
18 *Dictio* Eſſo *eſt perſonalis.*
19 *Facultas perſonalis etiam in contractu tributa ad hæredes non tranſmittitur.*
20 *Hæres ultimi gravati quodammodo videtur hæres volitus a Fideicommittente.*

DECISIO XVIII.

Poſtquam D. Antonius Columna hæres Teſtamentarius bon. mem. alterius D. Antonii Columnæ ultimi Poſſeſſoris fideicommiſſi ordinati a cl. me. D. Margharita ab Auſtria Principiſſa de Butero ſuccubuit ex pluribus ſententiis hujus Sac. Auditorii promulgatis in ſequelam quamplurium Deciſionum editarum coram *Emo Aldrovando*, *bo. me. Gamaches*, *& Rmo P. D. meo Decano* in Cauſa ſuper duratione, ac purificatione dicti fideicommiſſi favore D. Joannis Baptiſtæ Columnæ Fratris memorati ultimi Poſſeſſoris, atque etiam eidem Cauſæ, & Liti ſolemniter in Actis renunciavit, acceptando eaſdem ſententias, ac Deciſiones, reficiendo ulterius, ut par erat, expenſas; aliam, & quidem præventivam in eodem Sacro Auditorio excitavit prætenſionem, quod videlicet poſt obitum D. Joannis Baptiſtæ

ſtæ ſine filiis, & ſic in defectum Deſcendentiæ D. Dominici Columnæ primi Hæredis gravati, & Patris reſpective Antonii ſenioris, & Joannis Baptiſtæ, Bona ſupradicti fideicommiſſi reverti debeant ad ſeipſum, veluti hæredem Teſtamentarium ejuſdem D. Antonii; unde poſito a me hodie Dubio — *An, & de cujus bono Jure conſtet ſuper reverſione Bonorum Principiſſæ de Butero in caſu deficientiæ Deſcendentiæ D. Dominici ad effectum &c.* — Omnibus Dominis una mecum ſuffragium ferentibus reſponſum fuit — *Conſtare de bono Jure Joannis Baptiſtæ*. —

Regula namque in hac præventiva quæſtione, ac præſuppoſitione caſus adhuc non purificati aſſiſtit D. Joanni Baptiſtæ, quod videlicet, cum ipſe ſit ultimus e ſupradicta Deſcendentia D. Dominici vocata in fideicommiſſo Principiſſæ de Butero, iſtius Bona fideicommiſſaria evadant libera, atque immunia a quocumque vinculo fideicommiſſi, itaut D. Joannes Baptiſta de
1 recenſitis Bonis diſponere valeat favore cujuſcumque perſonæ, niſi clare, ac evidenter per D. Antonium Actorem doceatur in dicto caſu defectus præfatæ Deſcendentiæ ad ſui favorem eamdem D. Principiſſam diſpoſuiſſe; *Text. in leg. Cum Pater §. Liberis. in fine ff. de legat. 2., leg. Qui ſolidum. §. Penultimo. ff. eodem, leg. Pater filium. §. Fundum Titianum. ff. de legat. 3., Jaſon. in leg. Filius familias. §. Divinum 82. ff. de legat. 1., Dec. conſ. 282. num. 1., Rota cor. clar. mem. Card. Falconerio dcciſ. 7. ſub num. 12. de Probation., & dcciſ. 10. num. 17. de Statut. excluſ. Fœminar., & cor. bon. mem. Molines dec. 115. n. 1.*

Nec ſufficienter viſum fuit a D. Antonio diſpoſitionem ejuſdem Principiſſæ in concreto caſu ad ſui favorem deſumi ex eo, quod in Donatione a Principiſſa facta D. Dominico in Capitulis matrimonialibus initis inter ipſum, & D. Antonium Branciforti, confirmatis ſubinde in illius Teſtamento, & Codicillo poſt ordinatum fideicommiſſum favore omnium dicti D. Dominici filiorum, ac totius ejus Deſcendentiæ in perpetuum, data fuerit eidem Dominico in caſum defectus ejus Deſcendentiæ facultas diſponendi de Bonis donatis; & conſequenter cum idem D. Dominicus, mediante Teſtamento, de illis diſpoſuerit favore D. Antonii ejus filii Primogeniti, cujus eſt hæres dictus alter D. Antonius, clarum ſit, quod Bona donata ex voluntate ejuſdem Principiſſæ in controverſo caſu reverti debeant, ac ſpectare ad D. Antonium Juniorem: cum in his terminis
2 illa diſpoſitio facta a D. Dominico habeatur, acſi facta fuiſſet ab eadem Principiſſa, & nil aliud operetur, quàm indicare perſonam, quam Principiſſa poſt ultimum Deſcendentem voluit ſuccedere; juxta doctrinam *Bartol. in leg. Unum ex familia. §. Si duos. n. 3. ff. de legat. 2.*

Quoniam animadverterunt Domini, quod eadem Principiſſa in dictis Capitulis matrimonialibus binas conceſſit facultates memorato D. Dominico, alteram nempe, durantibus fideicommiſſo ordinato, ac ejus Deſcendentia, gratificandi potius uni Filio, & Deſcendenti, quàm alii, ibi — *Si dichiara la ſudetta Signora Donna Margarita Principeſſa &c. che la ſudetta donazione &c. vuole, che ſia di detto Don Domenico, mentre vive, e doppo morte di detto Don Domenico ſia di tutti li ſuoi Figlioli naſcituri, e di tutta la ſua Deſcendenza in perpetuo: con queſto, che abbia detto D. Domenico facoltà di poter laſciare, e diſporre a favore più d'un figliuolo, che d'un' altro, o mettere fideicommiſſi, o altri vincoli trà li Deſcendenti però, come a lui piacerà* —; Et alteram poſt obitum dictæ Principiſſæ, & poſt terminatam dict. Deſcendentiam, ſicque ceſſatum fideicommiſſum, diſponendi videlicet de Bonis donatis, quæ in caſum non factæ diſpoſitionis reverti deberent ad illos, favore quorum eadem Principiſſa quandocumque diſpoſuiſſet; ut ex aliis verbis, ibi — *E dandoſi il caſo, che mancaſſe la Deſcendenza di detto Don Domenico doppo la morte di detta Signora Principeſſa, e non avendo eſſo Don Domenico fatto Teſtamento, o diſpoſto di detti Beni donati, in tal caſo vadino a quelli, a favore de' quali detta Signora Principeſſa averà diſpoſto quandocumque*. — Et propterea cum

Digitized by Google

D. Dominicus mediante dicta ſua Teſtamentaria diſpoſitione nil aliud expleverit, quàm ea, quæ continentur in dicta prima facultate, ſequitur perneceſſe, quod illâ dumtaxat uſus fuerit, & non altera; quodque hoc ſubſiſtente, nullum jus ſibi arrogare valeat D. Antonius ex teſtamentaria diſpoſitione, quam D. Dominicus facere poterat in caſu dictæ alterius facultatis non exercitæ, licet ſit hæres hæredis inſtituti ab
3 eodem D. Dominico; cùm facultas diſponendi in certo, ac determinato caſu, non ſequuta diſpoſitione, nil operetur; *Andreol. contr.*410. *num.*3., *Card. de Luca de fideicomm. diſc.*142. *num.*4., & 11., ubi in terminis ſimilis facultatis diſponendi *Rota cor. Peutinger. deciſ.*356. *num.*3., & *in Recent. dec.*451. *num.*11. *part.*18., & *dec.*380. *num.*27.
4 *part.*19. Aliud namque eſt facultas diſponendi, & aliud ipſamet diſpoſitio; *Roland. a Vall. conſ.*30. *num.*9. *libr.*4., *Rota in Recen. dec.*553. *num.*13. *par.*1.

Quod autem D. Dominicus in prædicta ſua diſpoſitione uti voluerit primâ dumtaxat recenſita facultate, & juxta illam diſpoſuerit, ſatis ſuperque firmatum dignoſcitur ab hoc Sacro Tribunali in omnibus Deciſionibus editis in alia Cauſa ſuper puncto prætenſæ per D. Antonium modernum Actorem caducationis, & peremptionis fideicommiſſi, nempe in prima 4. *Martii* 1731. §. *Redigendo enim ad conſonantiam*, in ſecunda 23. *Novembris ejuſdem anni* §. *Quodque revera.*, & in tertia *ſub die* 31. *Januarii* 1732. *coram Emo Aldrovando*, ac in aliis ſucceſſivis *cor. bo. me. de Gamaches*, & *Rmo P. D. meo Calcagnino Decano*, in quibus fuit dictum, quod illa diſpoſitio Teſtamentaria D. Dominici favore D. Antonii ejus filii Primogeniti ſic concepta — *Inſtituiſco &c. al quale laſcio tutta la mia eredità, acciò con la facoltà, che la Divina Bontà ſi è degnata darmi*, & *io li laſcio, poſſa con maggior decoro tirare avanti la Caſa* — nil aliud in ſe continet, quàm meram, ac ſimplicem gratificationem D. Antonii Inſtituti, ejuſque filiorum, ac Deſcendentium ſupra cæteros Fratres, eorumque Deſcendentes in fruitione ſupradicti fideicommiſſi a Principiſſa conditi, quod eſt illud met contentum in dicta prima facultate; & conſequenter cùm D. Antonius Junior eaſdem Deciſiones, ac ſententias deſuper emanatas ſolemniter acceptaverit
5 liti renunciando, non valet amplius quidquid in illis continetur, ac ſtabilitum fuit, in dubium, ac diſcrimen revocare, & impugnare; *Rota cor. Rmo Criſpo dec.*487. *num.*4., *cor. bon. mem. Herrera dec.*146. *num.*4. & 5., *coram bon. mem. Molines deciſ.*584. *num.*4., & *dec.*1107. *num.*3., & *in Peruſina Fideicommiſſi* 29. *Martii* 1715. §. *Non juvante. cor. clar. mem. Card. Scotto.*

Atque revera, quod voluntas D. Dominici unice fuerit illa ſuperiùs expreſſa reſpiciens caſum gratificationis, & non alterum defectus ſuæ Deſcendentiæ, probari viſum fuit, tum ex ſupra recenſitis verbis Donationis præſcribentibus, quod D. Dominico non diſponente de Bonis donatis in dicto ſpeciali caſu defectus ſuorum Deſcendentium vita functa Principiſſa, eadem Bona donata — *vadino a quelli, a favore de' quali detta Signora Principeſſa aurà diſpoſto quandocunque* — In quibus terminis utpote involventibus præjudicium illorum, qui cauſam quandocumque habuiſſent a ſæpedicta Principiſſa, ejuſque diſpoſitione, ad differentiam alterius caſus abſolute alieni a dicto præjudicio tertii, firma eſt propoſitio, quod facultas ſpecialis in certo ſignato caſu a Do-
6 natore conceſſa minime cenſeatur perducta ad actum a Facultatario per ſolam generalem Inſtitutionem hæredis, ſed requirit expreſſam, & individuam ejuſdem facultatis mentionem; ut diſtinguendo plene firmant *Gratian. diſcept. forenſ. cap.*50. *numer.*23., & *cap.*221. *a num.*7. *ad* 10., & *a num.*12. *ad* 15., ubi traſcripta eſt *Deciſio in Romana Scriptoriæ coram Marquemontio* in hac materia magiſtralis; optime *Rota deciſ.*150. *num.*3. 8., & *ſeq.*, *deciſ.*152. *num.*1., & 2. *poſt Pacific. de Salvian.* quam refert, & ſequitur *dec.*607. *n.*2. *cor. Dunozett. Jun.*, & melius *in Romana, ſeu Januen. Pecuniaria* 17. *Junii* 1726. §. *His itaque cor. bon. mem. Cerro.*

Tum etiam, & fortius, quia ſicuti diſpoſita in Teſtamento dicti D. Dominici

nici apprime conveniunt primæ facultati gratificandi uni filio ſupra cæteros, ſalva tamen ſubſtantia fideicommiſſi, juxta expenſa in prælaudatis Deciſionibus; ita ex oppoſito non bene conveniunt alteri facultati diſponendi in deſignato caſu defectus Deſcendentiæ; nam D. Dominicus ſuam inſtitutionem contulit in Teſtamento in perſonam D. Antonii Filii Primogeniti, qui erat unus ex vocatis in fideicommiſſo, quibus gratificari poterat, & rurſus illi gratificatus fuit ſupra cæteros fratres ſub hac qualitate — *acciò poſſa con maggior decoro tirare avanti la Caſa* — quod præciſe videtur importare gratificationem.

Cumque hæ circumſtantiæ perfectiſſime demonſtrent in tali teſtamentaria diſpoſitione D. Dominicum nunquam cogitaſſe, ac nunquam præ oculis habuiſſe defectum ſuæ Deſcendentiæ (dum ſi hoc cogitaſſet, hæredem potius inſtituiſſet Perſonam extraneam, ſeu ſaltem non comprehenſam in fideicommiſſo, quæ tunc unicè ſuccedere poterat), imo cogitaſſe totum contrarium, nempe
7 diuturnitatem, ac propagationem ſuæ Deſcendentiæ, quam volitam fuiſſe indicant illa verba — *tirare avanti la Caſa* —; Exinde eo magis intelligere erat eumdem D. Dominicum non uſum fuiſſe dicta ſecunda facultate, ideoque per ſimplicem hæredis inſtitutionem mini-
8 me voluiſſe diſponere in caſu defectus ſuæ Deſcendentiæ, quando caſum hujuſmodi nec prævidit, nec cogitavit, imò, ut dictum eſt, totum oppoſitum in mente habuit; ex firmatis per *Gratian. conſ.* 111. *num.* 26. *lib.* 2., *Caprar. conſ.* 103. *num.* 5., *Aym. conſil.* 3. *n.* 11., *Cyriac. controv.* 474. *num.* 29., & 30., *Caſtill. controv. jur. cap.* 42. *n.* 4. *lib.* 4., *Card. de Luca de legat. diſc.* 35. *num.* 2., *Rota cor. Bichio dec.* 119. *num.* 4., *cor. Caprar. dec.* 614. *num.* 9., & *cor. Emerix Jun. dec.* 651. *num.* 4., & *in Recen. dec.* 296. *num.* 30. *part.* 17.

Nec obſtat Principiſſam mandaſſe, quod quando D. Dominicus deceſſiſſet cum Teſtamento, & diſpoſuiſſet de Bonis donatis, iſta non deberent evadere libera penes ultimum Deſcendentem, ſed eſſent reſtituenda illi perſonæ, favore cujus idem D. Dominicus teſtatus fuiſſet; Quocirca cum iſte Teſtamentum condiderit, & diſpoſuerit, hoc uuice attendendum ſit, & non in quo caſu diſpoſuerit, & qua facultate diſponendi uti voluerit: Etenim denuo animadverſum fuit, quod Principiſſa non unicam, ſed binas facultates diſponendi eidem D. Dominico tribuit; alteram nempe favore ejus filiorum, & Deſcendentium, gratificando uni ex illis de fruitione fideicommiſſi, & alteram in caſu extinctionis dicti fideicommiſſi, ac deficientiæ totius Deſcendentiæ, & in hac ultima adjecta fuit reverſio, ac reſtitutio Bonorum illi perſonæ, cujus favore D. Dominicus diſpoſuiſſet; Unde cum niſi iſte uſus fuerit hac ultima facultate, & diſpoſuerit præciſe in dicto caſu deficientiæ Deſcendentiæ, non ſit locus ulli reverſioni, ac reſtitutioni, dum, ut ſupra dictum fuit, facultas di-
9 ſponendi ad actum non redacta, nullum jus tribuit, & habetur, acſi conceſſa non fuiſſet; quemadmodum in hoc caſu non factæ diſpoſitionis voluit Principiſſa, quod Bona ſua redirent ad illos, favore quorum ipſa diſpoſuiſſet; ibi — *E non avendo eſſo Don Domenico fatto Teſtamento, o diſpoſto de' detti Beni, in tal caſo vadino a quelli, a favore de' quali detta Signora Prencipeſſa averà diſpoſto quandocumque* —; Conſequens eſt, ut ad hunc præciſum punctum reverſionis non ſufficiat ſola diſpoſitio teſtamentaria D. Dominici, ſed reqniritur, quod illa facta fuerit in illo deſignato caſu, & in vim illius facultatis diſponendi, in quo adeſt reverſio Bonorum; Nam ſi illa ſeſe reſtringat ad primam illam facultatem, & caſum gratificationis, non eſt locus dictæ reverſioni, cum iſta non
10 fuerit ibidem demandata, & idem ſit ac non diſponere, ubi diſpoſitio non fuit facta in caſu certo, ac deſignato, ſed in alio, ad quem non valet illatio; *leg. Si Pupillorum.* §. *Si Prætor. ff. de reb. cert.*, *Cyriac. controv.* 377. *n.* 5., & 6., *Conciol. allegat.* 16. *num.* 4., *Rot. cor. Bich. dec.* 349. *num.* 7., & *cor. Emerix Jun. dec.* 874. *num.* 2., & 3., & *in Recen. dec.* 6. *num.* 9. *part.* 15.

Sicuti nec quidem obſtat, quod ubi etiam ſpectandnm eſſet, in qno caſu diſpoſuerit D. Dominicus, non ſequatur, ex

ex quo inſtituerit hæredem D. Antonium Filium Primogenitum, & vocatum in Fideicommiſſo, & cum inſtituerit ſub illo fine, & Cauſa — *Acciò poſſa con maggior decoro tirare avanti la Caſa* —, non inde inquam ſequatur, quod ille uti potius voluerit prima facultate gratificandi uni ex vocatis, quam altera diſponendi in caſum defectus totius Deſcendentiæ: cum non obſtante, quod ille fuiſſet vocatus ut ſupra, capax tamen etiam fuiſſet hujus ultimæ diſpoſitionis, & alioqui recenſita verba veluti reſtricta ad perſonam illius, & deſtituta quocumque verbo tractum temporis ſucceſſivum importante nullum præſeferant onus, vel Fideicommiſſum, vel cogitationem prorogationis deſcendentiæ, maxime dum prædictum Teſtamentum D. Dominici munitum reperitur clauſula — *omni meliori modo* — cujus vigore habetur diſpoſitionem factam fuiſſe eo meliori modo, quo potuit.

Etenim quoad primum reſponderunt Domini, quod hic eſt quæſtio de vo-
11 luntate D. Dominici, an nempe ille diſponendo uſus fuerit una potius, quàm alia facultate, & diſponere voluerit potius in uno caſu, quàm in alio; *Salgad. Labir. Credit. tom. 1. par. 2. cap. 23. num. 56.*, *Rota cor. clar. mem. Cardin. Falconerio dec. 6. ſub num. 17. §. Etenim tit. de Jurepatron.*, non autem de capacitate D. Antonii licet vocati ſuccedendi in dicto caſu defectus Deſcendentiæ, cum talis quæſtio locum ſibi vindicaret, quando conſtaret, quod idem D. Dominicus in tali caſu, & vigore ſupradictæ facultatis illum hæredem inſtituiſſet, ut inferius: Proinde cùm inſtitu-
12 tio Antonii uti vocati in Fideicommiſſo, licet is eſſet capax ſuccedendi in alio etiam caſu, magis congruat primæ facultati a Principiſſa tributæ gratificandi potius uni ex filiis, quam alteri, quæ exigere videtur in Succeſſorem Perſonam extraneam, ita hoc firmo remanente, & indubitato, firmum quoque remanet, quod D. Dominicus in dicta inſtitutione uſus fuerit prima facultate, & non alia; ut ultra ſuperius adductos tradunt *Gratian. diſcept. 699. num. 26., & ſeq.*, *Fontanell. de pact. Nuptial. tom. 2. clauſ. 6. Gloſſ. 2. part. 7. num. 62.*, *Salgad. Labir. Credit. tom. 1. part. 2. cap. 23. num. 33.*, *& pluribus ſequen.*

Quo vero ad illa verba — *Acciò poſſa con maggior decoro tirare avanti la Caſa*, quorum reſpectu objicitur, quod nullum præſeferant onus, nullumque Fideicommiſſum uti reſtricta ad Perſonam D. Antonii, ſed liberam denotent inſtitutionem illius, viſum fuit hoc non ſubſiſtere, quia literaliter indicant, ac oſtendunt D. Dominicum cogitaſſe, & cordi habuiſſe, ut D. Antonius propagaret Deſcendentiam, & Agnationem, ac per conſequens ob hanc Cauſam illum inſtituiſſe hæredem, atque gratificatum fuiſſe ſuper alios Fratres; imò
13 quod dicta verba inducant etiam Fideicommiſſum conſervatorium favore illorum omnium de Domo Teſtatoris, tradunt *Venturin. conſ. 2. num. 149.*, *Palm. conſult. 56. num. 1. & 2.*, *Rota coram Bichio dec. 129. num. 8., & ſeq.*, *cor. Anſald. dec. 32. num. 55.*, *cor. clar. mem. Card. Falconerio dec. 41. num. 5. §. Eoque libentiùs. tit. de Fideicommiſſ.*, *& part. 1. Diverſor. dec. 640. ſub n. 16. verſic. Et verba.*

Nec præmiſſa debilitantur ex ſupra-
14 dicta clauſula — *omni meliori modo* — quia iſta reſtringitur tantum ad caſum expreſſum, & illum omni meliori modo, quo poteſt, ſubſtinet, non autem extendit ad alium penitus diverſum, & incognitum; *Felin. in cap. Super. numer. 13. verſic. Quando. de Offic. delegat.*, *Roman. conſil. 194. in fin.*, *Tuſch. concluſ. 358. num. 58.*, *Peregrin. conſil. 31. num. 24. volum. 5.*, *Rot. in Recent. deciſ. 354. num. 5. 6., & 7. part. 16.*

His addiderunt Domini, quod ubi etiam conſtaret D. Dominicum mediante ſupra enunciata ſua Teſtamentaria diſpoſitione uſum fuiſſe recenſita ſecunda facultate, quod, ut viſum eſt, abſolute non regit; id nullo modo prodeſſet D. Antonio Juniori; eo quia cùm D. Antonius Senior ejus Auctor, & hæres inſtitutus ut ſupra, eſſet æque unus ex dictis D. Dominici Deſcendentibus, & vocatus in fideicommiſſo condito a Principiſſa, ex dicta Patris inſtitutione fuiſſet ſibi met ipſi ſubſtitutus; dum ex una

una parte uti vocatus in dicto fideicom-
miſſo in caſu defectus deſcendentiæ de-
buiſſet reſtituere Bona donata, & fidei-
commiſſaria illi Perſonæ, quam in di-
cto caſu vocaſſet D. Dominicus; & vi-
ceverſa ex altera parte ſi a D. Domini-
co dicendum eſſet dictum D. Antonium
nominatum fuiſſe in eodem caſu de-
fectus Deſcendentiæ, certe deberet
15 iſte eamdem reſtitutionem facere ſibi
met ipſi; quod cum repugnet ex eo,
quia nemo ſibi met ipſi ſuccedere po-
teſt; *Palma allegat.* 249. *num.* 14., *Ro-
ta dec.* 130. *num.* 16. *coram R.mo Criſpo*,
*& in Recinaten. Donationis, ſeu Bono-
rum* 23. *Junii* 1723. §. *Nec ex iſta. cor.
Emo D. Cardinali Aldrovando*; atque
hinc patet remanere inutilem ejuſdem
16 D. Dominici diſpoſitionem, ſi eam in
eodem ſuppoſito caſu conceptam fuiſſe
dicamus favore D. Antonii; iſtumque
nullum jus ad ſuos hæredes tranſmiſſi-
bile acquiſiviſſe, juxta ſententiam *Fon-
tanell. de pact. Nuptial. clauſ.* 4. *Gloſſ.* 5.
a num. 57. *uſque ad* 64. *tom.* 1. ab ipſo
reaſſumptam *in ejus Deciſionibus* 468.
469., & 470.

Quin conſiderationem promeruerit,
quod opinionem cōtrariam *Fontanellæ*
17 teneat *Cancer. var. reſolut. lib.* 1. *cap.* 8.
num. 18. *cum pluribus ſeq.*; quia ultra
quod ille confutatur ab eodem *Fonta-
nell. de pact. Nuptial. clauſ.* 7. *Gloſſ.* 3.
part. 3. *a num.* 48. *uſque ad finem tom.* 2.,
qui pro ſe allegat ultra ſententias latas
in Senatu Cathaloniæ, alias quoque res
judicatas in Supremo Conſilio Arago-
niæ, ejuſdem Cancerii ſenſus remanet
inapplicabilis huic caſui ex duabus cir-
cumſtantiis; Altera, quia dato, quod in-
ſtitutio D. Antonii facta a D. Dominico
ſit inutilis, prout eſt, quoad hunc pun-
ctum reverſionis Bonorum poſt defe-
ctum Deſcendentiæ, adhuc illa remanet
efficax, & operativa reſpectu illius gra-
tificationis, quam idem D. Antonius
aſſecutus fuit vigore dictæ Inſtitutionis
in fruitione totius fideicommiſſi ſupra
cæteros Fratres æqualiter in illo com-
prehenſos: Et altera, quod idem *Can-
cerius* a ſua opinione recedit, quotieſ-
cumque Donatarius inſtitutus habeat
ſubſtitutum, & hoc pariter in ſubjecta
hypotheſi concurrit; quia D. Antonius
hæres univerſalis a Patre inſtitutus ut
ſupra, habebat Subſtitutum expreſſum
ei datum tum in Teſtamento Paterno,
in vim nempe fideicommiſſi conſerva-
torii deſignati ſub relatis verbis -- *acciò
poſſa con maggior decoro tirare avanti la
Caſa* --, quæ hujuſmodi fideicommiſ-
ſum important favore Agnatorum ex
auctoritatibus ſuperius allegatis §. *Quo
vero*: Tum quoque in contractu dona-
tionis Principiſſæ, qui præfefert fidei-
commiſſum perpetuum progreſſivum
favore omnium Filiorum, & Deſcen-
dentium D. Dominici nullatenus inter-
vertibile a facultate gratificandi eidem
conceſſa, quam ſolummodo exercere
poterat, prout de facto exercuit, ſal-
va ſubſtantia fideicommiſſi favore cæ-
terorum Filiorum, & Deſcendentium,
quatenus iſti Don Antonio gratificato,
ejuſque lineæ, & deſcendentiæ ſuper-
ſtites fuiſſent; ut firmatum fuit in ſupra
relatis *Deciſionibus coram Eminentiſſi-
mo Aldrovando, bon. mem. de Gama-
ches, & Reverendiſſimo D. meo Decano*
ſuper puncto prætenſæ caducitatis, &
expirationis fideicommiſſi a D. Antonio
Juniore hodierno Actore ſolemniter ac-
ceptatis.

Non attento ulterius, quod ſaltem
ex ſupra recenſita diſpoſitione D. Domi-
nici tranſiverit in D. Antonium ejus fi-
lium hæredem univerſalem, ut ſupra,
inſtitutum, jus illud deducendi ad actum
enunciatam facultatem diſponendi in
dicto deſignato caſu defectus illius De-
ſcendentiæ a Principiſſa conceſſam, &
a dicto D. Dominico non exercitam;
quia ultra quod recurrerent ſuperius
ponderata, quod etiam ipſe D. Anto-
nius minime uſus fuiſſet dicta facultate,
quotieſcumque de illa in ſuo Teſtamen-
to expreſſam, & individuam non feciſ-
ſet mentionem; pro indubitato habue-
runt Domini, quod dicta facultas per-
ſonaliſſime eidem D. Dominico conceſ-
ſa fuerit, ibi -- *Non avendo eſſo D. Do-
18 menico fatto Teſtamento, o diſpoſto di
detti Beni donati* -- ſic ſuadente dicta
dictione -- *Eſſo* -- quæ ad perſonam de-
ſignatam diſpoſitionem taxativè reſtrin-
git *Rota cor. Cavaler. deciſ.* 340. *n.* 2.,
coram Gregor. dec. 529. *num.* 2., & 3.,
cor. bon. mem. Molines dec. 45. *num.* 8.,

& in

Recent. dec.619. num.3. part.1. Ex quo ſequitur, quod eadem facultas nullo modo valuit tranſire in dictum D. Antonium, tametſi qualitatem hæreditariam habentem; *Surd. conſil.29. n.7., Fuſar. de Subſtitut. quæſt.505. num.3., Roſſental. de Feud. cap.9. membr.1. concluſ.57. in addit; lit.B., Noal. de Tranſmiſſ. cap.14. ſub num.17. §. Pro negativa., Rot. coram Emerix Jun. deciſ.537. num.1., & deciſ.1312. num.10., & coram bon. memor. Molines deciſ.45. numer.10., & 11. cum ſequ. part.8., & in Romana Immiſſionis 19. Novembris 1725. §. Altera quoque. coram Illuſtriſ-*
19 *ſimo Corio*; Licet data fuerit in contractu, quia facultas perſonalis etiam in contractu tributa non tranſmittitur ad hæredes; *Rot. in Romana Caſtrorum ſeu Palatii 7. Ianuarii 1729. §§. 36., & 37. coram. bon. mem. de Gamaebes, & in ejus confirmatoria 9. Maii eiuſdem anni §.17. coram Eodem.*

Demonſtrato ex his nullum Jus aſſiſtere D. Antonio ſuper reverſione Bonorum donatorum in vim Teſtamentariæ diſpoſitionis D. Dominici, eo quia iſte ſupraenunciata facultate uſus non fuerit, & quatenus uſus eſſet, hoc ineſficax fuiſſet; nullum jus pariter eidem competere compertum fuit ex alia diſpoſitione Principiſſæ, quæ in dicto caſu defectus Deſcendentiæ, & non factæ diſpoſitionis ab eodem D. Dominico voluit, quod ea Bona redirent — *a quelli a favore de' quali detta Signora Principeſſa averà diſpoſto* —: cum favore ejuſdem D. Antonii nulla adſit ejuſdem Principiſſæ diſpoſitio vel expreſſa, vel tacita; quod in caſum, quo D. Dominicus nullimode, vel inutiliter diſpoſuiſſet, Bona donata reverti deberent ad eumdem; immo econtra diſpoſitio facta ab eadem Principiſſa tàm ante, quàm poſt Donationem diſpoſuerit de Bonis donatis per Teſtamentum, & Codicillos favore omnium Deſcendentium D. Dominici, inter quos ſupereſt D. Joannes Baptiſta: ſicuti fideicommiſſum expiraturum erat in ultimo Deſcendente, & Bona devolvi debebant ad hæredem ejuſdem ultimi Deſcendentis, ita ipſa
20 videtur in ſuum hæredem poſt eamdem Deſcendentiam defectam vocaſſe illum, quem hæredem inſtituiſſet dictus ultimus Deſcendens; *ad Text. in leg. Hæredis appellatione. 65. leg. ſciendum. 70. ff. de verbor. ſignific., leg. fin. Cod. de hæred. inſtituen., Cravett. conſil.298. num.9., Rota coram Cocciu. deciſ.1170. num.10., & cor. clar. mem. Card. Falconerio deciſ.20. de Inuentar. num.13., & in Miſcell. dec.61. num.1. & in Recen. deciſ.227. num.2. part.14.*

Et ita omnibus Dominis una mecum ſuffragantibus reſponſum fuit; Utraque Parte ſtrenue jura ſua deducente &c.

LEODIEN. BENEFICII.

Ven. 18. Martii 1735.

ARGUMENTUM.

Reſidentia præciſa, & perſonalis excluditur ex facultate in fundatione tam Fundatoribus, quàm ſubinde Executoribus reſervata ſuper ea diſpenſandi: itemque ex Proviſionibus Apoſtolicis eam rejicientibus, & ex re judicata, & confeſſione Adverſarii: Immo in vim dictæ Diſpenſationis, & Proviſionum immutatur qualitas Beneficii. Privatio ob non adimpletam intra præfinitum tempus conditionem locum non habet, niſi ſecluſo omni legitimo impedimento, ac juſta excuſatione.

SUMMARIUM.

1 *Impetrator concludentiſſimas probationes afferre debet, aliàs in qualibet dubietate repellitur.*

2 *Reſidentia præciſa, & perſonalis excluditur ex facultate in fundatione tam Fundatoribus, quàm ſubinde Executoribus reſervata ſuper ea diſpenſandi; item ex Proviſionibus Apoſtolicis eam rejicientibus, re judicata, & confeſſione Adverſarii.*

3 *Immo ex ea facultate, & Proviſionibus Beneficium qualitatem reſidentialem amittit, etiamſi antea illam habuiſſet.*

4 *Sententia in eodemmet caſu, & cum legitimo Contradictore lata etiam tertium afficit.*

5 *Nemo propriam confeſſionem impugnare poteſt.*

6 *Privatio Beneficii locum non habet ob non adimpletam intra præfinitum tem-*

tempus conditionem, niſi ſecluſo omni legitimo impedimento, ac juſta excuſatione:

7 *Maxime ſi hoc adeſſe veriſimiliter poterat; quia in hoc caſu in Poſſeſſore decennali, vel etiam triennali præſumitur:*

8 *Immo ſufficit, ut tempore executionis Literarum Apoſtolicarum adimpleta ſit, ut eæ exequi debeant, ſi Mandatum id exprimat.*

DECISIO XIX.

SUB ſuppoſito, quod Beneficium erectum in Eccleſia Cathedrali Leodien. ſub Invocatione SS. Michaelis, Martialis, & Nicolai, de quo præcedenter proviſus fuerat Jacobus Theodorus de Briax, & ab iſto a decennio, & ultra poſſidebatur, adhuc vacaret: Sive quia retentio ejuſdem Beneficii, uti exigentis perſonalem reſidentiam, eſſet incompatibilis abſque diſpenſatione Apoſtolica cum retentione Canonicatus Collegiatæ Eccleſiæ S. Gaugerici Cameracenſis, qui pariter poſſidebatur a prædicto Jacobo Theodoro: ſive quia iſte, cum perveniſſet ad legitimam ætatem, contra legem in ejuſdem Beneficii fundatione expreſſam neglexiſſet ſeſe promoveri facere ad Sacrum Presbyteratus Ordinem, & negligeret etiam tunc, Obtinuit Matthias Joſeph le Feure a S. Sede Literas Apoſtolicas, quibus injunctum fuit Officiali Leodien., ut, vocato dicto Jacobo Theodoro, ac aliis, qui fuiſſent vocandi, ſuper præmiſſis inquireret, & quatenus illa vera reperiret, Jacobum Theodorum de ſupradicto Beneficio privaret, necnon ab illo amoveret, illudque Martino Joſepho conferret.

In vim harum Literarum vocato, atque audito præfato Jacobo Theodoro, executionem denegavit in prima inſtantia Officialis Leodien., & in ſecunda hoc Sacrum Auditorium, ad quod Cauſa devoluta remanſit in gradu Appellationis interpoſitæ a dicto Matthia Joſepho prævia Deciſione edita die 27. Junii 1718., ac Sententia lata a bon. me. Cerro: Cumque modo Ego uti ſubrogatus in locum bon. mem. Foſcari, cui Cauſa in gradu ulterioris Appellationis commiſſa fuerat pro parte ejuſdem Matthiæ Joſephi, propoſuerim Dominis Meis conſuetum Dubium — *An Sententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda* = informante dumtaxat Jacobo Theodoro habui in Reſponſum — *Sententiam Rotalem eſſe confirmandam*.

Juſtitia enim ejuſdem Sententiæ, quæ nulla concurrente controverſia ſuper ejus validitate locum dedit confirmationi, oriri viſa fuit ex eo, quod memoratus Matthias Joſeph tenetur plene, ac concludenter, immo concludentiſſime, itaut excluſa remaneat quælibet poſſibilitas in contrarium, verificare, & probare narrata, atque ſuppoſita in
1 eiſdem Literis Apoſtolicis; quia cum ille ſit odioſus Impetrator, dum tendit ad occupandum Beneficium ab alio poſſeſſum, in qualibet dubietate verificationis dictorum ſuppoſitorum repellendus venit ab effectu gratiæ impetratæ; *Hoſtien. in cap. Cum in multis n.4. verſ. prius. de reſcrip. in 6., Lotter. de Re Beneficiaria lib.2. quæſt.44. num.2., Rot. coram Ubald. deciſ. 300. num.2., & 3.*, & firmant aliæ auctoritates allegatæ *in dicta Deciſione bon. mem. Cerri. §. Idque ex eo*.

Quoad vero primum ſuppoſitum incompatibilitatis deſumptæ a qualitate reſidentiali Beneficii, apparuit nedum dictum Matthiam Joſephum concludentiſſime, ut ſupra, non probaſſe eandem qualitatem reſidentialem, ſed illam immo remanere perfecte excluſam
2 ex deductis a Jacobo Theodoro, nempe ex literali reſervatione in Inſtrumento Fundationis Beneficii, ut tam primi Fundatores, & deinde Executores pro tempore poſſent diſpenſare ſuper eadem reſidentia: Item ex geminis Proviſionibus Apoſtolicis ſecutis annis 1627., & 1641., in quibus fuit expreſſum, quod idem Beneficium perſonalem reſidentiam non requirit, & pariter ex re judicata inducta per Sententiam Officialis Leodien. latam cum legitimo Contradictore anno 1699. in caſu ſimilis impetrationis ſub motivo dictæ qualitatis reſidentialis, in qua fuit rejecta impetratio: & denique ex ipſamet confeſſione Matthiæ Joſephi, qui cum poſt expeditas ſupradictas Literas Apoſtoli-

cas proviſus fuiſſet a S. Sede de Canoni-
catu S. Materni in Eccleſia Leodien. in
precibus Papæ porrectis, ac Bullis de-
ſuper expeditis, clare aſſeruit contro-
verſum Beneficium perſonalem reſi-
dentiam non requirere.

Hæc namque omnia ad effectum, de
quo agitur, optime concludere viſa
fuerunt, dictum Beneficium non eſſe
reſidentiale ea reſidentia præciſa, ne-
ceſſaria, & arctata, quæ ad differen-
tiam alterius reſidentiæ cauſativæ indu-
cere ſolet incompatibilitatem; *Rota
coram Seraphin. deciſ.*348. *num.*1., *&
cor. Rembold. dec.*289. *num.*2., *& ſeq.*,
*& in Recent. dec.*489. *num.*3. *part.*2.,
*& dec.*631. *num.*1. *part.*3., *& in Ce-
ſarauguſtana Diſtributionum* 4. *hujus
Menſis, & Anni* §. *Propterea. coram*
3 *Me*; Nedum quia ob ſupradictam fa-
cultatem diſpenſandi, & dictos ſtatus
annorum 1627., & 1641. legitime
præſcriptos, ac excedentes metam qua-
draginta annorum, dicitur immutatus
Status Beneficii, & de reſidentiali ex
lege Fundationis effectus non reſiden-
tialis; Sed etiam ex quo propter ſupra-
dictam rem judicatam, & propriam
confeſſionem non licet amplius Mat-
thiæ Joſepho in medium afferre onus re-
4 ſidentiæ, cum dicta res judicata, ut-
pote lata in his præciſis terminis, & cum
legitimo Contradictore ipſum etiam
5 afficiat, & is nequeat a propria confeſ-
ſione amplius reſilire; ut late firma-
tum fuit in *dicta deciſ. bon. mem. Cerri*
§. *Quo vero*.

Eadem probatio deficere viſa fuit
quoad aliud ſuppoſitum, quod ſcilicet
Jacobus Theodorus, ubi ad legitimam
ætatem pervenit, neglexerit ſeſe pro-
moveri facere ad Sacrum Presbytera-
tus Ordinem; tum quia de hac negli-
gentia in linea Facti doctum non fuit,
6 atque inſuper, ea etiam data, non
adeſſet ullum poſſibile, ac legitimum
impedimentum, propter quod Joan-
nes Theodorus, ſi diſtuliſſet poſt legiti-
mam ætatem ſuſcipere eundem Ordi-
nem Presbyteratus, eſſet excuſandus:
ſine qua ſubalterna probatione in hac
odibili materia quis nunquam dicitur
negligens, ut advertit *dicta Deciſio bon.
mem. Cerri* §. *Nec plenius*.

Potiſſimum dum dicta excuſatio adeſ-
7 ſe poterat, quia juxta Inſtrumentum
Fundationis Executores pro tempore
habent facultatem diſpenſandi tam ſu-
per reſidentia, quàm ſuper antedicta
promotione ad Sacerdotium, & hæc
diſpenſatio præſumitur favore Joannis
Theodori nedum triennalis, ſed etiam
decennalis poſſeſſoris: ut pariter adver-
tit eadem *Deciſio in eodem* §. *Nec ple-
nius. verſ. quæ poſſibilitas.*; & ultra au-
ctoritates ibidem allegatas firmant quo-
que *Verall. deciſ.*349. *num.*3. *part.*3.,
*Mantic. deciſ.*59. *num.*10., *Cerr. de-
ciſ.*127. *num.*4., *Buratt. dec.*209. *n.*8.,
*Carill. deciſ.*132. *num.*2., *Rota in Rec.
dec.*148. *num.*16. *part.*16., *& dec.*423.
*num.*17. *part.*18.

Tum etiam quia, cum Literæ Apo-
ſtolicæ a Matthia Joſepho obtentæ con-
tineant Mandatum Judici Executori di-
rectum de privando Jacobum Theodo-
rum Beneficio, illudque conferendo
Matthiæ Joſepho, quando eidem Judi-
ci per legitimas probationes conſtitiſ-
ſet, quod Jacobus Theodorus non ſo-
lum neglexiſſet in præteritum, ſed ne-
gligeret etiam ad præſens ſe promoveri
ad Sacerdotium, ſufficiens eſt ad hoc,
ut recenſitæ Literæ non ſint exequen-
dæ, cum tempore petitæ illarum exe-
cutionis, nempe anno 1710. Jacobus
Theodorus jam inſignitus eſſet dicto
Ordine Presbyteratus; ut firmatur in
ſæpedicta *dec. bon. mem. Cerri* §. *Ani-
madvertendo*.

Et ita reſponſum fuit &c. altera tan-
tùm &c.

GIENNEN. BENEFICII.

Lunæ 21. *Martii* 1735.

ARGUMENTUM.

Facultas Nuntii Hiſpaniarum circa colla-
tionem Beneficiorum reſtringitur ad
Beneficia, quorum reditus non exce-
dunt valorem 24. Ducatorum auri Ca-
meræ: cujus narratio per non exceſ-
ſum ſufficienter ex Libris, & Diſtribu-
tione redituum Eccleſiæ probatur. Li-
teris in forma gratioſa expeditis, idonei-
tas Proviſi præſumitur probata in Da-
taria, nec ab Executore diſquiren-
da eſt.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Valor per non exceſſum ſufficienter probatur ex Libris, & æquali Diſtributione redituum Eccleſiæ.*

2 *Literis in forma gratioſa expeditis, idoneitas Proviſi probata præſumitur in Dataria, nec ab Executore diſquirenda eſt.*

3 *Literæ Apoſtolicæ juſtificatæ executioni demandari debent.*

4 *Facultas Nuntii Hiſpaniarum circa collationem Beneficiorum reſtringitur ad Beneficia, quorum reditus non excedunt valorem 24. Ducatorum auri Cameræ:*

5 *Quare Proviſus ab eo probare concludenter debet non exceſſum tanquam ſuæ intentionis fundamentum.*

6 *Aliàs enim impedire nequit Literarum Apoſtolicarum executionem.*

DECISIO XX.

De Beneficio exiſtente in Eccleſia Parochiali S. Salvatoris de Alcazar Civitatis Giennen. vacato per obitum Gregorii Lechuca ſequutum Menſe Januarii 1734., & ſic S. Sedi reſervato in vim *Regul. 9. Cancell.* fuit ab Apoſtolica Dataria proviſus Didacus Marin Colombo, Literiſque Apoſtolicis expeditis, ac habita interim notitia, quod de eodem Beneficio, uti non excedente annuos reditus ducatorum 24. de Camera, proviſus remanſerat a Rmo Hiſpaniarum Nuntio Franciſcus Garay Coechea, qui etiam adeptus fuerat illius poſſeſſionem, dictus Didacus Marin obtinuit Commiſſionem a Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente xii. feliciter Regnante ſignatam, ac mihi directam ſuper executione dictarum literarum Apoſtolicarum: ac citato in partibus perſonaliter dicto Franciſco Garay, & non comparente propoſui hodie per contradictas Dubium -- *An Literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ* -- & Domini -- *Literas Apoſtolicas eſſe exequendas* -- reſponderunt.

Quoniam apparuit eaſdem Literas Apoſtolicas quoad reſervationem Beneficii eſſe pleniſſime juſtificatas, eo ipſo, quod illud vacavit in Menſe Januarii S. Sedi reſervato *in dicta Regula 9. Cancellariæ*; prout quoque circa valorem in eiſdem Literis Apoſtolicis narratum per non exceſſum in 35. ducatis auri de Camera, dum datæ fuere

1 extractio Partitarum ex Libris, ac æqualis repartitio redituum Eccleſiæ, quæ ſufficienter ad hunc effectum dicuntur probare dictum valorem tali modo, & per non exceſſum narratum, ad tradita per *Garz. de Benefic. part. 5. cap. 3. num. 198.*, *Rota in Salamantina Beneficii 20. Aprilis 1725. §. de Clericatu. coram bon. mem. Criſpolto*; *& in illius confirmatoria 6. Martii 1726. §. Quo vero. coram eodem*; cum cæterum in eo,

2 quod concernit idoneitatem, & qualitatem Didaci Marin proviſi, ſatis ſit, quod Literæ Apoſtolicæ expeditæ remanſerint in forma gratioſa: quæ concedi non ſolent, niſi prius in Dataria Apoſtolica facta probatione idoneitatis Proviſi; *Rota coram Priolo deciſ. 345. num. 5; & in Recent. dec. 90. num. 6. part. 17.; & in d. Salamantina Beneficii 20. Aprilis 1725. eodem §. coram d. bon. memor. Criſpolto, & in Pampilonen. Beneficii de Abaiz 22. Novembris 1734. §. de Clericatu. coram R. P. D. meo Nunez*;

3 & conſequenter dictæ Literæ Apoſtolicæ omnino ſunt exequendæ; *Cap. Si quando. 5. de reſcript.*, *Cap. Si Capitulo. ubi Gloſſ. in verb. Exequatur. de conceſſ. Præbend. in 6.*, *Rota in Pampilonen. Rectoriæ Ruralis 30. Junii 1727. §. Conſtitit. cor. Reverendiſſimo Corduben. Epiſcopo.*

Nec huic executioni præbere valet obſtaculum, quod de eodem Beneficio proviſus remanſerit Franciſcus Garay

4 a Reverendiſſimo Hiſpaniarum Nuntio, ac reperiatur in illius poſſeſſione; quia facultas Reverendiſſimi Nuntii eſt reſtricta, & limitata ad Beneficia non excedentia valorem ducatorum 24. auri de Camera; *Rota cor. Ottbobon. deciſ. 172. num. 10.*; Ideoque donec, & quouſque per eundem Franciſcum plene, & concludenter non probetur valorem controverſi Beneficii non excede-

5 re ducatos 24. auri de Camera, (ut per illum hoc probandum eſſe veluti fundamentum ſuæ Gratiæ firmant *Gonzal. ad Regul. 8. Cancellar. §. 2. proœm. ſub num. 57.*, *Garz. de Benef. part. 5. cap. 3. num.*

num.90. 91., *&* 188. *cum ſeq.*, *Rota cor. Otthobon. dicta dec.172. num.12.*, 6 *&* 13.), non valet ab eodem Franciſco impediri executio Literarum Apoſtolicarum a Didaco expeditarum in vim recenſitæ *Regulæ 9. Cancellariæ*; *Rota coram Otthobon. dicta deeiſ.172. num.9.*, *& in Tuden. Beneficii 26. Februarii* 1734. §. *Prætermiſſa*, *& ſeq. cor. R. P. D. meo Nunez.*

Et ita per Contradictas &c.

ANCONITANA DONATIONIS.

Lunæ 28. Martii 1735.

ARGUMENTUM.

Subreptio non incurritur per levis circumſtantiæ reticentiam. Ceſſio a Papa facta de juribus Rev. Cameræ ſuper Bonis Regularis extra Clauſtra degentis non impedit conceſſionem Indulti ad teſtandum: quia eademmet jura Cameræ eventualia ſunt, & conditionalia; ſi nempe Regularis vel Indultum non obtineat, vel eo non utatur. Præſervatio regreſſus ad Bona renunciata ob ingreſſum in Religionem, ſi dependenter a Diſpenſatione fiat, eſt valida; & Diſpenſatio ſuperveniens quodcumque jus renunciatariorum reſolvit.

SUMMARIUM.

1 *Indultum teſtandi Regulari extra Clauſtra degenti facile conceditur.*
2 *Juſta eſt Sententia Gratiam Principis confirmans.*
3 *Subreptio non incurritur per circumſtantiæ reticentiam, quæ Papam nec retraxiſſet, nec difficiliorem reddidiſſet in concedenda Gratia.*
4 *Spolium locum ſibi vindicat in Bonis Regularis extra Clauſtra decedentis, ſi ille Indultum teſtandi vel non habeat, vel eo non utatur*; & num.10.
5 *Quo circa eum Ceſſionarius plus juris non habeat, quàm Cedens*; & num.13.
6 *Ideo per ceſſionem a Papa factam de juribus Rev. Cameræ ſuper Bonis Regularis extra Clauſtra degentis impedita non remanet conceſſio Indulti ad teſtandum, ſed ceſſio intelligitur facta ſub dicta conditione*; & num.10., & ſeqq.
7 *Quia ceſſio non immutat naturam jurium ceſſorum*;
8 *Maxime ſi facta fuerit cum clauſula* — Tali quali —, *quæ jura ceſſa reſtringit, ac limitat.*
9 *Relatum omnino eſt in Referente.*
10 *Per ſolutionem parvæ ſummæ potius acquiſitum cenſetur jus eventuale, quàm jus certum, & maximi momenti*;
11 *Alioquin adeſſet læſio enormiſſima*:
12 *Omnis autem interpretatio ſumenda eſt, ut excludatur fraus, & dolus.*
14 *Pactis ſtandum eſt, nec ea vel a Contrahentibus, vel a Judice declinari poſſunt.*
15 *Præſervatio regreſſus ad Bona renunciata ob ingreſſum in Religionem, ſi fiat dependenter a Diſpenſatione a S. Sede obtinenda, eſt valida*;
16 *Dependenter autem facta intelligitur per clauſulam* — & omni alio meliori modo —;
17 *Ita quidem, ut ſuperveniens Diſpenſatio omnino reſolvat quodcunque jus renunciatariorum.*

DECISIO XXI.

Quamvis Suprema Principis auctoritate præſens controverſia, ſic poſtulantibus Comitiſſa Franciſca de Ferrettis, & Bajulivo Petro Paulo Marcolini Conjugibus, definienda eſſet a Sacro noſtro Auditorio præviis duabus Deciſionibus cum ſuffragio omnium Dominorum etiam Ponentis, & appellatione remota; ac definita jam fuerit favore Abbatis Nicolai Ferretti Donantis, & Comitis Hieronymi Donatarii ſub *die 3. Julii anni 1733.*, *& 7. Februarii 1734. coram R. P. D. meo Peralta*, ut conſtat ex ejus egregiis Deciſionibus, quæ Rotalem præceſſerant Sententiam: Nihilominus prædicti Conjuges minime adhuc acquieſcentes, omnem moverunt lapidem in Tribunali Signaturæ Gratiæ pro ulteriori appellatione, quæ tamen nonniſi in devolutivo, & ſine præjudicio rei judicatæ mihi directa fuit. Quamobrem, cum hodie agi contingat de viribus memoratæ Sententiæ, propoſui aſſuetum Dubium — *An conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum* — & reſponſum habui — *conſtare de re judicata* — ob validitatem non controverſam, & juſtitiam ipſius Sententiæ. Quæ

Quæ ſane juſtitia, circa quam erat omnis diſceptatio, ex eo oritur, quod in eadem enunciata ſententia confirmatur ſubſiſtentia Indulti a Summo Pontifice obtenti per dictum Abbatem Nicolaum Ferretti, ut non obſtante paupertatis voto, vel juribus Apoſtolicæ Cameræ diſponere poſſet de Bonis omnibus, quæ rehabuerat poſt egreſſum a
1 Religione Canonicorum Lateranenſium: Hujuſmodi enim Gratia, quemadmodum non eſt de illis, quæ difficiliter concedi ſoleant, ut unanimiter teſtantur longa manu relati *in prima Cauſæ Deciſione* §.8., maxime concurrente, prout hic, rationabili, & numeris omnibus laudabili cauſa, qualis eſt illa videlicet, ut Indultarii agnati pauperes tali medio aliquod poſſent obtinere ſubſidium; ita omnis bona ratio ſuadet, ut in his circumſtantiis reputetur juſte, ac legitime obtenta: & conſequenter omnino juſta dici debet Sententia ipſius
2 ſubſiſtentiam determinans, cum ſemper deceat gratiam Principis eſſe manſuram, juxta animadverſa per *Text. in Cap. Decet 76. de regul. Jur. in 6.*, *in citata prima Cauſæ Deciſione* §. 6.

Incaſſum verò ad obnubilandam juſtitiam hujus Sententiæ denuo proponebatur jus dictæ Comitiſſæ Ferretti acquiſitum titulo oneroſo, mediante ſibi comparata ceſſione jurium Rev. Cameræ: inde deducendo, quod ſi Summo Pontifici expoſitum fuiſſet hujuſmodi jus a dicto Abbate Nicolao in actu petendi præcitatum Indultum, certo certius Summus Pontifex illud impertitus non fuiſſet, atque ideo tanquam vitio Obreptionis, & Subreptionis infectum, ſubſiſtens pronuntiari non debuiſſet.

Conſiderato namque ipſius Indulti tenore conſpicitur Summum Pontificem occaſione illud concedendi, per verba clara, & perſpicua ſilentium impoſuiſſe nedum Cameræ Apoſtolicæ, cæteriſque ejus Officialibus, reſervato dumtaxat jure, quod in bonis habere forſan potuiſſet Congregatio Lateranenſis, ſed etiam aliis quibuſcumque Perſonis, quæ ceſſionem jurium ab ipſa Camera vel jam reportaſſent, vel inpoſterum reportare potuiſſent: Quapropter cum ex his aperte datum ſit intelligere, quod Summus Pontifex Indultum voluit concedere non obſtantibus iiſdem numero obſtaculis, quæ in medium afferri poterant a dicta Comitiſſa Franciſca tamquam ceſſionaria jurium Reverendæ Cameræ, concludendum pariter eſt, longe exulare vitia obrep-
3 tionis, & ſubreptionis, de quibus nunquam controverſia inſtituitur, ubi dignoſcitur, quod reticentia alicujus circumſtantiæ Papam non retraxiſſet a gratiæ conceſſione, neque illum difficiliorem reddidiſſet ad annuendum petitis; per ea, quæ in propoſito tuentur *Menoch. de arbitrar. caſ.* 201. *n.* 27., *& ſeq.*, *Rota cor. Ninott. dec.* 58. *n.* 11. *& cor. bon. mem. Molinei deciſ.* 1217. *num.* 10. *tom.* 5.

Cujus generis regulæ potiori quoque jure ſibi locum vindicant in præſenti caſu intrinſecus examinata ceſſione a dicta Comitiſſa Franciſca obtenta: Unice quippe ea præſefert translationē jurium, quæ ad Reverendam Cameram ratione ſpolii ſpectabant, ac proinde inſitam uſque in ſui initio ſemper habuit conditionem eam penitus incertam, & eventualem efficientem, juxta præſcriptum
4 *Bullæ ſan. mem. Gregorii XIII.*, quæ non aliter ſucceſſionem tribuit Reverendæ Cameræ in Bonis per Regularem acquiſitis, dum extra Clauſtra decedit, niſi quatenus Indultum diſponendi non obtinuiſſet, ſeu Indulto obtento uſus minime fuiſſet: Quo circa, ſi ceſſio iſthæc hujus indolis, & naturæ fuit, conſequens eſt, ut ſive Papæ expoſita fuiſſet a prædicto Abbate Nicolao, ſive non, adhuc tamen voti compos effectus fuiſſet; quia ea adamuſſim facilitate, qua Summus Pontifex pronus ſe demonſtrare ſolet in concedendis hujuſmodi Indultis, quando agitur de præjudicio Cameræ, ut teſtimonium perhibent adducti in *cit. prima Cauſæ Dec. d.* §. 8.: eadem facilitate in præſenti caſu ſe demonſtraſſet, prout revera factum eſt, licet ei expoſitum fuiſſet jus dictæ Comitiſſæ Franciſcæ, quæ tanquam ceſſionaria
5 ejuſdem Cameræ plus juris ac ipſa Camera acquirere non valuit, ad regulam, de qua *Paulus Juriſconſultus in leg. In his, quæ Officium.* 175. *ff. de Regul. jur.*, *& in Cap. Nemo poteſt.* 79. *de Regul. jur. in* 6.

in 6. appoſite exornatam a *Rota coram bon. mem. Molines in dec.592. num.1. tom.2.*

Nec porro in dubium revocari poteſt, quin memoratæ ceſſioni ineſſet prædicta conditio eam penitus incertam, & eventualem efficiens, quatenus videlicet Indultum diſponendi Abbas Ni-
6 colaus non obtinuiſſet, ſeu illo uſus non fuiſſet: Quandoquidem ultraquamquod Summus Pontifex non qua talis, ſed qua Dominus temporalium jurium ſuæ Cameræ devenit ad præfatam ceſſionem, quibus in circumſtantiis procul eſt ab omni dubio, quod nunquam cenſetur ipſum voluiſſe in præjudicium Regularis extra Clauſtra degentis abſtergere dictam eventualem conditionem, ac una ſimul alterare praxim, & ſtylum concedendi hujuſmodi Indulta, quæ proveniunt ab alio diverſo fonte, nempe ex poteſtate Clavium ſupremæ ſpiritualis Juriſdictionis, ut bene advertit *ſecunda Cauſæ Deciſio* §.11.

Clarius quidem ſubminiſtrat argumentum animadverſio illa, ſcilicet, quod ceſſio præciſe, & ſpecifice facta fuit de juribus, quæ ad Reverendam Cameram ſpectabant, & quidem cum clauſula — *tali quali però le medeſime ragioni ſono, & alla detta noſtra Camera competono* -- ſunt verba Chirographi ceſſionis: unde procedente ceſſione cum hac individuali ſpecificatione, locus dubitandi remanere non videtur, quin comprehenſiva fuiſſet jurium ſimpliciter Reverendæ Cameræ, & quin ipſi
7 ineſſet dicta conditio; tum quia per ſimplicem ceſſionem jura ceſſa nunquam immutant eorum naturam, & indolem, ad regulam *Text. in leg. fin. Cod. de jur. Fiſci*, *Rota deciſ.524. num.1. part.2.*, *& deciſ. 172. num.7.*, *& ſeq. part.18. Recent.*, *& cor. bon. mem. Molines in deciſ. 1243. num.7. tom.5.*; Tum quia
8 præcitata clauſula — *tali quali* — eadem jura ceſſa magis reſtringit, & qualificat; *Alex. conſil.13. num.16. lib.1.*, *Rota dec.146. num.9. poſt Pacific. de Salvian. Interdict.*, *& dec.107. num.6. coram Priolo*.

Augeturque ſubinde vis, & efficacia animadverſionis præ oculis habendo ulterius illas facti circumſtantias: nimirum, quod eadem ceſſio ſe relative habuit ad fontem, unde promanabant jura Spolii, videlicet ad dictam *Conſtitutionem ſan.me. Gregorii XIII.*: quodque valde tenuis ſumma, hoc eſt ſcuta 300., impenſa fuit comparative ad valorem Bonorum aſcendentem ad ſcuta 30000., quæ prætendebantur acquiri mediante ipſa ceſſione: Ex his enim facti circumſtantiis eo magis reſultare compertum eſt, quod non aliter ceſſum
9 fuiſſet jus Cameræ, niſi ſub illa conditione, quæ juribus ipſis ceſſis inhærebat vigore dictæ Conſtitutionis Gregorianæ, ea ratione, quia relatum omnino eſt in referente; *Rota in Recent. dec.305. num.3.*, *& deciſ.457. num.2. part.9. dec.350. num.10. part.16.*, *cor. bon. memor. Molines deciſ.77. num.13. tom.1.*, *& deciſ.413. num.7. tom.2.*;
10 Necnon quia, ſi pro adeo tenui ſumma ceſſio comparata fuit, omnis bona ratio ſuadet, ut rite, & recte argumentari poſſit Ceſſionariam acquiſiviſſe ad inſtar jactus Retis jus illud ad unguem eventuale, quod promanabat a dicta Conſtitutione Gregorii XIII., ut perpenſa hac circumſtantia innuunt etiam *citatæ Cauſæ Deciſiones*, *prima* §. *finali*, *& ſecunda* §.11.

Maxime præterea ponderato, quod Ceſſionaria non ſolum conſequi poterat effectum ceſſionis adeo tenui pretio comparatæ illo intermedio tempore, quod effluxit a die ceſſionis ad diem conceſſionis Indulti; Verum etiam in caſu, quo Abbas Nicolaus facultate teſtandi minime uſus fuiſſet, quaſi reviviſcentibus in hac hypotheſi juribus Spolii, attenta diſpoſitione pluries citatæ Conſtitutionis Gregorianæ, quæ, ut ſupra dictum fuit, non impedit ſucceſſionem Cameræ, niſi quatenus Indultarii ad exercitium, & quidem legitime deduxiſſent obtentam facultatem, ibi — *Eaque legitime uſi fuerint* —; Quo circa ſtantibus omnibus hiſce caſibus, in quibus non obſtante Indulto ceſſio ſuum poterat operari effectum, eo magis detegitur exiguitas pretii in ea impenſi comparative ad dictorum Bonorum va-
11 lorem; ſemperque perneceſſe argumentandum eſt ceſſionem inſitam habuiſſe dictam conditionem, ne e con-

verſo

verſo dicantur ceſſionarii voluiſſe enormiſſimam inferre læſionem: juxta regu-
12 lam, qua edocemur illam capiendam eſſe interpretationem, quæ in contrahentibus dolum, & fraudem excludit: *Decian. conſ.2, num.66., & ſeq. lib.1., Rota in Rec. dec.528. num.4. part.10., cor. Dunozett. Jun. deciſ.332. num.8., & coram bon. mem. Herrera deciſ.193. num.5.*

His vero ita ſe habentibus, refragari viſum non eſt obiectum, nempe quod eventualitas in actu ceſſionis reſpicere tantum potuiſſet caſum, in quo dictus Abbas Nicolaus mori contingeret intra Clauſtra, non autem alterum caſum, in quo idem obtinuiſſet Indultum ad effectum teſtandi: Etenim quotieſcumque ex uſque adhuc dictis abundè probatum eſt, quod controverſa ceſſio comprehenſiva fuit illorum omnino jurium eventualium, quæ promanabant a ſæpe ſæpius memorata Conſtitutione Gregoriana, nullam propterea cenſuerunt Domini adſtrui poſſe juridicam rationem, ut eventualitas dici poſſet excogitata ſolummodo pro caſu, in quo Abbas Nicolaus rediiſſet, & obiiſſet intra Clauſtra, non vero pro caſu, in quo Indultum obtinuiſſet: cùm vigore ipſius Conſtitutionis jura ceſſa redderentur non minus eventualia in caſu non impetrati, aut non adhibiti Indulti, quam in altero vix cogitabili caſu reditus Indultarii ad ea Clauſtra, ex quibus ſemel egreſſus fuerat: ut pandunt verba ejuſdem Conſtitutionis, ibi – *Niſi iidem, ad quos ſpectaverint* (ſcilicet Bona per Religioſum acquiſita) *ſufficienti fuerint teſtandi, aut de illis diſponendi facultate ſuffulti, eaque legitime uſi fuerint*.

Minuſque his poſitis reputatus eſt congruus intellectus, quod Indultum cenſeri quidem poſſet reſervatum, quoties ageretur cum ipſa Camera, minime vero ubi, ut in caſu, Jura Cameræ fuerunt in tertium tranſlata per ceſſionem titulo oneroſo, ne alias auferatur tertio jus quæſitum, deturque anſa eludendi ceſſionem facto cedentis: Quoniam ſpectato ſemper, quod ex hactenus expenſis Actrix non alia per ceſſionem acquiſivit jura, niſi illa, quæ ad Cameram ſpectabant; Inde ſtatim deducitur neque poſſibile eſſe, quod facultas concedendi Indultum teſtandi inexercibilis fuiſſet effecta reſpectu ejuſ-
13 dem Ceſſionariæ, quia tali pacto majus jus acquiſiviſſet, quàm Camera ipſa, in cujus locum fuit ſubrogata, contra de cætero regulam, quam ultra ſuperius allegatos ad caſum expendunt *Olea de ceſſ. jur. tit.4. quæſt.4. num.15., Cæſar. de Affiict. controv. Jur. cap.41. num.20., Rota cor. clar. mem. Cardin. Falconerio dec.1. tit. de Ceſſion. ſub numer.13.*; Neque hiſce terminis applicantur regulæ de jure tertio quæſito non tollendo, & de eluſione ceſſionis ex facto cedentis: Nam ſi quæſitum jus fuit conditionale, pendens ſcilicet a non conceſſione Indulti: ſi item conditionalis fuit ceſſio, neceſſe eſt exiſtente conditione utrumque marte ſuo deficere ex ipſamet natura contractus tali pacto,
14 atque ſub dicta conditione a Partibus initi, cujus leges profecto, quas contrahentes ſibi ipſis indicere voluerunt, nec Partes, nec Judex declinare valent; *cap.1., & 3. de pact., leg. Juris gentium. §. Ait Prætor. ff. de pact., Petra de poteſt. Princip. Dub.2. Principal. numer.84., & ſeq., Rota cor. Priolo deciſ.16. num.8., & coram Mantic. deciſ.337. num.10.*

Vindicato autem ab objectis Indulto, de quo agitur, pro eo, quod reſpicit non expreſſionem juris per ceſſionem acquiſiti a dicta Comitiſſa Franciſca; haud difficile compertum eſt ſublatum remanere alterum ejuſdem Actricis aſſumptum in eo conſiſtens videlicet, quod etiam præciſive a ceſſione Jurium Reverendæ Cameræ controverſa Bona ad ipſam ſpectarent jure proprio ſtante nullitate pacti reverſivi in renunciatione appoſiti a prædicto Abbate Nicolao, cui ſemper reſiſtebat ipſius votum paupertatis, a quo ſolutus non remanſit per egreſſum a Religione; Unde ex eo, quod Indultum præſupponebat regreſſum ad Bona renunciata, & de ipſis diſponendi facultatem conceſſit, inferebatur quod ſemper nimis læſivum eſſet juris tertii, atque ideo quod re ipſa contineret vitium ſubreptionis.

Quid-

Quidquid namque circa improbitatem dicti pacti in genere diſceptetur inter Doctores ob reſiſtentiam voti pau-
15 pertatis, certe ubi, prout in caſu, præſervatio dicti regreſſus ſit dependenter ab imploranda auctoritate S.Sedis, receptiſſima eſt opinio excluſiva cujuslibet improbæ qualitatis, ut ſolide probant *Cauſæ Deciſiones, prima* §.18., *& ſecunda* §.5.; Ideoque cum in præſenti facti ſpecie hujuſmodi præſervatio ſatis indicata fuiſſet in ipſo actu emiſſæ renunciationis ex clauſula — *non*
16 *tantummodo, & forma præmiſſis, ſed & omni alio meliori modo* — juxta quam cenſetur Religioſum non aliter in caſu egreſſus a Religione ex approbata cauſa eidem permiſſi voluiſſe pactum reverſivum, quàm mediante approbatione S. Sedis, ut proſequuntur *Deciſiones Cauſæ locis ſupra allegatis*; Hinc meritò putarunt Domini fruſtra notari præſens pactum reſolutivum de nullita-
17 te ad effectum, de quo agitur; cum in his terminis ſuperveniente diſpenſatione operetur abſque dubio reſolutionem, & omnimodam peremptionem cujuſcunque Juris renunciatariorum; *Sanchez in Præcept. Decalogi lib.7. capit.17. num.4.*, & concordant allegati *in præteritis Cauſæ Deciſionibus in prima* §.18., *& in ſecunda* §.8.

Et ita in reliquis remiſſive ſe habentes ad præteritas Deciſiones mecum reſcripſerunt Domini utraque &c.

LEODIEN. BENEFICII.

Lunæ 4. Junii 1735.

Argumento non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Expenſæ Litis a Succumbente Victori ſemper reficiendæ ſunt*;

2 *Modo tamen Lis uſque ad rem judicatam terminata fuerit.*

DECISIO XXII.

CUM in hodierna Rota Memorialium verba facerem pro expeditione hujùs Cauſæ juxta reſolutionem captam, de qua in mea Deciſione edita die 18. Martii currentis Anni, Domini Cauſam expediendam cenſuerunt, extenſa deſuper hac brevi Deciſione, qua juxta rationabilem Jacobi Theodori de Briax informantis inſtantiam palam fieret, eum, uti fert proteſtatio in Actis emiſſa; ideo præſentem litem proſecutum fuiſſe uſque adhuc, & proſequi, quia non alio modo poterat, aut poteſt litis expenſas recuperare a Matthia Joſepho le Feure, qui adverſus Judicata prædicto Informanti favorabilia appellationem interpoſuerat: dum cæteroquin jam Beneficium, de quo agebatur in præcedentibus Judicatis, & in dicta mea Deciſione, uſque ab anno 1725. fuerat reſignatum ad favorem Huberti Guil-
1 lelmi Renchin: Quamvis enim a Succumbente ſint ſemper Victori expenſæ reficiendæ: ad *Text. in leg. Properandum §. Sin autem Cod. de Judic.*, *leg. Eum, qui temere. ff. eodem*, *Cap. Calumniam. de pœnis*, *Rota cor. Celſ. de-*
2 *ciſ.74. per tot.* ad eas tamen conſequendas neceſſe eſt litem uſque ad rem judicatam terminatam fuiſſe; *Cap. Conſtitutis., ubi Gloſſ. verb. Taxatione. de Procurat., & in Cap. Cum veniſſent. verb. Reſtituerit de eo, qui mittit. in poſſeſſ., Rota cor. clar. mem. Card. Falconer. dec.5. num.17. tit. de Subhaſtat., & Deliberat.*

Et ita &c. altera tantum parte &c.

ROMANA CAMBII.

Lunæ 6. Junii 1735.

ARGUMENTUM.

Apocha privata etiam Teſtium ſubſcriptione, & obligatione Camerali carens probat Creditum: immo Apocha de recepto eas prorſus non requirit. Exceptio non numeratæ pecuniæ non eſt, niſi intra biennium allegabilis: immo nunquam, ſi contra adſit Excipientis confeſſio de recepto.

SUMMARIUM.

1 *Ob lapſum Fatalium Sententia tranſit in rem judicatam*:

2 *Ejuſque juſtitia reſtitutioni in integrum viam præcludit.*

3 *Apocha privata Debitoris ſubſcriptione, & obligatione Camerali munita, a Judice pro vera approbata optime probat Creditum.*

4 *Ex diverſis non valet illatio*.
5 *Exceptio non numeratæ pecuniæ non poteſt niſi intra biennium allegari*;
6 *Immo nunquam allegabilis eſt, ſi Apocha Contractus contineat Excipientis confeſſionem de recepto*.
7 *Actus vagus, & ad alias cauſas referibilis Antidatam non probat*.
8 *Dolus, & fraus non præſumuntur, ſed concludenter probanda ſunt*.
9 *Antidata in Apocha de recepto probata non remanet, ex quo careat ſubſcriptione trium Teſtium, quæ in hujuſmodi Apochis non exigitur*.
10 *Actus referri debet ad cauſam in eo expreſſam, non ad diverſam, & minimè probatam*.
11 *Teſtes in Judicio ab eo diverſo, in quo examinati fuerunt, nihil probant*;
12 *Prout, ſi nihil de eo dicant, quod quæritur*.
13 *Inveriſimilitudo probat falſitatem*.

DECISIO XXIII.

CUM Nicolaus de Benignis declaratus fuiſſet Creditor Petri Antonii Ronca ex cauſa ſortis, & fructuum cujuſdam Cambii in ſumma ſcut.7000. circiter, ut pandunt plures Deciſiones editæ in hoc Sacro Tribnnali *coram Illuſtriſſimo Domino meo Corio Almæ Urbis Gubernatore*, & ſignanter ultimæ *cor. R.P.D. meo Millino in Romana Cambii 9. Junii 1727., & 1. Decembris ejuſdem anni*, ac ſententiæ, & res judicata in earundem Deciſionum ſequelam prolatæ, & reſpectivè inducta; Idem Nicolaus in vim mandati deſuper expediti poſuit ſub ſequeſtro plura Debitorum nomina ad dictum Petrum Antonium Ronca ſpectantia, & præſertim Joſephum Faſanellum illius Debitorem ex cauſa Cambii ſortis principalis ſcutor.2800.: & cum Cambium hujuſmodi creatum fuiſſet a Faſanello favore dicti Ronca, prævia Apocha privata ab eodem Ronca detenta, curavit Benignus creationem dicti Cambii probare ſolito medio Poſitionum, quas tamen Faſanellus medio juramento purè, & ſimpliciter negavit.

Verùm reportata poſtmodum a prædicto Ronca controverſi Cambii a Faſanello contracti ceſſione, ac conſignatione Apochæ illius creationis, egit Benignus poſt elapſum tempus ad ejuſdem Cambii extinctionem præfixum in vim dictæ Apochæ coram R.P.D. Meſmero tunc A. C. Locumtenente, & nunc inter Rev. Cameræ Apoſtolicæ Clericos meritò cooptato contra ſupradictum Faſanellum pro reſtitutione ſortis principalis enunciati Cambii, ac illius fructuum decurſorum ſolutione, & obtinuit, ultra ſententiam rejicientem omnes exceptiones ab eodem Joſepho Faſanello propoſitas, relaxationem Mandati executivi inde approbati a Signatura Juſtitiæ, ad quam Faſanellus recurſum habuit pro ſuſpenſiva appellatione obtinenda, cum clauſula — *Sine præjudicio, & amplius*. —

Tranſacta Cauſa in rem judicatam
1 ob lapſum fatalium, eaque devoluta ad hoc Sacrum Tribunal in gradu reſtitutionis in integrum pro parte recenſiti Faſanelli citatis Marco Antonio, aliiſque de Benignis filiis ſupradicti Nicolai interim defuncti, cum mihi commiſſa fuerit, de more interrogavi hodie Dominos — *An conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum* —, & reſponderunt — *Conſtare de re judicata*. —

Etenim validitas dictæ rei judicatæ non controvertebatur; Juſtitia autem,
2 quæ ſicuti læſionem excludit, ita omnem viam reſtitutioni in integrum præcludit, *Cap.1. de in integr. reſtit., ibique Abbas n.2., Bartol. in leg.1. n.8., & 9. Cod. Si adverſus rem judicatam., Rota in Salamantina Pecuniaria 28. Februarii anni currentis §. Juſtitia. coram*
3 *Me*; apparuit ex ſupradicta Apocha Cambii a Faſanello Debitore ſubſcripta, & obligatione Camerali munita, quæ cum a Judice pronunciata fuerit pro recognita, perfectiſſimè probat dictum creditum Cambii; *Altograd. conſil.4. num.10. lib.1., Coneiol. alleg.63. num.5., Ridolphin. in prax. part.2. capit.6. num.76., Pacific. de Salvian. interdict. Inſpect.1. cap.7. num.45., & plur. ſeq., Rota poſt eundem deciſ.47. num.4., & dec.53. num.1., & coram Duran. dec.193. num.1., & in Recent. dec.227. num.4. part.9.*

Nec obſtat, quod Faſanellus contra dictum

dictum Cambium deduxerit exceptionem non numeratæ pecuniæ, & conſequenter niſi Benignus, etſi Actor, aliunde probet effectivam pecuniæ numerationem, nulla ei competat actio in vim Apochæ pro ſolutione Cambii; quia quidquid ſit, an dicta exceptio allegari valeat in contractu Cambii; objectum in hac hypotheſi removeri viſum eſt duplici reſponſione; Quarum prima deprompta fuit ex defectu probationis in judicio memoratæ exceptionis: quod ſupplere viſa non fuit illa ſimplex negatio facta a ſæpedicto Faſanello Poſitionibus datis a Benigno ſuper creatione Cambii; quia hoc concludit quidem fuiſſe negatum totum contractum, non autem fuiſſe deductam recenſitam exceptionem, quæ neceſſariò ſupponere debet celebrationem præcedentis contractus; cum niſi revera detur ipſe contractus, eo minùs pro-
4 poni valet dicta exceptio, & proinde ex diverſis nulla induci poteſt illatio; per *Text. in leg. Papinianus ff. de minor.*, *Altograd. conſil.4. num.17. 20. & 21.*, *Surd. dec.56. num.3.*, *& 4.*, *Rota cor. bon. mem. Molines dec.441. num.20.*, *& in Rec. dec.1. num.16. part.19.*

Altera reſponſio eſt, quod etiamſi
5 dicta exceptio propoſita fuiſſet, nullius erat momenti; tum quia non fuiſſet propoſita intra biennium, ut de jure requiritur *ad Text. expreſſ. in leg.14. Cod. de*
6 *non numerat. pecun.*; tum etiam quia cum Apocha Cambii contineat in ſe confeſſionem Faſanelli de pecuniis receptis, ibi — *Io infraſcritto &c. mi dichiaro debitore &c. di ſcudi 2800. moneta per altrettanti da lui ricevuti contanti* —: Nullo modo erat, ac eſt admiſſibilis prædicta exceptio; ut advertunt *Amat. var. reſol. Tom.1. reſol.47. num.18.*, *Paſchal. de virib. patr. poteſt. part.1. cap.8. num.76.*, *Scacc. de Commerc.*, *& Camb. §.2. Gloſſ.8. ſub n.6.*, *Anſald. de Commerc.*, *& Mercat. diſc. general. num.178.*, *Rota cor. Celſ. deciſ.194. num.3.*, *& cor. Peutinger. deciſ.197. num.7.*, & in terminis concludunt *Altograd. conſil.18. num.39.*, *& conſ.19. num.15.*, *& ſeq.*, *& fere per tot. lib.1.*, *Rota poſt Oleam de ceſſion. jur. dec.29. num.1.*, *& in Recent. deciſ.344. num.3. part.18.*

Minoris ponderis erat alterum objectum a Faſanello deductum, quod cum ipſe eſſet Creditor in magna pecuniarum ſumma Petri Antonii Ronca ex cauſa negocii Carbonis, & Fidejuſſionis, ſive attergationis Locorum Montium, ideo in ſatisfactionem iſtius crediti ipſe Ronca ceſſerit eidem Faſanello jus, quod habebat ſuper Typographiis Camerali, & particulari Hieronymi Mainardi; & cum tale jus, ſive ejus lucra dictum Creditum excederent in ſumma dictorum ſcutor.2800., pro illa Faſanellus Cambium controverſum creaverit favore Petri Antonii Ronca; ex quo inferebatur, quod cum ſucceſſivè in judicio introducto coram R. P. D. Theſaurario declaratum fuerit, dictas Typographias liberè ſpectare memorato Mainardi, hæcque declaratio confirmata etiam remanſerit Motu proprio ſan. mem. Benedicti XIII., evanuerit etiam, & reſoluta fuerit ſupradicta ceſſio a Ronca facta, & reſpectivè contrapoſitio crediti Faſanelli, & conſequenter quoque Cambium, de quo eſt quæſtio.

Quia non conſtitit Dominis enunciatum ſuppoſitum Creditum Faſanelli ex cauſa negocii Carbonis; Et quoad illud proveniens ab attergatione Locorum Montium jam remanſerat a Ronca ſatisfactum die 30. Junii 1727. tam Joſepho Faſanello Attergatario ſupradictorum Locorum Montium, quàm Franciſco de Comitibus pariter altero Attergatario aliorum locorum Montium, & ſic ante ſupradictam ſuppoſitam ceſſionem Typographiarum, atque controverſi Cambii creationem, ſecutam non priùs, quam die 4. Auguſti anni 1728.; Haud attento, quod Apocha extinctionis dicti Crediti attergationis Locorum Montium contenta in eodem Inſtrumento, ex quo a Faſanello deſumebatur proprium Creditum ex cauſa prædictæ attergationis, contineat Antidatam; Hoc namque probatum non fuit; nec apparere valuit ex quadam inſtantia ſucceſſivè, ideſt die 24. Novembris 1727., a quodam Salandra contra dictum Joſephum Faſanellum, & Franciſcum de Comitibus promota:
7 cum illa ſit generica, & ad alias cauſas refe-

referibilis, & propterea undique inepta ad concludendam dictam Antidatam, quæ ex omni parte perfectam pro-
8 bationem requirit, dum veluti ſapiens delictum falſitatis ex *Rota cor. Buratt. dec.47. num.8.* non præſumitur; *leg. Dolum. Cod. de Dolo., leg. Si Creditor. Cod. de pignorat. Act., Rota coram Gregor. dec.169. num.1., & 2., & in Recent. dec.432. num.5. part.1., & deciſ.336.*
9 *num.18. part.13.*, licet dicta Apocha careat ſubſcriptione trium Teſtium, quæ formalitas non exigitur in ſimilibus Apochis de recepto; *Bonden. collect. legal.5. num.34. lib.2., Card. de Luca de Credit. diſc.22. num.9., Rota coram Anſald. dec.24. num.20., & ſeq., & in Recent. deciſ.396. num.22., & 23. part.15., & deciſ.505. num.1., & 2. part.3. diverſorum.*

Et eo minùs conſtitit de ceſſione Typographiarum favore Faſanelli, ac contrapoſitione ſupradicti aſſerti Crediti in talem cauſam ceſſionis; & reſpectivè creatione controverſi Cambii; dum in iſtius Apocha nulla habetur mentio antedictæ ceſſionis; Quinimmo etiam in hac parte contrarium apparuit ex deductis a Benignis: nempe ſupradictam ceſſionem, ſive potiùs declarationem bonæ fidei fuiſſe a Ronca factam die 20. Aprilis 1725., & favore quidem ſolius Franciſci de Comitibus, iſtumque dumtaxat egiſſe coram R. P. D. Theſaurario contra Mainardum, & de eo pariter dumtaxat loqui bina Chirographa a ſan. mem. Benedicto XIII. in hac re confecta.

In quibus profectò circumſtantiis in-
10 efficax prorſus dijudicata fuit prætenſio Faſanelli creationem controverſi Cambii in ſeſe continentem claram, ac dilucidam cauſam receptionis pecuniarum — *Per altrettanti da lui ricevuti contanti*: contendentis referre ad aliam cauſam diverſam, & non probatam; *leg.1. in principio, leg. Credita. §. Cum de ſorte ff. de ſolut., Rota cor. Benincaſa dec.375. num.10., & coram Biebio dec.281. a num.24. ad 28., & in Rec. dec.341. num.12. & 13. part.13.*

Abſque eo quod prædictorum omnium probatio erui valuerit ex depoſitione duorum Teſtium formiter exami-
11 natorum; non ſolùm quia Teſtes examinati fuere in Judicio omnino diverſo nempe in illo habito cor. R. P. D. Theſaurario inter ſupradictum Franciſcum de Comitibus, & Mainardum, & ideo nullam merentur fidem in hac alia Cauſa; *Decius in leg.2. num. 61., & 62. Cod. de eden., Rota cor. Puteo dec.252. lib.2., & cor. Dunozet. Jun. dec.216. num.2., & in Recent. dec.588. num.7. part.2., & deciſ.20. num.17., & 18. part.18.*; ſed etiam ex quo illorum
12 examen nihil concludit, dum ii quidem non dicunt, Cambium, de quo nunc eſt quæſtio, creatum fuiſſe ex cauſa dictorum aſſertorum Creditorum, & ceſſionis Typographiarum, atque ideo ex hoc quoque capite Teſtes prædicti nullimode attendendi ſunt; *Rota coram Cavaler. dec.419. num.3. verſic. Et licet, & cor. Cerro dec.64. num.13., & coram Dunozet. Jun. dec.217. num.4.*

Ponderantibùs poſtremò Dominis in corroborationem veritatis, atque realitatis ſupra recenſiti Cambii, illiuſque creationis ex pecunia numerata, & vice verſa in excluſionem eorum omnium, quæ a Faſanello exaggerabantur circa illius creationem relativè ad ceſſionem ſæpedictarum Typographiarum, maximam inveriſimilitudinem ex eo deductam, quod ſi revera cambium correſpectivè ad eandem ceſſionem crea-
13 tum fuiſſet, utique Faſanellus non omiſiſſet in ſcriptis ad ſui favorem eandem ceſſionem reportare, vel ſaltem recognitionem bonæ fidei a Franciſco de Comitibus, quatenus verum fuiſſet, iſtum fuiſſe Conceſſionarium, ut ab eodem Faſanello ſubdebatur: & ſeſe etiam cautum reddere non neglexiſſet ſuper firmitate ceſſionis, evictione, ac reviviſcentia proprii crediti in caſu reſolutionis dictæ ceſſionis, ſeipſum hiſce, aliiſque ſimilibus cauthelis ab omnibus perſonis etiam inferioris notæ adhiberi ſolitis muniendo: maxime dum, ut pariter idem Faſanellus jactabat, creditum ab eo pro reportanda ceſſione contrapoſitum aſcendebat ad non levem ſummam ſcut.15000.; hoc namque ex omni parte inveroſimile videbatur, & conſequenter inſubſiſtentes dijudicandæ ſunt cunctæ ſupradictæ ſuppoſitiones

omni legali, & concludenti probatione carentes; ex regula, de qua *Bald. in leg.*1. *num.*16. *Cod. de ſerv. fugit.*, *Rota cor. Celſo dec.*280. *num.*4., *& in Rec. dec.*652. *num.*5., *& 6. part.*19.

Et ita &c. utraque parte jura ſua deducente &c.

SALERNITANA ALIMENTORUM SUPER COMPENSATIONE.

Lunæ 13. *Junii* 1735.

ARGUMENTUM.

In materia Alimentorum futurorum compenſatio nuſquam locum habet, etiamſi agatur de impenſis litis injuſtæ, quamvis in hoc caſu illum ſibi vindicet quoad Beneficium *Cap. Odoardus*, & *Deducto ne egeat*. Patronus habens Uxorem divitem alimenta ab Eccleſia petere nequit. In taxandis alimentis habendà eſt ratio Perſonæ, Loci, & Conſuetudinis.

SUMMARIUM.

1 *In materia alimentorum futurorum compenſatio nuſquam locum habet, etiamſi agatur de impenſis litis injuſtæ*; & numer.3. & 7.

2 *Quamvis in hoc caſu illum ſibi vindicet quoad Beneficium* Cap. Odoardus, *&* Deducto ne egeat.

4 *Qui, poſtquam laceſſitus ſententiam favorabilem obtinuit, ſemel tantùm in judicio comparuit, & quidem ſub patrocinio Congregationis S. Ivonis, uniquè contrariæ Deciſioni acquievit, is temeritate, ac pertinacia in litigando notari nequit.*

5 *Deficiente dolo in litigante Beneficium* Cap. Odoardus, *&* Deducto ne egeat *cum impenſis litis compenſari non poteſt.*

6 *Alimenta futura quoad ſuperfluum compenſantur cum impenſis litis injuſtæ.*

8 *Patronus habens Uxorem divitem petere nequit alimenta ab Eccleſia.*

9 *Annua ducata* 268. *inſufficientia ſunt ad alendam nobilem Mulierem, ejuſque familiam.*

10 *In taxandis alimentis habenda eſt ratio dignitatis Perſonæ, Loci, & conſuetudinis.*

11 *Uxor non habens niſi bona dotalia, quorum fructus vix ad ipſam decenter ſuſtentandam ſufficiant, non tenetur alere Virum.*

DECISIO XXIV.

A Contùmaciali Sententia lata per Reverendiſs. P. D. Decanum favore Abbatis Pauli Capograſſo veluti Rectoris Eccleſiæ S. Andreæ de Lavina ſuper manutentione pro medietate in poſſeſſione, ſeu quaſi Juris nominandi ad primam, ſecundam, & quartam Cappellanias olim erectas in dicta Eccleſia Parochiali, ad inſtantiam Hieronymi, & Joſephi de Capograſſo commiſſa mihi extitit Cauſa in gradu reſtitutionis in integrum, quæ tamen eiſdem denegata fuit ex fundamentis deductis in mea Deciſione edita die 6. Decembris 1734., ad cujus normam fuerunt taxatæ expenſæ in eadem Cauſa factæ. Cum autem dictus Abbas Paulus contenderet illas retinere, ſive compenſare cum annuis alimentis, quæ uti Rector ſupradictæ Eccleſiæ Parochialis tenetur præſtare enunciatis Hieronymo, & Joſepho Compatronis ex Deciſionibus emanatis in hoc Sacro Auditorio, præſertim coram clar. memor. Cardinali Falconerio die 23. Februarii 1723. inter impreſſas Deciſ.8. tit. de Alimentis, inde confirmat. 21. Februarii 1724. coram Illmo Almæ Urbis Gubernatore, ac Sententiis juxta earum tenorem promulgatis, propoſui in hodierna Audientia Dominis meis Dubium -- *An expenſæ litis ſint compenſandæ cum Alimentis* -- cui *Negativè* -- reſponderunt.

Rationem ita decidendi ſumpſerunt Domini ex eo quod agitur de alimentis futuris debitis Joſepho, & Hieronymo Fratribus de Capograſſo in annua ſumma ducatorum 130. pro quolibet ab Eccleſia Patronali, quam detinet Abbas Paulus eorum Frater: Inconcuſſi etenim Juris eſt, quod Debitor alimentorum
1 futurorum nequeat uti beneficio compenſationis ad evitandam præſtationem eorundem, quæ nullam patitur dilationem, ne interim Alimentarius fame pereat; ad *Text. in leg. in ea* 4. *Cod. de Compenſat., ibique Doctores, & ſignanter Barboſ. num.*12., *& ſeq.*, *Surd. de Aliment. tit.*7. *quæſt.*10. *n.*8., *& tit.*8. *privileg.*53. *num.*6. *cum ſeq.*, *Boſſ. cod. tract.*

tract. cap.19. num fin., *Cyriac. controv. forenſ. 34. num.26.*, *Caſtill. controverſ. quotid. lib.9. cap.87. num.12.*, *Gratian. diſcept. forenſ. cap.728. num.32. & ſeq.*

Non officiente, quod Creditum expenſarum litis, pro quibus agit Abbas Paulus adverſus Fratres Alimentarios, ex eorum dolo proceſſerit, ea ratione, quia iidem temerè divexarunt Paulum in lite injuſta, & quolibet juris colore deſtituta; atque ideo in hiſce circumſtantiis nequeat dictis Fratribus prodeſſe Alimentorum Privilegium ad effectum declinandi compenſationem cum impenſis præfatæ litis: eomet pacto,
2 quo datum non eſſet eandem effugere ſub obtentu *Cap. Odoardus*, vel *Deducto ne egeat*; ad tradita per *Conſtantin. ad Statut. Urb. Annot.50. Artic.2. numer.240.*, *Rot. dec.418. num.3., & 4., & dec.470. num.5. cor. Rembold.*, & in *Romana*, *ſeu Lyeien. Cap. Odoardus. 12. Maii 1702. §. Dixerunt., & §. Altera limitatio. cor. bon. mem. Anſaldo*, & *in Bituntina Cap. Odoardus 21. Januarii currentis Anni §.5., & §.12. coram Me*.

Omiſſo quippe, quod etiamſi in excluſionem impenſarum litis ſuffragari non valeat Clericis beneficium *Cap.*
3 *Odoardus*, adhuc exinde minus rectè inferatur, eaſdem impenſas compenſari poſſe cum alimentis futuris; quando juxta Juris communis diſpoſitionem generaliter excluditur compenſatio cujuſvis crediti cum alimentis; ad normam citati *Textus in leg.4. Cod. de compenſat.*, de quo præter ſuperiùs deductos *M.dices de compenſat. part.1. quæſt.14. num.1.*, aliiſque collectis latè *Berſan. eodem tractat. quæſt.2. cap.2. num.10.*, & *quæſt.8. num.1. cum ſeq.*

Ulteriùs tollitur quævis amaritudo, remota, & excluſa temeritate litigandi
4 in Fratribus de Capograſſo: qui ſanè ſuffulti ſententia favorabili, quam non ſponte, ſed a Paulo Fratre laceſſiti reportaverunt in prima inſtantia, adverſus alteram ſententiam noſtri Sacri Tribunalis contumacialiter in gradu Appellationis editam favore Pauli coram Rm̃o D. meo Decano, ſemel tantùm comparuerunt in Judicio, & quidem ſub patrocinio Congregationis S. Ivonis, quæ temerè quidem litigantibus nequaquam patrocinatur: & ubi eiſdem innotuit, propria jura in contradictorio Partium cenſuræ ſubjecta non placuiſſe huic Sacro Auditorio ex fundamentis enucleatis in *Salernitana Juriſpatronatus 6. Decembris 1734. cor. Me*, ſtatim receſſerunt a lite. In quibus profectò circumſtantiis, quemadmodum Fratribus de Capograſſo temeritatis, ac pervicaciæ nota in litigando nullo
5 pacto valet inuri; Ita conſecutivè corruit ratio doli, quo deficiente neque in terminis *Cap. Odoardus*, & beneficii *Deducto ne egeat* compenſatio locum habere poteſt ad evitandam ſolutionem impenſarum litis; ut in hiſce terminis expendunt *Caſtagn. de Benef. Deducto ne egeat quæſt.10. limit.5.*, *Card. de Luca de Credit. diſc.120. num.5.* *Rota in dicta Bituntina Cap. Odoardus 21. Januarii currentis anni §.12. cor. Me*.

Quin officiat quicquam, quod alimenta in annuis ducatis 130. pro quolibet ex dictis Fratribus de Capograſſo excedant modum ſimplicis, & puræ ne-
6 ceſſitatis, ideoque ſaltem in ſuperfluo admittant compenſationem cum expenſis litis. Cum enim noſtrùm Sacrum Tribunal ad formam *Textus in Cap. Nobis de Jurepatron.*, quo cavetur, *Patrono inopi modeſtè ſuccurrendum eſſe ex reditibus Eccleſiæ Patronalis*, præſcripſerit coram clar. mem. Cardin. Scotto, & Card. Falconerio dictam quantitatem alimentorum uti neceſſariò, & condecenter debitam eiſdem Fratribus habita ratione ſtatus, & qualitatis eorum prænobilis Familiæ: Extraneum viſum eſt, nunc rigidiùs inquirere, an quid minus ſufficiat eiſdem ad nudam vitæ ſuſtentationem: quando ſub hodierno
7 Dubio cadit nnica inſpectio compenſationis, quæ cum alimentis futuris generaliter excluditur juxta communem, & inconcuſſam Doctorum opinionem, de qua plena manu collecti in *§. Rationem*.

Non urgente replicatione, quod Joſeph alter ex dictis Fratribus alimenta-
8 riis congruè poſſit ali ab Uxore divite, quo caſu Patronus non poteſt petere alimenta ab Eccleſia, juxta deducta per *Surd. de Aliment. tit.1. quæſt.54. num.16. in fine*; quia ultra quod recurrit,

rit, hoc etiam extraneum eſſe a præſenti inſpectione, & judicio: Rimatis ulteriùs per Dominos aſſertis divitiis Uxoris apparuit, eandem non alia Bona poſſidere, quàm Primogenituræ ejus favore purificatæ, quæ in vim pacti dotalis ſucceſſit loco Dotis; Cumque fructus ejuſdem, deductis deducendis, aſcenderit ad ſummam ducat. 268. circiter, tantum abeſt, ut ex eadem nobilis Matrona ſuccurrere valeat indigentiis Viri, pro cujus alimonia hodie ſumptus neceſſarii creverunt ob infortunium fracturæ oſſium in genu, quam Vir miſerè paſſus eſt; quod immo di-
9 ctus tenuis reditus ducator. 268. prorſus inſufficiens detegitur ad alendam Mulierem nobilem, ejuſque familiam;
10 cum in taxandis alimentis, inter cætera conſideranda ſit Perſonæ Dignitas, locique qualitas, & conſuetudo; quemadmodum latè docet *Surd. de Aliment. tit.4. quæſt.18., aliiſque collectis Rota cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de aliment. deciſ.11. num.8.. & 9.*; Et
11 quando fructus Dotis vix ſufficiunt pro alenda Uxore juxta ejus decentem ſtatum, & illa non habet niſi bona dotalia, non tenetur alere virum; quia ſemper prima charitàs incipit a ſeipſo; *Alexand. in leg. Maritum. num.1. in fine ff. Solut. Matrim.*, ubi teſtatur de communi opinione *Surd. de Aliment. tit.1. quæſt.78. num.74., & ſeq., Coler. eod. tractat. lib.2. cap.2. num. 13., Poſth. Rot. Bonon. dec.54. num.15., & ſeq., & ſignanter num.25., & 26.*, ubi dicit, *æquius eſſe, ut mendicet Maritus, quàm Mulier patiatur, quæ habet dotem, & vivere debet de illius fructibus*, & admiſit *Rota in hac Cauſa ſuper negocio principali in Deciſ. Salernitana Alimentorum* 20. *Junii* 1712. §. *Reſpectu verò. coram clar. mem. Card. Scotto impreſſ. apud bon. mem. Piton. de controv. Patron. allegat.44. num.74.*

Et ita utraque &c.

SQUILLACEN. JURISPATRONATUS.

Veneris 17. Junii 1735.

ARGUMENTUM.

Extincta lite nullus locus eſt Subrogationi gratioſæ. Ad extinctionem autem litis non ſufficit renunciatio favore Patronorum, ſed ea debet eſſe pura, & abſoluta. Lis deſerta non dicitur, niſi vel per expreſſam declarationem, vel per lapſum 30. annorum, vel per Sententiam ſuper Deſertione emanatam. Regula *de triennali* non favet Poſſeſſioni pendente lite captæ. Gratia *perinde valere* efficit, ut quæ in ſecundis Literis expreſſa ſunt, cenſeantur expreſſa in primis.

SUMMARIUM.

1 *Ad appellandum decendium a Jure conceditur.*
2 *Dimiſſio Beneficii in Jure æquipollet vacationi per obitum.*
3 *Concurrentibus neceſſariis requiſitis, ſubrogatio gratioſa executioni demandanda eſt.*
4 *Extincta lite nullus eſt locus ſubrogationi gratioſæ;*
5 *Lis autem dumtaxat extinguitur per renunciationem puram, & abſolutam, orientem ex agnitione mali juris, non vero ſi renuncietur ob aſſecutionem alterius Beneficii, & favore Patronorum ſimul cum Præſentato in Cauſa exiſtentium;*
6 *Quia tunc ſaltem quoad iſtos lis adhuc pendet.*
7 *Lis deſerta non dicitur niſi vel per expreſſam delegationem, vel per lapſum triginta annorum, vel per Sententiam ſuper deſertione emanatam.*
8 *Cum inſtantia de jure canonico ſit perpetua.*
9 *Poſſeſſio intra decendium ad appellandum conceſſum capta nulla eſt.*
10 *Decretum nullum, & patenter injuſtum retractari poteſt ab eodem Judice ordinario.*
11 *Poſſeſſio titulo invalido innixa, & propria auctoritate, ac lite pendente apprehenſa eſt nulla.*
12 *Clauſulæ* — Dummodo jus alteri &c., & Dum-

& Dummodo Poſſeſſio ſit vacans — *referuntur dumtaxat ad jus validum, & poſſeſſionem legitimam.*

13 *Regula de triennali non favet Poſſeſſioni pendente lite captæ, & titulo invalido innixæ.*

14 *Ex reticentia Poſſeſſionis nullæ non oritur ſubreptio in literis ſubrogationis.*

15 *Clauſula* — Amoto &c. — *ſupponit in Papa cognitionem Poſſeſſionis intruſi.*

16 *Non debet Papæ narrari extinctio litis ob renunciationem Beneficii, ſi renunciatum fuerit favore Patronorum; quia quoad eos lis adhuc viget.*

17 *Clauſula* — cujus litis ſtatum — *virtualem expreſſionem cujuſcunque litis præfefert.*

18 *Gratia* — Perinde valere &c. — *efficit, ut expreſſa in ſecundis literis cenſeantur expreſſa in primis.*

19 *Papa poteſt etiam Tertio ſubrogationem concedere.*

DECISIO XXV.

Dimiſſo liberè de anno 1620. per Franciſcum Jencarelli Beneficio de Jurepatronatus Familiæ Coppola, erecto in Eccleſia Parochiali Terræ Olivadi Squillacen. Diœceſis, orta fuit lis inter Joſephum Antonium Damianum a Patronis intra legitima tempora præſentatum, & Dominicum Caſalnovo, uti paſſivè vocatum ex lege fundationis; Eaque delata ad Curiam Metropolitanam Rhegien., Dominicus obtinuit poſſeſſionem Beneficii (intra tamen de-
1 cendium ad appellandum de jure indultum) in vim decreti lati in Judicio poſſeſſorio ſuper illius inſtitutione, *reſervatis Juribus in Petitorio favore Patronorum.*

Etſi autem a præfato Decreto Curiæ Metropolitanæ Patroni non ſemel provocaverint ad S. Sedem, & unà ſimul Damianus ab ipſis præſentatus expediverit Citationem prò adeunda Signatura; Subinde tamen placuit eiſdem expediri Jura propria in Petitorio in dicta Curia Rhegien.: quibus ritè, rectèque diſcuſſis, prodiit Sententia revocatoria præcedentis Decreti, adjudicans illis de Coppola liberam facultatem præſentandi, & in ſequelam eorum præſentationis decernens Inſtitutionem favore Damiani, qui nedum adeptus fuit poſſeſſionem controverſi Beneficii, ſed etiam compulit per Cenſuras Dominicum ad reſtitutionem Sacræ Supellectilis pertinentis ad ſæpedictum Beneficium. Non acquieſcens Dominicus huic Judicato parem habuit recurſum ad Signaturam ad eam vocando Damianum, qui proviſus interim alio Beneficio non litigioſo dimiſit controverſum in manibus Ordinarii, coram quo fuit præſentatus a Patronis Nicolaus Caſalnovo, qui ſeſe ulterius muniri ſtuduit Literis ſubrogationis gratioſæ in Juribus tàm Franciſci Jencarelli primi, quàm Damiani poſtremi Dimiſſoris controverſi Beneficii; Quibus Literis Apoſtolicis, licet in partibus decreta fuerit executio, diſſimilis tamen fuit exitus in ſecunda inſtantia coram R. P. D. Riccardo, cui cum per Signaturam fuiſſet eidem ex integro commiſſa controverſia, placuit dictam executionem denegare. Provocante itaque Nicolao ad noſtrum Tribunal, propoſui in hodierna Audientia Dubium — *An Literæ Apoſtolicæ favore Nicolai ſint exequendæ, ſeu potius eidem ſit concedenda Inſtitutio* — Et Domini reſponderunt — *Literas Apoſtolicas eſſe exequendas.* —

Cum enim verificata dignoſcantur omnia requiſita ad ſubſtinendam gratioſam ſubrogationem neceſſaria; Pendentia nimirum litis inter Dominicum Caſalnovo, & Damianum reſurgens ex
2 ſuperiori narratione facti; Dimiſſio Beneficii facta a Damiano, quæ in jure æquipollet vacationi per obitum, nec
3 non Clericatus Nicolai Caſalnovo, qui Literas ſubrogationis impetravit: Non eſt cur, hiſce extremis concurrentibus, Gratia ſubrogationis non ſit omnimodæ executioni demandanda; *Garz. de Benef. part. 6. cap. 4. num. 16., Lotter. de Re Benef. lib. 2. quæſt. 20. n. 212. Rota cor. Caprara dec. 459. num. 2., & in Calaguritana Beneficii, ſeu integræ Portionis ſuper Subrogatione gratioſa 28. Januarii 1726. §. Manente Lite, & in illius confirmatoria 29. Martii ejuſdem anni §. Præexiſtentia, coram bon. memor. Criſpolto.*

Minime obſiſtente, quod Damianus

Liti

Liti renunciaverit, aut expreſsè, me-
diante Beneficii dimiſſione, aut tacitè
ob non proſecutionem Judicii penden-
tis cum Dominico; Proindeque nulla
exiſtente lite jam antea per renuncia-
4 tionem Damiani ſublata, & extincta,
nulla Nicolao competere poſſet ſubro-
gatio, cujus potiſſimum fundamentum
eſt Lis, ad tradita per *Card. de Luca*
*diſc.*51. *num.*4. *de Benef.*; *Rota coram*
*Emer. Jun. dec.*124. *num.*3.

Quo enim ad renunciationem Litis
deſumptam ex Beneficii dimiſſione fa-
5 cta per Damianum, eadem ſicuti facta
fuit favore Patronorum, non autem
Dominici collitigantis, & ob aſſecutio-
nem alterius Beneficii, non vero prop-
ter agnitionem mali Juris, non præſe-
ferre videtur ceſſionem omnium, & ſin-
gulorum Jurium Renuncianti compe-
tentium; Sicque vel nullatenus fuit ap-
ta litem præexiſtentem extinguere, cum
ad hunc effectum requiratur pura, ſim-
plex, & perfecta renunciatio penitus
abdicativa cujuſcunque Juris, ac præ-
tenſionis; aliàs enim per renunciatio-
nem lis nullatenus dici valet extincta;
*Gallerat. de renunciat. tom.*2. *centur.*1.
renunciat. 18. *num.*42., *Tondut. de*
*prævent. part.*1. *cap.*33. *num.*7., *Ur-*
ceol. de tranſact. quæſt. 68. *num.*27.,
*Card. de Luca de Benef. diſc.*92. *n.*36.,
& ſeq.

Vel quatenus per eandem dimiſſio-
nem Beneficii pura, & perfecta renun-
6 ciatio Litis inducta videri valeat; Talis
utique verificari poterit reſpectu Da-
miani renunciantis; Sed nullo pacto
quoad Patronos in cauſa exiſtentes una
cum Damiano ab eiſdem præſentato.
Quibus proinde ex prædicti Damiani
facto nullum irrogari potuit præjudi-
cium; *Piton. controv. Patronor.* 100.
*num.*383., *Rota cor. Bich. dec.*268. *nu-*
*mer.*10.; Neque in vim illius renuncia-
tionis dici valet ullatenus extincta Lis
adhuc pendens, & indeciſa reſpectu eo-
rundem Patronorum; ut in hiſce ter-
minis animadvertit *Rot. in Caputaquen.*
Cappellaniæ 11. *Junii* 1728. §. *Sublata.*
cor. Reverendiſs. P. D. meo Calcagnino
Decano.

Quo verò ad prætenſam Litis renun-
ciationem tacitè reſurgentem a ſilentio,
ſeu acquieſcentia Damiani, & Patrono-
rum, animadverterunt Domini, quod
taciturnitas extenditur ad lapſum unius
7 triennii dumtaxat; Et tamen ad hoc ut
induci poſſit deſertio Litis, vel requiri-
tur animus expreſſus, & indubitatus de-
ſiſtendi a Lite, vel ſaltem loco animi
taciti, & præſumpti lapſus triginta an-
norum, aut Sententia Judicis, quæ de-
ſertam litem declaret; *Lotter. de Re*
*Benef. lib.*2. *quæſt.*20. *num.*104., *Rota*
*dec.*4. *num.*9. *cor. Anſald.*, *& in Fer-*
rarien. Cappellaniæ 21. *Martii* 1727.
§. *Quod verò. cor. bon. mem. Criſpolto.*
8 Cum de cætero Inſtantia de Jure cano-
nico ſit perpetua juxta propoſitionem
communiter receptam, de qua *Veſtr.*
*in prax. lib.*3. *cap.*5. *num.*1., *Card. de*
*Luca de Juriſdict. diſc.*13. *num.*4., *&*
*de Benef. diſc.*48. *num.*16., *Rota coram*
*Bich. dec.*596. *num.*17., *& cor. Priol.*
*dec.*15. *num.*37., *& cor. Anſald. dec.*4.
*num.*8., & latè firmatum fuit *in Mele-*
vitana Beneficii 5. *Junii* 1733. §. *Pro*
remotione ſiquidem., *& in illius confir-*
matoria 18. *Junii* 1734. §. *Spectata ſi-*
quidem., *& ſeq. cor. R.P.D. Rezzonico.*

Firmato ſic, quod Lis ſuper contro-
verſo Beneficio de tempore ſubroga-
tionis non eſſet extincta; ſed vigeret
adhuc ſaltem ex parte Patronorum;
Minoris ponderis apparuit aliud obje-
ctum, quod de dicto tempore Benefi-
cium uti poſſeſſum a Dominico eſſet
plenum, ideoque non verificetur alte-
rum eſſentiale requiſitum vacationis Be-
neficii; Quatenus enim ad ejuſmodi ef-
9 fectum loquamur de priori poſſeſſione
Dominici capta in vim Decreti lati in
Judicio poſſeſſorio per Curiam Metro-
politanam Rhegien., nulla de eadem
fuit habita ratio, nedum quia fuit nul-
liter capta, non adhuc ſcilicet elapſo
decendio ad appellandum indulto: ſed
& potiſſimè quia Dominicus ab eadem
poſſeſſione ſucceſſivè fuit amotus per
10 Sententiam ejuſdem Curiæ latam in
petitorio revocatoriam antecedẽtis De-
creti; Quod utpotè nullum, & paten-
ter injuſtum ritè rectèque potuit retra-
ctari per eundem Judicem ordinarium,
quantumvis idem functus fuiſſet officio
ſuo per pronunciationem prioris De-
creti editi in Judicio poſſeſſorio; quem-
admo-

admodum firmant *Seacc. de Senten.*, *& reb. Judic. Gloſſ.* 14. *quæſt.*17. *n.*4., *& quæſt.*26. *num.*7., *Cardin. de Luc. de Judic. diſc.*3. *num.*24., *& diſc.*36. *n.*3., *Rot. in Motnlen. Manutentionis* 1. *Aprilis* 1705. §. *fin. cor. bon. mem. Omanna.*

Si verò fermo ſit de alia poſteriori poſſeſſione Dominici ſecuta poſt dimiſ-
11 ſionem Beneficii factam a Damiano; Cum eadem ſit innixa titulo penitus inſubſiſtenti Juris paſſivæ vocationis, de qua nullibi conſtat ex tenore fundationis controverſi Juriſpatronatus, & ulterius fuerit capta propria auctoritate, ac lite pendente; palam eſt, quod fuerit itidem nulla, & attentata, quod-
12 que nequeat cenſeri præſervata in Literis Apoſtolicis vigore clauſulę -- *Dummodo alteri Jus ſpecialiter non ſit quæſitum* -- vel alterius -- *Dummodo poſſeſſio ſit vacans* --; ea ratione, quia ejuſmodi clauſulæ referuntur quidem ad Jus validum, & ad poſſeſſionem legitimam, nullatenus autem ad aliam intruſivam, attentatam, & quolibet Juris munimine, atque colore deſtitutam; ex traditis per *Mart. de Clauſul. clauſul.* 25. *num.*11., *Rota cor. Cavaler. dec.*280. *num.*2., *& deciſ.*572. *num.*6. *par.*1., *& dec.*135. *num.*7. *coram Otthobon.*

Indeque promanat, quod neque Dominico ſuffragari valeat Regula 36. Cancellariæ de triennali Poſſeſſore; Sive quia a die poſterioris poſſeſſionis per eum captæ ad tempus Gratiæ ſubroga-
13 tionis indultæ Nicolao triennium non erat elapſum; Sive quia eidem Poſſeſſioni captæ pendente lite, nullique prorſus titulo ſubnixæ patrocinari nequit regula præfata de triennali non fovens partes injuſti, malæque fidei Poſſeſſoris; ad plene firmata per *Pariſ. de reſignat. lib.*3. *quæſt.*5., *Rota dec.*402. *num.*17., *& ſeq. part.*18. *Recent.*, *& dec.*866. *num.*18. *cor. Molines.*

Verificatis autem extremis Gratiæ ſubrogationis, ſublata pariter remanet exceptio Subreptionis, & Obreptionis
14 impicta Literis Apoſtolicis: Poſſeſſio enim controverſi Beneficii penes Dominicum uti nulla, & infecta, vel non erat exprimenda Summo Pontifici, aut
15 eidem erat ſatis cognita: dum patet, quod ejus intuitu demandavit expulſionem intruſi, & illegitimi Detentoris per clauſulam illam in Literis appoſitam -- *amoto exinde quolibet illegitimo Detentore* --; *Roſ. de execut. Liter. Apoſtolic. part.*1. *cap.*6. *num.*222., *& ſeq.*, *Rota dec.*422. *num.*11. *cor. Peutinger.*;
16 Minuſque narrari debebat litis extinctio reſurgens ex renunciatione Damiani, ſi eadem lis ſaltem reſpectu Patronorum vigebat adhuc, & erat pendens ac indeciſa: quod ſufficit pro executione gratiæ, etiamſi ejuſmodi circumſtantia non fuerit ſpecialiter narrata Summo Pontifici; ; ea ratione, quia clau-
17 ſula illa -- *Cujus litis ſtatum &c.* -- in Literis appoſita ſuapte natura præſefert virtualem expreſſionem cujuſcunque litis, & qualitatis, ejuſque vigore Summus Pontifex cenſetur reſpexiſſe ad litem in eo ſtatu, in quo tunc temporis erat; ut in terminis firmant *Roſ. de execut. Liter. Apoſtolic. part.*1. *cap.*5. *num.*137., *& ſeq.*, *Rot. cor. Gregor. dec.*2. *num.*10., *& ſeq.*, *& deciſ.*182. *num.*9. *part.*12. *Recent.*, *& in Faventina Parochialis* 6. *Maii* 1726. §. *final. cor. bon. mem. Gamachei*, *& in Ferrarien. Cappellaniæ* 1. *Decembris* 1727. §. *Firma itaque. cor. R. P. D. Nunez*, *& in confirmatoria* 21. *Junii* 1728. §. *Sic autem. coram Illmo Almæ Urbis Gubernatore.*

Ceſſatque omnis, & quæcunque dif-
18 ficultas attenta Gratia revalidatoria, ſeu *Perinde valere* per Nicolaum reportata ad majorem cauthelam, quæ operatur, & efficit, ut expreſſa poſtmodum in hiſce ſecundis Literis habeantur pro expreſſis in primis Literis ex notiſſima praxi, de qua *Calderon. conſ.*12. *de reſcript.*, *Lotter. de re Beneſic. lib.*2. *quæſt.*54. *num.*58., *& ſeq.*, *Rota cor. Caprar. dec.*616. *num.*4., *coram Anſald. dec.*62. *num.*14., *& cor. Molin. dec.*905. *num.*4., *& in Caputaquen. Cappellaniæ* 11. *Junii* 1728. *coram Rmo P. D. Calcagnino Decano.*

Quibus poſitis, nulla ratio fuit habita exceptionis, quod Nicolaus tanquam Tertius non potuerit obtinere Literas Subrogationis gratioſæ, quæ juxta regulam de ſubrogandis Collitigantibus inducta eſt favore Collitigantium, ne in eorum damnum detur novus Contra-

19 dictor : Satisfecit quippe reſponſio, quod ejuſmodi regula non eſt præciſe arctativa, nec ligat manus Summi Pontificis, quominus poſſit, ſi velit, prætermiſſo ſuperſtite Collitigante, alteri Tertio Gratiam indulgere, eumque in Juribus Cedentis, vel Decedentis ſubrogare; ad tradita per *Lotter. de Re Benef. lib.2. quæſt.10. num.59., & 60., Roſ. de Execut. Liter. Apoſtol. part.1. cap.16. num.900., Rota coram Emer. Jun. dec.900. num.5., & dec.678. n.2. & 3. part.19. tom.2. Recent.*
Et ita utraque &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE RHODIANIS.

Lunæ 20. Junii 1735.

ARGUMENTUM.

Fideicommiſſum in unam lineam ingreſſum non poteſt ab ea, niſi penitus finita ſit, avocari. Filii in conditione poſiti ex *Statuto Urbis* habentur pro diſpoſitive vocatis. Qualitas maſculinitatis in una ſubſtitutione expreſſa repetita non cenſetur in altera diverſas perſonas comprehendente.

SUMMARIUM.

1 *Fideicommiſſum in unam lineam ingreſſum non poteſt ab ea, niſi omnino ea finita ſit avocari.*
2 *Filii in conditione poſiti ex* Statut. Urbis *habentur pro diſpoſitive vocatis*;
3 *Atque ſub eorum nomine veniunt tam Maſculi, quàm Fœminæ.*
4 *Qualitas maſculinitatis in una ſubſtitutione expreſſa repetita non cenſetur in altera majorem numerum perſonarum comprehendente; ſecus ſi eaſdem met tantum contineat*;
5 *Quia ſi eam Teſtator aliquando expreſſit, aliquando non, præſumitur id conſulto feciſſe*:
6 *Maxime ſi agatur de Fideicommiſſo non aſcendentali, & agnatitio, ſed tranſverſali, & cognatitio.*
7 *Et non de unica continuata oratione, ſed de diverſis, ac ſeparatis diſpoſitionibus; deficientibus præcipue clauſulis relativis*,
8 *Atque ita evitetur Fideicommiſſum ſaltuarium per ſe odioſum.*
9 *Non poteſt Maſculus ad Fœminas excludendas diviſionem impugnare, ex qua ſimul cum iis ad ſucceſſionem pervenit*;
10 *Neque ſuam vocationem, quam habuit, & acceptavit ex una ſubſtitutione, ab alia diverſa deſumere*; & num.11.
11 *Licet quæſtio non verſetur circa prælationem Maſculorum, ſed circa libertatem Bonorum ab extraneis propugnatam.*

DECISIO XXVI.

In Fideicommiſſo, quod condidit favore Filiorum, & Deſcendentium Jacobi Antonii ex Laura Sorore ſua Pro-Nepotis, & reſpective hæredis inſtituti Cæſar de Rhodianis Teſtator, tres conſideravit caſus;

Primum, ubi Jacobus Antonius decederet cum Filiis, ac Deſcendentibus maſculis, & fœminis, & tali caſu voluit, quod Maſculi ſuccederent, atque Fœminæ Dote providerentur.

Secundum, ubi idem Jacobus Antonius decederet ſine Filiis maſculis, & tunc Teſtator mandavit ſuccedere Filias natas ex prædicto Jacobo Antonio, ac omnes iſtarum Deſcendentes Maſculos, adjecta conditione, quod deficientibus Maſculis ſuccederent Fœminæ in infinitum.

Et tertium tandem, ubi dictus Jacobus Antonius decederet abſque Filiis, aut ejus Deſcendentes quocunque pariter tempore abſque filiis decederent; quo caſu Teſtator vocavit, ac ſubſtituit in ſua hæreditate pro medietate Ven. Archiconfraternitatem Sanctiſſimæ Annunciatæ, & pro alia medietate Ven. Hoſpitale S. Jacobi Incurabilium Urbis.

Ex his tribus caſibus non evenerunt neque primus, nec ſecundus: dum dictus Jacobus Antonius primus hæres deceſſit relictis Filio maſculo, ideſt Julio Cæſare, & duabus Fœminis, Virginia ſcilicet nupta in Domo Raſpona, & Laura nupta Franciſco a Porta: Qua de re cum obierit poſtmodum abſque Filiis Julius Cæſar inſtitutis hæredibus Fratribus de Mazzinghis extraneis, ſuperſtitibus tamen dictis Virginia, ac Laura Sororibus, lis exarſit inter eaſdem ex una parte contendentes ſeſe eſſe vocatas ad

præ-

prædictum Fideicommiſſum, & ſic ſibi competere immiſſionem in poſſeſſionem Bonorum hæreditariorum ſupradicti Cæſaris Rhodiani Teſtatoris, & inter enunciatos Fratres de Mazzinghis contendentes ex altera parte expirationem, atque terminationem ejuſdem Fideicommiſſi in hoc Sacro Auditorio coram bon. mem. Amato Dunozet.; & Cauſa propoſita uſque a die 31. Maii Anni 1638. ſub Dubio — *An conſtaret de Fidecommiſſo Cæſaris de Rhodianis purificato ad favorem dictarum Fœminarum* — Domini tunc in Turno, ac Tribunali ſedentes diſtinguendo recenſitos tres caſus — *Affirmativè* — reſponderunt, fundantes hanc reſolutionem in tertio caſu, ſub quo venire cenſuerunt dictas Fœminas, ut patet ex *Deciſ. bon. mem. Amat. Dunozett.* edita inter ejus impreſſas *deciſ.499.*

Ad normam hujuſmodi reſolutionis reſervata in vim concordiæ quadam Bonorum portione ſupradictis Fratribus de Mazzinghis hæredibus teſtamentariis dicti Julii Cæſaris, reliqua omnia Bona fideicommiſſaria pro medietate devenerunt ad ſupradictam Virginiam in Domo Raſpona nuptam, & pro alia medietate ad Lauram nuptam Franciſco a Porta, ex quibus Conjugibus de Porta, cum ortum habuerit Carolus, hæc portio Bonorum Lauræ obventa ſubdiviſa fuit in duos illius Filios; ideſt Innocentium, & Hieronymum.

Innocentio autem defuncto, prout etiam Ardicino, ac Philippo ejus Filiis Maſculis, ſuperſtitibus tantum DD. Maria Eleonora, & Laura Roſalia iſtorum Sororibus, quæ nactæ fuerunt dictorum Bonorum fideicommiſſariorum poſſeſſionem, Judicium introduxit ſupradictus Hieronymus earum Patruus coram R. P. D. Merlino Judice in locum A. C. deputato ſuper Immiſſione in poſſeſſionem eorundem Bonorum vigore ſæpedicti Fideicommiſſi in excluſionem ſupradictarum Sororum, & ſententiam favorabilem obtinuit, a qua mediante appellatione interpoſita ab eiſdem Sororibus, devoluta Cauſa ad hoc Sacrum Tribunal, mihique eadem commiſſa propoſui Dubium — *An ſit locus Ægidianæ, ita ut ſit danda Immiſſio* —, cui Domini — *Negative* — reſponderunt.

Conſtat namque ex facto ſuperius expoſito, hic agi de Fideicommiſſo favore Deſcendentium Jacobi Antonii primi hæredis gravati, & Bona fideicommiſſaria, ſive eorum portionem tranſiiſſe in Lineam, ſive Columnellum ſupradicti Innocentii Deſcendentis a Jacobo Antonio per medium Lauræ Aviæ, ideoque cum dicta Linea, ſive Columnellus perduret adhuc propter exiſtentiam Mariæ Eleonoræ, & Lauræ Roſaliæ, nulla immiſſio competit præfato Hieronymo Actori, conſtituenti alterum Columnellum, in poſſeſſionem portionis Bonorum Fideicommiſſariorum ab eiſdem Sororibus detentæ, ex
1 regula, quod quando Fideicommiſſum eſt ingreſſum in unam lineam, non poteſt ab ea avocari per alios vocatos, ſeu ſubſtitutos, donec eadem linea non fuerit penitus evacuata; *Cap.1. de natur. ſucceſſ. Feud.*, *Caſanatt. conſ.38. num.114.*, *Ramon. conſ.100. n.206.*, *Mantic. de conject. ultim. volunt. lib.8. tit.18. num. 16.*, *Card. de Luca de Fidecomm. diſc.1. num.13.*, *& ſequ.*, *& diſc.15. num.7.*, late *Cenſal. deciſ. Lucen. 90. num.12.*, *Rota coram bon. mem. Molines dec.731. num.10.*, *& coram clar. mem. Card. Falconcr. tit. de Fideicomm. dec.38. num.8.*, *& in Rec. dec.165. num.3. part.8.*

Nec ſubſiſtere viſum fuit, quod in eodem Fideicommiſſo tàm in ingreſſu, quàm in progreſſu ſemper præferantur Maſculi Deſcendentes, ut eſt Hieronymus, Fœminis; & iſtæ tantum admittantur in defectum Maſculorum tàm Deſcendentium per lineam maſculinam dicti hæredis gravati, quàm ex illius linea fœminina: Quoniam hæc prælatio Maſculorum unice exoptata fuit a Fideicommittente in primo ex ſupra tribus expoſitis caſibus, in quo exiſtentibus Maſculis, eiſdem Teſtator injunxit onus Fœminas dotandi, ibi — *Con peſo di dotare di Dote conveniente le Figliuole femine &c.* — prout etiam in ſecundo juxta alia verba Teſtamenti — *Et in caſo di mancamento de' Maſchi le Femine in infinitum* —; non autem in tertio, in quo ad præſens verſamur: quia cum

cum in iſto pure, ſimpliciter, & abſque ulla expreſſa repetitione maſculinitatis fuerint poſiti in conditione Filii Deſcendentium; ibi — *Et in caſo, che detto Giacomo Antonio moriſſe ſenza Figli legitimi, e naturali, ovvero i ſuoi Deſcendenti in qualſivoglia tempo moriſſero ſenza Figli legitimi, e naturali* —,
2 qui juxta Statutum Urbis *in Cap.*142. cenſentur diſpoſitive vocati, ſub illo-
3 rum nomine veniunt tum Maſculi, cùm Fœminæ, ad firmata per *Rot. coram clar. mem. Card. Falconerio tit. de Fideicomm. dec.*26. *num.*25., *& in Recent. dec.*381. *num.*5. *part.*18., *& in Reatina Succeſſionis* 3. *Junii* 1709: *§. Decidendi coram clar. mem. Card. Priolo, & in Melevitana Fideicommiſſi* 21. *Februarii* 1710. *§. Ex quibus. coram Eodem, & in Fulginaten. Fideicommiſſi* 14. *Martii anni currentis §. Ex qua. coram R. P. D. meo Peralta, & in alia Fulginaten. Fideicommiſſi cor. Me ſub hac eadem die §. Quin reſiſtat*, prout in hac Cauſa alias decidit hoc Sac. Tribunal in *dicta dec.*499. *num.*5., *& 6. coram eodem Dunozet. Jun.*

Neutiquam refragante replicatione Hieronymi, quod licet in eodem tertio caſu deficiat expreſſa repetitio maſculinitatis; nihilominus iſta qualitas
4 contenta in ſecundo caſu cenſeatur *tacitè repetita* in tertio; dum illæ met perſonæ diſpoſitivè vocatæ in ſecundo caſu in conditione poſitæ fuerunt in tertio caſu, ex quo ad formam Statuti Urbis deſumitur iſtorum vocatio: Etenim hoc pariter non ſubſiſtit; dum ſecundus caſus ſolum comprehendit obitum Jacobi Antonii primi hæredis gravati ſine Filiis maſculis; Tertius verò caſus ultra Filios primi gradus tranſit ad ulteriores Deſcendentes, & ideo ad perſonas omnino diverſas ab illis vocatis in ſecundo caſu: qua diverſitate perſonarum concurrente, nunquam qualitas maſculinitatis volita in uno caſu diſpoſitionis, intelligitur repetita in altero caſu ampliativo, atque extenſivo ad alias perſonas in præcedenti non comprehenſas; ut reſpondit *dicta Dec. Dunozet. Jun.* 499. *num.*10., & ultra illam communiter tradunt *Fuſar. de ſubſtitut. quæſt.*403. *ſub n.*6., *& conſ.*66. *num.*3., *Adden. ad Burat. deciſ.*272. *num.*19., *Rota cor. ſan. memor. Gregor. XV. dec.*514. *num.*6.; *& in illius annotat. num.*17., *& in Rec. dec.*170. *num.*5. *part.*18., *& dec.*122. *num.*3., *&* 4. *part.*19.

Potiſſimum quia præter diverſitatem perſonarum vocatarum potius in uno, quàm in altero caſu concurrunt etiam conjecturæ conſultò omiſſæ in *ſæpedicta dec.*499. *cor. Amat. Dunozet.*, & nunc a Dominis meis ponderatæ, conſiſtentes tum in eo, quod quando Teſtator in primo, & ſecundo ex ſupra recenſitis caſibus voluit præferri maſculos, id literaliter expreſſit, quod omiſit exprimere in tertio caſu; Tum quoque quia hìc non agitur de Fideicommiſſo aſcendentali, ac verè, & proprie agnatitio: ſed de Fideicommiſſo condito a Tranſverſali, & in quo Fœminæ etiam vocatæ leguntur; Tum rurſus, quod hic res eſt de caſibus diſtinctis, ac ſeparatis inter ſe per diverſas diſpoſitiones Teſtatoris, non autem de una, eademque continuata oratione; Tum denique quia in caſum contrarium induceretur odioſum Fideicommiſſum ſaltuarium de una linea, ſeu Columnello ad alium, in quibus terminis eo magis exiſtimarunt Domini, qualitatem maſculinitatis requiſitam in primo, & ſecun-
5 do caſu, nec volitam, nec repetitam fuiſſe in tertio caſu, ita ſuadentibus conjecturis prædictis; ut ad hunc effectum primam ponderant *Molin. de Primog. libr.*3. *cap.*5. *num.*56. *§. Sed quamvis. verſic. Immo.*, *Rota in Rec. dec.*638. *n.*8. *part.*18., *& in Melevitana Fideicommiſſi* 13. *Junii* 1710. *§. Minùs. in fine*
6 *cor. clar. mem. Card. Priolo*: & ſecundam Fideicommiſſi non agnatitii, *Soccin. in leg. Gallus §. Nunc ff. de liber.*, *& poſth.*, *Ramon. conſ.*100. *num.*407. *Rot. in Fulginaten. Fideicomm.* 14. *Martii currentis anni §. Atque hinc. coram*
7 *R. P. D. meo Peralta*; & tertiam diverſorum caſuum, in quibus maxime deficiant clauſulæ, ut hìc, relativæ, veluti ſunt — *ſupradicti, prædicti* —, & ſimiles, *Fuſar. de ſubſtitut. quæſt.* 403. *num.*8., *&* 21., *Rota cor. Anſald. deciſ.*12. *num.*33., *& dec.*46. *pariter num.*33., *& in Recen. dec.*381. *ex n.*7.

cum

8 *cum ſeq. part.* 18.; Et quartam denique evitandi Fideicommiſſum ſaltuarium, *Rota in dicta Melevitana Fideicommiſſi* 21. *Februarii* 1710. §. *Quandoquidem. cor. clar. mem. Card. Priolo*, & *in illius confirmatoria* 12. *Decembris ejuſdem anni* 1710. §. *Verùm. cum ſeq. coram Reverendiſs. Criſpo* inter ejus impreſſas *deciſ.*75.

Cæterum ceſſare viſa fuit quælibet
9 dubietas, ex quo tam in Hieronymum Actorem, quàm in Innocentium Fratrem, iſtiuſque Filias Mariam Eleonoram, & Lauram Roſaliam Reas conventas, mediante perſona Lauræ illorum Aviæ, devenerunt hæc Bona fideicommiſſaria in vim vocationis contentæ in ſupradicto tertio caſu, includente, ut viſum eſt, promiſcuam vocationem Maſculorum, & Fœminarum abſque ulla Maſculorum prælatione, ut firmatum fuit in ſæpius dicta *deciſ.*499. *coram Dunozet. Jun.*; & propterea non valet hodie Hieronymus ita ad ſucceſſionem admiſſus in quæſtionem revocare pro excludendis Fœminis quidquid firmatum fuit in *dicta Deciſ. Dunoz.*,
10 & ſuam vocationem, quam habuit, & acceptavit ex recenſito tertio caſu, deſumere a ſecundo: ex animadverſis per *Rot. in dicta Melevitana Fideicommiſſi* 21. *Februarii* 1710. §. *Ultra quod cor. clar. mem. Card. Priolo*.

Nec urget, quod in caſu *ſupradictæ*
11 *Deciſionis cor. Dunozet.* quæſtio fuerit cum extraneis hæredibus inſtitutis ab ultimo Maſculo Jacobi Antonii primi hæredis gravati, contendentibus libertatem Bonorum, non autem in concurſu Maſculorum prælationem petentium in excluſionem Fœminarum: Quandoquidem hic vis non ſtat in tali concurſu, ſed in eo, quod ſtatim ac Laura, & ſupra recenſiti ejus Deſcendentes admiſſi fuere ad ſucceſſionem juxta formam ſupradicti tertii caſus, & juxta firmata in toties enunciata *Deciſ.*499. *Dunozet. Jun.* ab eadem Laura acceptata, eorundem Deſcendentium ſucceſſio regulanda eſt ad terminos prædicti tertii caſus, ac Deciſionis: a quo caſu non poteſt fieri illatio ad alios enunciatos caſus ineffectuatos, atque omnino diverſos; juxta doctrinam *Bartol. in leg. Jam hoc Jure.* §. *final. ff. de vulgar.*, & *pupillar. ſubſtit.*, *Peregrin. de Fideicomm. art.*16. *num.*11. *verſic. Huc etiam*, *Rota in ſæpedicta Melevitana Fideicommiſſi* 13. *Junii* 1710. §. *Reaſſumendo. cor. clar. mem. Cardin. Priolo*, & *in Fulginaten. Fideicomm.* 14. *Maii anni currentis* §. *Aptè quidem. coram R. P. D. meo Peralta*.

Et ita &c. utraque &c.

FULGINATEN. IMMISSIONIS.

Lunæ 20. *Junii* 1735.

ARGUMENTUM.

Filiorum appellatione veniunt tam Maſculi, quàm Fœminæ in ſubſidium; etiamſi poſt vocabulum *Filii* adjecta ſint verba -- *cioè al Primogenito, e agli altri vitto, veſtito, e Dote* --, & adſit Statutum excluſivum Fœminarum extantibus Maſculis; quoties tamen adſit Fideicommiſſum perpetuum, quod oritur ex verborum in rem, & hæreditatem directione, ex digreſſu ad plures gradus ſubſtitutionum, ex onere perpetuo Hæredibus, & Deſcendentibus impoſito, & ex prohibitione, alienationis præſertim in rem directa, non obſtante quod nomen *Primogeniti* in ſingulari prolatum ſit, & relatum ad Filium Primogenitum certæ perſonæ. Renunciatio non ſubſcripta a Renunciante, vel læſiva nullius eſt roboris, etiamſi ſit de Juribus tantum futuris, & eventualibus, non obſtante neque contemplatione agnationis in ea expreſſa, quando appoſita tantum fuit ad colorandum actum, neque titulo donationis. Dos in primis Nuptiis conſtituta, nequit in ſecundis, vel ulterioribus Nuptiis a Patre aut mutari, aut revocari, aut minui.

SUMMARIUM.

1 *Validitas, & Juſtitia Sententiæ locum aperit Ægidianæ in Poſſeſſorio inter Perſonas laicas.*

2 *Extremis concurrentibus immiſſio denegari nequit:*

3 *Et proinde Sententia eam concedens juſta eſt.*

4 *Filiorum appellatione veniunt tàm Maſculi, quàm Fœminæ*; & n.21. & 24.

5 *Etiamſi*

5 Etiamſi poſt nomen Filiorum adjecta ſint verba -- Cioè al Primogenito --, quę taxativè ſtare videntur;

6 Ex regula, quod quando terminus declarans, appoſitus poſt terminum declaratum, minus continet, quàm ille, tunc dictio cioè ſe habet taxativè.

7 Siquidem in interpretandis ultimis voluntatibus non ſpectatur verborum cortex;

8 Neque pro dignoſcendo an verba ſtent taxativè, vel demonſtrativè, inſiſtendum eſt eorum peculiari indoli, & naturæ:

9 Proindeque ſuperiùs allata verba -- cioè al Primogenito -- ſtant demonſtrativè ad præferendum dumtaxat Primogenitum in concurſu aliorum, non ad illos excludendos; & num. 11. & 14.

10 Quia cum declaratio facta a Teſtatore ſubjiciendi Bona ſtrictiſſimo fideicommiſſo, & verborum directio in rem, & hæreditatem, non in perſonas importent Fideicommiſſum perpetuum;

11 Idcirco repugnat, quod Fideicommiſſum perpetuum conſtituere voluerit, & deinde ad unum, vel alterum gradum dumtaxat vocationem reſtringat;

12 Quam reſtitutionem inſuper excludunt digreſſus ad plures gradus ſubſtitutionum, onus perpetuum impoſitum Hæredi, & Deſcendentibus, & perpetua alienationis probibitio, quæ ſimul ſumpta plurimùm valent ad arguendam Fideicommiſſi perpetuitatem;

13 Præſertim quando probibitio alienationis in rem directa eſt.

14 Contradictio vitanda eſt.

15 Conſtito per conjecturas de Fideicommiſſo perpetuò pro Filiis, nomen Primogeniti in ſingulari prolatum nihil aliud præſefert, quàm ne duo ſimul ad ſucceſſionem admittantur:

16 Nec relatio ad Primogenitum certæ, & deſignatæ perſonæ perpetuitatem excludere valet.

17 Fœminæ ſub nomine Filiorum etiam deſignatorum cum additione omnium non comprehenduntur, quando Teſtator de illis ſub Filiarum appellatione mentionem fecit, atque dotavit;

18 Vigente pręſertim Statuto Fęminarum excluſivo, ad quod ſe Teſtator conformare voluiſſe præſumitur:

19 Intellige tamen, quod Fœminæ non dicantur comprehenſæ in concurſu Maſculi, ſecus in ſubſidium;

20 Si tamen Statutum Fœminas dumtaxat excludat extantibus Maſculis.

21 Fœminæ ſub appellatione Filii, & Primogeniti continentur;

22 Præcipue ſi in conditionali nominantur Filii ſine qualitate Maſculinitatis;

23 Si in alia ſubſtitutione vocantur etiam Deſcendentes Fœminarum;

24 Si ad aliquod peculiare jus deficientibus Maſcalis admittantur Fœminæ Domus:

25 Vocatis autem Fœminis, Cognatis, & remotioribus multo magis vocatæ cenſentur Fœminæ agnatæ, ac proximæ.

26 Renunciatio exarata in Capitulis Matrimonialibus a Renunciante non ſubſcriptis nullius eſt momenti;

27 Prout ea, in qua ſolemnitates adhibitæ non fuerint.

28 Ut renunciatio non ſit enormiſſimè læſiva, debet viciſſim a Renunciatario aliquid de proprio tradi Renuncianti ultra debitum de jure.

29 Dotem in primis Nuptiis Filiæ conſtitutam Pater neque mutare, neque revocare, neque minuere poteſt in ſecundis, vel ulterioribus Nuptiis.

30 Renunciatio Jurium etiam eventualium eſt læſiva, niſi Renunciatarius aliquid de proprio Renuncianti in compenſationem tradat:

31 Neque ab hujuſmodi læſione renunciationem liberare valet contemplatio Agnationis in ea expreſſa, quoties ſucceſſio ad Renunciantem deferri nequit niſi ea extincta;

31 Maximè ſi renunciatum fuerit non ſolùm pro Agnato, ſed etiam pro ejus Hæredibus, & Succeſſoribus quibuſcunque:

33 Prout neque tanti roboris eſt titulus donationis adjectus inter clauſulas generales, contractu principali conſiſtente in renunciatione:

34 Immo neque ſi principaliter ſe haberet etiam in Donatione, quę non pura, & gratuita, ſed correſpectiva ſit, locum habet læſio enormiſſima.

35 A diverſis, & ſeparatis non fit illatio.

36 Ob creditum vel extinctum, vel turbidum Immiſſio retardari nequit.

DE-

Digitized by Google

DECISIO XXVII.

COnceſſa Immiſſione per Sententiam
A. C. Cæciliæ unicæ ſuperſtiti ex fi-
liis Raynaldi Iun.de Venturinis ad duo
Latifundia nuncupata alterum *la Torre*,
alterum *Cortignano* ſubjecta Fideicom-
miſſo qu. Lucæ Sen. de Venturinis, &
præventivè alienata in Lucam Campa-
na a Fratribus dictæ Cæciliæ, dum vi-
xerant; Nec acquieſcente prædicto Em-
ptore, in cujus præjudicium conceſſa
remanſit Immiſſio, Mihi commiſſa fuit
per Signaturam Juſtitiæ Appellationis
Cauſa cum clauſula — *Conſtito quod ſit
locus Ægidianæ* — Propoſito vero DD.
1 meis Dubio — *An ſit locus Ægidianæ* —
ſtante validitate, & juſtitia prædictæ
Sententiæ, & quia negocium verſatur
in Iudicio poſſeſſorio, ac inter Perſo-
nas utrinque laicas, reſponderunt *Af-
firmativè*; prout aliàs in hiſce terminis
conſuevit reſcribere Sacrum Tribunal,
ut videre eſt in *dec.210. num.1. & ſeq.
cor. Durano, dec.225. num.1. cor. Cel-
ſo, dec.15., & 391. utrobique num.1.
coram Priolo, & in dec.69. ſub tit. de
Fideicommiſſ. ſimiliter num.1. cor. clar.
mem. Card. Falconer.*

Meritò autem hujuſmodi reſponſum
prodiit in concreto caſu: redacta nam-
que controverſia ad Juſtitiam memora-
tæ Sententiæ, dubitari nequit, quin
revera pro tali approbari debeat: Ete-
2 nim pro parte dictæ Cæciliæ plenè ju-
ſtificantur neceſſaria extrema pro effe-
ctu obtinendi Immiſſionem petitam vi-
gore *Leg.fin. Cod. de Edict. Div. Adrian.
tollen.*; Unde quemadmodum Immiſſio
in his circumſtantiis denegari nequive-
rat; *Rota in Bononien. Fideicommiſſi
28. Januarii 1707. §. Accedendò., &
§. Bona verò. cor. bon. mem. Kaunitz.*
3 Propterea abundè ex his oritur Juſtitia
prædictæ Sententiæ; ad enucleata per
eandem *Rot. in Bononien. Fideicomm.
de Marſiliis 17. Februarii 1716. §. Mo-
tivum. cor. bon. mem. Anſaldo.*

Quin reſiſtat præcipuum Rei conven-
ti aſſumptum in eo repoſitũ, quod nem-
pe memorata Cæcilia vocationem non
habeat. Nam Lucas Teſtator poſt obi-
tum Raynaldi primi hęredis ab eo inſti-
tuti expreſsè vocavit illius filios: ibi —
*Che morendo Rinaldo Venturini ricada
alli ſuoi figliuoli* —; Quapropter cum
eadem Cæcilia ſit unica Filia hodie ſu-
perſtes dicti Raynaldi primi hæredis,
nullo ſane pacto in dubium revocari
4 poteſt illius vocatio; filiorum etenim
appellatione tàm Maſculi, quàm Fœ-
minæ continentur; ut per *Text. in leg.
Si ita ſcriptum. in princip. ff. de legat.2.*
ſæpe firmavit *Rota*, & præſertim in
*dec.485. num.13., & dec.702. num.1.
cor. Cerro, dec.514. num.1., & ſequ.
cor. ſan. mem. Gregor. XV., ibique ad-
den. num.16., deciſ.70. num.1., & 2.
cor. Emerix Sen., & dec.437., & de-
ciſ.485. ùtrobique n.1. cor. Emerix Jun.
& in Romana Fideicommiſſi de Rhodia-
nis cor. Me ſub hac eadem die §. Nec
ſubſiſtere.*

Minime refragante, quod ſi Teſta-
5 tor poſt vocationem directam indiſtin-
ctè ad omnesRaynaldi filios adjecit illa
verba — *cioè al Primogenito, & all'al-
tri Vitto, Veſtito, e Dote &c.* — exin-
de indigitarit ejus mentem non fuiſſe in-
vitandi ad ſucceſſionem omnes filios ip-
ſius Raynaldi, ſed dumtaxat ejus Pri-
mogenitum, penitus poſthabitis cæte-
ris non primo loco genitis, in quorum
6 claſſe reperitur Cęcilia, maxime atten-
ta dictione illa *cioè* latinè *videlicet*;
quam ſtare *taxativè*, non autem *demon-
ſtrativè* proponebatur, quando termi-
nus declarans poſt talem dictionem ap-
poſitus, ut eſt in hypotheſi verbum *Pri-
mogenito*, non idem, ſed minus conti-
net, quàm continebatur in termino de-
clarato, nimirum in verbo *figliuoli*, jux-
ta originariam *Bartoli* diſtinctionem *in
leg. Quæſitum. §. Si quis fundum. ſub
num.15.* in propoſito exornatam per
*Pariſ. conſ.17. num.38. lib.3., Simon.
de Præt. de interpretat. ultim. voluntat.
lib.2. interpret.3. dub.2. vol.4., Tho-
mat. dec.91. num.19., Ganaver. poſt
Deciſ. Camer. Neapolit. conſ.1. num.89.,
Mart. de ſucceſſ. legal. part.3. quæſt.1.
art.5. num.32. & ſeq.*

Siquidem præmiſſo, quod in inter-
7 pretandis ultimis voluntatibus ſpectan-
dus non eſt verborum cortex, minuſ-
8 que pro dignoſcendo, utrum verba ſtent
taxativè, vel *demonſtrativè*, inſiſten-
dum eſt peculiari eorundem verborum
indo-

indoli & naturæ; ut egregiè, & in punςto utramque propoſitionem probat *Rota cor. Arguelles in dec.28. a num.3.* Illico ex his juridicis fundamentis compertum eſt in præſenti caſu, ſuperiùs tranſcripta in objecto verba non ſtare *taxativè* ad effectum rèſtringendi vocationem filiorumRaynaldi ad ſolum Primogenitum cum perpetua excluſione aliorum omnium filiorum, tam maſcu-
9 lorum, quàm fœminarum, ſed quidem accipienda eſſe in ſenſu *demonſtrativo*, *& declarativo* ad effectum præferendi Primogenitum in concurſu aliorum, firma de cætero manente ſubſtantia vocationis in illius defectum favore cæterorum, quorum unuſquiſque in gradu & loco ſuo ſubingreditur, & Primogenitus revera efficitur, juxta doctrinam *Ancharan. in conſ.27.*, quam communiter ſequuntur *Bellon. Jun. conſ.11. num.6.*, *Molin. de Primogenit. libr.1. cap.5. num.18.*, *Peregrin. de Fideicom. art.13. num.86.*, *& art.19. num.16.*, *Mantic. de conject. lib.9. tit.10. num. ultimo*, *Menoch. de præſumpt. libr.4. præſumpt.67.*, *Gratian. diſcept.forenſ. cap.697. num.17. & ſeqq.*, in terminis *Rot. in cit. dec.28. a n.3. cor.Arguelles.*

Et ſane rem ita ſe habere in hac facti
10 ſpecie haud dubium eſſe poteſt: Primò namque animadvertendum occurrit, Teſtatorem expreſsè declaraſſe in primordiis ſuæ diſpoſitionis, velle ſubjicere Bona, & facultates ſuas ſtrictiori Fideicommiſſo, quod fieri unquam poſſet, verba dirigendo non ad Perſonam Raynaldi, aut ejùs primi filii, ſed in rem, & in hæreditatem ipſam: Quamobrem ſicuti hujus generis declaratio hoc pacto concepta apprimè ſuadet ipſum ordinare voluiſſe fideicommiſſum perpetuum; *Cardin. de Luc. de Fideicomm. diſc.143.*, *Peregrin. eodem tract. art.5. num.12.*, *Rota in Romana Fideicommiſſi prima Julii 1699. §. Nec curandum. coram clar. mem. Card. Tremòille*; Ita clarè demonſtrat, quod non uni tantum gradui, aut duobus proſpexit: conſequenterque, quod recitata verba non ſtant *taxative*, bene vero *declarativè*; repugnat quippe, quod
11 quis in mente habuerit Fideicommiſſi perpetui conſtitutionem, & deinde voluerit, quod illud vix inceptum, punctum faceret; *Surd. dec.308. num.11.*, *Rota in Rec. dec.429. num.22. part.19. & cor. Dunozet. Jun. dec.514. num.6.*

Secundo loco ſeſe offert conſideran-
12 dum, quod idem Teſtator non ſolum digreſſus fuit ad plures ſubſtitutionum gradus; quod itidem onus perpetuum quarundam eleæmoſynarum impoſuit primo hæredi, ejuſque deſcendentibus; quodque ſtrictiſſimè, & perpetuò prohibuit Bonorum alienationem: ibi — *Non poſſa mai alienare* —; Quæ omnia ſimul, & unitim ſumpta in magno pretio ſemper habita ſunt pro arguenda perpetuitate Fideicommiſſi; ut promiſcuè advertunt *Gratian. diſceptat.280. num.18.*, *Rota dec.945. in fin. coram Cerro, & in Ariminen. Fideicommiſſi Bandi de Bandis quoad Inveſtimentum 25. Junii 1717. §. Etenim. cor. bon.me.*
13 *Gamaches*; præſertim quando prohibitio alienationis conſpicitur, prout hic, in rem directa; per ea, quæ firmant *Hodiern. controv. cap.37. n.47.*, *Rota cor. Biebio deciſ.343. num.15.*, *& in Romana Fideicomm. 10. Junii 1698. §. Quarto. coram clar. mem. Card. Caprara.*

Sed inſuper injunxit expreſſam caducitatis pœnam, ea ſolemni adjecta proteſtatione: quod ſi alienare volens — *Veniſſe in concordia col più proſſimo di poter alienare* —, tunc eo caſu — *ſiano privati ambedue di tutti li Beni, e ricada all'altro più proſſimo di Caſa Venturini* —; Unde quemadmodum ex his unuſquiſque ſenſu ſuo percipere poteſt, Teſtatorem mentis oculos direxiſſe ultra perſonam Lucæ Filii Primogeniti Raynaldi; ita ſemper magis in aperto ponitur, protuliſſe in ſenſu declarativo
14 ſupra recenſita verba; cum in caſu contrario hujuſmodi diſpoſitio involveret apertam contradictionem, quam vitandam eſſe monet; *Rota in Romana Fideicommiſſi Muti de Bubalo ſuper Mobilibus 6. Februarii 1702. §. Reſponſio. coram bon. mem. dell'Olmo.*

Atque hinc nullius momenti viſæ ſunt animadverſiones illæ, quod ſcilicet Teſtator, dum deſignavit Primogenitum, deſignaverit illum in numero ſingulari, ac relative ſe habuerit ad filium

filium certæ, & determinatæ perſonæ, hoc eſt ad filium Raynaldi: quaſi hujuſmodi circumſtantiæ aptæ ſint confirmare reſtrictionem Fideicommiſſi ad ſolam Primogeniti perſonam:

Quandoquidem ſi attentis omnibus
15 argumentis deſuper conſideratis, niſi fiat poſitiva vis voluntati Teſtatoris, nil aliud concludi valet, quàm quod ipſe voluerit Fideicommiſſum perpetuum condere; Inde quoque concludendum eſt vocationem illam Primogeniti in numero ſingulari operari ſolummodo, ut duo, vel plures ex filiis Raynaldi ad ſucceſſionem invitati in præcedentibus verbis ſimul, & eodem tempore admitti non poſſent; *Bellon. Jun. conſ.* 11. *num.* 9., & *ſeqq.*, *Molin. de Primogenit. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 21., *Rota coram Arguelles in citat. dec.* 28. *num.* 7., &
16 *ſeqq.*; Pariterque eſt concludendum, quod non obſtante relatione per Teſtatorem habita ad filium primo loco genitum certæ, & determinatæ perſonæ, nihilominus Fideicommiſſum, aut Primogenitura pronuntiari debeat tamquam perpetua; ut arguunt Auctoritates ipſæ in oppoſitum laudatæ, & ſignanter *Rota in Menionen. Primogenituræ, ſeu Concurſus* 23. *Januarii* 1705. §. *Immo*, & §. *Reſpectu verò cor. bon. mem. Muto*.

Minùs præterea ad excludendam vocationem nominatæ Actricis obicem pæbere potuit alterum Rei conventi aſſumptum in eo conſiſtens, quod licet Fideicommiſſum eſſet progreſſivum; & non expiraſſet in Luca Antonio Primogenito ſæpedicti Raynaldi, attamen ſub
17 precitato vocabulo filiorum Raynaldi, venire non potuiſſent niſi Maſculi, eo præcipue ponderato, quod Teſtator fi-
18 lias fœminas ſub ſpeciali nomine filiarum expreſſit, eiſque de dote providit, necnon quia in Civitate Fulginei ſervatur Statutum Fœminarum excluſivum, cui defunctus ſe conformare voluiſſe præſumitur; ut aliàs perpenſis his circumſtantiis pro non comprehenſione Fœminarum ſub verbo *figli*, quamvis vocati eſſent *Tutti*, reſponſum fuit per *Rot. in Hortana Immiſſionis* 6. *Junii* 1710. *coram bon. mem. Caffarello*.

Etenim quidquid eſſet in caſu, quo
19 quæſtio verſaretur in concurſu Maſculi indubitanter vocati, & Fœminæ, quæ ſub ſæpedicto *Filiorum* vocabulo ſe comprehenſam contenderet, in quibus terminis loquitur *Deciſio* in objecto allegata, ut patet ex ejus §. *fin.*; diverſimode porro res procedit, ubi omnes Maſculi Agnati jam præobierunt, ut in
20 hypotheſi: iſto namque in caſu, & quoties vigeat Statutum excludens Fœminas ſolùm extantibus Maſculis, ut de Statuto Fulginei dixit *Rota coram bon. mem. Molines in dec.* 1241. *num.* 3., ex hoc profecto, quod Teſtator cenſetur in exaranda ſua diſpoſitione, ſe conformare voluiſſe cum Statuto, potius ſequitur, quod non obſtantibus cæteris in objecto recenſitis proviſionibus ab eodem Teſtatore ordinatis circa Fœminas, nihilominus Maſculis defectis reſurgat vocatio earundem Fœminarum,
21 quæ juxta naturalem verborum *Filii*, aut *Primogeniti* ſignificationem ſub eorundem appellatione continentur; ad bene examinata per *Molin. de Primogenit. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 4., *Mierez. de Majorat. part.* 2. *quæſt.* 6. *num.* 4., *Rota in dec.* 249. *num.* 1., & 2. *part.* 7., & *in dec.* 65. *num.* 1., & *ſeq. part.* 8., *coram Dunozett. Jun. dec.* 651. *num.* 6., & *cor. bon. mem. Molines in dec.* 1023. & *in dec.* 1052. *utrobique num.* 1.

Quæ ſententia eo magis viſa eſt am-
22 plectenda in præſenti; Tum quia antequam Teſtator ſubſtituiſſet Antonium Mariam alterum Nepotem, poſuit in conditione filios Raynaldi ſimpliciter, & indiſtinctè abſque ulla qualitate Ma-
23 ſculinitatis; Tum quia ultimo loco ſubſtituit etiam Deſcendentes Filiarum fœ-
24 minarum Venturini Fratris; Tum demum quià in quodam Jure nominandi Moniales, aut Canonicos poſt lineam Maſculinam expreſsè vocavit *le Donne di Caſa Venturini*. Unde ſicuti his ſtantibus clarè apparet Teſtatorem Fœminas non neglexiſſe, neque ab illis abhorruiſſe, ita in dubium amplius revocari nequit earum comprehenſio, & ſubſidiaria vocatio ſub dicto vocabulo *Figli*,
25 ſpectato peculiariter, quod ſi Cognatos remotiores admiſit, eo quia ſuccedere voluit Filios Filiarum Venturini, ambigendi profectò locus non remanet, quia

quin deficientibus Filiis Maſculis Raynaldi primi hæredis, & eorum linea, ſuccedere voluerit etiam Fœminas, maximè Agnatas, ac Filias ipſius Raynaldi; ad animadverſa per *Card. de Luca de Fideicommiſſ. diſc.41. num.15., diſc.145. num.5., & in ſupplement. diſcurſ.241. num.5., Torr. de Primogen. part.2. cap.16. num.100. & ſeq., Rota inter recollect. per Balduec. ſub tit. de Legat. dec.4. num.8., & ſeq., cor. Cerro dec.80. num.31. & 32., & cor. clar. mem. Card. Caprara deciſ.588. num.19.*

Agnita hinc pro parte Rei conventi vi & efficacia præmiſſorum, ad excludendam ſæpius nominatam Actricem tranſitus fiebat ad renunciationem ab ea emiſſam. Verum in irritum quoque ceſſit conatus iſte. Quoniam prætermiſſa renunciatione, ad quam devenit
26 de tempore primæ ipſius Dotationis,
utpote quæ legitur ſolum in Capitulis
Matrimonialibus, quæ ab ipſa Actrice
27 ſubſcripta minimè fuerunt, & quatenus ſubſcripta fuiſſent, nullæ in eis adhibitæ fuerunt ſolemnitates in contractibus Mulierum requiſitæ, ideoque minùs apta fuit ad effectum obligandi eandem Actricem, tum ex defectu conſenſus, tum ex defectu ſolemnitatum; ut in durioribus terminis latiſſimè firmatum fuit in *Tudertina Majoratus 2. Maii proxime præteriti cor. R. P. D. meo Nunez.*

Propterea cadente ſolummodo quæſtione ſuper renunciatione ab ipſamet Cæcilia emiſſa occaſione Matrimonii ſecundo loco initi, certo certius nulla iſtius ratio haberi debet, & pro non facta reputanda eſt: Quippe quia non ſolum enormiſſimè læſiva dignoſcitur ex eo, quod Fratres dotantes in præmium, & compenſationem hæreditatis paternæ, maternæ, & pinguiſſimi Fideicommiſſi, de quo agitur, nihil prorſus ad
28 priorem Dotem addiderunt; cum cæteroquin, ut ſuſtineantur hujuſmodi renunciationes, & ab eis exulent termini enormiſſimæ læſionis omnino neceſſe ſit, quod viciſſim a Renunciatariis aliquid de proprio Renuncianti tradatur ultra id, quod eidem de Jure debitum eſt; *Rota poſt Torr. de Pact. deciſ.107. num.3., & ſeqq., in Recent. dec.126. num.13., & 16. part.17., coram Emerix Jun. dec.1337. num.13., in Firmana Immiſſionis 8. Maii 1703. §. Nec petitam. & ſeq., & 27. Junii ejuſdem anni §. Ratio. cor. clar. mem. Card. Priolo, in Romana Renunciationis 3. Junii 1711. §. Siquidem. cor. Emo D. Cardin. Aldrovando, in Spoletana Immiſſionis 20. Januarii 1716. §. Eoque. cor. clar. mem. Card. Althan., in Ariminen. Fideicommiſſ. ſuper Immiſſione 16. Aprilis 1717. §. Si verò., & §. Validitas. cor. bon. mem. Foſcaro, & in citata Tudertina Majoratus 2. Maii proximè præteriti cor. R. P. D. meo Nunez.*

Verùm inſuper quia prædicti Fratres loco eam dotandi in ſecundis Nuptiis in eadem ſumma ſcutor.3000. ipſi aſſignata in prioribus Nuptiis mediante ceſſione Palatii paris valoris Fulginei exiſtentis, conſtituerunt illi longe minorem Dotem ſcutor. dumtaxat 2000.
29 in tot Terris; quando tamen exploratiJuris eſt nec etiam Patrem mutare, revocare, aut minuere poſſe in ſecundis, vel ulterioribus Nuptiis Dotem in prioribus Filiæ conſtitutam, ſed reſervare omnino debere Filiæ eandem quantitatem; juxta *Text. expreſſum in Auth. Sed quamvis. Cod. de rei Uxor. action.*, appoſitè exornatum *a Cancer. variar. lib.1. cap.9. num.129., Boſſ. de Dot. cap.2. num.105., & cap.3. n.169., Card. de Luca eodem tit. diſc. 152. per tot., Rota in Recent. in Deciſ.299. numer.6. part.6., & coram bo: me: Molines deciſ.373. num.6.*

Neque ad evadendam enormiſſimam hanc læſionem quidquam juvit aſſerere, quod Pater deceſſiſſet obæratus, quod Bona Dotalia Jacobillæ Matris non extarent, quodque jus ſuccedendi in hoc Fideicommiſſo eſſet remotum, & eventuale. Nam in facto certo conſtat, quod de Bonis Jacobillæ Matris adhuc aderat de temporæ ſecundæ Donationis idemmet Palatium Fulginei ſitum, & jampridem in Dotem datum: Quamobrem quidquid eſſet, utrum revera Pater deceſſiſſet obæratus, ſemper tamen verum erit, quod eadem Cæcilia in recompenſationem renunciationis pinguiſſimi Fideicommiſſi, de quo quæſtio eſt, non ſolum nil recepit, ſed ejus

Dos

Digitized by Google

30 Dos diminuta fuit in tertia parte; quæ quidem circumſtantiæ exuberantes viſæ ſunt, ad effectum notaudi enunciatam renunciationem de enormiſſima læſione, quamvis agatur de renunciatione Jurium eventualium, quia & ipſa in pretio ſunt, & niſi Renunciatarius in recompenſationem eorundem aliquid dederit, dicitur enormiſſime lædere, præcipue in caſu iſto, in quo ſpes ſuccedeudi in Fideicommiſſo renunciato non erat adeo remota, cum penderet ab eventu obitus unius dumtaxat Fratris natu majoris; ut objecto aliàs reſpondit *Rota coram Rmo Criſpo dec.242. n.9., in Ariminen. Fideicomm. ſuper Immiſſione 16. Aprilis 1717. §. Etenim. cor. bon. mem. Foſcharo. & in Urbevetana Immiſſionis 13. Maii 1729. §. Quod quidem. cor. bon. me. Gamaches.*

Ejuſdem irrelevantiæ ſubinde compertum eſt ad eundem effectum eximendi ab enormiſſima læſione præcita-
31 tam renunciationem eſſe vel prætenſum favorem agnationis in ea contemplatum, vel titulum Donationis irrevocabilis inter vivos in ea expreſſum. Quia in quantum attinet ad primam objectionis partem, animadvertentes Domini, quod Cæcilia in Bonis renunciatis, & præſertim fideicommiſſariis Lucæ Patrui ſuccedere nequiverat niſi extincta penitus Agnatione Lucæ Antonii Fratris tam vigore Teſtamenti ipſius Patrui, quàm vigore Statuti Fulginatenſis Fœminas excludentis in concurſu Maſculorum: Inde putarunt impoſſibile eſſe, quod pro cauſa, & ratione renunciandi habita fuerit conſervatio Agnationis, dum prædicta renunciatio ſuum effectum conſequi nequibat, & ſucceſſio ad ipſam Cæciliam deferenda non erat, niſi Agnatione ipſa prorſus ſublata, & extincta; ut bene notavit *Rota in Faventina Fideicommiſſi, & Tranſactionis 15. Maii 1713. §. Eoque minus cor. clar. mem. Card. Scotto, & in ejus confirmatoria cor. Rmo Criſpo* inter ejus impreſſas *dec.242. num.3.*

Eoque libentius reputatum eſt nullum revera Agnationis favorem contemplatum fuiſſe in controverſa renunciatione, perpenſo, quod non ſolùm
32 fuit facta favore Fratris, ſed etiam favore hæredum, & ſucceſſorum quorumcunque, ſicuti apparet tum ex parte proœmiali, ibi — *Deliberavit ad favorem illius, & hæredum, & ſucceſſorum &c. renunciationem facere &c.* — Tum ex ſubſequenti parte diſpoſitiva, ibi — *Renunciavit &c. favore &c. Fratris præſentis, & acceptantis pro ſe, ſuiſque hæredibus, & Succeſſoribus quibuſcumque* —, & rurſus infra — *donavit &c. Fratri præſenti, & acceptanti pro ſe, ſuiſque hæredibus &c.* — His namque in circumſtantiis evidenter patet cauſam conſervandi agnationem pro mero colore interpoſitam fuiſſe; dum quoad Fratrem, quandiu ipſe vixiſſet, nulla indigebat reuunciatione Sororis circa Bona, & ſucceſſiones in dicta renunciatione comprehenſas: Quo verò ad hæredes, & ſucceſſores, extraneos ejuſdem Fratris, pro quibus ille ſtipulatus fuit, nulla Agnationis contemplatio congruere, & conſiderari poterat; ut poſt alios concordantes advertit *Rota coram clar. mem. Gard. Falconerio in dec.68. ſub tit. de Fideicomm. num.10.*

Quod deinde attinet ad ſecundam
33 præcitatæ objectionis partem placuit reſponſio, quod cum contractus principaliter initus, non jam fuerit contractus donationis, ſed renunciationis; proinde titulus Donationis ſucceſſivè, & dependeuter adjectus inter clauſulas generales ad magis coroborandam ipſam renunciationem aptus minimè ſit ipſius naturam alterare, aut eſſe impedimento, quominus adverſus renunciationem de enormiſſima læſione queri poſſit; ad inconcuſſam ſententiam, de qua *Torr. de pact. futuræ ſucceſſ. lib.2. cap.10. num.46., Manſ. conſultat.258. num.15., 74., & 107., Rota in Recent. dec.318. num.15. part.4., dec.230. num.7. part.14., & deciſ.23. num.10. part.15., in Romana Renunciationis 3. Julii 1711. §. Quo vero coram Emo Dño Card. Aldrovando, & in Faventina hæreditatis 12. Decembris 1712. §. Sicut. cor. bon. mem. Anſaldo.*

Maxime quia quocunque modo conſideretur titulus Donationis in hac renunciatione adjectus, nunquam donatio dici poteſt pura, mere gratuita, ſed

Digitized by Google

juxta literam Inſtrumenti, ipſa quoque facta eſt propter Dotem, & correſpective ad Dotem. Cum autem talis correſpectivitas ceſſet ex eo, quod Mulier nihil de novo recepit ex cauſa Dotis, immo potius ex Dote, quam habebat, perdidit in ſecunda donatione notabilem illius partem, ideſt ſcuto-
34 rum mille; Hinc neceſſariò ceſſat, & corruit etiam ipſa Donatio ex capite læſionis pluſquam ænormiſſimæ, cum hæc non minùs locum habeat in donatione, quàm in renunciatione, & quocunque alio contractu, quando prout in caſu donatio non eſt pura, & gratuita, ſed correſpectiva, *Manſ. conſult.295. numer.33., Rota poſt Torr. de pact. dec.74. num.19., & dec.318. num.19. part.4. Recent.*

Pro nihilo denique ad impediendam Immiſſionem a prædicta Cæcilia ut ſupra expetitam habita ſunt, vel circumſtantia illa, quod Cæcilia inſtet pro conſecutione dictæ Dotis in ſumma ſcutorum 2000., ex qua infertur eandem acceptaſſe renunciationem; vel creditum Raynaldi adverſus Lucam Fideicommittentem, quod cum ſucceſſive devenerit in Lucam Jun., & Dominicum, proſit Reo convento, uti ſubingreſſo in juribus eorundem Lucæ, & Dominici ad hoc, ut in vim iſtius poſſit allegare retentionem.

Circa enim id, quod reſpicit Judicium factum a dicta Cæcilia pro conſequenda dicta Dote, arriſit reſponſio, quod cum renunciatio fuiſſet facta per actum ſeparatum ab illo conſtitutionis dictæ Dotis, quæ hodie petita eſt; ideo quantumvis Cæcilia Judicium inſtruxerit pro conſequenda Dote, non inde recte infertur ad acceptationem ſtantis de per ſe renunciationis; juxta re-
35 gulam, qua cautum habemus non bene a diverſis, & ſeparatis fieri illationem, *Rota cor. bon. mem. Herrera in dec.227. num. 6.* — Quod verò pertinet ad allegatam retentionem vigore enunciati crediti, conſiderantes Domini, quod Fideicommittens poſt creatum dictum debitum favore Nepotis eundem in toto ſuo aſſe fecit hæredem, propterea ex hac inſtitutione, & confuſione Jurium
36 putarunt vel creditum extinctum, vel adeo turbidum eſſe, ut ex eo immiſſio retardari non poſſit; per ea, quæ docet *Rota in Recent. dec.173. num.1. part.15., dec.118. num.9., & dec.428. num.2. part.18., & in Reatina Fideicommiſſi de Clavellonibus 3. Junii 1701. cor. bon. mem. dell'Olmo.*

Et ita utraque &c.

VALENTINA BENEFICII.

Lunæ 27. Junii 1727.

ARGUMENTUM.

In Judicio poſſeſſorio non habetur ratio niſi ultimi ſtatus. Obreptio ex falſi narratione oritur, ſubreptio ex veri, puta alternativæ reticentia. Gratia cum derogatione Juriſpatronatus in totum lite pendente conceditur. Juſpatronatus per viam ultimæ voluntatis acquirens præſentare poteſt etiam ante aſſenſum Ordinarii.

SUMMARIUM.

1 *Patronus, qui eſt in Turno, dicitur abſolutus Dominus Juriſpatronatus.*
2 *In Judicio poſſeſſorio non habetur ratio, niſi ultimi ſtatus.*
3 *Sententia, a qua pendet Commiſſio reſtitutionis in integrum, maxime ſi lata fuerit per contradictas favore ejus, qui prius ſuccubuerat, non magni momenti reputatur.*
4 *Antequam Patronus privetur poſſeſſione præſentandi, petitorium debet per tres conformes abſolvi.*
5 *Ut lis pendere dicatur, requiritur prævia citationis relaxatio, intimatio, & reproductio.*
6 *Ex falſi narratione oritur obreptio;*
7 *Quæ Literarum executionem impedit:*
8 *Sicuti ſubreptio, quæ ex veri, puta alternativæ reticentia oritur.* & numer.10.
9 *Gratia cum derogatione Juriſpatronatus in totum pendente lite concedi ſolet, quia nemini damnum infertur, & evitatur hoc pacto periculum diuturnæ vacationis.*
11 *Juſpatronatus per viam ultimæ voluntatis acquirens præſentare poteſt etiam ante aſſenſum Epiſcopi.*
12 *In Jurepatronatus hæreditario quaſi poſſeſſio Auctoris favet hæredibus.*

13 *Qui*

13 *Qui poſt paucos dies a lite per ſimplicem citationem mota Beneficium reſignat, cenſetur litem moviſſe in fraudem aliorum Patronorum; ac ideo Literæ Derogationis Juriſpatronatus in totum conceſſæ ex capite pendentiæ litis non ſunt exequendæ.*

DECISIO XXVIII.

AD trutinam iterum revocatis fundamentis Deciſionis editæ in hac Cauſa ſub die 5. Junii anni 1733. coram Illuſtriſſimo Domino meo Corio, Sacrum Auditorium novit ea adeo immota, ut propoſito per me conſueto Dubio — *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis* — reſpondere non hæſitaverit perſiſtendum eſſe *in deciſis*. Merito autem; Stante enim Turnaria diviſione in exercitio Juriſpatronatus, de quo agitur, aliàs ſtatuta per concordiam inter vocatos in fundatione, & ſucceſſivè Donatarios ejuſdem Juriſpatronatus exaratam, approbatamque per Sententias emanatas de annis 1551., 1562. 1629., & 1681. illico dignoſcitur, præſentationem pro hac vice ſpectare ad Antoniam Eſtevé uti Legatariam hujus Juriſpatronatus ei relicti ab Eleuteria Mas cauſam habente a Hieronyma Ribera, quæ in penultima vacatione anni 1681. præſentaverat Chriſtophorum de Arragones; & conſequenter non alteri deberi inſtitutionem, quam Joanni Baptiſtæ Eſteve à prædicta Antonia præſentato, quæ eo
1 ipſo, quod eſt in Turno, dicitur pro eâ vice abſoluta Domina, atque Juſpatronatus integre repræſentare; ut præter adductos in *præterita Deciſione Cauſæ* tradunt *Gloſſ. in cap. fin. de Præben. in 6., Gonzal. ad Regul.8. Cancellar. Gloſſ.45. §.1. num.27., & ſeq., Rota cor. Seraphin. dec.980; num.11., & in Rec. dec.216. num.6. part.10.*

Quin obſtet, quod ſi in fundatione Beneficii, de cujus Jurepatronatus quæritur, vocati fuerunt Deſcendentes Familiæ de Mas, admittenda non ſit ad præſentandum memorata Antonia, quæ non eſt de hac Familia: Siquidem ponderantes Domini, præſens negotium hodie verſari in terminis Judicii mere poſſeſſorii, necnon in medio exiſtere præcitatam concordiam approbatam etiam favore hæredum extraneorum in vacatione anni 1681., in qua vigore ejuſdem concordiæ admiſſa fuit ad præſentandum Hieronyma Ribera Uxor, & Hæres Michaelis Joannis Montaval, a qua Juſpatronatus poſtea ſemper tranſivit in alios titulo hæreditario, & præcipue in Eleuteriam Mas uti hæredem Leandri Eſteve agnitam pro Patrona a Petro Mas in ultima vacatione, quæ contigit de anno 1724.: ideo cenſuerunt, nil ultra inquirendum eſſe hìc & nunc pro effectu juſtificandi legitimam facultatem præſentandi in dicta
2 Antonia; cum in hoc Judicio poſſeſſorio attendatur ſolummodo ultimus ſtatus; *Lambertin. de Jurepatron. libr.2. part.1. quæſt.3. art.17. num.11., Marant. reſponſ.22. num.49. part.3., Rota cor. ſan. mem. Gregor. XV. deciſ.517. num.5. in Rec. dec.174. num.3., & 4. part.2., & poſt Vivian. de Jurepatron. dec.110. num.7.*

Atque hinc nec etiam obſtare compertum eſt Sententiam Rotalem aliàs latam ab R. P. D. meo Rezzonico, qua dictum fuit totum Juſpatronatus ſpectare ad Petrum Mas, excluſa a jure Turni prædicta Antonia Eſteve: Tum
3 quia ab hac ſententia pendet commiſſio reſtitutionis in integrum, & lata fuit per contradictas, poſtquam jam in Curia Archiepiſcopali Valentina idem Petrus Mas ſuccubuit; proindeque validiſſimum in ea fundamentum ſtabiliri nequit; *Aleiat. de præſumpt. regul.3. præſumpt.32. num.7., Rota cor. Pamphilio dec.281. num.7., & 14.*; Tum
4 quia deducta in eadem ſententia reſpiciunt petitorium, quod per tres conformes prius abſolvendum eſt, quàm Patronus privetur poſſeſſione præſentandi, in qua reperitur; *bon. mem. Piton. diſcept. Eccleſ.28. num.5., Rota in Mediolanen. Beneficii prima Aprilis 1707. §. Vel e converſo., & §. Sed & quoque. cor. bon. mem. Anſaldo, & in Salernitana Juriſpatronatus 26. Februarii 1714. §. final. cor. clar. memor. Card. Scotto.*

Quibus poſitis, ſi ex huc uſque dictis reputatum eſt ſummo jure deciſum fuiſſe, inſtitutionem deberi Joanni Baptiſtæ, non minus iterum exiſtimarunt Do-

Domini ſubſiſtere fundamenta , ex qui-
bus denegata fuit executio Literarum
Apoſtolicarum reſignationis enunciati
Beneficii cum derogatione Juriſpatro-
natus in totum per Joſephum Batle ob-
tentarum. Adhuc enim in facto conſtat,
de Menſe Octobris anni 1726., quo
tempore obtentæ fuerunt , in iiſdem ex-
preſſum fuiſſe , quod ſuper pertinentia
hujus Juriſpatronatus lis, & cauſa in
partibus coram Ordinario Loci inter
Beneficii Patronos in prima, aut ſe-
cunda, ſeu alia veriori Inſtantia pende-
bat indeciſa. Quæ tamen expreſſio cum
omnino falſa reperta ſit, quia non aliàs
quàm de Menſe Martii anni 1727. fuit
exequuta citatio adversùs prædictam
5 Antoniam Eſteve , & cæterum pro ve-
rificanda pendentia litis citatio debuiſ-
ſet jam præcedenter eſſe relaxata , inti-
mata , ac in actis reproducta , ex nota-
tis in *Deciſione, quæ revidetur* §. *Sed*
6 *nunquam* ; ideo ſicuti in his circum-
ſtantiis prædictæ literæ a vitio obreptio-
nis ſalvari nequeunt , ita denuo eis de-
7 neganda eſt executio ; juxta regulam ,
de qua *Gonzalez ad Regul*,8. *Cancellar.*
Gloſſ.32. *num*.11., *Rota dec*.353. *n*.8.
cor. Benincaſ., & *in deciſ*.23. *num*.12.
part.15. *Rece.*, *& in Toletana Præſti-*
monii ſuper negocio principali 30. *Apri-*
lis 1703. §. *Minus obſiſtit.*, *& ſeq. cor.*
bon. memor. Muto .

Eoque libentiùs, quia eædem Lite-
8 ræ non ſolum vitio obreptionis , ſed al-
tero etiam ſubreptionis ſcatere viſę ſunt:
Quippe Summo Pontifici expreſſum
non fuit , quod ſuper hoc Jurepatrona-
tus conſtituta reperiebatur alternativa
prædicta , cujus vigore in prima vaca-
tione Beneficii Jus præſentandi compe-
tebat Antoniæ Eſteve , cui ab Eleuteria
Mas hoc idem Juſpatronatus legatum
fuit . Hoc vero in caſu , quemadmo-
dum ſi Papæ id fuiſſet expoſitum , gra-
tiam cum derogatione Juriſpatronatus
in totum non conceſſiſſet , (ceſſabat
9 namque duplex ratio , qua moveri ſo-
let ad illam concedendam , quod nem-
pe per derogationem Juris litigioſi ne-
mini irrogetur præjudicium , quodque
interim ceſſet periculum diutinæ vaca-
tionis Beneficii ; ut ratiocinatur *Rota*
in Apruntina Beneficii 16. *Januarii*
1730. §. *Impalliabili. coram Illuſtriſſimo*
Domino meo Corio) : Ita eo ſemper ma-
10 gis dubitandum non eſt, quin adaugea-
tur ratio ad effectum denegandi execu-
tionem controverſis Literis ; per ea ,
quæ ultra allegatos in citata *Deciſione*
Cauſæ in ſpecie docent *bon. mem. Piton.*
de controv. Patron. alleg.40. *num*.47.,
& 48., *Rota cor. Otthobon. deciſ*.263.
num.13., *& ſeq.*, *cor. Rmo Criſpo de-*
ciſ.616. *num*.28., *& in Mediolanen.*
Prioratus ſuper Manutentione 15. *Ju-*
nii 1703. §. *Pendentiæ. cor. clar. mem.*
Card. Scotto .

Neque ad eximendam hanc gratiam
a vitio obreptionis quidquam juvat aſ-
ſerere , quod licet non aliàs , quàm de
Menſe Martii anni 1727. fuerit executa
citatio adverſus Antonium Eſteve ; At-
tamen ad verificandam litis penden-
tiam inter verè Patronos ſufficiat cita-
tio executa adversùs Bernardinum Eſte-
ve , & Promotorem Fiſcalem , cum de
dicto tempore eadem Antonia non ſe in
legitimam contradictricem offerre po-
tuerit ; quia quantumvis ei legatum
fuiſſet hoc Juſpatronatus , nullatenus ta-
men aſſenſum Ordinarii obtinuerat .

Quandoquidem ; quidquid eſſet ſi
verſaremur in caſu donationis inter vi-
vos alicujus Juriſpatronatus , in quibus
terminis forſan procedere poſſunt au-
ctoritates in oppoſitum laudatæ . Di-
11 verſimode res procedit , ubi agitur de
Jurepatronatus in alium obvento per
viam diſpoſitionis ultimæ voluntatis;
Quoniam in hac hypotheſi adeo verum
eſt , quod etiam ante ſuperventum aſ-
ſenſum Ordinarii , ille , in quem ob-
venit Juſpatronatus , ſeſe offerre poteſt
in legitimum Contradictorem ; ut abſ-
que ulla difficultate præſentare poſſit ,
ejuſque præſentatio rejici nequeat ; jux-
ta theoricam *Card. Zabarell. in Cap.*
Cum ſæculum. num.8. *de Jurepatronat.*
communiter approbatam , ut videre eſt
apud *Sanchez conſ. Moral. lib*.2. *cap*.3.
dub.77. *num*.5., *& dub*.78. *num*.4.,
Rocc. de Curt. de Jurepatron. num.16.,
bon. mem. Piton. de controv. Patron. al-
legat.100. *num*.226. *à num*.235., *Ro-*
ta cor. Peutinger. dec.266. *n*.2., *& ſeq.*,
& cor. clar. mem. Card. Falconer. in de-
ciſ.41. *n*.3., *& ſeq. tit*.19. *de Jurepatr.*
Mi-

Digitized by Google

Minus præterea ad evitandum alterum vitium ſubreptionis ſuffragari potuit animadverſio illa, quod minime exprimi potuiſſet in obtinendis controverſis Literis, adfuiſſe Patronos exiſtentes in quaſi poſſeſſione præſentandi; ex quo poſt præſentationem præfatæ Hieronymæ Ribera, nec Chriſtophorus Arragones illius filius, & hæres univerſalis, nec Leander Eſteve ejus Donatarius, neque Eleuteria Mas ejus Uxor, neque tandem Antonia ullam præſentationem effectum ſortitam expleverint: Hoc inquam ſuffragari non potuit, quia cum in præſenti vigeat controverſia in Judicio mere poſſeſſorio, & conſequenter Juſpatronatus conſiderandum ſit utpote hæreditarium per ea, quæ ſuperius dicta ſunt; hinc fit, revera adfuiſſe Patronos exiſtentes in quaſi poſſeſſione præſentandi, prout erat dicta Antonia ex facto præcitatæ Hieronymæ
12 Ribera ejus Auctricis; nam in Jurepatronatus hæreditario quaſi poſſeſſio Auctoris favet etiam hæredibus; *Rota coram bon. mem. Molines dec.*1109.*n.*8., *coram Rmo Criſpo dec.*366.*num.* 11., *& ſeq.*, *cor. clar. mem. Card. Falconerio dec.*28. *num.*7., *& ſeq. tit. de Jurepatr.*, *& in Apruntina Beneficii* 16.*Junii* 1730. §. *Quaſi autem poſſeſſio. coram Illmo D. meo Corio.*

Poſtremo conſiderantes aliqui ex Dominis, quod Petrus Mas per ſimplicem citationem executam adversùs dictum Bernardinum Eſteve litem movit die 23. Auguſti anni 1726., & immediate paucos poſt dies, nempe die 2. Septembris, deputavit Procuratorem ad reſignandum Beneficium præfato Joſepho Batle, qui ſubinde ex capite dictæ litis pendentiæ Literas, de quibus agitur, expedivit die 11. Octobris dicti Anni 1726.; inde putarunt nimiam vigere ſuſpicionem, quod dictus Petrus Mas non alio animo litem moviſ-
13 ſet adversùs præcitatam concordiam toties judicialiter approbatam, quàm extorquendi derogationem Juriſpatronatus in totum: quod certò cum ferendum non ſit in fraudem aliorum Patronorum, conſequenter ex hoc capite
14 etiam denegandam eſſe dixerunt executionem ſæpedictarum Literarum; ut io ſpecie docent *Lotter. de Re Benefic. lib.*2. *quæſt.*20. *num.*92., *& ſeq.*, *Roſa de exécut. Liter. Apoſtolic. cap.*16. *numer.*196., *& Rota cor. Celſ. dec.*148. *num.*1. *&* 2.

Et ità utraque &c.

VALENTINA BENEFICII SUPER SEQUESTRO.

Lunæ 27. *Junii* 1735.

Argumento non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Poſſeſſio intra terminum ad appellandum capta nulla eſt:*
2 *Revalidatur tamen non interpoſita tempore debito Appellatione.*
3 *Poſſeſſio ab eo, qui bonum jus habet, etiam nulliter capta, ad evitandum inanem circuitum nec revocari, nec ſequeſtrari debet.*

DECISIO XXIX.

PRopoſito, una cum contemporaneo Dubio, alio ſimili circa appoſitionem ſequeſtri, quam aliàs demandari ſuper fructibus controverſi Beneficii poſtulaverat Joſeph Batle, cotroverſia abſoluta remanſit etiam in hoc caſu favore Joannis Baptiſtæ Eſteve mediante reſponſo *iu Deciſis*. Subſiſtere namque viſum eſt fundamentum alterius Deciſionis ſuper hac inſpectione emanatæ: quod nempe quantumvis poſſeſſio con-
1 troverſi Beneficii utpote capta intra terminum Juris ad appellandum dici poſſet vitioſa, conſequenterque revo-
2 cari debuiſſet; Nihilominus quia Joſeph Batle proſequutus non fuit appellationem tempore debito, ac proinde poſſeſſio nulliter capta revalidari potuit; *Rota dec.*414. *per tot. part.*16. *Re-*
3 *centior.*; & quia, ut ex dictis in contemporanea Deciſione apparet, Joanni Baptiſtæ aſſiſtit bonum jus; & per conſequens ſi poſſeſſionem nactus non fuiſſet, ei decerni deberet; Idcirco ad evitandum inanem circuitum poſſeſſionem per eundem Joannem Baptiſtam captam minimè revocari, ſeu ſequeſtrari debere DD. ceſuerunt; ad firmata in citata Deciſione, quæ revidetur.

Et ita unica &c.

RO-

ROMANA IMMISSIONIS AD HÆREDITATEM PRINCIPISSÆ DE BUTERO QUOAD TERTIAM PARTEM SUPER REINTEGRATIONE.

Veneris 2. Decembris 1735.

ARGUMENTUM.

Contra alienantem Bona fideicommiſſaria, vel ejus hæredem agi poteſt pro reintegratione Fideicommiſſi, & reſtitutione fructuum a die purificationis, ſive mala, ſive bona fide alienaverit: bona enim fides prodeſt tantum tertio Poſſeſſori, contra quem agi nequit actione reali niſi mala fide concurrente.

SUMMARIUM.

1 *Alienans Bona fideicommiſſaria, ſive ejus hæres tenentur reintegrare Fideicommiſſum de pretio Bonorum, & reſtituere fructus ſucceſſori a die purificationis ſaltem in linea damnorum:*

2 *Sive mala, ſive bona fide alienaverit, quæ ſolum prodeſt tertio Poſſeſſori, contra quem mala fide non concurrente nequit agi actione reali*; & num.6.

3 *Mandatum de delendo vinculum Fideicommiſſi non prodeſt alienanti, qui non exhibuit Inſtrumentum continens onus Fideicommiſſi, ſed tantum Teſtamentum, in quo nihil de Fideicommiſſo ſaltem expreſſè legebatur.*

4 *Fideicommiſſi notitiam habens, & nihilominus Bona eidem ſubjecta alienans verſatur in mala fide.*

DECISIO XXX.

INformante tantum D. Joanne Baptiſta Columna vocato ad Fideicommiſſum conditum a clar. mem. D. Margharita ab Auſtria Principiſſa de Butero, & ejus favore purificatum per obitum cl. me. D. Antonii Columna ejus Fratris, deciſum fuit coram Me ſub *die 10. Decembris ſuperioris Anni 1734.* antedictum Fideicommiſſum eſſe reintegrandum de Bonis alienatis, atque diſtractis nedum a D. Dominico Columna primo hærede gravato, ſed etiam a prædicto D. Antonio ejus Filio Primogenito, & ultimo Poſſeſſore: Hodie autem a Me repropoſita Cauſa ſub conſueto Dubio — *An eſſet ſtandum, vel recedendum a deciſis* — & informante etiam D. Antonio Columna Juniore hærede mediato enunciati D. Dominici, & immediato dicti D. Antonii Senioris, non dubitarunt pariter omnes Domini unà mecum ſuffragantes perſiſtere — *in deciſis*. —

1 Indubitatum namque eſt illud principium, quod, quando hæres gravatus, vel alius in fideicommiſſo ſucceſſor alienat, & diſſipat Bona fideicommiſſaria extra ullam legitimam cauſam ipſum Fideicommiſſum afficientem, teneatur idemmet hæres gravatus, ſive ejus hæredes reintegrare ipſum Fideicommiſſum, tam de pretio bonorum alienatorum, quàm etiam ſucceſſorem in illo de fructibus a die purificationis ejus vocationis, ſaltem in linea damnorum & intereſſe; juxta auctoritates cumulatas in præterita Deciſione §. *Unde ſequitur*.

Neque id declinari poſſe viſum fuit ex ſuppoſito, quod memorati D. Dominicus, & D. Antonius ad alienationes devenerint bona fide: quia placuit reſponſio data in dicta mea præterita Deciſione §. *Etenim bona fides*; quod videlicet iſta ſuffragatur ad effectum eximendi a moleſtiis pro reintegratione illatis tertium Poſſeſſorem Bonorum ipſorummet alienantium, quando contra illum agitur actione reali, ac ratione hypothecæ, quæ contra tertium Poſſeſſorem nunquam datur, niſi concurrant dolus, & mala fides; minime verò ubi, ut hìc reintegratio petitur actione perſonali ex Teſtamento contra ipſoſmet hæredes gravatos, eorumque hæredes, & Bona; nam in hoc ultimo caſu illi ſive bona, vel mala fide, & ſive ſcienter, vel ignoranter alienaverint Bona fideicommiſſaria, ſemper tenentur ad reintegrationem Fideicommiſſi; niſi, ut dictum eſt, alienationes ſequutæ fuerint ex cauſa neceſſaria, & legitima; ut præter adductos in dicta præterita Deciſione *eodem*. §. *Etenim.*, tradunt *Gabriel. conſil.44. n.9., & 22., Petr. de Fideicomm. quæſt.3. num.37., Fuſar. de Subſtitut. quæſt.556. num.22. Cyriac. controv.5. n.26. & ſeq., Oſaſch. Deciſ. Pedemont.73. num.1., & ſequ., & firmavit etiam Rota coram Celſo deciſ.*

ciſ.235. num.1., & 2., & in Recent. dec.402. num.2., & 3. part.9. tom.2., & dec.288. num.6. part.17.

Ultra quod etiam in præſenti pro certo habitum fuit, dictam bonam fidem deficere quoad utrumque ex ſupradictis alienantibus, nempe D. Dominicum, & D. Antonium, ex quo licet primus ex illis obtinuerit a Judice Mandatum de delendo vinculum Fideicommiſſi tam a Locis Montium, quàm ab Officiis vacabilibus, nihilo-
3 minus eidem Judici non exhibuit Capitula Matrimonialia inita inter eundem D. Dominicum, & ejus Uxorem, in quibus fuit ordinatum perpetuum Fideicommiſſum favore Filiorum, & ſuorum Deſcendentium, ſed solùm exhibuit Teſtamentum, & Codicillos ſupra recenſitæ Principiſſæ de eodem Fideicommiſſo perpetuo nullam mentionem ſaltem expreſſam in litera facientes: Ideoque cum ob occultationem ſupradictorum Capitulorum Matrimonialium Judex non potuerit habere notitiam de antedicto perpetuo Fideicommiſſo, & hoc evenerit ex facto ejuſdem D. Dominici, qui de prædictis Capitulis Matrimonialibus a ſeipſo celebratis optimè conſcius erat, non solùm ex dicto Mandato Judicis ita conceſſo non poteſt deduci ulla bona fides penes dictum D. Dominicum; ſed poſitivè reſultat dolus, & malitia; quia ſi ipſe dicta Capitula Matrimonialia exhibuiſſet, certè enunciatus Judex ob apertum, & perpetuum Fideicommiſſum Mandatum non conceſſiſſet; ut probatur in dicta mea præterita Deciſione §. *Præterea.*; & eſt *Text. in leg. ubi exigitur. ff. de eden.*, *Luc. de Penn. in leg. Quemadmodum. verſic.27. præſumitur. Cod. de Agricol.*, *& cenſit.*, *Maſcard. de probat. concluſ.533. num.94.*, *Rota cor. bon. mem. Molines dec.954. n.4.*, *& in Recen. dec.7. num.12. part.12.*

Eandemque bonam fidem deficere, immo poſitivum dolum adfuiſſe etiam quoad Antonium exiſtimarunt Domini non obſtantibus Deciſionibus ejus favore emanatis contra clar. mem. R. P. D. Franciſcum Columnam Fratrem in *Romana Immiſſionis ſuper ſucceſſione in hereditate Principiſſæ de Butero 12. Aprilis 1709. cor. bon. mem. Molines* inter ejus impreſſas *dec.1204. tom.5.* confirmata *cor. clar. me. Card. Priolo 11. Decembris 1709.*; Quia, ut reſpondet præterita Deciſio §. *In eo quod reſpicit*, in dicta Cauſa solùm actum fuit de juribus ejuſdem R. P. D. Franciſci, ne ſcilicet iſte impugnare poſſet gratificationem collatam in ipſum D. Antonium a D. Dominico communi Genitore juxta facultates ei attributas a ſupradicta Principiſſa; non autem de ceſſatione Fideicommiſſi in præjudicium ejuſdem D. Antonii, Filiorumque, & Deſcendentium, vel ejus Fratrum ſuperſtitum, quatenus ipſe D. Antonius abſque Filiis deceſſiſſet; De his enim in dicta Cauſa nil actum fuit: Quæ res adeo vera eſt, ut idem D. Antonius agnoſcendo perſiſtentiam, & continuationem dicti Fideicommiſſi, in vim illius allegaverit cautelam Angeli contra alterum ex Creditoribus Paternis in hoc Sac. Auditorio coram clar. mem. Card. Caprara, ut ex *dec.233. cor. eodem*; Quibus ſtantibus innegabile eſt, quod etiam ipſemet D. Antonius, qui ſcivit omnes diſpoſitiones Principiſſæ, & ſignanter illam in ſeſe continentem dictum perpetuum Fideicommiſſum pro omnibus Deſcendentibus D. Dominici, alie-
4 nando Bona fideicommiſſaria fuerit in mala fide, & dolo, ut dixit *Rota cor. Lancetta dec.1079. num.8.9., & 10.*, vigore cujus competeret etiam reintegratio contra tertios Poſſeſſores ex deductis in dicta præterita mea Deciſione *dicto §. In eo, quod reſpicit. in fine.*

Et ita &c. unà mecum omnibus DD. ſuffragantibus, & utraque Parte audita &c.

SALAMANTINA PECUNIARIA.

Veneris 2. Decembris 1735.

ARGUMENTUM.

Confidejuſſor ſolvens totum debitum repetere poteſt a Confidejuſſoribus eorum ratam, etiamſi jurium ceſſionem non reportaverit. Hæres ille eſſe intelligitur, cui Teſtator Bona ſua reliquit cum onere ſolvendi omnia Debita, & Legata; quod tamen verum eſt, ſi nullus alius in Teſtamento nominatus ſit hæ-

res; maximè verò ſi poſt onerum adimplementum Teſtator vult, ut ita gravatus de ſua hæreditate poſſit liberè diſponere. Qualitas hæreditaria ex quibus probetur. Bona dotalia æſtimata tranſeunt in dominium Viri Uxore remanente Creditrice merè pecuniaria; quod habet locum, quando agitur de vera æſtimatione, non verò quando Bona dumtaxat æſtimantur ad dignoſcendum eorum pretium, veluti quando conſti tutio Dotis incipit a Bonis. Obligatio aliam priorem obligationem confirmans non inducit novationem. Fidejuſſores gaudent Beneficio diviſionis; quod non admittunt denegando præſtationem fidejuſſionis, quando ſe retrahunt antequam per ſententiam convincantur.

S U M M A R I U M.

1 *Confidejuſſor ſolvens Creditori totum debitum, poteſt repetere a Confidejuſſoribus eorum ratam, licet ceſſionem jurium non reportaverit.*

2 *Qualitas hæreditaria non præſumitur, ſed probari debet.*

3 *Hæres hæredis dicitur verus hæres primi defuncti.*

4 *Ille intelligitur eſſe hæres, cui Teſtator Bona ſua reliquit cum onere ſolvendi omnia debita, & Legata; quod tamen verum eſt, ſi in Teſtamento nemo nominatus ſit hæres:*

5 *Maximè ſi poſt adimplementum onerum idem Teſtator vult, ut ita gravatus de ſua hæreditate poſſit liberè diſponere.*

6 *Solutio Legatorum regulariter hæredi demandari ſolet.*

7 *Honoratus in Teſtamento, nullo alio hærede inſtituto, remanet hæres univerſalis.*

8 *Relictum ſub nomine* hæreditatis *ſemper ſonat in univerſalitatem.*

9 *Qualitas hæreditaria probatur ex retentione Scripturarum ad hæreditatem pertinentium, & in Inventario deſcriptarum, & ex poſſeſſione Bonorum;* & num. 15.

10 *Filius præſumitur retinere Bona paterna titulo hæreditario.*

11 *Bona Dotalia æſtimata tranſeunt in dominium Viri, & Uxor remanet purè Creditrix quantitatis:*

12 *Unde hujuſmodi Bona poſſidens dicitur poſſidere non uti hæres Matris, ſed uti hæres Patris.*

13 *Reus in exceptione evadit Actor, & eam debet concludenter probare.*

14 *Quando conſtitutio Dotis incipit a Bonis dicitur quotitativa, etiamſi deinde addatur pretium Bonorum.*

16 *Enunciativa in Inventario contenta probat contra eum, ad cujus inſtantiam Inventarium confectum fuit.*

17 *Filius continuans in poſſeſſione Bonorum hæreditariorum poſt mortem Patris, ratificare dicitur aditionem hæreditatis ab eodem Patre captam.*

18 *Producens poſt obitum Matris contra Debitores Patris Apocham de recepta Dote, & Mandatum aſſecurationis illius, dicitur ſufficienter adire hæreditatem maternam.*

19 *Obligatio aliam priorem obligationem confirmans, & ad eam ſe referens non dicitur novativa, ſed accumulativa.*

20 *Creditor cogitur dividere actionem, & a quolibet Fidejuſſore ratam tantum petere illi tangentem; quod eſt diverſum a beneficio relevationis, quam Fidejuſſor pro rata petit a Confidejuſſore.*

21 *Ex diverſis nulla fit illatio.*

22 *In materia pœnali non poteſt fieri extenſio de uno caſu ad alium.*

23 *Beneficium diviſionis actionis non amittit Fidejuſſor denegando præſtationem fidejuſſionis, ſi ſe retrahat antequam per ſententiam convincatur.*

D E C I S I O XXXI.

Deciſionem in contumaciam Alphonſi de Quiros editam coram Me die 28. Februarii currentis anni 1734. favore Joſephi Franciſci Alvarez confirmarunt hodie Domini, etiam audito dicto Alphonſo, perſiſtendo *in deciſis*.

Cum enim uſque de anno 1675. Dominicus Fernandez de Rivera, & Joſeph Antonius Alvarez Auctores antedictorum Collitigantium inſolidum fidejuſſiſſent pro Marchione de Almarza favore Balthaxaris Enriquez pro ſumma ducatorum duodecim millium de Vellon, & recenſitus Joſeph Franciſcus Alvarez uti hæres dicti Joſephi Antonii judi-

judicialiter laceſſitus ; coactus fuerit perſolvere Balthaxari totam dictam ſummam, Juri conſentaneum eſt, quod ſupra enunciatus Alphonſus de Quiros
1 hæres mediatus dicti Dominici Fernandez de Rivera Confidejuſſoris reintegret de medietate prædictæ ſummæ ſibi tangente, hoc eſt ducatorum 6000., Joſephum Franciſcum, quantumvis iſte a Creditore dimiſſo non reportaverit ceſſionem Jurium, ut firmatur in dicta præterita Deciſione §. *Juſtitia verò*.

Parùm refragante, quod Joſeph Franciſcus non probaverit, memoratum Alphonſum eſſe hæredem dicti Confide-
2 juſſoris, prout probare tenetur, cum qualitas hæreditaria uti in facto conſiſtens non præſumatur *Rota in Rec. deciſ.*171.*num.*1.*part.*10.: & conſequenter ille condemnari non potuerit ad ſupradictam reintegrationem: quia cum ipſe oſtenderit Alphonſum eſſe filium, & hæredem quondam Agathæ Lopez, quæ fuit hæres qu. Mariæ del Campo hæredis ſupra enunciati Dominici Fernandez Confidejuſſoris; inde oritur inficiari non poſſe, quin idem Alphonſus ſit quoque hæres ejuſdem Dominici;
3 cum hæres hæredis dicatur verus hæres primi defuncti; *leg. Si quis 7. in fine ff. de acquir. hæredit.*, *leg. Cum ita 93. §. 1. ff. de condit.*, *& demonſtrat.*, *leg. final. Cod. de hæred. inſtit.*, *leg. Sciendum 70. ff. de verb. ſignific.*, *Rota in Rec. dec.*301. *num.*2. *part.*9.

Hæc autem omnia oſtendiſſe, & comprobaſſe Joſephum Franciſcum pro indubitato habuerunt Domini; Dum pro eo, quod attinet ad Mariam del Campo, iſtius qualitas hæreditaria reſpectu Dominici conſtitit ex illius Teſtamento, in quo hæredem univerſalem ſibi ſcripſit dictam Mariam, atque ex acceptatione, & aditione ejus hæreditatis, quam ſolemniter eadem Maria explevit. Quo verò ad Agatham Lopez, quod fuerit hæres dictæ Mariæ, apparuit pariter ex ipſius Teſtamento per hæredes fiduciarios declarato, atque etiam ex acceptatione illius hæreditatis ſimili modo ſequuta ex parte Agathæ.

Non officiente, quod in nulla parte dicti Teſtamenti Agatha vocetur hæres univerſalis, ſed ſolùm declaretur, Mariam del Campo eidem reliquiſſe Bona ſua ſub onere dotandi ejus filias, & per conſequens illa cenſenda potiùs ſit ſimplex legataria, quàm hæres: quando-
4 quidem relictum hujuſmodi factum fuit nedum ſub dicto particulari onere dotandi filias, ſed etiam ſub alio perſolvendi omnia debita a ſupra enunciata Teſtatrice relicta; quod onus cum ſit univerſale, certè indicat, Agatham fuiſſe univerſaliter relictam hæredem; *Joan. Cephal. in leg. Centurio. num.*94. *ff. de vulgar.*, *& pupillar.*, *Paul. de Caſtr. conſ.*133. *num.*2. *in fin.*, *Rota coram clar. mem. Card. Falconcrio tit. de teſtamen. dec.*6. *num.*23.

Potiſſimùm, dum ultra id fuit etiam injunctum Agathæ aliud onus perſolvendi omnia Legata a dicta Maria del Campo relicta, nec ullus alius nominatus fuit hæres univerſalis, & tandem
5 poſt adimpleta omnia præmiſſa fuit ab hæredibus fiduciariis declaratum, Mariam del Campo reliquiſſe Agathæ liberam *dictam ſuam hæreditatem*, *& Cenſus*, *ut poſſit de illa diſponere*, *tanquam de re ſua propria*: ſunt verba ſupradictæ declarationis: in quibus terminis eo magis, & abſque ulla penitus dubietate remanet ex omni parte evidentiſſimum, dictam Agatham fuiſſe inſtitutam hæredem univerſalem, licet talis
6 nuncupata non fuerit; cum ſolutio Legatorum regulariter demandetur hæredi; *leg. Legatum eſt. ff. de legat.*2., *Oinot. ſuper Inſtit. lib.*2. *de legat. tit.*20.
7 *num.*7.; & honoratus in Teſtamento nullo alio hærede inſtituto, remaneat hæres univerſalis; ad *Text. expreſſum in leg. Cohæredi.* 4. §. *Videri. ff. de vulgar.*, *& pupillar. ſubſtit.*, *Cyriac. controv.*43. *num.*25., *&* 26., *Torr. de pact. futur. ſucceſſ. lib.*2. *cap.*23. *n.*15., *Rota coram Buratt. deciſ.*257. *num.*4., *& coram Otthobon. deciſ.*162. *num.*6., *& in Rec. dec.*209. *num.*3. *part.*3.; Ac
8 denique relictum ſub nomine *hæreditatis* ſemper ſonet in univerſalitatem; *leg. Hæreditas* 63. *ff. de regul. Jur.*, *Rota cor. Otthobon. dec.*203. *num.*9., *& cor. Falconerio tit. de Teſtam. dict. deciſ.*6. *ſub num.*22. §. *Deinde.*, *& coram bon. mem. Lancetta dec.*669. *num.*2.

Quo verò ad Alphonſum de Quiros, ejuſ-

ejuſque qualitatem hæreditariam reſpectu D. Agathæ Lopez ejus Matris, ſatis, ſuperque illa reſultare viſa fuit ex retentione omnium Scripturarum pertinentium ad illius hæreditatem, ac deſcriptarum in Inventario Emanuelis Patris Alphonſi, atque ex poſſeſſione Bonorum hæreditariorum ejuſdem Agathæ, & ſignanter illorum, quæ ſita ſunt in loco *de Parades*, necnon Domus in via *del Prior* eidem Agathæ relictæ ab antedicta Maria del Campo detentę a dicto Alphonſo, qui veluti
9

10 filius Agathæ non præſumitur illa poſſidere, niſi titulo hæreditario iſtius; *Leg. Pro hærede* 20. *in princip. ff. de acquiren. hæredit.*, §. *fin. inſtit. de hæred. qualit.*, *& different.*, *Surd. conſil.*457. *num.*32., *Rota cor. Millino deciſ.*44. *num.*1., *& in Rec. dec.*314. *numer.*5., *& deciſ.*431. *num.*15 *part.*9., *& dec.*386. *num.*9. *par.*15., *& dec.*307. *num.*5., *& dec.*359. *num.*2. *part.*17.

Quin obſtiterit, quod dicta Bona fuerint ab Agatha aſſignata in Dotem Emanueli Viro, & Patri reſpectivè Alphonſi, non pro fundo dotali, ſed æſti-
11 mata; in quo caſu ſicuti Bona ejuſmodi tranſierunt in dominium d. Emanuelis, & Agatha remanſit unicè Creditrix illius in quantitate, ita inde ſequatur Alphonſum illa poſſediſſe, non
12 uti hæredem Matris, quæ Domina non erat, ſed Emanuelis Patris; ut diſtinguendo advertunt *Altogr. Jun. contr.*14. *Surd. dec.*140. *num.*12., *Rot. in Recen. dec.*335. *n.*8. *&* 10. *par.*17., *& dec.*611. *n.*12., *& dec.*666. *n.*8. *par.*19. *tom.*2.

Hoc etenim non obſtitit, tum quia Alphonſus præfatum aſſumptum non probavit mediante exhibitione Inſtrumenti Dotalis Agathæ; cum ta-
13 men ipſe uti Actor in hac ſua exceptione id omnino plenè, & concludenter probare debeat; §. *In exceptionibus. ff. de probat.*, *Rota cor. Emerix Sen. dec.*174. *num.*3., *& in Recen. deciſ.*361. *num.*2. *part.*2.; præcipuè conſiderato, quod in aſſecuratione Dotis in Judicio obtenta ab Agatha contra ſui Viri Creditores ſuper iiſdemmet Fundis dotalibus, immediatè poſt eorum ex-
14 preſſionem habentur hæc verba — *Quę omnia detuli in Dotem ad Emanuelem Virum* —, & inde ſubſequitur — *Quæ conficiunt valorem realium* 226250. — quod oſtendit Dotem Agathæ conſiſtere in enunciatis Bonis, & ſolùm eorum æſtimationem factam fuiſſe ad finem cognoſcendi ad quemnam valorem illa aſcenderent; ad tradita per *Hondod. conſ.*77. *num.*6. *libr.*2., *Gratian. diſcept. forenſ. cap.*489. *num.*2., *Mantic. de tacit.*, *& ambig. convent. lib.*12. *titul.*28. *num.*7., *Rota in Recent. dec.*10. *num.*28. 29., *& ſeq. part.*12.

Tum inſuper quia Alphonſus præter Bona dotalia, & deſcripta in dicta aſſecuratione poſſidet quoque alia Bona extradotalia Agathæ Matris, & in ſpecie quandam Vineam *Aranzadarum* in loco *de Rubiales*; quæ cum indubitanter ad illam pertineant, veluti ei obventa ex ſupradicta hæreditate Mariæ
15 del Campo, ita quoque a præmiſſis præſcindendo concludunt illum eſſe hæredem Agathæ, & uti talem poſſidere dicta alia Bona; cum reſpectu iſtorum non ſit verificabilis alter titulus hæreditarius Emanuelis ſui Patris; *Cardinalis Albanus in lucubrat. ad Bartol. leg. Gerit. num.*13. *verſ. Item quando. ff. de acquir. hæredit.*, *Altograd. conſil.*81. *num.*37. *lib.*1., *Rota cor. Emer. jun. dec.*655. *num.*7.

Accedunt in prædictorum confirmationem binæ aliæ circumſtantiæ: altera, quod in Inventario Bonorum ſupra enunciatorum Emanuelis Patris Alphonſi fuit facta hæc expreſſio — *Præfato Dominico Fernandez* (qui eſt Confidejuſſor) *ſucceſſit D. Emanuel Fernandez de Quiros Incola hujus Civitatis, tanquam Pater, & legitimus Adminiſtrator ſuorum Filiorum procreatorum ex D. Agatha Lopez Marzo ejus legiti-*
16 *ma Uxore* —; quæ quidem enunciativa quemadmodum probat contra Alphonſum, ad cujus inſtantiam factum fuit dictum Inventarium; *Surd. dec.*83. *numer.*13., *Rota coram Coccino dec.*242. *num.*3., *& coram Amato Dunozett. deciſ.*973. *num.*5.; ita concludit illum eſſe hæredem ſupradicti Confidejuſſoris, & iſtius hæreditatem mediatè poſt obitum Agathæ Matris adiviſſe pro eodem
17 Alphonſo Emanuelem ejus Patrem, illamque ratificaſſe Alphonſum median-

te

te continuatione in poſſeſſione Bonorum hæreditariorum poſt obitum dicti ſui Patris; *leg. Qui in aliena. §. Sed & ſi non adiverit. ff. de acquir. hæredit.*, *Bartol. conſ.129. num.2. lib.1.*, *Paſchal. de virib. patr. poteſt. part.1. cap.2. numer.35. verſ. Immo etiam latè.*, *Rota in Rec. dec.329. num.11. & ſeq. par.10.*

Et altera, quod poſt obitum utriuſque Parentis exorta lite inter Alphonſum, alioſque filios ex primo Matrimonio recenſiti Emanuelis cum Agatha Lopez ex una parte, & Antoniam Arias de Puga ſecundam Uxorem Emanuelis ſuper illius dote contra Bona relicta
18 a dicto Emanuele ex altera, pro parte Alphonſi in tali Judicio ad ſibi præſervandum Bona dotalia Agathæ Matris fuerunt producta quietantia iſtius Dotis, necnon Mandatum aſſecurationis illius de quo ſupra fuit habita mentio; per quem actum patet ad evidentiam, eundem Alphonſum non ſolùm confirmaſſe præcedentem aditionem hæreditatis maternæ, ſed etiam iterum ſufficienter illam adiviſſe; *Poſth. reſol. civil. 18. num.1.*, *& ſeq.*, *Ridolphin. in prax. part.1. cap.5. num.30.*, *Rota cor. clar. mem. Card. Caprara dec.228. num.3.*, *& 4.*, *& in Rec. dec.47. n.3. part.18.*

Conſtito ex his de mediata qualitate hæreditaria Alphonſi reſpectu Dominici Fernandez de Rivera Confidejuſſoris, levis momenti dijudicata fuerunt cætera, quæ adducebantur pro evitanda ſolutione petitæ reintegrationis: Nam quod Alvarez totam ſummam in fidejuſſione contentam perſolverit Creditori principali, non in vim primæ fidejuſſionis, ſed novæ obligationis ab illo expoſitæ favore ejuſdem Creditoris, viſum fuit non ſubſiſtere in facto, ex
19 ex quo hæc ſecunda obligatio Alvarez non fuit novativa, aut extinctiva prioris fidejuſſionis, ſed tantum accumulativa, & confirmatoria illius, ut deduxerunt Domini, tam ex verbis dictæ novæ obligationis, ibi — *Per hoc publicum Inſtrumentum obligationis, atque approbationis alterius Inſtrumenti &c.*; quàm ex illius pactis, & præ cæteris, quod Creditor principalis Alvarez cederet jura, & actiones repetendi ratam tangentem hæredi alterius Fidejuſſoris, atque ſolutio differretur uſque ad ſecundam ſententiam definitivam, ex qua conſtaret eveniſſe caſum primæ fidejuſſionis; quæ omnino demonſtrant antedictam priorem fidejuſſionem non fuiſſe novatam; juxta *Text. in leg. fin. Cod. de novat.*, *Gratian. diſcept.290. n.17.*, *Poſth. reſolut.96. num.5.*, *& 6.*, *Salgad. Labyrint. Credit. part.3. cap.11. num.83. in fine*, *& num.89.*, *& ſeq.*, *Vrceol. de Tranſact. quæſt.73. num.9. 10.*, *& plurib. ſeq.*

Quod autem Alvarez falsò, & per mendacium inficiatus fuerit fidejuſſionem ab ejus Auctore factam, atque idcirco amiſerit beneficium diviſionis actionis reſpectu alterius Confidejuſſoris, juxta *Text. in leg. Si dubitet. §. Si ita demum. ff. de Fidejuſſor.*, reputatum fuit extraneum a caſu præſenti, quia Beneficium, quod oritur ex Epiſtola *Divi Adriani*, reſpicit unicè, ut dictum
20 eſt, diviſionem actionis, nempe, ut Creditor compellatur dividere actionem, & a quolibet Fidejuſſore ratam tantùm illi tangentem petere, ut videre eſt ex *Text. in §. Si plures. inſtit. de Fidejuſſor.*, *leg. non rectè.*, *leg. Fidejuſſor. 10.*, *& leg. Cum alter. 11. Cod. eod. tit.*; in præſenti verò agitur de obtinenda relevatione, ſive repetenda parte, vel rata ſoluta etiam pro alio
21 Fidejuſſore, quod eſt quid diverſum, & ex diverſis nulla fieri valet illatio; vulgata *leg. Papinianus ff. de Minor.*;
22 præſertim in hac materia pœnali, in qua non poteſt fieri ulla extenſio de uno caſu ad alium; *Rota cor. Ludoviſ. dec.225. num.10. & 11.*, *& cor. Cerro dec.658.*
23 *num.3.*; Maximè quia Alvarez priuſquam convictus fuiſſet de ſupradicto mendacio per ſententiam latam de Anno 1722., ſeſe retraxit a recenſita impugnatione, quo caſu etiamſi res eſſet de beneficio diviſionis, nec minùs ille plectendus eſſet pœna privationis ejuſdem beneficii diviſionis ex cauſa præfati receſſus; ut unanimiter tradunt *Gratian. conſ.37. num.13.*, *& ſequ. lib.2.*, *Gratian. diſcept. forenſ. cap.109. n.57.*, *Pacion. de probat. libr.1. cap.19. n.4.*, *Trentacinqu. var. reſolut. lib.3. reſol.2. numer.14.*, *Merlin. de Pignor. libr.4. tit.1.*

tit.1. quæſt.20. num.11.; Hodiern. ad Surd. dec.262. num.25., & ſeq.
Et ita &c. utraque Parte &c.

COMEN. PAROCHIALIS.

Lunæ 5. Decembris 1735.

ARGUMENTUM.

Executioni Gratiæ — *Si neutri* — non eſt locus, ubi conſtat de bono jure alterius. Convocatio Univerſitatis fieri debet a Conſule, aliàs eſt nulla, & ejus acta remanent nulla: Ex Mandato tamen Deputatorum negotia Univerſitatis expedientium habet Proconſul jus coactivum pro legitimè convocanda Univerſitate. Interventus Vicarii Foranei in nominationibus Parochialium ſi requiratur relativè ad ſpecialem deputationem Epiſcopi ea non ſecuta neceſſarius non eſt.

SVMMARIVM.

1 *Patronis Laicis datur quadrimeſtre ad præſentandum.*

2 *Præſentato a vero Patrono intra legitima tempora debetur Inſtitutio.*

3 *Executioni Gratiæ* — Si neutri — *nunquam eſt locus, quoties conſtat de bono jure alterius.*

4 *Convocatio Univerſitatis fieri debet a Conſule, aliàs eſt illegitima, & ejus acta remanent nulla:*

5 *Conſul autem is eſt, qui emolumentis Conſulatus gaudet, & ſe ſubſcribit uti Conſul.*

6 *Qualitas ſemel approbata nequit amplius ab Approbante impugnari.*

7 *Proconſul ex Mandato Deputatorum, qui Univerſitatis negotia expedire ſolent, habet jus coactivum pro legitima convocatione ejuſdem Univerſitatis.*

8 *Interventus Vicarii Foranei in nominationibus Parochialium ſi requiratur relativè ad ſpecialem deputationem ab Epiſcopo faciendam, hac non ſecuta non eſt neceſſarius:*

9 *Maximè concurrente obſervantia, quod ſi quando dictus Vicarius intervenit, id fuit ex ſpeciali deputatione:*

10 *Cui quidem obſervantiæ omnino ſtandum eſt.*

DECISIO XXXII.

Quamvis Sacerdos Antonius Franciſcus Vannetti binas nominationes obtinuiſſet, alteram nempe ſub *die* 12. *Auguſti*, & alteram *die* 3. *Septembris anni* 1732. ad Eccleſiam Parochialem SS. Abundii, & Nazarii Loci Cunardi Comen. Diœceſ. vacatam per obitum Stephani Morelli ſecutum *die* 17. *Julii ejuſdem anni* 1732. ab Univerſitate, & Hominibus dicti Loci legitimè congregatis, ac Patronis ejuſdem Pa-
1 rochialis Eccleſiæ; Nihilominus poſt jam elapſum quadrimeſtre datum Laicis Patronis ad præſentandum, ſub motivo illegitimitatis dictarum nominationum, Sacerdos Gabriel Bozulus novam nominationem in ſui perſonam a prædicta Univerſitate, & Hominibus expiſcavit: ideoque introducta lite inter enunciatos duos nominatos coram Vicario Generali Comen. ſuper Inſtitutione, prodiit Judicatum favore Sacerdotis Bozoli, a quo interpoſita appellatione per Sacerdotem Vannettum ſuccumbentem ad S. Sedem, & Cauſa ad hoc Sacrum Auditorium devoluta, emanavit coram R̃mo P. D. meo Decano, præviis Deciſionibus editis ſub diebus 28. *Januarii*, & 17. *Junii anni currentis* 1735., Sententia revocatoria ſupradicti Judicati Vicarii Generalis, concedens Vannetto Inſtitutionem in præfata Parochiali Eccleſia, & reſpectivè denegans executionem Gratiæ Apoſtolicæ — *Si neutri* — per Bozulum interim reportatæ. Cum autem in gradu ulterioris Appellationis per me propoſita eſſet Cauſa ſub conſueto Dubio — *An Sententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda* — Reſponſum fuit — *Sententiam Rotalem eſſe confirmandam*.

Ratio decidendi ſtetit in juſtitia re-
2 cenſitæ Sententiæ Rotalis deprompta ex eo, quod ſupradicta Univerſitas Loci Cunardi eſt abſque ullo dubio Patrona, habens jus nominandi, & præſentandi Rectorem ad Ven. Eccleſiam SS. Abundii, & Nazarii, a qua præ cæteris *ſub die* 12. *Auguſti anni* 1732. fuit nominatus, ac præſentatus intra legitima tempora Sacerdos Vannetti,
3 proptereaque meritò eidem competit Inſti-

Iuſtitutio in eadem Eccleſia; & reſpectivè deneganda eſt Sacerdoti Bozulo non obſtante Gratia -- *Si neutri* -- a Sanctiſſimo per ipſum reportata; quia executioni Gratiæ iſtius nunquam eſt locus, quotieſcunque conſtat de bono Jure primi nominati, ut firmatur in utraque Deciſione Rmi P. D. mei Decani; in prima nempe 28. *Januarii* §. *Dilutis. cum ſeq.*, & in illius confirmatoria *diei* 17. *Junii currentis anni* 1735. §. *Objectiones.*, & §. *Probato igitur*.

Non ſubſiſtente, quod convocatio Univerſitatis, in qua Vannettus fuit nominatus ad dictam Eccleſiam, facta
4 non fuerit a Conſule, quemadmodum tam ex diſpoſitione Juris communis, quàm etiam ex generali conſuetudine exigitur, eo quia licèt tunc temporis eſſet Conſul Joannes Franciſcus de Auguſtinis, attamen convocationem fecerit Jacobus Rovellius Baronius, & conſequenter convocatio hujuſmodi remaneat illegitima, ac talis etiam ſit ſupradicta nominatio, ſive præſentatio Vannetti: Placuerunt etenim reſponſiones datæ in eiſdem Deciſionibus Reverendiſs. P. D. mei Decani; Altera nempe, quod licèt uſque ab eo tempore in Conſulem electus fuiſſet recenſitus de Auguſtinis, nihilominus ex poſt propter illius abſentiam fuit in Conſulem ſuffectus ſuperenunciatus Rovellius, qui talis erat tempore ſupradictæ convocationis, & nominationis.

Abſque eo quod attendi meruerit, quod hujuſmodi ſubrogatio Rovellii reſtricta remanſerit ad unicum explendum actum, quo expleto ſtatim illa ceſſaverit; tum quia contrarium depo
5 nunt Syndici, & Generales Procuratores Cunardi, quos etiam doctum fuit expleviſſe Ordines, ſeu Mandata pro emolumentis debitis Rovellio ratione ſui Conſulatus uſque ad *Kalendas Januarias* 1733., quæ omnia oſtendunt, & comprobant dictam qualitatem Conſularem in Rovellio veram, & effectivam, ut firmatur in dictis Deciſionibus Rmi Decani, & ſignanter in prima §. *Subſtineri autem.*; Tum etiam quia in contrarium ſtat ſubſecuta obſervantia, juxta quam habetur in diverſis publicis actibus, Rovellium ſeſe ſubſcripſiſſe Conſulem etiam ſub fine anni 1733. & enunciatum de Auguſtinis priori loco electum, & poſt dictum Rovellium ſubrogatum, nunquam ſeſe Conſulem denominaſſe, nec ſeſe in Conſulatus
6 munere geſſiſſe, immo dictam qualitatem Conſularem in Rovellio approbavit etiam ipſe Sacerdos Bozulus mediantibus actibus indicatis in eadem *prima deciſ. Rmi Decani* §. *Accedit.*; & conſequenter ab ipſo dicta qualitas Conſularis in Rovellio non valet amplius impugnari; ut ſubditur in *eadem Deciſ. eodem* §. *Accedit. in fine*.

Altera verò, quod non ſolùm ſupradicta convocatio Univerſitatis ad nominatum præciſum effectum præſentandi Rectorem ad Parochialem Eccleſiam facta fuit a Rovellio Conſule, ſed etiam iſte ad eam devenit in vim, & executionem ſpecialis ordinis, & mandati Syndicorum, & Procuratorum Generalium prędictę Univerſitatis, qui
7 etiam præſentes fuere Conſilio, & actui nominationis: Cum enim iſti ſoleant expedire omnia Univerſitatis negotia, ſine dubio (præſcindendo etiam a qualitate Conſulari in Rovellio) ex mandato, ac interventu dictorum Syndicorum, & Procuratorum dicendum eſt Univerſitatem fuiſſe legitimè congregatam pro explenda ſæpedicta nominatione; ut in terminis Subconſulis, quod ex Mandato ſimilium Deputatorum habeat jus coactivum pro legitima Congregatione Univerſitatis, firmavit in hoc præciſo caſu *Rota in Placentina Parochialis ſuper Gratia Si neutri* 27. *Januarii* 1727. §. *Nec relevare. coram bon. mem. Cornelio*, & dixit etiam *utraque Dec. Rmi Decani*.

Minùſque ſubſiſtit, quod ſupradicta nominatio Vannetti ſit quoque illegitima, ſive nulla, eo quia in illius actu non intervenerit Vicarius Foraneus juxta Conſtitutiones Synodales Diœceſis Comen.: quia Conſtitutiones prædictæ non loquuntur de nominationibus Parochialium; & quia etiam ubi de iſtis
8 mentionem facerent, nil officeret, dum ſeſe habent in terminis ſpecialis Deputationis faciendæ a Rmo Epiſcopo, qua non facta, ceſſat in conſequentiam diſpo-

ſpoſitio Conſtitutionum Synodalium; ut firmatur in *ſecunda Deciſione Reverendiſſimi Decani* §. *Levior eſt cum ſeq.*

9 Maxime addita obſervantia, quod nimirum ſi aliquando Vicarius Foraneus intervenit in ſimilibus nominationibus, id evenit ex ſpeciali delegatione Epiſcopi; ut dicitur in *Comen. Parochialis* quæ eſt *Decіſ.60. ſub num.1. cor. clar. mem. Card. Caprara*; prout de facto a Vannetto demonſtratum fuit, quod paſſim in Diœceſi Comen. admittuntur Populorum nominationes ad Beneficia etiam cum Cura Animarum ſine præſentia Vicarii Foranei, quando iſte non fuerit ſpecialiter delegatus ab Epiſcopo: cui quidem obſervantiæ in hoc

10 caſu omnino ſtandum venit; ut pariter firmatur in *dicta ſecunda Deciſione Rmi Decani* §. *Majoremque*.

Quoad reliqua autem oppoſita a Bozulo tam contra primam, quàm contra ſecundam nominationem Vannetti, placuerunt itidem Dominis reſponſiones datæ in *utraque Deciſione dicti Rmi Decani*, quas proinde approbarunt ſeſe remittentes ad eaſdem Deciſiones præcedentis Inſtantiæ.

Et ita informante tantùm Vannetto, Bozulo verò dilationem petente deciſum fuit.

PLACENTINA PAROCHIALIS.

Veneris 13. Januarii 1735.

ARGUMENTUM.

In Parochialibus ſubjectivè unitis non requiritur concurſus, ſed approbatio dumtaxat Nominati præſtanda ab Epiſcopo: quia hujuſmodi Parochiales veluti Prædia Eccleſiarum principalium nunquam verè vacare dicuntur. Subjectio verò ex obſervantia probatur.

SUMMARIUM.

1 *In Parochialibus ſubjectivè unitis non requiritur concurſus, ſed approbatio dumtaxat nominati præſtanda ab Epiſcopo:*

2 *Nec in earum proviſione agitur de collatione tituli, ſed ſimpliciter de deputatione perſonæ, quæ loco Prælati exerceat curam actualem.*

4 *In uniendis, ac ſubjiciendis Eccleſiis auctoritas Summi Pontificis eſt abſoluta.*

5 *Concurrente obſervantia dubitari nequit de vera ſubjectione:*

6 *Maximè ſi hujuſmodi obſervantia confirmata ſit in contradictorio Judicio.*

DECISIO XXXIII.

Commiſſa mihi Cauſa in gradu Appellationis a Sententia lata per Reverendiſſimum P. D. meum Decanum in ſequelam Deciſionis ab illo editæ die 17. Junii 1735., qua definitum fuit Eccleſiam Parochialem S. Mariæ del Borghetto poſitam in Civitate Placentiæ, & pertinentem ad Ven. Monaſterium S. Sixti Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis ejuſdem Civitatis non eſſe providendam in contingentibus vacationibus prævio concurſu juxta diſpoſitionem *Sacroſancti Concilii Tridentini in Cap.18. Seſſ.24. de Reformat.*, ut contendebat Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis Placentiæ, ſed unicè prævia nominatione, atque electione Rectoris facienda ab Abbate pro tempore dicti Ven. Monaſterii S. Sixti, & approbanda a Rmo Epiſcopo juxta notiſſimam *Conſtitutionem S. Pii V. la 47.* propoſui hodie Dubium -- *An Sententia Rotalis eſſet confirmanda, vel infirmanda* -- & pro illius confirmatione reſponſum habui.

Nam poſito in facto, quod ſupradicta Parochialis Eccleſia Sanctæ Mariæ del Borghetto pertineat ad recenſitum Monaſterium Sancti Sixti, ſitque illi unita, ſubjecta, ac de ejus Menſa; ſtatim ſequitur, illius proviſionem ſpectare ad Abbatem ejuſdem Monaſterii,

1 qui debet nominare Rectorem, reſervata approbatione quoad exercitium Curæ danda a Rmo Epiſcopo: abſque eo quod detur locus Concurſui, cum iſte in Eccleſiis Parochialibus, Monaſteriis, Capitulis, Dignitatibus, atque aliis ſimilibus ſubjectivè annexis, & unitis non exigatur, ex determinatione ſupradictæ *Bullæ* 47. *S. Pii V.* §.4., quæ etiam eſt conformis cenſuræ Sacrorum Canonum; de qua in *Cap. Extirpandæ.* §. *Qui verò.*, *& in Cap. de Monachis. extra de Præbend.*, *& in Cap. unico de Cappell. Monach.*; quemadmodum tradunt

dunt *Garz. de Benef. quæſtion.9. cap.2. num.299. verſ. Nihilominus.*, & *n.312. verſ. Illud tamen.*, *Rota coram Buratto dec.214. num.1.*, *ibique adden.*, & *coram Merlin. dec.106. num.3.*, & *cor. bon. mem. Molines deciſ.247. num.1.*, & *dec.524. pariter num.1.*, & *coram clar. mem. Card. Falconerio tit. de union. Benefic. deciſ.6. num.3.*, & *in Recent. dec.16. num.12.*, & *ſequ. part.6.*, & *dec.330. num.9.*, & *pariter ſeq. par.9.*, aliique plures relati *in Deciſione Rmi Decani §. Confluentibus igitur.*, & declaravit S. Congreg. Concilii, ut apud *Monacell. form. legal. pract. in ſupplem. fol.54. num.162.*, & *ſeq.*, teſtaturque *Rota in Rec. dec.16. num.15. part.6.*

Ea militante admodum urgente ratione, quod Eccleſiæ Parochiales uti
2 membra, & Prædia illorum Monaſteriorum, quibus annexæ reperiuntur, nunquam verè, propriè, ac ſtricto modo vacare dicuntur, remanente ſemper titulo Eccleſiæ, & Curæ habitualis penes Prælatos eorundem Monaſteriorum; *Lotter. de Re Benefic. lib.1. quæſtion.28. num.96.*, *Garz. de Benefic. part.12. cap.2. num.12.*, & *ſeq.*, *Gonzal. ad Regul.8. Cancellar. Gloſſ.7. §.7. num.7.*, *Rota cor. Ludoviſ. dec.77. n.4.*, & *cor. Otthobon. dec.159. num.3.*, & *cor. bon. mem. Molines dec.10. num.6.*, & *cor. clar. mem. Cardin. Falconerio de Miſcell. dec.16. num.7.*, & *de Union. Benefic. deciſ.1. num.1.*, & *in Mantiſſ. ad Card. de Luc. deciſ.4. num.4. lib.11. volum.3.*; ac proinde cum in hiſce ca-
3 ſibus res non ſit de collatione Tituli, nec de proviſione veri Rectoris, ſed tantum de deputatione Perſonæ, quæ illius loco exerceat curam Animarum actualem, & hæc deputatio, ſive nominatio omnino facienda ſit a Prælato Monaſterii habente apud ſe Curam habitualem, non exigitur proinde quoad nominationes hujuſmodi, Concurſus; ſi enim iſte admitteretur, illico ſublata remaneret dicta facultas nominandi certam, & beneviſam perſonam; ut per hanc rationem concludit *Rota in Rec. deciſ.102. num.1. part.1.*, & *deciſ.579. num.4.*, & *dec.710. num.2. part.2.*, & *dec.16. num.15. part.6.*

Pertinentiam porro, atque ſubiectionem Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ ſupra recenſito Ven. Monaſterio S. Sixti exiſtimarunt Domini apparere ex Bullis plurimorum Summorum Pontificum, nempe *Caliſti II.*, *Innocentii II.*, *Anaſtaſii IV.*, *Adriani IV.*, & *Urbani III.*, in quibus enunciatur, ſan. mem. Paſchalem II. idem Monaſterium S. Sixti, remotis Monialibus ibidem commorantibus propter derelictam regularem obſervantiam, conceſſiſſe Monachis Caſſinenſibus cum omnibus illius Bonis, de quibus illud dotaverat piiſſima Imperatrix Angilberga; quamque Paſchalis II. conceſſionem etiam dicti alii Summi Pontifices unus poſt alium confirmarunt, recipiendo ulterius Monaſterium, ejuſque Bona, & Monachos ſub protectione S. Sedis, & ſtatuendo, omnia alia ejus Bona, ultra prædicta provenientia ex largitate recenſitæ piiſſimæ Imperatricis, Villas, Familias, Poſſeſſiones, Eccleſias, & in ſpecie ſupradictam *S. Mariæ poſitam extra Portam Mediolanenſem* uſque tunc a Monaſterio, & Monachis poſſeſſam ſemper, & in perpetuum penes eiſdem firma, & illibata remanere debere, & Cappellanos Eccleſiarum fore ſubiectos Abbati.

Quando enim Summi Pontifices con-
4 ceſſerunt, & ſtatuerunt ut ſupra; nullo modo in dubium revocari poteſt enunciata ſubiectio, & pertinentia propter abſolutam poteſtatem, qua ipſi Summi Pontifices in his ſpecialiter materiis pollent; *Cap. Poſſeſſiones. de rebus Eccleſ. non alienand.*, *Cap. Inter quatuor*, *ibique Gloſſ. de Religioſ. Dom.*, *Cap. Relatum ne Clerici, vel Monachi*, *ibique Fagnan. num.7.*, *idem Fagnan. in dicto Cap. Inter quatuor. num.2.*, & *3.*, *Rota in Herbipolen. Monaſterii 10. Junii 1707. §. Quod autem. coram bon. mem. Caſſarello*, & latè firmatur in *dicta Deciſione Rmi Decani §. In aſſumpti itaque*, & *ſeq.*

Cui firmiſſimo principio accedit obſervantia uniformis ſex ſæculorum, & ultra, juxta quam Rmi Abbates pro tempore ſemper nominarunt ad præfatam Eccleſiam S. Mariæ Rectores pro actuali exercitio Curæ Animarum, & nunquam fuit expectatus Concurſus; eam-

eamque providerunt de Sacris Suppellectilibus prævio Inventario conſignari ſolitis eiſdem Rectoribus, illam viſitarunt, ejuſque Bona locarunt; ac perceperunt, prout percipiunt omnes, & ſingulos eorum reditus, ac decimas, unicè præſtantes quandam illorum portionem Rectoribus pro congrua eorum ſubſtentatione, juxta antiquam determinationem Cardinalis Azonis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legati.

Cum itaque hi actus continuati expleri non valuiſſent ab Abbatibus, & Monaſterio, nec a tot Rmis Epiſcopis Placentinis permiſſi fuiſſent, & præſertim nominationes Rectoris abſque concurſu, ac viſitationes, niſi verè, & realiter dicta Eccleſia S. Mariæ ad dictum Monaſterium pertinuiſſet, fuiſſetque de illius annexis, ac ipſis ſubjecta; hinc his omnibus animadverſis abſque ullo dubio viſum fuit conſtare de antedicta ſubjectiva unione, ac pertinentia; cum immo, ab omnibus aliis præſcindendo,
5 recenſita tantùm obſervantia tam longiſſimi temporis ſatis fuiſſet pro concludenda unione, & ſubjectione; ut prædicta omnia ſingulariter examinando, pluries firmavit *Rota*, & ſignanter *cor. Emer. Jun. deciſ.947., & deciſ.1098., & in Rec. dec.152. part.10. ubique per tot., & cor. bon.me. Molines dec.1047. num.13. 24. 26. & ſequ., & cor. bon. mem. Herrera deciſ.167. num.11. 25., & ſeq., & dec.232. num.6., & pariter ſeq.*, & luculenter etiam probat *Deciſio Rmi Decani §. In idem., & pluribus ſequen.*

Maximè dum enarrata obſervantia
6 nunquam fuit interrupta, quinimo corroborata, & confirmata in contradictorio Judicio: Cum enim anno 1540. Philippus Maria de Puteo proviſus fuiſſet de hac Parochiali Eccleſia S. Mariæ a S. Sede, veluti vacata in Menſe reſervato, idem Philippus agnoſcendo quoad illam veluti ſubiectivè unitam, ut ſupra, non habere locum Menſium reſervationem, reportavit ab Abbate ex integro novam proviſionem, quæ ſuum habuit effectum. Anno 1566. itidem cum Antonius Lando habuiſſet conſimilem proviſionem à S. Sede, ac introducta lite cum Abbate obtinuiſſet a Vicario Placentino ſententiam favorabilem, eadem ſententia revocata poſtmodum fuit a Præpoſito Placentino, qui pronunciavit ſæpedictam Eccleſiam S. Mariæ eſſe de pertinentiis recenſiti Monaſterii S. Sixti, eique ſubjectam, & ſic nominationem Rectoris ſpectare ad Abbatem; quæ ultima ſententia, ob non proſequutam appellationem a dicto Lando interpoſitam ad hoc Sacrum Tribunal, tranſivit in rem judicatam: Et denique cum anno 1654. Rmus Epiſcopus Placentinus primùm excitaſſet prætenſionem conferendi ſæpiùs recenſitam Parochialem Eccleſiam prævio concurſu, & fuiſſet prælectus Joſeph Lanzonus, ſimili modo iſte, Abbate, & Monachis reclamantibus, agnoſcens ſuum errorem novam ex integro proviſionem ab Abbate aſſecutus fuit, ac in ejus manibus obedientiam, & fidelitatem juravit: Quibus ſic ſtantibus dubio procul conſtare de ſupradicta pertinentia, atque ſubjectione Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ Abbati, & Monaſterio S. Sixti, exiſtimatum eſt; quemadmodum etiam aliâs in ſimili caſu dixit *Rota cor. Emeriæ Jun. dicta deciſ.947. num.3., & 4., & deciſ.1098. num.15.*, & proſequitur pariter *dicta Deciſio Rmi Decani §. Interque. cum ſequen.*

Et ita Domini approbando in reliquis Deciſionem Reverendiſſimi Decani reſponderunt, Promotore Fiſcali Curiæ Epiſcopalis Placentiæ jura ſua deducere reluctante licet pluries intimato.

ROMANA TRANSACTIONIS SUPER MANUTENTIONE.

Lunæ 16. Januarii 1735.

ARGUMENTUM.

Impugnans Tranſactionem nequit interim ejus commodum ſentire, immo, priuſquam Judicium reſciſſionis incipiat, reſtituere debet quidquid ejus cauſa accepit: quæ tamen limitantur, ſi certum ſit, Creditum Impugnantis diminutioni obnoxium non fore Tranſactione pro valida habita, eâ vero reſciſsâ potius augmentum eſſe habiturum.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Ex perceptione Penſionum rei locatæ benè probatur Poſſeſſio;*
2 *Quæ proinde manutenenda eſt.*
3 *Impugnans Tranſactionem nequit interim ejus commodum ſentire:*
4 *Immo eam impugnare nemo poteſt, niſi prius reſtituat, quidquid ejus cauſa accepit:*
5 *Quæ tamen intellige procedere, ſi dubium ſit, an interim Creditum impugnantis remaneat auctum, vel diminutum;*
6 *Vel ſi probabiliter dubitetur, an impugnans quidquam conſequuturus ſit Tranſactione ſublata:*
7 *Si enim certum ſit, quod Creditum non diminuetur Tranſactione pro valida habita, ea verò ſublata potius augeatur tunc etiam dum ſuper reſciſſione diſputatur, poteſt Impugnans commodum ex Tranſactione provenient ſentire.*

DECISIO XXXIV.

INſtaurata hodie diſputatione inter Comitem Alexandrum Urſinum, & Mariam Magdalenam Urſinam ejuſdem Materteram Oblatam in Ven. Monaſterio Turris Speculorum, tam quoad reſciſſionem Tranſactionis aliàs initæ inter ipſum Comitem Urſinum, & Mariam Olimpiam Urſinam auctricem dictæ Mariæ Magdalenæ, quàm quoad Manutentionem petitam ab eodemmet Comite Urſino in quaſi poſſeſſione exigendi tertiam partem fructuum Feudi Arcis Juvenis ſibi aſſignatam in memorata Tranſactione, diverſam prædicti Collitigantes habuerunt ſortem ab ea, quam experti fuere in Audientia *diei* 4. *Februarii* nuper elapſi anni: ſuper Dubio namque reſpiciente reſciſſionem Tranſactionis ob ſuffragiorum ſciſſuram nulla capta fuit reſolutio; alteri verò Dubio, videlicet — *An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis* — quoad manutentionem prætenſam a dicto Comite Urſino, reſponſum fuit — *in Deciſis*.

Ratio Reſponſionis in eo ſtetit, quod cum controverti nequeat, dictum Co-
1 mitem Urſinum pluries exegiſſe prædictam tertiam partem Penſionum ex Locatione memorati Feudi provenientium ab Auctrice dictæ Mariæ Magdalenæ, atque ab ipſa etiam Maria Magdalena, & ſignanter tum in vim Mandati relaxati ab R. P. D. Guglielmo in ſubſelliis A. C. laudabiliter Jus dicente, tum in vim alterius Mandati relaxati ab R. P. D. Viceſgerente approbati per Signaturam Juſtitiæ cum clauſula *Sine præjudicio*; Idcirco patuit ad trami-
2 tes hujus poſſeſſionis denegandam non eſſe manutentionem; ut per *Text. in §. Retinendæ. inſtit. de interdict.* docent *Poſth. de Manutent. obſervat.*74. *n.*1., *Rota dec.*97. *num.*23., *& deciſ.*71. *n.*2. *part.*18. *Recent.*, *& in Toletana Decimarum de Novalcarnero* 17. *Julii* 1726. *§. Quin inſuper. cor. R. P. D. meo Millino*; cum aliis relatis in *Deciſ.*, *quæ revidetur §. Et meritò*.

Neque officere putarunt DD. unicam
3 iterum repetitam exceptionem, ſcilicet, quod impugnans tranſactionem donec perſiſtit in ejus prætenſione non poſſit eodem tempore ea uti, commodumque ex illa referre; *leg. Julianus. §. Offerre. ff. de act. empt.*, *leg. In conventionibus. ff. de verbor. oblig.*, *Surd. conſ.*136. *num.*24., *& conſ.*480. *n.*19., *Gratian. diſcept. forenſ. cap.*770. *n.*21., *Urceol. de Tranſact. quæſt.*9. *num.*1., *& ſeq.*, *Rota cor. Otthobon. dec.*109. *num.*15., *& ſeq.*, *& in Recen. dec.*636. *num.*8. *part.*1., *& deciſ.*127. *num.*1.,
4 *& ſeq. part.*18.; Quinimmo repelli debeat a limine illius Judicii, in quo Tranſactionem impugnare ſatagit, niſi prius reſtituat quidquid ejus vigore accepit; *leg. Si diverſa* 14. *Cod. de Tranſact.*, *Rodulph. alleg.*170. *num.*46., *Rot. penes Pauluc. diſſertat.*15. *deciſ.*5. *num.*6. *tom.*1., *in Rec. dec.*127. *num.*3., *& ſeq. part.*18., *& cor. bon. mem. Lancetta dec.*603. *num.*15.

Etenim quomodocunque res ſe ha-
5 beat in caſu, in quo donec diſputatur ſuper reſciſſione Tranſactionis dubium ſit an remaneat auctum, vel diminutum Creditum illius, qui Tranſactionem impugnat, vel in caſu, in quo probabiliter dubitari contingat, utrum impugnans Tranſactionem nihil penitus conſequi debeat Tranſactione ipſa de medio ſublata, quibus in terminis pro-

procedere videntur auctoritates ſuperius in objecto allegatæ;

Diverſimodè tamen res procedere
7 debet in hac facti ſpecie, in qua quicunque ſit exitus controverſiæ ſuper puncto reſciſſionis Tranſactionis, nunquam minui poterit Creditum dicti Comitis Alexandri. Aut enim pro validitate Tranſactionis reſpondebitur, & tunc illius Creditum ſubſiſtet in dicta enunciata tertia parte Penſionum: Aut petita per ipſum immiſſio indulgebitur, & conſequenter Tranſactio reſcindetur, & eo caſu non ſolùm diminutum non remanebit ejus Creditum, ſed multum auctum; atque ideo cum titulus, ex quo eidem Comiti continuare licet in perceptione controverſæ tertię partis Penſionum Caſtri Arcis Juvenis nunquam deperiri queat, proinde æqui bonique ratio poſtulat, ut non privetur commodo ex illa proveniente, eo etiam intermedio tempore, quo Tranſactionem impugnat; ad firmata per *Cephal. conſ.677. num.6.*, *Caſtill. controv. Juris lib.8. de Aliment. cap.36. §.2. num.49.*, *Urceol. de Tranſact. quæſt.89. num.27.*, *Rota cor. Celſo dec.270. num.10.*

Et ita utraque &c.

FERRARIEN., SEU RAVENNATEN. EXEMPTIONIS.

Veneris 27. Januarii 1736.

ARGUMENTUM.

Communitas Sæcularis, ac etiam Locus pius habens jus privativum vendendi aquam Vitis, ſive demum eorum Conductor ſi impedire volunt Eccleſiaſticis ejuſdem venditionem, tenentur ad eam emendam pretio juſto, & intrinſeco, nulla habita ratione augmenti ex jure privativo provenientis. Corruptio, & imminutio pretii intra terminum ad emendum cedit damno Venditoris.

SUMMARIUM.

1 *Communitas Sæcularis, ac etiam Locus pius fruens jure privativo vendendi aquam vitis, ſive demum eorum Conductor ſi impedire volunt Eccleſiaſticis ejuſdem venditionem, tenentur ad eam emendam, pretio tamen juſto, & intrinſeco, nulla habita ratione augmenti ex jure privativo provenientis.*

2 *Nemo captare poteſt lucrum ad alium pertinens.*

3 *Habentes jus privativum ſupradictum vendere poſſunt cum augmento pretii provenientis a dicto jure privativo aquam vitis emptam pretio juſto, & naturali.*

4 *Juſtus porro terminus concedendus pro emptione eſt unius Menſis incipiendi a die interpellationis.*

5 *Immo etiam aliquando unius hebdomadę.*

6 *Relationes Peritorum ſolent dilationes, ac lites parere.*

7 *Corruptio, ac imminutio pretii mercium contingens intra terminum ad emendum cedit damno Venditoris.*

8 *Nemo locupletari debet cum aliena jactura.*

9 *Ex notula pretii Vini, & omnium expenſarum ſatis conſtat de intrinſeco pretio aquæ vitis in iis conſiſtente, nec eſt neceſſaria alia pretii liquidatio.*

10 *Executio contractus conſiſtit in traditione rei, & ſolutione pretii.*

DECISIO XXXV.

Controverſiam exortam inter Menſam Archiepiſcopalem Ravēnæ contendentem ex Vinis collectis in ejus Bonis ſitis in ditione, ac Territorio Ferrarienſi ſibi licere conficere Aquam Vitis, illamque ibidem vendere ex una parte, & Communitatem Ferrariæ, ac Locum pium Pauperum Mendicantium ejuſdem Civitatis, libertatem ejuſmodi, ac facultatem impugnantes ex cauſa Juris privativi Aquam Vitis conficiendi, eamque vendendi in præfata Ditione, ac Territorio Ferrarienſi ſibimetipſis competentis vigore Privilegii Summorum Pontificum Clementis IX., & Clementis X. ex altera parte, hanc, inquam, controverſiam definivit primo loco Congregatio particularis trium Prælatorum a ſan. memor. Benedicto XIII. deputata, deinde hoc Sacrum Auditorium coram bon. mem. Sanminiato, & ſucceſſivè in gradu ulterioris appellationis coram R̃mo P. D. meo Calcagnino Decano, in cujus Deciſione edita die 28. Martii 1735., atque uniformi ſententia in ejus ſequelam

Iam promulgata concluſum remanſit — *Eidem Menſæ licuiſſe, & licere eandem Aquam Vitis vendere in Civitate Ferrariæ, omnibuſque aliis locis, in quibus Communitati Ferrariæ, & Ven. Loco Pio Mendicantium competit privativa, quatenus intra terminum unius Menſis a die interpellationis, & intimationis facien. a dicta Ven. Menſa incipientem non fuerit conventum pretium inter Partes, & ſecuta non fuerit cum effectu emptio Aquæ Vitis, & in hunc modum præcedentia Judicata eſſe reformanda, & reſpectivè exequenda.*

Non acquieſcentibus huic Judicato ſupra recenſitis Communitate, & Loco Pio, fuit mihi Cauſa delegata: Quapropter propoſito hodie ſolito Dubio — *An Sententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda* — reſponſum fuit — *Sententiam Rotalem eſſe confirmandam juxta modum.* —

Juſtitia namque prædictæ Sententiæ Rotalis confirmantis favore Menſæ Archiepiſcopalis libertatem conficiendi ex ejus Vinis Aquam Vitis, eamque vendendi Ferrariæ, atque in ejus Diſtrictu, & ditione non obſtante ſupradicta privativa, non amplius controvertebatur ab eiſdem Communitate, & Loco Pio, èo ipſo, quod in eadem ſententia ipſamet libertas tam modificata fuerat, ut eadem Aqua Vitis pro juſto, & currenti pretio intrinſeco vendenda eſſet eiſdem Communitati, & Loco Pio, ſive eorum Conductori, quatenus illam emere vellent.

Siquidem ex temperamento ejuſ-
1 modi in dies adhiberi ſolito in conſimilibus caſibus tam a Sacra Congregatione Boni Regiminis, quàm ab altera Sacra Congregatione Immunitatis juxta inſinuata per *Card. de Luc. in Miſcell. Eccleſiaſt. diſc. 6. num.* 17. ac plures reſolutiones earundem Sac. Congregationum relatas in *dicta dec. R̃mi Decani §. Providum immo. eum ſeq.* ſatis ſuperque illæſus remanet fructus, ſive effectus ſupradictæ immunitatis, & libertatis Menſæ competentis, qui in nihilo alio conſiſtere debet, quàm in venditione propriorum fructuum pro illo intrinſeco, & naturali pretio, quo illas venderet aliis Perſonis, non autem pro illo pretio nedum intrinſeco, & naturali, ſed etiam extrinſeco, ſive illo augmento, quod provenit ex dicto jure privativo, & eſt de Regalibus Principis, & elargitum reperitur ex benignitate enunciatorum Summorum Pontificum Communitati Ferrariæ, & Loco Pio Mendicantium; dum in hoc ultimo
2 caſu Archiepiſcopalis Menſa captaret lucrum ad alium pertinens, ut ait *Card. de Luca in Miſcell. Eccleſiaſt. dicto diſcurſ. 6. eodem num. 17. verſic. Non autem.*, & latè probat *dicta Dec. R̃mi Decani §. Ultra verò.*, *& pluribus ſequ.*; quemadmodum etiam eodem temperamento illæſa remanet privativa eidem
3 Communitati, & Loco Pio competens quibus ſecuta emptione Aquæ Vitis dictæ Menſæ liberum remanet eandem vendere cum illo augmento ex eadem privativa proficiſcente; ut pariformiter firmatur in eadem *Deciſ. R̃mi Decani*.

Solùm igitur eadem Communitas, & Locus Pius conqueri poterant de modo eidem temperamento adjecto, quod videlicet intra terminum unius Menſis decurrendum a die interpellationis, ſive intimationis faciendæ a Menſa Archiepiſcopali Ravennaten. deberent convenire cum illius Miniſtris de intrinſeco pretio Aquæ Vitis, & emptionem illius cum effectu perficere; ajendo eundem terminum pro hiſce omnibus explendis eſſe nimis brevem, & anguſtum propter operam Peritorum adhibendam in recenſiti pretii conventione, atque acceſſum ad Loca, ubi illa exiſteret pro recognoſcenda illius qualitate: & conſequenter inſiſtebant, terminum prædictum incipere, ac decurrere debere a die, qua dictum pretium concordatum fuiſſet. At Domini exiſtimarunt hujuſmodi petitionem non eſſe admittendam.

Quoniam poſito, quod Menſa teneatur, ut ſupra, Aquam Vitis vendere ſępedictis Communitati, & Loco Pio, ſive eorum Conductori pro pretio intrinſeco naturali, & currenti, quatenus hic illam emere velit; ſin minùs liceat eidem Menſæ vendere eam in ditione Ferrarienſi Perſonis beneviſis, ſtatim comperitur, quod dictus terminus unius

Digitized by Google

4 unius Menſis præfixus ad hæc peragenda ſit juſtus, & congruus; cum Communitas, & Locus Pius intra illum faciliter, & commodè valeant certiores fieri de pretio currenti Vini, atque expenſis neceſſariis pro confectione Aquę Vitis, veluti notoriis propter communem, & univerſalem uſum ejuſdem Aquæ Vitis, ac illius qualitatem recognoſcere, & ſic amicabiliter convenire de illius pretio, & cum effectu perficere ejus emptionem; nam in his caſibus aliquando exiſtimatum fuit congruum tempus, non ſolùm illud unius Menſis, ut hic, ſed etiam unius heb-
5 domadæ; ut loquendo in terminis prælationis in emptione fructuum venalium tradunt *Freec. de Subfeud. tit. de Auctorit. Baron. auctorit.38. column.1. verſ. Tertiò intellige.*, *Surd. conſ.205. num.19.*, *Gratian. diſceptat. Forenſ. cap.149. num.22.*, *& ſeq.*, *Eminentiſs. Corradinus de Jur. Prælat. quæſt.4. numer.47.*

Spreta prorſus ſupradicta prætenſione Communitatis, & Loci Pii adhibendi Peritos pro conventione pretii Aquæ Vitis, quodque terminus unius Menſis incipere deberet a die, quo de
6 illo conventum fuerit: quia relationes Peritorum, ut plurimùm ſolent rem in longum protrahere, ac dilationes, atque circuitus parere, & contrahentes litibus involvere; ut teſtatur *Card. de Luca de Judic. diſcurſ.33. num.30. 31., & 32.*; majuſque ſequeretur abſurdum, ſi curſus dicti termini incipere deberet a die conventionis pretii; nam eſſet in arbitrio Communitatis, & Loci Pii, ſive eorum Conductoris ex variis etiam emendicatis oppoſitionibus rem eo magis procraſtinare cum maximo detrimento Menſæ, quæ non ſolùm retineret propriam Aquam Vitis invenditam, ſed etiam ſubeſſet tum oneri conducendi Perſonas, quæ eam cuſtodirent, tum periculo ejus corruptionis, ac imminutionis pretii Vini, ac aliis ſimilibus,
7 quæ pendente ſupradicto termino ſemper cederent damno Menſæ venditricis; *Emus Corradin. de Jur. Prælation. quæſtion.4. num.37., & 38.*

Eoque magis hujuſmodi abſurda evitare DD. congruum putarunt, æquitatique conſentaneum, quia ſi Menſa, quæ de jure habet facultatem vendendi propriam Aquam Vitis cui voluerit, coarctatur illam vendere Communitati, & Loco Pio, ſive eorum Conductori ex quadam æquitate, & ad effectum eos ſervandi indemnes in eodem jure privativo, conſequenter vice verſa itidem æquum eſt, ut prædicta quidem ad effectum deducantur, ſed remoto omni, ac quocunque alio poſſibili onere, atque periculo Menſæ; quia non
8 eſt nec Juri, nec æquitati conveniens adimere alicui libertatem in vendendo rem ſuam quibus placeat, eum ſubjiciendo oneribus, & periculis, atque damnis non alio intuitu, quàm alterum locupletandi cum aliena jactura; ad *Text. in leg.2. §.Si quis a Principe. ff. ne quid in loc. public.*, & ad rem advertit *Gratian. ſuprad. diſcept.149. num.30.*

Ad removendas tamen DD. ulteriores diſſenſiones, & ut eo faciliùs intra recenſitum terminum unius Menſis ſequi valeat cum effectu emptio Aquæ Vitis ex parte Communitatis, & Loci Pii, ſive eorum Conductoris, addiderunt etiam hunc novum modum, nempe: *quod Ven. Archiepiſcopalis Menſa in actu interpellationis, ſive intimationis per ipſam faciendæ Communitati, & Loco Pio, tradat notulam omnium expenſarum factarum pro conficienda Aqua Vitis, una cum pretio Vini.*

Cum enim per exhibitionem dictæ Notulæ illico conſtet de intrinſeco pretio Aquæ Vitis in prædictis conſiſtente,
9 nec ſit neceſſaria alia dicti pretii liquidatio; ad tradita per *Gallet. de Obligat. Cameral. tit. de liquidat. ſub num.13. verſic. Deſcendo.*, *Rota cor. Bichio deciſ.423. num.24.*, *& coram bon. mem. Molines dec.6. num.10.*, *& in recent. dec.409. num.3. par.1.* per conſequens dicta Communitas, & Locus Pius illico etiam perficere poterunt contractum emptionis, vel eum recuſare, ſic relinquendo Menſam in ſua libertate vendendi cui, & ubi voluerit; Nam poſt liquidatum pretium, ut ſupra, nil aliud remanebit agendum, quàm perficere
10 contractum prædictum, ac devenire ad illius effectivam executionem conſiſtentem ultra mutuum Partium conſenſum

ſum

ſum in traditione rei, & ſolutione pretii; *ad Text. in §.1. Inſtit. de empt.*, *& vendit.*, *leg. Conſenſum. Cod. de Act.*, *& oblig.*, *Card. de Luca de Regal. diſcurſ.125. num.3.*, *Rota cor. clar. mem. Card. Falconerio tit. de empt.*, *& vend. dec.12. num.2.*, *& in recent. deciſ.139. num.29. part.16.*

Et ita in reliquis approbantes, & ſeſe remittentes ad Deciſionem Rmi Decani reſponderunt utraque Parte &c.

FULGINATEN. REDDITIONIS RATIONIS, ET CAUTELÆ ANGELI.

Veneris 27. Januarii 1735.

ARGUMENTUM.

Inventarium non redditur illegitimum ob omiſſionem Stabilium, & Nominum Debitorum. Emphyteuſis ex pacto, & providentia defertur jure ſanguinis, non hæreditario: immo ſi Bona ipſa allodialia concedantur in emphyteuſim cum pacto, & providentia, Allodialitas efficit quidem, ut Dominus directus finitis generationibus ſibi retinere nequeat Bona, & ne iis permanentibus poſſit denegare conſenſum alienationibus; ſed comprehenſi in inveſtitura, donec aliquis ex ipſis ſuperſit, veniunt jure ſanguinis excluſo hærede defuncti. Dos quantitativa ſoluto per obitum Viri Matrimonio non parit fructus, niſi facta interpellatione: prout neque ſi Mater geſſerit curam, & tutelam Filiorum. Tutor inveſtire debet pecuniam Pupilli, aliàs tenetur ad damnum, & intereſſe.

SUMMARIUM.

1 *Per exhibitionem Inventarii, & relationem Periti de exiſtentia Bonorum deſcriptorum hæres ſufficienter rationem reddere dicitur;*

2 *Quod ſi Inventarium ſit imperfectum, & illegale, redditio etiam rationis imperfecta remanet, & nulla.*

3 *Nomina Debitorum, & Stabilia in Inventario omiſſa non conſtito de dolo debent quidem augere ſtatum hæreditarium, ſed Inventarium ex eorum omiſſione non irritatur:*

4 *Nec ea de cauſa poteſt hæres condemnari in perſona, & Bonis propriis.*

5 *Emphyteuſis conceſſa ad tertiam generationem maſculinam, & fœmininam eſt ex pacto, & providentia;*

6 *Ac in Inveſtitos defertur jure ſanguinis, non jure hæreditario.*

7 *Et licet Bona in emphyteuſim conceſſa ſint redacta ad inſtar Allodialium, ejuſmodi ſunt ea de directo dominio Menſæ Epiſcopalis Fulginei;*

8 *Tamen Allodialitas ligat quidem Dominum directum, ne finitis generationibus valeat pro ſe retinere, vel iis durantibus conſenſum denegare alienationibus;*

9 *At comprehenſis in Inveſtitura ex pacto, & providentia nil prodeſt, dum ea non obſtante ſuperſtites ex iis ſuccedunt jure proprio, excluſo hærede defuncti.*

10 *Dos quantitativa ſoluto Matrimonio non parit fructus, niſi interpellatis hæredibus defuncti Viri.*

11 *Sicuti neque eos parit, ſi Mulier geſſerit tutelam, & curam Filiorum, quia tenebatur, ad ſiſtendum curſum uſurarum, obtinere pro ſatisfactione ſui Crediti adjudicationem alicujus Corporis hæreditarii.*

12 *Venditio principaliter facta ab Uxore pretium recipiente adſcribi nequit ad debitum Viri; ſecus ſi Vir vendiderit, ac pretium receperit.*

13 *Relationi Periti, judicialiter, & citatis, atque auditis Creditoribus, factæ ſtandum eſt.*

14 *Error non præſumitur, ſed probari debet.*

15 *Mater, & Tutrix Filiorum non tenetur ad redimenda pignora a Viro contracta, ſi fructus hæreditarii ſufficiant ad alendam Familiam.*

16 *Tutor inveſtire debet pecuniam Pupilli, aliàs tenetur ad fructus loco damnorum, & intereſſe*; & num. ſeq.

18 *Mulieri poſſidenti Bona hæreditaria Viri ex cauſa propriorum Creditorum faciliùs conceditur retentio, quàm actio.*

19 *Creditor anterior impedire nequit favore poſterioris relaxationem Mandati pro ſumma excedente proprium Creditum.*

DE-

DECISIO XXXVI.

AD impediendam executionem Mandatorum ab A. C. relaxatorum favore Octavii Montogli tàm pro ſolutione fructuum decurſorum ad effectum liberè ſolvendi, quàm ſortis quorundam Cenſuum ad effectum illam deponendi in Sacro Monte Pietatis Fulginei, donec fuiſſet præſtita fidejuſſio ſuper Bonis hæreditariis Antonii Roncalli Debitoris, & Impoſitoris, Sulpitia de Cataneis illius Mater allegavit coram A. C. conſuetam Cautelam Angeli, contendendo illa retinere vigore quamplurium Creditorum anteriorum, eodemque tempore Philippus, Nicolaus, & Marcus de Roncallis Fratres, & hæredes recenſiti Antonii, ne dicta Mandata exequerentur ſuper eorum Perſonis, & Bonis propriis, docto de Inventario enunciatorum Bonorum, petierunt admitti ad illorum redditionem rationis: Quapropter delegato in eadem Civitate Fulginei Judice, atque ab iſto inibi electo Perito Curiali, & ſuperventa ad Urbem ejus relatione, idem A. C. declaravit bene fuiſſe redditam rationem, conſequenterque præfatos hæredes non eſſe moleſtandos; & contemporaneè, immò in eadem ſententia mandavit dictam Sulpitiam non eſſe amovendam a poſſeſſione ſupradictorum Bonorum hæreditariorum Antonii pro ſumma ſcutorum 1230., & obul.37., dummodo oblationes eam ſummam non excederent, reſervatis tamen juribus eidem Sulpitiæ pro reſidua ſumma ab ea prætenſa ex cauſa aliorum Creditorum ab ea deductorum in poſterum liquidanda.

Appellante Montoglio ab ejuſmodi Judicato, & Cauſa devoluta ad hoc Sacrum Auditorium, mihique commiſſa propoſui hodie Dubium -- *An conſtet de ſufficienti Redditione Rationis, itaut ſit danda retentio, ſive potiùs ſint relaxanda Exequatur non obſtante Cautela Angeli* --, cui reſponderunt Domini -- *Affirmativè in omnibus* --, juxta modum inferiùs exprimendum.

Atque initium ſumendo a redditione rationis, hæc viſa fuit ſufficienter reddita a Fratribus, & Hæredibus ſupradicti Antonii Roncalli, tum ex Inventario ejus Bonorum hæreditariorum per eoſdem hæredes confecto, atque exhibito, tum quoque ex relatione antedicti Periti judicialiter electi, ex qua conſtat adhuc dicta Bona hæreditaria Antonii exiſtere, atque compenſatis eorum fructibus perceptis a die obitus D. Antonii cum expenſis neceſſariis pro funere, ac eorundem Bonorum manutentione, aſcendere ad ſcut.3306. 56.;
1 quotieſcunque enim hæres, prævia exhibitione legitimi Inventarii, præmiſſa omnia mediante opera Periti concludit, ſemper dicitur benè, ac ſufficienter reddere rationem Bonorum hæreditariorum; *leg. Cum Servus. ff. de condit.*, *& demonſtrat.*, *Excobar. de ratiocin. cap.2. num5.*, *& ſeqq.*, *Rota coram Dunoz. Sen. deciſ.253. num.3.*, *& coram Dunozett. Jun. dec.873. n.1.*, *& coram Emerix Jun. dec.780. num.1.*, *& coram clar. mem. Card. Caprara deciſ.441. num.2.*, *& in Recen. dec.190. num.3. part.4. tom.2.*, *& in Reatina Fideicommiſſ. de Clavelonibus 3. Junii 1701. §. Agnoſcebant. coram bon. mem. dell'Olmo*.

Haud refragante, quod in dicto Inventario non fuerint deſcripta quædam Credita hæreditaria Leonardi Patris Antonii, & ſic pro quarta parte ſpectantia ad illum tanquam pro eadem rata Cohæredem Patris, prout nec quædam Bona emphyteutica, & conſequenter cum idem Inventarium propter hanc omiſſionem remaneat illegale, at-
2 que imperfectum, non potuerit ſuper illo fundari ſupradicta redditio rationis, quæ vel corruente Inventario, vel eo exiſtente imperfecto corruit; ad firmata per *Rot. coram bon. mem. Anſaldo deciſ.10. num.13.*, *& coram clar. mem. Card. Falconer. dec.27. num.8.*, *& deciſ.28. num.14. in Miſcell.*, *& coram bon. mem. Molines deciſ.373. num.1.*

Quoniam omiſſio nominum Debitorum, ac Stabilium, non conſtito de dolo hæredis prætermittentis eorum
3 deſcriptionem, operari quidem poterit, ut illa calculari debeant in augmentum ſtatus activi hæreditarii recenſiti Antonii, ex adductis per *Adden. ad Pamphil. deciſ.75. num.15.*, *Rota cor.*

Penia

*Penia deciſ.*858. *num.*1., & *cor. Celſo deciſ.*120. *num.*8., & *cor. Molines deciſ.*1281. *num.*14., & *in Recent. dec.*75. *num.*6. & 7. *part.*10., & *dec.*142. *n.*2. *part.*1., & *deciſ.*48. *num.*9. *part.* 15., *dec.*172. *num.*21. *part.*17., & *dec.*521. *num.*18., & 19. *part.*18. Non autem apta eſt ad irritandum, ac deſtruendum Inventarium; cum eadem omiſſio evenire potuerit propter ignorantiam, & agatur de Creditis provenientibus ex publicis Inſtrumentis, ac Bonis ſtabili-
4 bus, quæ ſicuti ſubjecta non ſunt ullæ occultationi, ideo non privant Hæredem ejuſdem Inventarii beneficio ad hunc duriſſimum effectum eum condemnandi in Perſona, & Bonis propriis; *Hodier. controv.*5. *num.*39., *Roec. diſput. Jur. ſelect. cap.*47. *num.*12., & *ſeq.*, *Rota cor. Mantic. dec.*189. *n.*3., & *coram Duran. deciſ.*386. *num.*21., & *cor. Ludoviſ. dec.*169. *num.*3., & *in Rec. dec.*749. *num.*7. *part.*2.

Credita, ac Bona omiſſa ut ſupra, ideoque calculanda in augmentum ſtatus activi Antonii exiſtimarunt Domini non alia eſſe, niſi ea, de quibus ratio habebitur infra ſuper puncto Retentionis, ſive Cautelæ Angeli allegatæ per Sulpitiam, & ultra ea quandam Domum poſitam in Civitate Fulginei in Regione *Contraſtanghe*, emptam a ſupradicto Antonio Debitore, ac aliis tribus ejus Fratribus pro pretio ſc.600., quorum quarta pars ſcut.150. adſcribenda venit Patrimonio ejuſdem Antonii Coemptoris, ac in illius augmentum.

Rejecta prorſus prætenſione Montogli, quod in idem augmentum eſſet quoque ponenda quarta pars alterius Domus pretii ſcut.88. a Menſa Epiſcopali Fulginei conceſſa in Emphyteuſim Antonio, aliiſque ejus Fratribus de Roncallis, & Sulpitiæ Matri: Quia cum
5 conceſſio hujuſmodi facta fuerit ad tertiam generationem maſculinam, & fœmininam dictorum Acquirentium, & ſic illa ſit ex pacto, & providentia; ad tradita per *Jul. Clar.* §. *Emphytheuſis. quæſt.*27. *num.*2., *Fulgin. de Jur. Emphyt. tit. de contract. Emphyt. quæſt.*1. *num.*1., & *ſeq.*, *Mareſcott. var. reſol. lib.*2. *quæſt.*53. *per tot.*, *Rota poſt Olcam de Ceſſ. Jur. dec.*45. *num.*9., & *in rec. dec.*390. *num.*2. *part.*1. non poteſt pro ulla rata conſiderari hæreditaria ſupradicti Antonii, ſed eo defuncto ſine Filiis præfata portio Domus devoluta re-
6 manſit ad alios ejus Fratres in dicta Conceſſione comprehenſos, ſive Inveſtitos; cum in Emphyteuſi ex pacto, & providentia ſucceſſio deferatur Jure ſanguinis, & independenter ab omni qualitate hæreditaria, & quicunque vocatus dicatur ſuccedere ex Perſona propria; *Alex. conſ.*8. *num.*1. *libr.*1., *Odd. conſil.*75. *num.*2. *lib.*1., *Surd. deciſ.*324. *num.*2., *Rota apud R.mum P. D. meum Calcagninum Decanum obſervat. practic. legal. deciſ.*14. *num.*4., & *in Mantiſſ. ad Card. de Luc. dec.*16. *n.*3., & 4. *lib.*4. *vol.*1., & *deciſ.*10. *num.*8. *pariter lib.*4. *vol.*3., & *in rec. dec.*211. *num.*2. *part.*6.

Minimè officiente, quod Bona em-
7 phyteutica ſupradictæ Menſæ Epiſcopalis Fulginei ſint redacta ad inſtar Allodialium ex antiquiſſima conventione, ſive concordia inita a Communitate dictæ Civitatis cum Fulginatenſi Epiſcopo, & ſemper obſervata; juxta *Fulgin. de Jur. Emphyt. tit. de renovat. quæſt.*1. *num.*35., *Ciroce. diſceptat.*62. *num.*4., *Cardin. de Luca de Emphyt. diſc.*1. *in princip.*, & *diſc.*2. *num. fin.*, *Rota in Fulginaten. Emphyt.* 11. *Maii* 1714. §. *Et ſanè. cor. bon. mem. Cerro*. Siquidem hæc Allodialitas ligat tantùm, ac
8 arctat ipſum Dominium directum, ideſt Epiſcopalem Menſam, ne finitis generationibus valeat pro ſe retinere, vel illis durantibus denegare favore Emptorum, aliorumque acquirentium conſenſum alienationibus factis:

Quo verò ad vocatos, & compre-
9 henſos in Inveſtitura ex pacto, & providentia, nullius eſt momenti, dum ea non obſtante, ubi alter obierit ſine filiis, aut Deſcendentibus, ſuperſtites ex vocatis ſuccedunt jure proprio, omnino excluſo quocunque Hærede dicti defuncti; ut obſervat *Caſtellin. obſerv. ad Conſtit.*, & *Banniment. Legation. Æmiliæ par.*4. *obſerv.*4. *num.*49., & reſpondendo dicto objecto firmavit *Rota in Mantiſſ. ad Card. de Luca dicta deciſ.*16. *num.*11. *lib.*4. *vol.*1., ubi reddit ratio-

rationem, quod pacta Inveſtituræ ocrogant generali conſuetudini reducendi Bona Eccleſiaſtica ad inſtar Allodialium, & uti proviſio Hominis vim tollit proviſioni legis, eamque ceſſare facit.

Hinc tranſeuntes Domini ad retentionem Bonorum hæreditariorum Antonii, aſcendentium, ut ſupra, ad valorem in totum ſcutor. 3456. 56. 4., quæ a Sulpitia ejus Matre uti Creditrice Leonardi ejus Viri, & Patris reſpectivè Antonii petebatur ſuper dictis Bonis obventis eidem Antonio Cohæredi ab hæreditate Leonardi Patris pro quarta parte ejus Creditorum provenientium a Capitale Dotis, diſſipatione Bonorum extradotalium, eorumque fructibus decurſis, & ex redemptione quorundam Pignorum e Sacro Monte Pietatis Fulginei a ſupra enunciato Perito calculatorum in ſcut. 1232. 82. 4. cenſuere iidem Domini eandem retentionem non competere, niſi pro rata ſcutor. 1503. 00. $3\frac{1}{1}$, prout infra patebit.

Nam licet juxta Periti calculum quarta pars dictorum Creditorum, pro qua petita fuit retentio, aſcendat ad ſcut. 3080. 20. $\frac{1}{1}$, nihilominus a recenſito integro Calculo ſcut. 12320. 82. 4., a quo dicta quarta pars promanavit, concluſum fuit, eſſe demendum illud Creditum fructuum Dotalium in eodem Calculo comprehenſorum pro rata ſcutorum 1575. 20., cum fructus hujuſmodi non debeantur; ſive quia Dos con-
10 ſtituta fuit in pecunia numerata, quæ cum poſt obitum Viri remaneat merum Creditum pecuniarum, fructus non parit, niſi facta ex parte Viduæ legitima interpellatione hæredibus Viri ſuper Dotis reſtitutione, quæ hìc deficit; *Petr. Barboſ. in leg. 2. in princ. num. 4. ff. Solut. Matrim., Ruin. conſ. 48. num. 14. lib. 2., Rota poſt Conſtant. ad Stat. Urb. deciſ. 98. num. 1., & deciſ. 99. num. 2., & dec. 192. num. 9., & 10., & coram Duran. dec. 166. num. 4., & cor. Ubald.*
11 *dec. 211. num. 2.*; Sive etiam quia cum Sulpitia fuerit Tutrix, & Curatrix Filiorum Hæredum Leonardi Viri, & per diuturnum temporis ſpatium adminiſtraverit illorum Bona, tenebatur ad ſiſtendum curſum ſuſurarum, obtinere pro ſatisfactione ui Crediti Dotalis adjudicationem alicujus Corporis hæreditarii; quod cum explere omiſiſſet, ideo in pœnam neglectæ ſatisfactionis fructus petere non valet, & eos perdidit; juxta *G. oſſ. in leg. Divortio. §. Quod ſi interea. verb. poſſit, in fin. ff. de negot. geſt., leg. Quoties ſicut autem. de adminiſt., & pericul. Tutor., Leg. 3. §. Contrarium. verſ. Si tamen fuit. ff. de contract. Tutor., Soccin. Sen. conſ. 126. numer. 5. lib. 1., Panimoll. dec. 3. annot. 1. num. 39., Conſtant. ad Stat. Urb. annot. 34. art. 2. num. 240. volum. 2., Rot. poſt eundem ſuprad. dec. 192. num. 11., & cor. Emerix Jun. dec. 1357. num. 4., & cor. bon. mem. Molines dec. 614. numer. 17., & 18., & in Recen. dec. 131. num. 11. 12. & 13. part. 12.*

Pariter a dicto Calculo ſc. 3868. 76. proveniente a pretio Bonorum extradotalium Sulpitiæ alienatorum a Leonardo Viro detrahenda eſt rata ſc. 93. 74. pro qua vendita fuit quædam portio Terræ die 7. Auguſti 16.92., una cum proportionabili diminutione fructuum uſque ad annum 1731. aſcendentium
12 ad ſc. 145. 86., ex quo venditio ejuſmodi primariò facta extitit a Sulpitia, & ab ea fuit receptum pretium, & propterea ponenda non venit ad debitum Viri; *Cyriac. contr. 35. num. 21., & 22., Cirocc. diſceptat. 67. num. 5. verſ. Et ſi Uxor., Rota in Recen. dec. 397. num. 6. & 7. part. 18.*

Cæteras verò ſummas alienationum in Peritia deductas una cum illarum fructibus decurſis putarunt Domini non eſſe demendas a dicto Calculo, & Credito Sulpitiæ, ea ratione, quod cum Peritus Inſtrumenta alienationum recognoverit, & aſſerat ex illis conſtare a Viro fuiſſe factas, & ab eo quoque
13 fuiſſe receptum pretium; huic relationi, veluti judicialiter, & citatis, atque auditis Creditoribus Antonii communis debitoris, emanatæ omnino ſtandum
14 eſt, donec doctum non fuerit de errore, qui nullo modo præſumitur; *Rota cor. Emerix Jun. deciſ. 155. num. 7., & cor. clar. mem. Card. Falconerio tit. de Uſur. dec. 26. num. 7., & in Recent. dec. 57. num. 3., & ſeq. part. 18.*; Et inſuper

15 ſuper neque detrahendum eſſe dictum fuit ab eo calculo alterum Creditum ſcut.230. 34. 4. proveniens ex redemptione a Sacro Monte Pietatis quorundam Pignorum contractorum a Leonardo Viro; quia ex adverſo Sulpitia, licet Tutrix Filiorum, & Hæredum ejuſdem Leonardi, non tenebatur pignora redimere ex fructibus illius Bonorum hæreditariorum vix ſufficientium ad alendam Familiam; ad ſenſum Gloſſæ in *Auth. ut ii, qui obligat. ſe habere perhibent res minor. §. Si verò. verb. neceſſitatis.*, & *alterius Gloſſæ in Leg. Niſi. verb. Prædiorum. Cod. de adminiſtrat. Tutor.*, *Alberic. in leg. Suo. ff. de in integr. reſtitut.*, *Exeobar. de ratiocin. cap. 14. num. 8. 9.*, & 10., *Leotard. de Uſur. quæſt.20. num.20.*, *Rota cor. bon. mem. Molines deciſ.607. num.13.* & 14., & *in Recen. dec.201. num.7. part.10.*

Ita igitur ſtabilitis Creditis Sulpitiæ, quę juxta prę miſſam reductionem aſcendunt ad ſc.10406. 2. 4., quarta illorum pars pertinens ad hæreditatem Antonii remanet in ſcutis 2626. 50. 3 $\frac{1}{1}$

At verò cum hac quantitate dixerunt Domini, Sulpitiam teneri ad compenſationem infraſcriptorum ejus debitorum, quibus obſtringitur tam favore hæreditatis Leonardi Viri, quàm filiorum ratione eorum Tutelæ, & Curæ, ac adminiſtrationis Bonorum, pro quarta tamen illorum parte dumtaxat, cum quatuor fuerint, ut ſupra dictum eſt, hæredes Leonardi, & quatuor Pupilli, & alter ex iſtis eſt recenſitus Antonius.

Et primò compenſanda ſunt ſc.125., quæ ſunt quarta pars ſcutorum 500. debitorum a Sulpitia hæreditati Viri pro totidem ab ipſo de proprio ſolutis in illius utilitatem, & commodum Iſabellæ Martorelli occaſione ceſſionis uſusfructus Bonorum hæreditariorum Nicolai Catanei ab eadem Iſabella emiſſa favore Sulpitiæ dicti Nicolai Sororis, reliquis aliis pariter ab eodem Leonardo de proprio in dictam Cauſam ſolutis, & a ſupradicto Perito in ſua relatione bonificatis.

Secundò compenſanda veniunt ſcuta 25. quarta pars ſcutor. 100. retractorum a Sulpitia ex venditione Domus, & portionis Terræ Pupillorum ab eadem Tutrice facta anno 1709. favore quorundam de Deliis.

Tertiò compenſanda ſunt ſcuta 21. quarta pars ſcutor.84. debitorum a Sulpitia Pupillis pro fructibus dictorum ſcutor.100. ad rationem ſcutor. 4. pro centenario decurſis uſque ad annum 1731. ob neglectum ejuſdem ſummæ
16 Inveſtimentum, quod Sulpitia tanquam Tutrix omnino explere tenebatur; ad *Text. in leg. Obſcænus. 4. de adminiſtrat. Tutel.*, & *leg. 7. Cod. de arbitr. Tutor.*, *Rota cor. Dunozzet. deciſ.627. num.3.*, & *cor. clar. memor. Card. Caprara deciſ.168. n.18.*, & 19., & *coram bon. mem. Molines deciſ.607. num.13.*, & *dec.1307. num.9.*

Quartò compenſanda ſunt ſc.32. 50. quarta pars ſcutor. 130. ſolutorum de proprio a Leonardo Viro quibuſdam Creditoribus ejuſdem Sulpitiæ.

Quintò itidem compenſanda veniunt ſcuta 500. quarta pars ſcutorum 2000. a ſæpedicta Sulpitia exactorum die 10. Aprilis 1710. tutorio nomine Filiorum a Joanne Baptiſta, & aliis de Roncallis ex cauſa cujuſdam Donationis favore eorundem Filiorum factæ a Petro Roncallio.

Sextò etiam compenſanda ſunt ſcuta 420. quarta pars fructuum dictorum ſcutorum 2000. decurſorum a dicta die 10. Aprilis 1720. uſque ad diem 10. Aprilis 1731., & ſic per annos 21. ad rationem ſcutorum quatuor pro quolibet centenario, & anno, ob neglectum ſimili modo a Sulpitia Inveſtimentum
17 ſupradictæ ſummæ ſcut.2000., quod efficit, ut ipſa teneatur ad eoſdem fructus loco damnorum, & intereſſe; ut ultra ſuperiùs adductos §. *Tertiò compenſanda.* tradunt *Muñoz. de ratiocin. cap.14. per tot.*, *Card. de Luc. de Tutor. diſc.6. num.31.*, *Urceol. conſultat. forenſ. cap.84. num.14.*, *Rota cor. bon. mem. Lancetta dec.1258. num.3.* & 4., & *in Recen. deciſ.480. num.2. part.19. tom.2.*

Quapropter redacto, ut ſupra, Credito Sulpitiæ, & reſpectivè imminuto ex hiſce ultimis ſubductionibus, ſive compenſationibus, compertum fuit illam quoad hæreditatem Antonii non rema-

remanere creditricem, niſi pro ſumma expreſſa ſcutor. 1503. 00. 3. $\frac{1}{4}$; & pro hac Domini reſponderunt illi uti
18 Creditrici anteriori eſſe dandam retentionem, quæ Mulieri poſſidenti Bona hæreditaria Mariti pro ſuis Creditis non denegatur, quinimmo faciliùs competit, quàm actio; *Hondcd. conſ. 16. num. 22. lib. 2., Merlin. de pign. lib. 1. quæſt. 25. num. 5., Rota in Rec. dec. 43. num. 12. part. 19. tom. 2.*; Addito, per eandem Sulpitiam cum dicto ſuo Credito compenſandos etiam eſſe integros fructus ab ea perceptos ex Bonis hæreditariis Antonii per eam poſſeſſis, poſtquam fuerint liquidati, ac etiam proportionabiliter, & correſpectivè alios fructus Creditorum hæreditatis Antonii poſt annum 1731., de quibus non fuit habita ratio in ſupra enunciata Peritia ac ſupradictis Calculis.

Super reliqua verò rata Bonorum Antonii dixerunt Domini eſſe relaxandum *Exequatur* favore Montogli pro conſecutione ejus Creditorum, quæ oriuntur ex publicis Inſtrumentis impoſitionum Cenſuum; cum Creditor anterior non poſſit impedire executionem Mandatorum relaxatorum favore Creditoris poſterioris niſi pro rata Bono-
19 rum adæquantium ejus Creditum, non autem quoad ratam ſuperextantem, ac excedentem; quia aliàs retineret ſine cauſa; *Tiraquell. in tractatu ceſſante cauſa. part. 1. num. 189., Galleſ. ad form. obligat. Camer. part. 4. quæſt. 1. num. 12., Tomat. dec. 206. num. 31. 32. & ſeq., Rota in Recent. dec. 559. n. 5. part. 1. verſ. Cæterum., & deciſ. 378. num. 12. part. 11.*

Et ita Domini juxta modum ſupra expreſſum reſponderunt utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS SUPER SUBMINISTRATIONE EXPENSARUM, ET SUMPTUS LITIS.

Lunæ 30. Januarii 1736.

ARGUMENTUM.

Reus poſſidens rem fructiferam tenetur præſtare ſumptus litis Actori pauperi bonum jus foventi: Quantitatis autem ſubminiſtrandæ taxatio a Judicis arbitrio pendet.

SUMMARIUM.

1 *Reus poſſidens rem fructiferam tenetur præſtare ſumptus litis Actori pauperi bonum jus foventi.*
2 *Ad paupertatem autem demonſtrandam ſufficiunt leviores probationes, veluti depoſitiones extrajudiciales.*
3 *Bonum verò jus ad hunc effectum ſufficienter oritur ex ſententia favorabili licet per appellationem ſuſpenſa.*
4 *Quantitatis ſubminiſtrandæ taxatio a Judicis arbitrio pendet:*
5 *Qui tamen eam moderari debet habita ratione Bonorum controverſorum, & fructuum a Reis poſt motam litem perceptorum, necnon ſtatus Cauſæ.*

DECISIO XXXVII.

NON valentes Nicolaus, atque Erminius de Valvaſoriis propter paupertatem proſequi Judicium Immiſſionis in poſſeſſionem Domus hìc in Urbe ſitæ in Vico Sabellio detentæ a Joanne Baptiſta Laudonio, & Dominica Botia aliàs introductum a Marco Antonio Valvaſorio eorum Patre, hærede teſtamentario qu. Joſephi Valvaſorii in vim Fideicommiſſi Anno 1631. ordinati a qu. Joanne Antonio Valvaſorio, poſtquam coram A. C. prodierat Sententia favorabilis eidem Marco Antonio, pendente lite defuncto, devoluta tandem ad hoc Sacrum Auditorium coram bon. mem. Molines, curarunt, ut aliquo modo eorum indigentiis pro litis proſecutione conſuleretur, proponi Dubium: *An, & in qua ſumma ſint ſubminiſtrandi ſumptus litis* — quo propoſito, & informantibus tantùm dd. Nicolao, & Erminio prodiit reſponſum affirmativum juxta modum, nempe pro ſcutis 150.

Siquidem quotieſcunque conſtat de paupertate, ac bono jure Actoris, ſem-
1 per Reus conventus rem fructiferam poſſidens tenetur illi ſubminiſtrare expenſas, ſive ſumptus litis; ne aliàs pauperes Collitigantes ex cauſa impotentiæ cogantur litem deſerere; *leg. Noviſſimè. §. Pomponius. ff. Quod falſ. Tutor., leg. Si Inſtituta. 27. ff. de inoffic. Teſtam., Rota cor. cl. mem. Card. Caprara dec. 16. n. 1., & in Rec. dec. 404. n. 4.*

De

De paupertate autem conſtitit ex depoſitione Teſtium affirmantium Actores eſſe omnino pauperes, ac nihil poſſidere, & Marcum Antonium eorum Patrem obiiſſe in miſerabili ſtatu; qui-
2 bus dandam eſſe fidem exiſtimatum fuit, licet deponant per extrajudicialem atteſtationem: quia ad hanc ſubminiſtrationem expenſarum admittendam, veluti proviſionalem, ſufficit levior probatio paupertatis deſumpta etiam ex ſimplicibus depoſitionibus Teſtium; *Covvarr. practic. quæſt. cap.6. num.8., Rota cor. clar. mem. Cardin. Falconerio tit. de Aliment. dec.10. num.4. 5. & 6., & cor. Buratt. dec.756. num.4., & in Recent. dec.43. num.9. part.16.*

Bonum verò jus eruebatur ex favorabili Sententia Immiſſionis ab A. C. obtenta per Patrem eorundem Actorum, quæ licet ſuſpenſa fuerit per Ap-
3 pellationem interpoſitam a Reis conventis ad hoc Sacrum Auditorium, attamen per hoc ſublata non remanet præſumptio boni juris ex dicta Sententia oriens, præſertim ad hunc effectum conſequendi ſumptus litis; *Surd. de aliment. tit.1. quæſt.120. num.10., & ſeq. Rota cor. clar. mem. Card. Falconerio tit. de expenſ., & ſumpt. litis deciſ.10. num.9., & cor. clar. mem. Card. Caprara dec.16. num.6., & in Anconitana Succeſſionis ſuper Alimentis, & ſumptibus litis 27. Februarii 1722. §. Nec promeruit. cor. Rmo P. D. Calcagnino Decano.*

Subminiſtrationem itaque Domini,
4 a quorum arbitrio pendet; *Rot. dec.707. num.5. cor. Buratt., & dec.141. n.14. cor. Bich.*, reſponderunt eſſe præſtandam in quantitate ſcutor.150., habita
5 ratione pretii Domus, ad quam petita fuit Immiſſio, ac fructuum a Reis conventis huc uſque poſt motam litem perceptorum, & ſtatus Cauſæ, in qua etiam a bon. mem. Molines deputatus fuit Peritus Curialis ſuper firmatione ſtatus hæreditarii Fideicommittentis, ac liquidatione detractionum a Reis conventis prætenſarum ex perſona hæredum gravatorum, qui alienarunt.

Et ita &c. Unica tantum Parte &c.

FULGINATEN. IMMISSIONIS.

Lunæ 3. Februarii 1736.

ARGUMENTUM

Idem, quod in Deciſione XXVII.

SUMMARIUM.

1 *Appellatione Filiorum veniunt tam Maſculi, quàm Fœminæ.*

2 *Fideicommiſſi perpetuitas colligitur ab expreſſione Teſtatoris condendi Fideicommiſſum arctiſſimum, ex digreſſu ad plures gradus ſubſtitutionum, ex impoſitione oneris perpetui, ex perpetua prohibitione alienationis, & ex pœna caducitatis irrogata alienanti, & proximiori conſentienti.*

3 *Poſita autem perpetuitate Fideicommiſſi, verba* — cioè al Primogenito — *non ſtant* taxativè, *ſed* demonſtrativè; & ſub num.4.

4 *Filii collectivè vocati ſimul ſuccedunt.*

5 *Appellatione* Filiorum *non veniunt Fœminæ, quando Statutum eas excludit, & in aſſignatione Dotis vocatæ ſunt nomine proprio* Filiarum, *quod tamen verum eſt ſi concurrant Maſculi, ſecus in ſubſidium.*

6 *Statutum Fulginei excludit Fœminas non abſolutè, ſed propter Maſculos:*

7 *Teſtator autem præſumitur ad illud conformare velle diſpoſitionem ſuam*; & ſub num.4.

8 *Niſi tamen concurrat contemplatio agnationis, vel concatenata vocatio Maſculorum ex Maſculis, vel aliæ conjecturæ ſuadentes reſtrictionem vocationis ad ſolos Maſculos.*

9 *Sub nomine Filiorum comprehenduntur Fœminæ, ſi vocati ſint cognati remotiores, ſi Filii in conditione poſiti ſint ſine qualitate Maſculinitatis, & demum ſi poſt finitam lineam maſculinam admittuntur eædem Fœminæ ad aliquod jus honorificum:*

10 *Et quamvis a jure honorifico inferri nequeat ad ſucceſſionem; hoc tamen verum eſt, quando ex eo unicè deſumitur vocatio; ſecus quando affertur in majorem comprobationem regulæ ſtantis pro vocatione;*

11 *Maxime quia non eſt veriſimile Teſtatorem ſejungere voluiſſe jus illud ab hæreditate.*

12 *Re-*

Digitized by Google

12 *Renunciatio non adhibitis debitis ſolemnitatibus nulla eſt; prout ſi a Renunciante non ſit ſubſcripta.*

13 *Dos in primis Nuptiis conſtituta minui nequit in ulterioribus; etiamſi primum Matrimonium effectum ſortitum non fuerit.*

14 *Renunciatio, in qua Renuncians nihil a Renunciatario recipit, nulla eſt;* conjung. cum num.12. §. Si Sermo., & ſub num.15.

15 *Etiamſi Dominus unius ex hæreditatibus renunciatis deceſſerit obæratus, Bona alterius fuerint alienata, & demum Fideicommiſſum in tertios diſtractum fuerit:*

16 *Immo quamvis agatur de renunciatione Juris merè eventualis, quia etiam hoc caſu ſecundùm majorem, vel minorem eventualitatem debet Renunciatarius aliquid præſtare Renuncianti.*

17 *Renunciatio nulla non validatur per ratificationem, non probata in Renunciante ſcientia nullitatis tam facti, quàm Juris.*

18 *Donatarius annualitatum, ſi ſit etiam hæres univerſalis, præſumitur eas ſibi ipſi ſolviſſe ex fructibus hæreditatis.*

19 *Adminiſtrans Bona ſui Debitoris præſumitur de ſuo Credito ſibi ſatisfeciſſe.*

20 *Hæres ſimplex ſui Debitoris, Creditum ſuum allegare nequit.*

DECISIO XXXVIII.

CUM beneficio novæ Audientiæ ex benignitate hujus Sacri Tribunalis obtentæ a Luca Campana adverſus *Deciſionem emanatam coram Me ſub die 20. Junii anni proximè elapſi*, factus eſſet locus novo certamini inter ipſum, & Cæciliam Venturini expetentem Immiſſionem ad duo latifundia nuncupat. alterum *la Torre*, alterum *Cortignano* ſubjecta Fideicommiſſo qu. Lucæ Senioris de Venturinis, & poſſeſſa per eundem Campanam: Propoſui idcirco Dominis meis in hac Audientia conſuetum Dubium -- *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis* --, cui, in contumaciam ipſius Lucæ jura ſua deducere negligentis, licet pluries intimati, reſponſum fuit -- *In deciſis*.

Et ſanè quod attinet ad durationem Fideicommiſſi dicti qu. Lucæ Sen. de Venturinis, ejuſque purificationem favore Cæciliæ pariter de Venturinis: Quemadmodum Teſtator indefinitè vocavit omnes Filios Raynaldi, ut deducitur ex parte diſpoſitiva ipſius Teſtamenti, ubi loquens de Bonis, & hæreditate ſua ſic diſpoſuit -- *La coſtituiſco nel più ſtretto Fideicommiſſo, che ſi poſſa mai fare, e che morendo Rainaldo Venturini ricada alli ſuoi Figliuoli* -- Ita videtur dubitari minimè poſſe de duratione præcitati Fideicommiſſi, ejuſque conſecutiva purificatione favore dictæ Cæciliæ tanquam unicè ſuperſtitis ex filiis dicti Raynaldi; cum appellatione
1 *Filiorum* in ultimis præſertim voluntatibus tam Maſculi, quàm Fœminæ indubitatè contineantur; juxta notata in *Deciſione, quæ revidetur* §. *Quin reſiſtat*.

Abſque eo quod difficultatem ullam afferre poſſit, quod dum Teſtator poſt vocationem omnium Filiorum Raynaldi adjecit expreſſionem illam -- *Cioè al Primagenito tutta la robba. & agli altri Figliuoli vitto, e veſtito condecente &c. con aſſegnare anche alle Figliuole femine Dote conveniente* -- Inde argui valeat, quod Fideicommiſſum ultra Perſonam Primogeniti ipſius Raynaldi protrahi non debuiſſet.

Ponderando namque, quod non obſtante hac reſtrictione materialiter indigitata per ſuperiùs recenſita verba, adhuc de voluntate Teſtatoris conſtituendi Fideicommiſſum pro omnibus
2 Filiis Raynaldi ambigi nequeat: Id ſuadentibus tum prænarrata expreſſione in parte diſpoſitiva facta, iterumque hìc repetenda, ibi -- *La coſtituiſco* (videlicet hæreditatem ſuam) *nel più ſtretto Fideicommiſſo, che ſi poſſa mai fare* --. tum digreſſu ad plures ſubſtitutionum gradus, ac impoſitione oneris perpetui quarundam eleemoſinarum, tum ſtricta, perpetuaque alienationis prohibitione, tum denique ſolemni illa ejuſdem Teſtatoris proteſtatione, ſcilicet, quod ſi alienare volens -- *veniſſe in concordia col più proſſimo di potere alienare* -- eo caſu -- *ſiano privati ambedue* --; ex qua profectò apertè colligitur non unam tantùm Perſonam fuiſſe vocatam; aliàs proximior non indiguiſſet conſenſu

ſu alterius proximioris, ut ſibi alienari liceret, neque præſtanti conſenſum injungi potuiſſet cum effectu caducitatis pœna, ut diſſerit *Deciſio, quæ revidetur* §. *Aſt injunxit*.

Hinc propterea manifeſtum reddi-
3 tur, verba illa in objecto adducta = *cioè al Primogenito &c.* ſtare *demonſtrativè*, non verò *taxativè*; & conſequenter operari quidem poſſe, ut duo, vel plures ex filiis Raynaldi ſimul, & eodem tempore admitti nequirent, & ſic deinceps in gradibus inferioribus de-
4 ſcendentium, prout de cætero admitti debuiſſent, virtute eorum collectivæ vocationis, non autem reſtringere eandem vocationem ad unum tantummodo gradum, itaut deficiente primo ſemel admiſſo, alii in ordine ætatis ſecundo, vel ulteriori loco ſubſequentes, unus poſt alium admittendi non ſint per ea, quæ ad mentem celebris *conſ.*27. *Ancharani* egregie ratiocinantur *Bellon. conſ.*11. *n.*9., *& ſeq.*, *Molin. de Primogenit. lib.*1. *cap.*5. *num.*21., *Rot. coram Arguell. deciſ.*28. *num.*7. *& ſeq.* cum aliis concordantibus *in deciſione quæ revidetur* §. *Quin reſiſtat*.

Ejuſdem deinde levitatis videtur animadverſio illa, quod dato etiam Fideicommiſſo progreſſivo ad omnes deſcendentes Raynaldi de uno in alium ordine Primogenituræ, nihilominus præfata Cæcilia minime comprehendatur ſub prædicto vocabulo *Figliuoli*; præ oculis habito ſignanter, quod idem Teſtator in demandanda dotatione Fœminarum, eas proprio filiarum nomine nuncupavit, quodque ſemper præſumendum eſt, eundem Teſtatorem ſe conformare voluiſſe cum patrio Statuto Fulginei Fœminas excludente.

5 Siquidem cum in præſenti quæſtio non verſetur inter Fæminam, & Maſculum certo certiùs vocatum; cumque indubitatum ſit, quod ſub indefinita vocatione filiorum ex propria verbi ſignificatione non modo Maſculi, ſed etiam Feminæ continentur; Inde oritur, quod ex præſumpta conformatione Teſtatoris cum Patrio Statuto, & ex injuncta dotatione Fœminarum, quo in caſu idem Teſtator eas filiarum nomine appellavit, argui quidem poteſt earum temporanea excluſio concurrentibus Maſculis, ſed non etiam illarum abſoluta non comprehenſio ſub prædicto vocabulo *Figliuoli*; alias hoc eſſet non benignè interpetrari voluntatem Teſtatoris, ſed penitus recedere a dicta proprietate verbi communis, & indifferentis; quando de cætero ſi ipſius proprietas in ſimilibus circumſtantiis ſalvari poteſt, vel minus lædi conſtituendo ordinem ſuccedendi per priùs, & poſteriùs inter Maſculos, & Fœminas, ſemper fieri debet; *Peregrin conſ.*159. *n.*5. *verſ. tertius caſus. lib.*5., *bon. mem. Anſald. in annot. ad deciſ.*46. *n.*29. *&* 30., *Rot. dec.*80. *num.*8. *& ſeq. coram Cerro, in Recent. dec.*572. *n.*4. *par.*14., *cor. clar. mem. Card. Caprara dec.*588. *num.*13., *dec.*27. *n.*11. *inter impreſſas ad ornat. Card. de Luc. de Fideicommiſſ. tom.*2., *& dec.*8. *num.*8. *eod. tit. tom.*3., *coram Reverendiſſimo Criſpo deciſ.*403. *num.*4., *& coram bon. mem. Molines deciſ.*1205. *num.*17. *&* 18.

Eo magis in hac facti ſpecie, in qua ex hoc ipſo, quod Teſtator in vocatione, & ſubſtitutione filiorum præſumitur ſeſe conformare cum patrio Statu-
6 to, neceſſariò ſequitur, quod ſicuti Statutum Fulginei excludit Fœminas, eaſque dotare mandat, non abſolutè, ſed propter Maſculos, & quando extant Maſculi, quando vero Maſculi non extant, eas minimè excludit, ut dixit *Rota in deciſ.*1234. *n.*8. *coram bon. mem.*
7 *Molines*; Ita omnis bona ratio ſuadet, Teſtatorem ad normam ejus patrii Statuti voluiſſe Fœminas excludi, ac dotari, quandiu extarent Maſculi, ſed non etiam quando Maſculi defeciſſent; *Rot. deciſ.*274. *num.*30. *&* 31. *par.*18. *Recent.*, *coram Cerro dec.*80. *num.*16. *& ſeqq.*, *coram Otthobon. dec.*111. *n.*8., *& ſeqq.*, *coram bon. mem. Molines deciſ.*1117. *num.*15. *&* 16., *coram Reverendiſſimo Criſpo dec.*423. *num.*24., *& deciſ.*623. *n.*31., *& in Romana Fideicommiſſi de Palazzolis* 5. *Decemb.*1704. §. *Conjectura cor. bon. me Muto cum aliis in deciſ. dictæ Cauſæ* §. *Cæterum*.

8 Fortiùs deinde, quia non ſolùm deficit in præſenti votum conſervandi Agnationem, vel concatenata vocatio Maſculorum ex maſculo, ſive alia con-
jectu-

jectura, propter quam ſuaderi poſſit, quod Teſtator voluntatem ſuam ad ſolos Maſculos direxiſſet; ſed ex oppoſito conjecturæ, quæ reſurgunt ex aliis Teſtamenti partibus, militare videntur
9 pro incluſione Filiarum Raynaldi per poſterius: Quandoquidem dum Teſtator Cognatos remotiores, & minus dilectos, nempe Filios Filiarum Venturini Fratris vocavit, dum Filios ſimpliciter abſque ulla maſculinitatis nota in conditione poſuit in ſubſequenti ſubſtitutione Antonii Mariæ alterius Nepotis, dum poſtremo vocavit poſt lineam Maſculinam *le Donne di Caſa Venturini* in Jure nominandi Moniales, aut Canonicos, nullimodè ambigi poteſt ejus mentem fuiſſe, quod ſub præfato vocabulo *Figliuoli* ſaltem per poſterius comprehenderentur Fœminæ; ut ponderant in ſimilibus circumſtantiis *Card. de Luc. de fideicommiſſ. diſc.* 41. *num.*15., *& diſc.*145. *num.*5., *Rot. apud Balduc. tit. de legat. deciſ.*4. *num.*8., *& ſeq.*, *coram Cerro dec.*80. *n.*31., *& ſeq.*, *& coram clar. mem. Card. Caprara deciſ.*588. *num.* 19.

10 Minimè reſiſtente, quod a Jure honorifico nominandi regulariter non inferatur ad ſucceſſionem: quoniam quidquid eſſet, ubi ſuper hujuſmodi conjectura fundaretur aſſumptum pro vocatione ejuſdem Cæciliæ; cum tamen hæc conjectura afferatur ſolummodo in quandam majorem comprobationem, & in confirmationem regulæ, qua edocemur verbum *Figliuoli* complexivum eſſe tam Maſculorum, quàm Fœminarum; propterea in hiſce terminis dubitandum non videtur, quin ad calculum referri poſſit; ad regulam in propoſito exornatam per *Rot. in Tiburtina Fideicommiſſi* 8. *Febr.* 1706. §. *Etenim & ſeqq. coram bon. mem. Anſaldo, & in Peruſina Fideicommiſſi de Floribus* 15. *Martii* 1734. *coram R.P.D.Creſcentio*;

11 Attenta præſertim ratione illa, quod non adeo veriſimile eſt, Teſtatorem ſejungere voluiſſe memoratum Patronatum ab ipſa hæreditate; ut in ſpecie notavit, *Rot. cor. Arguell. deciſ.*16. *n.*31. *verſic. declaratur*, *& d. dec.*28. *n.*79.

Vindicata ſic ab objectis vocatione ejuſdem Cæciliæ, ac Fideicommiſſi purificatione ejus favore, majorem plauſum promereri non videtur exceptio deducta ex renunciatione ejuſdem Cæciliæ. Etenim ſi ſermo eſt de renunciatione, quæ contenditur emiſſa de tempore primæ ipſius dotationis; cum in illa nullæ adhibitæ fuiſſent ſolemnita-
12 tes, quæ vigore Statuti, & Ægidianæ Conſtitutionis neceſſario requiruntur in contractibus Minorum, & Mulierum; cumque minime fuiſſet ſubſcripta ab ipſa Cæcilia; Idcirco patet, quod ex ea nullo modo obligata remanſit; ad tradita per *Rot. in Tudertina Majoratus* 2. *Maii ſuperioris anni coram R.P.D. meo Nunez*.

Si ſermo verò convertatur ad illam, quam ipſamet Cæcilia emiſit occaſione Matrimonii ſecundo loco initi: Sicuti intuitu iſtius, juriumque renunciatorum nihil recepit a Fratre renunciatario; Quin immo, ſicut idem renunciatarius diminuit in tertia parte dotem illam, quæ in prioribus nuptiis conſtituta fuit: quando de cætero explorati juris
13 eſt nullo modo eam minui poſſe; juxta *Text. in auth. ſed quamvis Cod. de rei Uxor. action*, cujus diſpoſitionem procedere etiam in caſu, in quo primum Matrimonium effectuatum non fuiſſet, latè probant *Dec. conſ.*35. *per tot.*, *Paſchal. de patr. poteſt. part.*1. *cap.*4. *n.*69., *Molpheſ. ad conſuetud. Neapol. part.*6. *quæſt.*2. *n.*19., *de Marin. reſolut. quotid. lib.*1. *reſolut.*92. *num.*2., *Boſſ. de dot. cap.*2. *num.*107., *Rot. cor. Ubald. deciſ.* 593. *num.*11. *& ſeq.* Ita evidenter probatum remanet, quod hujuſmo-
14 di renunciatio eximi nequit ab enormiſſima læſione, conſequenterque nullo pacto ſit obligatoria; prout conſiderat *Deciſio, quæ revidetur*, §. *Propterea*, *& ſeq.*

15 Abſque eo quod enormiſſima læſio declinari poſſit eo ſub obtentu, quod Raynaldus Pater deceſſerit obæratus, quod Bona Jacobillæ Matris fuerint alienata, quod demùm Bona Fideicommiſſi, de quo quæſtio eſt, involuta reperiantur, atque in tertios diſtracta: quia quomodocunque res accipiatur, quoties præfata Cæcilia correſpectivè ad renunciationem nuper relatam trium hæreditatum, non ſolùm a Fra-

tre

Google

tre nihil amplius habuit, ſed potius dimiſit, & perdidit tertiam partem ejus, quod antea habuerat, ſemper renunciatio erit evidenter, & enormiſſimè læſiva; ut reſpondet *deciſ. quæ revidetur* §. *Neque ad evadendam*.

Nilque intereſt, quod Jus ſuccedendi in controverſo Fideicommiſſo Lucæ Senioris reſpectu memoratæ Cæciliæ eſ-
16 ſet valde remotum, & eventuale: Quippe admiſſa etiam ipſius eventualitate, attamen juxta majorem, vel minorem eventualitatem ſemper in pretio erat, & in ejus correſpectivitatem aliquid renuncianti ſolvi debebat; *Rot. coram Reverendiſs. Criſpo dec.*242. *n.*9.; proindeque ſi nihil omnino datum fuit, immo ſi renunciatarius detraxit tertiam dotis partem, fruſtra ſub prætextu eventualitatis ſucceſſionis evitari prætenditur hęc læſio, cui ſubjacet controverſa renunciatio; *Rota in Ariminen. Fideicommiſſorum ſuper Immiſs.*16. *Aprilis* 1717. §. *Etenim. cor. bon. mem. Foſcaro, in Vrbevetana Immiſſionis* 13. *Maii* 1729. §. *Quod quidem. cor. bon. mem. Gamaches, & in cit. Tudertina majoratus* 2. *Maii ſuperioris anni cor. R. P. D. meo Nunez*.

Haud magis præterea ſubſiſtit oppoſita ratificatio ipſius renunciationis ex eo elicita, quòd ipſa Cæcilia judicialiter aliàs inſtetiſſet pro conſecutione Dotis ſecundo loco, & occaſione controverſæ renunciationis ſibi conſtitutæ:
17 Quandoquidem poſita ipſius renunciationis enormiſſima læſione, niſi probetur ſcientia nullitatis ſpecifica in Cæcilia, & quidem ſcientia nullitatis tam Facti, quàm Juris, quælibet etiam expreſſa ratificatio nihil prodeſſe poteſt ad effectum convalidandi præcedentem contractum ipſo jure nullum, atque irritum; *l. ſi ad reſolvendam. Cod. de Præd. minor.*, *Rot. in Recen. dec.*254. *num.*4. *& ſeq. part.*14., *& cor. cl. mem. Card. Falconer. dec.*1. *de Fide Inſtrum. n.*9.

Demum nullatenus viſa eſt retardanda Immiſſio, de qua diſceptatur, ex oppoſita retentione, quæ deſumebatur pro parte rei conventi ex quodam credito annualitatum ab ipſo Luca Seniore fideicommittente promiſſum Raynaldo, & ejus Filiis per actum donationis inter vivos: Quod ſpectat enim ad annuali-
18 tates debitas Raynaldo, cum iſte tanquam hæres univerſalis memorati Lucæ perceperit omnes fructus hæreditarios, ex quibus dd. annualitates ſibi ipſi ſolvere tenebatur, nil eſt facilius quàm quod intret præſumptio earum ſolutionis; Quæ ratio nullum dubium eſt, quin militet etiam reſpectu annullitatum debitarum Lucæ Antonio Filio Primogenito ipſius Raynaldi, cum ille, utpote primogenitus in tota Hæreditate ſucceſſiſſet. Quod verò pertinet ad illas debitas Dominico alteri Filio dicti Raynaldi; animadvertendo, quod ipſe per plures annos vivente adhuc fratre Primogenito adminiſtravit omnia Bona hæreditaria Lucæ Senioris, quod poſtea fuit ejuſdem Fratris hęres abſque Inventario, illico reſultat creditum ex ipſius Perſona nullo pacto amplius allegari poſſe. Nihil namque in Jure ma-
19 gis evulgatum eſt, quamquod adminiſtrans Bona ſui debitoris ſibi de ſuo eredito ſatisfeciſſe cenſeatur; *l. Peculium* 10. §. *Præterea. ff. de pecul.*, *l. ſi debitor. ff. de negoc. geſt.*; quodque Hæ-
20 res ſuccedens ſuo debitori, Inventario non confecto, actiones ita confundat, ut amplius creditum ſuum allegare nequeat; *l. Stichum* 95. §. *Additio. ff. de ſolut. cum aliis apud Rot. cor. cl. mem. Card. Falconer. de Inventar. deciſ.*20. *num.*14.

Et ita unica &c.

AURIEN. PAROCHIALIS DE RIVELA.

Lunæ 6. Februarii 1736.

ARGUMENTUM.

Ex præſervationibus effectùm ſortitis acquiritur quaſi poſſeſſio præſentandi tranſmiſſibilis ad hæredem: In poſſeſſorio autem habetur ratio ultimi tantùm ſtatus. Per præſentationem ab uno factam uti compatrono præſervantur jura aliorum non præſentantium: ſecus ſi ille præſentet uti unicus Patronus.

SUMMARIUM.

1 *Inſtitutio debetur Præſentato a Patrono habente majorem partem vocum.*

2 *Ex præſentationibus admiſſis, & effectum ſortitis acquiritur quaſi poſſeſſio præſentandi,*

3 *Tranſmiſſibilis quoad juris effectum etiam adhæredem,*

4 *Quæque ſtante jurium præſervatione læſa non remanet ex rejectione oppoſitionis a Poſſidente factæ.*

5 *Continuatio poſſeſſionis ſtat in animo Poſſeſſoris, qui declaratur etiam per actum non productum: præſertim ſi compatronus pro ſua rata dumtaxat præſentavit, & præſentatio pro illa tantum admiſſa fuit.*

6 *Inſtitutio danda eſt ei, qui præſentatur ab habente ultimum ſtatum.*

7 *Præſentatio facta jure ſucceſſionis intelligitur facta pro illis ratis, quæ ad Authores pertinebant.*

8 *Res judicatæ firmant ſtatum perpetuum in beneficialibus, & faciunt jus elarum contra Compatronos, cum quibus emanarunt.*

9 *Quæſtiones contra ſe habentes ſententias, ac res judicatas examinandæ non ſunt in judicio Inſtitutionis.*

10 *In Poſſeſſorio habetur ratio dumtaxat ultimi ſtatus, rejectis antiquis ad Petitorium.*

11 *Per præſentationem ab uno factam uti Compatrono reſervantur jura aliorum non præſentantium.*

12 *Secus ſi ille præſentet uti unicus Patronus, quia tunc ſibi acquirit quaſi poſſeſſionem privativam.*

13 *Res judicata quouſque non revocetur, ſemper obſtat.*

14 *Juſpatronatus comprehenditur in Renunciatione hæreditatis.*

DECISIO XXXIX.

AD Parochialem Eccleſiam Sancti Iuliani de Rivela Aurien. Diœceſis de Jurepatronatus Laicorum vacatam anno 1725. per obitum Gabrielis Angeli Figueiras, intra legitima tempora præſentatus remanſit coram Reverendiſſimo Epiſcopo Aurien. a Joanne Auguſtino Teixeiro contendente habere majorem partem vocum in dicto Jurepatronatus Joannes Antonius Figueiras, qui in concurſu Antonii Perez de Seoanne præſentati a Comitiſſa de Maſſeda exiſtente in actuali poſſeſſione Domus, ac Majoratus de Tillamarin, aliiſque prætenſis Patronis obtinuit a Vicario Generali ſupradicti Reverendiſs. Epiſcopi, decerni ſibi inſtitutionem, non obſtantibus Litteris Apoſtolicis, uti *de devoluto*, reportatis ab Antonio Perez, veluti obreptitiis.

Sed habito recurſu ab eodem Antonio contra eandem Sententiam Inſtitutionis ad Signaturam Juſtitiæ, illa ex capite nullitatis circumſcripta remanſit: Quapropter, commiſſa ex integro cauſa huic Sacro Auditorio, & Reverendiſſimo P. D. Calcagnino Decano, ac propoſito per eum in Rota diei 28. Martii anni 1735. Dubio — *An & cui ſit danda Inſtitutio, ſeu potiùs Litteræ Antonii Perez ſint exequendæ* --, informante dumtaxat ſupraenunciato Joanne Antonio Figueiras altero Præſentato emanavit Reſponſio -- *Inſtitutionem eſſe dandam Joanni Antonio, & litteras Antonii Perez non eſſe exequendas* — ex fundamentis contentis in deciſione dicti Reverendiſſimi Decani deſuper edita, ad cujus formam lata fuit Sententia ſuper Inſtitutione favore Figueiras.

In gradu ulterioris appellationis fuit cauſa mihi commiſſa, & cum illam, informante quoque ſupradicto Antonio Perez, propoſuerim in Rota diei 28. Novembris dicti anni 1735. ſub ſolito Dubio -- *An ſententia Rotalis ſit confirmanda* —, & ob ſuffragiorum ſciſſuram nulla capta fuerit reſolutio, hodie eam repropoſui, & DD. mei reſponderunt — *Sententiam Rotalem eſſe confirmandam* —

Ad hanc namque Reſponſionem devenerunt DD. ex Juſtitia ſupradictæ Sententiæ Rotalis, quam deſumpſerunt ex eo, quod enunciatus Joannes Figueiras fuit præſentatus a Patrono, nempe Joanne Auguſtino Teixeiro exiſtente in poſſeſſione, ſeu quaſi præſentandi, & quidem pro duabus ex tribus partibus Juriſpatronatus; & conſequenter meri-
1 tò venit inſtituendus; dum inſtitutio debetur præſentato a Patrono habente majorem partem in Jurepatronatus: *Cap. Conſultationibus de Jurepatr.*, & inſinuatur *in deciſ. præced. Reverendiſs. Decani §. Reſponſio.*

Nec

Nec de dicta quaſi poſſeſſione, ſuper qua in præterita propoſitione ob facti iuvolucrum iidem DD. fuerunt ancipites, & diſcordes, hodie ampliùs dubitarunt; dum de illa conſtat non ſolùm ex facto Authorum dicti Teixeiro præſentantis, ſed etiam ex ejus met facto proprio. Et quidem ex facto authorum; Nam Petrus, & Joannes Pardo Rivadeneira, a quibus cauſam habet recenſitus Teixeiro, uti Patroni pro duabus ex tribus partibus Juriſpatronatus præſentarunt in vacationibus annor. 1609., & 1658., & pro tertia parte præſentavit Poſſeſſor Domus, & Majoratus de Villamarin, a quo fuit modò præſentatus Perez; & hæ præſentationes fuere ab Ordinario admiſſæ, & ad effectum
2 perductæ; ex quibus cum dd. Petrus, & Joannes acquiſiverint quaſi poſſeſſionem præſentandi pro d. rata, & quota; *Poſth. de manut. obſerv.32. n.2.*, *Rot. poſt eundem deciſ.202. num.2.*, *& ſeq.*, *cum aliis in Salernitana Juriſpatronatus 6. Decembris* 1734. *§. Quandoquidem. coram Me*; Ita in tali poſſeſſione, ſeu quaſi, dicendum eſt exiſtere ad effectum, de quo agitur, ſupradictum Teixeiro, qui præſentavit Joannem Anto-
3 nium; cum quaſi poſſeſſio Authoris, quantum ad Juris effectum, transfeat in ejus hæredem, iſtique ea ſuffragetur; *Piton. controv. Patron. alleg.36. n.3. & 4.*, *Rot.cor. clar.mem. Card. Caprara dec.85. n.15.*, *& in Paderbonen. Beneſ.28.Jun.1734. §.Quidquid. cor. Me.*

Haud attento, quod quaſi poſſeſſio ejuſmodi amiſſa fuerit tam in reſignatione Parochialis anno 1666. admiſſa a S. Sede cum ſolita clauſula — *accedente conſenſu Patronorum* — favore Clerici de Talderein, ex quo ab Executore Litterarum Apoſtolicarum fuerit rejecta oppoſitio præd. Joannis Pardi Rivadeneira; quam etiam in vacatione anni 1688. in qua nullum habuit effectum præſentatio facta a Joanne Teixeiro nomine ſuprad. Joannis Auguſtini Teixero ejus filii hæredis recenſiti Joannis Pardo, ſed fuit admiſſa illa facta ab ea quæ poſſidebat Domum, & Majoratum de Villamarin cum præſentati inſtitutione: Quoniam circa reſignationem, ultra quod oppoſitio dicti Joannis Pardo eatenus rejecta fuit a Judice Executore, quatenus conſenſus per eum præſtitus erat conditionatus, ideſt ſub pacto, quod Reſignatarius nullum alium conſenſum exquireret ab alio compatrono, idem inſuper Judex Executor in ſuo Decreto expreſsè præſervavit Jura d. Joannis, & declaravit, per eandem Proviſionem Apoſtolicam nullum induci præjudicium, nec mutari ſtatum beneficii, immo illum remanere debere in eodem ſtatu, in quo erant juxta ſententias, & proviſiones Epiſcopi; & pro-
6 inde, ſtante tali præſervatione, in nihilo remanet per ſupradictam rejectionem oppoſitionis ejuſdem Joannis Pardo læſa enunciata ejus quaſi poſſeſſio præſentandi; ut in debilioribus terminis tradunt *Vivian. de Jurepatr. lib.11. cap.6. n.13.*, *Adden. ad Burat. dec.633. num.16.*, *Rot. cor. bon. mem. Molines dec.427. n.8.*

Quo verò ad vacationem anni 1688. animadverſum fuit, quod præſentatio in illa facta pro parte ſuprad. Teixeiro nullum habuit effectum, non ex quo ille uti ſucceſſor dd. Petri, & Joannis Pardo non eſſet Patronus, ut ſupra, nec eſſet in dicta quaſi poſſeſſione præſentandi ex facto ejus authorum, & quod e contra eſſet unicus Patronus Dominus atque poſſeſſor Domus, & Majoratus de Villamarin, dum de facto in ſententia ſuper inſtitutione declaratum fuit, Poſſeſſorem hujuſmodi habere tantum quaſi poſſeſſionem præſentandi pro tertia parte; Sed ex quo recenſitus Teixeiro in reliquis duabus partibus non docuerat de pertinentia, & quaſi poſſeſſione præſentandi, & ob id admiſſa præſentatione facta a Poſſeſſore Majoratus de Villamarin Ordinarius reſervavit Partibus eorum jus ſalvum in Judicio petitorio, poſſeſſorio plenario, & ordinario. Propterea ex hac ineffectuatione ſupradictę pręſentationis Teixeiro in dicta vacatione ex recenſita cauſa ſecuta, atque vallata antedicta præſervativa, non ſolùm non dicitur amiſſa quaſi poſſeſſio præſentandi pro duabus ex tribus partibus acquiſita ab ejus Auctoribus, & in eum tranſlata, de qua nunc docetur; ſed potius dicitur continuata, & conſervata; quia con-

5 tinuatio poſſeſſionis in animo Patroni conſiſtit, & iſte ex actu etiam non effectuato declaratur; potiſſimùm quando, ut hìc, alter Compatronus pro ſua rata præſentavit, & ſtrictè ad illam ratam præſentatio admiſſa fuit; uti tradunt *Vivian. de Jurepatron. lib.4. cap.1. poſt num.71. §. Effectuatio verò. in fine, Piton. de controv. Patronor. allegat. 100. num.356., Rota cor. bon. mem. Lancetta dec.897. num.4., & 5., & coram clar. mem. Card. Falconerio tit. de Jurepatron. dec. 11. num.9., & in Romana Cappellaniæ S. Nicolai 28. Junii 1709. §. Siquidem. cor. bon. mem. Anſaldo.*

At verò ultra quaſi poſſeſſionem præſentandi pro duabus ex tribus partibus ex facto Auctorum, cenſuerunt quoque DD. conſtare favore ſæpedicti Teixeiro de eadem quaſi poſſeſſione ex facto ſuo proprio; dum iſte in ultima vacatione ſecuta anno 1718. præſentavit una cum Comitiſſa Taboada quę poſſidebat Domum, & Majoratũ de Villamarin., ejuſque præſentatio, ob cumulationem factam favore Gabrielis Angeli Figueiras præſentati a dicta Comitiſſa, admiſſa extitit, & ſuum habuit effectum; quo ultimo ſtatu concurrente, eo ma-
6 gis inſtituendus erat Joannes Antonius a dicto Teixeiro præſentatus ob efficaciam prædicti ultimi ſtatus; *Vivian. de Jurepatron. part.2. lib.7. Cap.3. n.17., Rota cor. Emer. Jun. deciſ.67. num.3., & in Caſertana Beneficii 20. Junii 1716. §. Ita equidem. cor. clar. mem. Card. Althan, & in ſupradicta Paderbonen. Beneficii 28. Junii 1732. §. Quidquid enim. verſ. Et conſequenter. cor. Me.*

Non obſtante, quod in dicta præſentatione non declaraverit Teixeiro expreſsè ſeſe præſentare pro duabus ex tribus partibus Juriſpatronatus: quia hoc tacitè feciſſe videtur, dum non allegavit ſe eſſe Patronum pro rata minori; quin immo præſentavit tanquam ſucceſſor Joannis Pardo, qui ex ſupra firmatis erat in poſſeſſione, ſeu quaſi præſentandi pro dictis duabus ratis Juriſpatronatus, ad quam quaſi poſſeſſionem ejus Auctoris orientem a recenſitis certis, atque clariſſimis ſtatibus annorum 1600., & 1658., (cæteris aliis ſubſequentibus, de quibus ſupra, veluti æquivocis, & non certis omiſſis) recurrendum eſt pro declarando ultimo ſtatu, & determinanda quota Juriſpatronatus, pro qua
7 in illo dictus Teixeiro præſentavit; & hęc ejus præſentatio facta jure ſucceſſionis dictorum ejus Auctorum exiſtentium in poſſeſſione, ſeu quaſi præſentandi pro antedictis duabus ratis habenda eſt, ac ſi pro tali quota facta fuiſſet; *Piton. de controv. Patron. d. alleg. 100. num.124., Rot. coram bon. mem. Lancetta deciſ.444. num.4., & in Tuden. Parochialis de Berturido 20. Junii 1701. §. Ex his. coram Card. Scotto.*

A ſupradicta quaſi poſſeſſione pręſentandi pro ſæpedictis duabus partibus Juriſpatronatus penes memoratum Teixeiro, tranſierunt DD. ad pertinentiam illius, & exiſtimarunt pariter, Juſpatronatus pro dicta rata ſpectare ad eundem Teixeiro, & ſic eo fortiùs Joannem Antonium ab eo præſentatum eſſe inſtituendum, attentis ſupra enunciatis ſtatibus annorum 1609., & 1658., in quibus non ſolùm Petrus, ac Joannes Pardo de Rivadeneira Auctores Teixeiro præſentarunt pro duabus partibus, & pro tertia parte Dominus, ac poſſeſſor Domus, & Majoratus de Villamarin. cum admiſſione præſentationum, ſed etiam literaliter declaratum fuit in Sententiis ab Ordinario deſuper prolatis, Juſpatronatus pro dictis duabus ex tribus partibus ſpectare ad prædictos de Reivadeneira, & tertiam tantùm partem illius ſpectare ad Poſſeſſorem Domus, & Majoratus de Villamarin., & hæc tertia pars tantùm ſimili modo reſervatur eidem Poſſeſſori de Villamarin. in aliis Sententiis emanatis in vacationibus annorum 1617., & 1688.; unde his ſtantibus nullum dubium cadere poteſt, quin Juſpatronatus pertineat pro dicta quota, & rata ad recenſitum Teixeiro; cum ſimiles Sen-
8 tentiæ, maximè ut hìc, in judicatum tranſactæ firment in Beneficialibus ſtatum perpetuum religiosè ſervandum, & faciant Jus clarum contra illos Compatronos, cum quibus illæ emanarunt; *ad Text. in cap. cum de Beneficio. de Præben. in 6., Rot. in Recen. deciſ.180. numer.11. par.14., & in Salernitana Juriſpa-*

riſpatronatus 12. *Aprilis* 1734. §. *Quibus quidem. cor. Reverendiſſ. P. D. Decano*, & in illius confirmatoria 6. *Decembris eiuſdem anni* §. *Indeque videbatur. coram Me.*

Atque hinc viſum fuit non eſſe attendenda deducta pro parte Antonii Perez, quod videlicet totum dictum Juſpatronatus, veluti annexum Caſtro de Villamarin, tum ex primæva Inſtitutione, tum ex donationibus Ferdinandi, & Severi de Villamarin, pertineat ad Dominum, & Poſſeſſorem ejuſdem Caſtri; quia cum poſt hæc, auditis pro tempore Poſſeſſoribus ejuſdem Caſtri, ſupervenerint omnes ſupradictæ Sententiæ in judicatum tranſactæ, firmantes, ac decernentes eidem Poſſeſſori non pertinere, niſi tertiam partem Juriſpatronatus, non licet hodie Antonio Perez hoc ipſum controvertere, ac in
9 diſcrimen revocare. Hæ namque quæſtiones non ſunt aſſumendæ maximè in hoc præſenti Judicio Inſtitutionis, quando habent contra ſe Sententias, & res judicatas, in quibus ſopitæ, ac terminatæ fuerunt; *ad Text. in leg. At ſi contractu. Cod. de fid. Inſtrum.*, *Rota in Recen. dec.*305. *num.*14. *part.*18., & *in Tarentina Canonicatus* 11. *Decembris* 1716. §. *Unde. coram bon. memor. Foſcaro.*

Vim, & efficaciam præmiſſorum omnium militantium contra præſentationem ab Antonio Perez reportatam a Comitiſſa de Naſſeda quæ Poſſeſſionem habebat Domus, & Majoratus de Villamarin ſentientes illius Defenſores confugiebant ad aliam rationem; quod nempe admiſſo etiam penes dictam Comitiſſam, nomine quo ſupra, non reſidere niſi quaſi poſſeſſionem præſentandi, ac Juriſpatronatus pro dicta tertia parte dumtaxat, quodque aliæ binæ partes ſpectarent ad Succeſſores ſupra enunciati Petri Pardo de Rivadeneira juxta ſententiam, ac delarationem ejus favore factam in vacatione anni 1609.; nihilominus adhuc idem Perez haberet majorem partem vocum; cum ultra præſentationem ejuſdem Comitiſſæ fuerit etiam nominatus, ac præſentatus a Succeſſoribus Annæ Mariæ, & Elenæ Pardo filiarum, & æque hæredum ſupradicti Petri Pardo;

At DD. hoc etiam dijudicarunt eſſe nullius momenti, tam quoad quaſi poſſeſſionem præſentandi, quàm quoad pertinentiam: Siquidem, licet defuncto dicto Petro, & præciſè in vacatione anni 1617. præſentaverit Joannes Pardo ejus filius, a quo cauſam habet Teixeiro, tam nomine proprio, quàm nomine ejus Fratrum, & Sororum hæredum dicti Petri; Attamen in ſucceſſiva vacatione anni 1658. præſentavit unicè recenſitus Joannes Pardo, & ſic iſte uti ſolus Patronus reſpectu Succeſſorum Petri conſtitutus fuit uſque tunc in quaſi poſſeſſione præſentandi, eamque ſibi manutenere, ac conſervare curavit occaſione reſignationis Eccleſiæ Parochialis ſecutæ anno 1666., & id ſimiliter explevit D. Teixeiro ejus Succeſſor in vacationibus annorum 1688., & 1718., ut ſupra latè viſum fuit; abſque eo quod unquam in dictis vacationibus præſentaverint, nec præſentare curaverint enunciatæ filię Petri, earumque Filii, & Succeſſores; Conſequenterque, ſi hi omnes ſtatus poſteriores favent, ac aſſiſtunt Joanni Pardo, ejuſque Succeſſori excluſivè ad Succeſſores dictarum Fœminarum, patet ad evidentiam, iſtos non habere ullam quaſi poſſeſſionem præſentandi; non attento ſupradicto ſtatu anni 1617., ex quo in
10 hoc Judicio poſſeſſorio inſtitutionis ſolùm attenduntur ultimi ſtatus, cum ultima poſſeſſio ſit manutenibilis, rejectis antiquis ſtatibus ad Judicium petitorium; *Piton. de controu. Patron. dicta alleg.*100. *n.*357., & in ſpecie reſpondendo anterioribus dixit *Rota cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de Jurepatr. deciſ.*48. *num.*6., & *ſequ.*, & *in Sorana Juriſpatronat.* 27. *Januarii* 1710. §. *Et hinc fruſtra. cor. clar. mem. Cardin. Scotto*, & *in Papien. Rectoriæ* 10. *Decembris* 1714. §. *Irritum. cum ſequ. coram bon. mem. Cerro*, & *in Mindonien. Beneficii de Galdo* 7. *Junij* 1734. §.13. *coram R. P. D. meo Millino.*

Minimè ſubſiſtente, quod illa quaſi
11 poſſeſſio præſentandi a dictis Filiabus Petri acquiſita in vacatione anni 1617. conſervata, ac præſervata remanſerit per ſucceſſivas præſentationes factas a memoratis Joanne Pardo, & Joanne Augu-

Digitized by Google

Augnſtino Teixeiro: Quia hoc procederet, quotieſcunque hæ poſteriores præſentationes factæ fuiſſent ab illis uti compatronis in linea Petri Pardo; Nam tunc, cum actus geſtus fuiſſet etiam nomine aliorum Compatronorum licet non præſentantium, ſine dubio procederet dictum aſſumptum, quod per illos præſervata, & conſervata remanſiſſet dicta quaſi poſſeſſio filiarum Petri; ut ex *Text. in leg. Communii ſervus. ff. de acquir. poſſeſſ.*, ibique *Bartol.* declaratur *a Rota in ſupradicta Salernitana Juriſpatronatus 6. Decembris 1734. §. Præterea. coram Me*. At cum prædicti præſentaverint tanquam unici Pa-
12 troni duarum ex tribus partibus Juriſpatronatus, & hic actus ſit privativus, ac excluſivus aliorum, nequit per conſequens inferri, quod Præſentantes voluerint præſervare dictam quaſi poſſeſſionem per alios præcedenter acquiſitam; ſed potius ſequitur, quod ſibi ipſis acquirere voluerint quaſi poſſeſſionem privativam, & excluſivam quoad omnes alios; *Garz. de Benefic. part. 5. cap. 5. num. 117.*, *Vivian. de Jurepatr. lib. 5. cap. 4. num. 49.*, *Adden. ad Gregor. dec. 417. num. 15.*, *Rota in Bononien. Beneficiorum de Caſtello 9. Junii 1713. §. Fortius., & §. Solumque. cor. bon. mem. Anſaldo*.

Excluſa quaſi poſſeſſione præſentandi penes dictos ſucceſſores Filiarum Petri Pardo, exiſtimarunt ſimiliter Domini, eiſdem non competere ullam portionem in antedictis duabus ex tribus partibus Juriſpatronatus, reſiſtente ſupradicta Sententia, necnon re judicata emanata in vacatione anni 1658., & lata anno 1662., qua fuit dictum, Juſpatronatus controverſum pro duabus ex tribus partibus ſpectare, & pertinere ad Joannem Pardo Auctorem Teixeiro; Quæ quidem ſententia, ſive res
13 judicata, donec, & quouſque prævia reſtitutione in integrum, ac tranſportatione Actorum, & formali examine ſuper illius nullitate, vel Injuſtitia, non fuerit revocata, atque infirmata ad inſtantiam ſucceſſorum earundem Filiarum Petri Pardo, ſemper illis obſtat, & in illorum excluſionem attendenda eſt in caſu, de quo agitur; ut firmavit *Rota in Mindonien. Beneficii 7. Junii 1734. §. 14. cor. R. P. D. Millino*, & in illius confirmatoria 21. *Martii 1735. coram R. P. D. meo Rezzonico*. Immo
14 contra quod ſæpe recenſitæ binæ partes Juriſpatronatus ex perſona D. Joannis Pardo tranſiverint in Joannem Auguſtinum Teixeiro, qui præſentavit Joannem Antonium, apparuit nedum ex renunciatione illius hæreditati facta a Joſepha de Proano illius herede favore ſupradicti Joannis Auguſtini in tranſactione inita anno 1677., ſed etiam ex quo dicta Joſepha ſibi inſtituit heredem Joannem Teixeiro Patrem enunciati Joannis Auguſtini, cui ipſe ſupra alios Filios, ut moris eſt inter Hiſpanos, gratificata fuit in quinto ſuæ hæreditatis, atque in omnibus Juribuſpatronatus.

Et ita, in reliquis DD. ſeſe relative habendo ad dictam præcedentem Deciſionem Rmi P. D. Decani reſponderunt utraque Parte &c.

ROMANA CONCURSUS SUPER REDDITIONE RATIONIS.

Veneris 24. Februarii 1736.

ARGUMENTUM.

Compenſatio ſterilitatis cum ubertate in Locationibus non ſolum facienda eſt habita ratione annorum unius novennii, ſed inſpectis etiam ceteris novenniis; ſi adſit pactum, ut finito novennio, & deinceps, Locatio, non facta diſdicta, cenſeatur renovata cum iiſdem legibus, & conditionibus; quod afficit quoque Pupillos, & minores Filios Conductoris, etiamſi in renovatione adhibitæ non fuerint ſolemnitates Statuti. Hujuſmodi tamen compenſatio non intrat, ſi damnum intolerabile oriatur ex caſu valde inſolito, ac inopinato. Cetera habes in Argumento Deciſionis XIV.

SUMMARIUM.

1 *Conductor ad obtinendam remiſſionem Penſionis concludenter probare tenetur, damnum fuiſſe intolerabile, ita ut demptis expenſis culturæ, & collectionis proventus non attingat medietatem Penſionis.*

2 *Reus*

2 *Reus in ſua exceptione eſt Actor, & eam debet concludenter probare.*
3 *In commodum aſſerentis, ac damnum Tertii non habetur ulla ratio aſſertionis.*
4 *Deducta per viam petitionis nequeunt admitti loco probationis.*
5 *Ex ſterilitate unius Prædii nequit inferri ad ſterilitatem alterius:*
6 *Immo neque ex univerſali totius Territorii inferri valet ad ſterilitatem Prædii particularis, ſed iſta peculiariter eſt probanda.*
7 *Teſtes extrajudiciales, & pendente lite expiſcati nullam fidem merentur.*
8 *In Locatione ad novennium remiſſio Penſionis non debetur a ſterilitate unius, vel alterius anni; ſed Conductor probare inſuper tenetur eam compenſari non potuiſſe ex ubertate aliorum;* & num. 11.
9 *Inſtrumentum Locationis conſtituit rem claram, & plene fundat intentionem Locatoris ſuper conſecutione Penſionis;*
10 *Unde Conductor excipiens de ſterilitate, debet exceptionem ſuam concludenter probare;* & num. ſeq.
12 *Ut ita occurratur fraudibus, quibus ſemper obviandum eſt;*
13 *Immo ad Conductorem pertinet oſtendere impoſſibilitatem compenſationis, etiamſi Prædii conducti adminiſtratio fuerit penes Œconomum inſtante Locatore deputatum; quia factum Œconomi reputatur factum Domini:*
14 *Quæ quidem compenſatio non ſolùm metienda eſt ex annis unius novennii, ſed cum aliis etiam novenniis, quando in prima Locatione adeſt pactum, ut non facta diſdicta, ea cenſeatur renovata cum iiſdem conditionibus;*
15 *Quia ſtante eo pacto prima Locatio intelligitur prorogata, & omnia novennia pro unica Locatione reputantur;*
16 *Actus enim prorogatus non eſt actus novus, ſed idem cum primo.*
17 *Quod ſi damnum intolerabile proveniat a caſu valde inſolito, & inopinato, debetur remiſſio Penſionis non habita ratione compenſationis:*
18 *Caſus autem valde inſolitus, & inopinatus dicitur quidem Peſtis, Bellum, impeditum Commercium, & ſimilia, non verò aeris intemperies, ſeu, ut ajunt,* Manna, *e* Nebbia, *præcipuè in Agro Romano.*
19 *In Locationibus pactum non petendi remiſſionem, etiamſi totalem jacturam fructuum reſpiciat, ſervandum eſt.*
20 *Ut ex relatione Periti probetur, Penſionem ſuperare quantitatem fructuum, relatio debet reſpicere tempus initæ Locationis.*
21 *Peritus extrajudicialis, & pendente lite expiſcatus fidem non meretur.*
22 *Non præſumitur Conductorem conſentiri adjectioni pacti cum declaratione, quod ob illud minuatur Penſio, niſi fructus reapſe quantitatem Penſionis longè ſuperent:*
23 *Maximè ſi per plura novennia Conductionem retinuit, quam finito primo dimiſiſſet; quia nemo præſumitur jactare ſuum.*
24 *Addita Locationi lege, ut non facta diſdicta, cenſeatur renovata cum iiſdem pactis, & conditionibus, pactum non petendi remiſſionem ſimul cum omnibus aliis repetitum cenſetur in ſequentibus novenniis;*
25 *Et tanquam lex inſeparabilis a contractu afficit quoque Filios Conductoris Pupillos, & minores, etiam non adhibitis in renovatione ſolemnitatibus Statuti.*
26 *Œconomus reddere rationem tenetur ſuæ adminiſtrationis.*
27 *Creditor poſtquam acceptavit, & elegit nomen Debitoris, nequit amplius ab acceptatione recedere.*
28 *Teſtis deponens de propria credulitate, & opinione perfectè non probat.*
29 *Contumacia in non comparendo æquipollet præſentiæ, & aquieſcentiæ.*
30 *Ex præſentia deſcriptioni non infertur ad traditionem:*
31 *Traditione autem non facta nemo cogitur reddere rationem.*
32 *Nulla ratio habetur damni, quod adeſſe, & abeſſe poteſt.*

DECISIO XL.

NOvo ſubjectis examini geminis Deciſionibus in hac Cauſa contemporaneè coram Me *ſub die 7. Februarii anni ultimò effluxi* 1735. emanatis, altera ſuper redditione rationis fructuum collecto-

lectorum anno 1727. ex latifundio *della Bottaccia*, & reſpectivè credito D. Principis D. Camilli Pamphilii tam nomine proprio, quàm nomine Principis D. Hieronymi Fratris, uti ejuſdem latifundii Dominorum ex cauſa Penſionum debitarum a Fratribus de Paſcuccis olim illius Conductoribus; & altera ſuper prælatione in iſtorum Bonis ſub formali concurſu Creditorum poſitis petita per recenſitum Principem, & impugnata per Baronem de Franceſchis, alioſque Concreditores dictorum Fratrum communium Debitorum; cum quoad hunc ultimum punctum prælationis ob ſuffragiorum ſciſſuram nulla capta remanſerit reſolutio; Ideo Domini injuncto, quod Cauſa ſuper eadem prælatione *iterum proponeretur*, in reliquis non dubitarunt perſiſtere *in Deciſis juxta modum* inferius exprimendum.

Prætermiſſo enim examine Penſionis Horrei ſcut. 58., ac Partitarum *Tertiæ*, *Quartæ*, *Quintæ*, *Octavæ*, *&* *Undecimæ* ex illis duodecim enunciatis in *Deciſione*, quæ revidetur a §. *Primam. uſque ad finem*, circa quas a neutra ex Partibus impugnabatur præterita reſolutio; Quoad cæteras, una dempta, de qua infra, viſa fuit undique ſubſiſtens eadem præterita reſolutio, & ſic *non eſſe ab ea recedendum*. Quod enim attinet ad remiſſionem Penſionum petitam pro annis 1722., & 1724. propter inſolitam, ac inopinabilem ſterilitatem, ut ſupponebatur, ſuperventam in dictis annis, adhuc urgebat, quod Baro nullo modo plenè, & concludenter
1 probaverat aſſertam ſterilitatem, & quod ex iſta evenerit Conductoribus damnum intolerabile, ideſt tale, ut exinde deductis expenſis pro cultura, & collectione factis, fructus percepti in dictis annis non ſuffeciſſent pro ſolutione medietatis Penſionum, quemadmodum idem Baro defendens Patrimonium Fratrum de Paſcuccis Conductorum probare tenebatur, cum reſpiciat illorum exceptionem, fundata jam de cætero ſuper petitione, ac ſolutione Penſionum decurſarum intentione D. Principis Locatoris in publico Inſtrumento
2 Conductionis: Regula quippe eſt, quod quilibet Reus in ſua exceptione dicitur Actor, & illam concludenter probare debet, & propterea eadem probatione non facta nunquam admitti poterat petita remiſſio; ut plenè probatur in *Deciſione*, quę revidetur §. *Quia ad hoc*.

Inutiliter verò idem Baro dictam probationem deſumere curabat ex quibuſdam aſſertionibus ſterilitatis contentis in Peritia deſuper edita, ac renunclationibus Conductionum a diverſis Conductoribus in prædictis annis factis, & datis in præterita propoſitione, necnon depoſitionibus Teſtium ab eo adductis: Quia quidquid in dicta Peritia continetur, nil aliud eſt, quàm dictum Conductorum, vel ejuſdem Baronis
3 ab eodem Perito ibidem relatum, quod ad illorum commodum in præjudicium D. Principis non eſt attendendum; *Imol. cap. Quod quibuſdam. num. 19. de Fidejuſſor., Maſcard. de probati. concluſ. 75.*
4 *ſub num. 11.*; Maximè quia deducta per viam prætenſionis non poſſunt admitti loco probationis; ut dixit *Rota coram bon. mem. Lancetta deciſ. 1088. num. 7., & in Mediolanen. Fructuum ſuper novis Partitis 18. Junii 1706. §. Tertiò conſiſtit. coram bo. me. Priolo*: Memoratæ verò renunciationes Conductionum, ac depoſitiones Teſtium,
5 ultra quod reſpiciunt quædam latifundia Agri Romani, ex quorum ſterilitate non valet inferri ad latifundium, de quo eſt quæſtio; *Salicet. in L. Uno. num. 1. in fine verſic. Et attende. ff. locati., Odofred. ibidem, Nevizan. conſil. 19. num. 16. verſic. relata ad ipſum*
6 *fundum*; cum immo in fortioribus terminis ſterilitatis univerſalis Territorii, ex ea nequeat fieri illatio ad ſterilitatem Prædii particularis, ſed iſta in ſpecie ſit probanda; *Gratian. deciſ. Marchiæ 222. num. 5.*; & pleræque percutiunt annum 1722., itaut unicus tantùm Teſtis loquatur de latifundiis finitimis cum expreſſione controverſi latifundii *della*
7 *Bottaccia*; deponunt inſuper dicti Teſtes per ſimplicem fidem extrajudicialem Parte non citata, & lite pendente expiſcatam, ac proinde nullam propemodum merentur fidem; *Cap. in Nomine. de Teſtibus, Leg. Si quando. Cod. eodem, Rot. coram cl. mem. Card. Falconer. dec. 5. num. 6. de Pactis*.

Præ-

Prætereaque quando etiam a Barone
fuiſſet concludenter probata ſupradicta
ſterilitas in recenſitis duobus annis 1722
& 1724. cum damno intolerabili Con-
ductorum , adhuc DD. ponderarunt ,
hoc non ſufficere pro obtinenda expeti-
ta Remiſſione, recurrentibus aliis dua-
bus rationibus expenſis *in præterità De-
ciſione*; Altera nempe , quod hic agitur
8 de Locatione latifundii ad novennium,
in quo caſu , cum ſterilitas unius , vel
duorum annorum compenſari valuerit
ex ubertate aliorum annorum , ita non
excluſa a Conductoribus etiam quoad
hos reliquos annos hac poſſibili com-
penſatione, & ubertate , locus eſſe non
debet alicui remiſſioni Penſionum ; ut
ex *Cap. Propter ſterilitatem. de locat.*,
& conduct., firmant plures relati in
præterita Deciſione §. Tantoque magis.

Non attento , quod probata per Con-
ductorem ſterilitate unius , vel duorum
annorum Locationis , ſpectet ad Loca-
torem oſtendere , illam fuiſſe compen-
ſatam ubertate aliorum annorum ; quia
ut ſuperiùs dictum eſt, Locator habet
9 optimè , ac perfectiſſimè fundatam pro
conſecutione Penſionum ſuam intentio-
nem in publico Inſtrumento Locationis
de per ſe faciente probationem proba-
tam , & rem claram, & manifeſtam ,
nullamque exceptionem admittente ;
*ad Text. in leg. Ingenuum. ff. de Stat.
Hominum , Bartol. in L.1. num.8. ff. de
oper. nov. nunciat.*, *Bald. in L. Quoties.
in fine Cod. de Judic.*, *Graſſ. de except.*,
except.36. num.10., *Galleſ. de obligat.
Cameral. qu.35. num.1.*, *Gait. de cre-
dit. cap.3. tom.1 num.893.*, *& ſequen.*,
Conciol. allegat.37. num.1., *Rot. coram
Celſ. dec.223. num.5.*, *& cor. Emerix
Jun. dec.1088. num.1.*, *& coram bon.
mem. Lancetta dec.601. num.1.*, *& in
Farfen. Juris offerendi 22. Februarii
1704. §. Verum. coram bo. mem. Anſal-*
10 *do*; & propterea cum ad illam eliden-
dam Conductor alleget ſupradictam
exceptionem Remiſſionis, non eſt du-
bium , quod onus ſit illius ipſam plenè
& concludenter probandi; *Iaſon in Leg.
Non hoc 4. num.151. circa finem Cod.
Unde legit.*, *Alexander in L. de facto 17.
§. Si quis autem ff. ad Trebell.*, *Andreol.
contr.163. num 12.*, *Rot. coram Mantic.
dec.251. num.8.*, *& coram Buratt. de-*
11 *ciſ.298. num.3.* Cum autem hujuſmo-
di probatio nunquam dici valeat con-
cludens , & perfecta , niſi per Condu-
ctorem ad novennium ex demonſtra-
tione ſterilitatis aliquorum annorum
excludatur etiam ejus compenſatio quo-
ad ubertatem aliorum , dum , ut fir-
matur *in dicta præterita deciſione eodem
§. Tantoque magis*, in hoc caſu facien-
da eſt computatio annorum ſterilium
cum fertilibus , hinc de plano oritur ,
utrumque etiam ex prædictis conclu-
denter probandum eſſe per eundem
Conductorem , uti reſpiciens funda-
mentum ſuæ exceptionis juxta auctori-
tates allegatas *in eadem deciſione §. Non
urgente in fine*; & quidquid aſſerant in
contrarium aliqui DD., qui a Defenſo-
ribus Baronis allegabantur , hæc eſt
ſententia pluries per enarratam ratio-
nem amplexa ab hoc Sacro Auditorio ,
& ſignanter *dec.42. num.5.*, *& 6.*, *de-
ciſ.151. num.10. poſt. Zacch. de obligat.
Camer.*, *& cor. Millino dec.663. in fi-
ne*, *& cor. Coccin. dec.11. num.2.*, *&
diverſor. dec.727. num.2.*, *& 3. part.4.*

Id quoque ſuadente maxima facilita-
te, quam habet ſolus Conductor ex-
plendi dictam probationem excluſivam
compenſationis ; Dum eo ipſo , quod
Conductor fundum colit , expenſas ero-
gat in illius cultura , & fructus colligit ,
eſt de omnibus inſtructus , atque certus
& ſic illico per concludentes probatio-
nes oſtendere valet , quinam anni Con-
ductionis fuerint ſteriles , & quinam
fertiles , & an ex iſtis primi compenſa-
ti remanſerint ; Quod non ſic eſt quoad
Locatorem , qui in præmiſſis in nihilo
ſeſe ingerere ſolet , ac valet , ſolumque
eſt intentus ſolutioni annuæ reſponſio-
nis ei promiſſę : Unde in hiſce circum-
ſtantiis omnis æquitas ſuadet, ut onus
dictæ probationis refundatur in eun-
dem Conductorem , ſic ſublevando Lo-
catores , quibus fere eſſet impoſſibile
illam concludere propter ignorantiam
expenſarum , fructuum collectorum ,
ac Perſonarum , quæ culturæ , & colle-
ctioni incumbunt , ne aliàs detur aditus
12 malitiæ , & calliditati ipſiuſmet Con-
ductoris, qui uti omnia adminiſtrans
independenter a Locatore , variis mo-

dis poſſet, ultra mox præmiſſa, impedire, ſupprimere, & ad impoſſibilitatem reducere eandem probationem in grave veritatis, ac Locatorum detrimentum, quibus ex omni parte a Judicibus, & Tribunalibus eſt obviandum; ut monet *Imperator in leg. lex. in principio Cod. de adminiſtrat. Tutor.*, & tradunt *Anſald. in addit. ad deciſ.30. numer.76.*, *Rot. in Recen. deciſ.332. n.1. part.10.*, *& dec.373. num.3. part.19.*

Parumque referre viſum fuit, quod de toto novennio Locationis ſolùm duo-
13 bus, vel tribus annis Paſcucci Conductores adminiſtraverint latifundium; in reliquis verò illius adminiſtratio fuerit penes Œconomum ad inſtantiam D. Principis deputatum; & proinde ſi ipſi fructus illorum annorum, qui uberes eſſe potuerunt, non perceperunt, nec cogi poſſunt ad faciendam ſupradictam probationem excluſivam, nec ad ullam compenſationem: duplici enim ratione diluitur objectio, tum nempe quia factum Adminiſtratoris reputatur factum dictorum Conductorum, cum quilibet Œconomus, & Adminiſtrator poſſidere dicatur nomine ipſius Domini, & omnia explere vice illius, & fructus percepti ad iſtum ſpectent, & non ad Œconomum; ad *Text. in Leg. intereſſe puto. ff. de acquiren. poſſeſ.*, *Saluſt. Tyber. in praxi lib.2. cap.7. num.6.*, *Poſthu. de manuten. obſervat.52. num.5.*, *Rota poſt Merlin. de pignor. deciſ.11. num.1.*, *& cor. bon. mem. Lancetta deciſ.216. num.19.*, *deciſ.475. num.12.*; Tum etiam quia enunciata Œconomi deputatio evenit quoad aliquos annos ultimi novennii Locationis, in quo contenditur per dictos annos 1722., & 1724.
14 contigiſſe ſupra recenſitam ſterilitatem; & tamen compenſatio annorum ſterilium non ſolum facienda eſt cum reliquis annis dicti ultimi novennii, ſed etiam cum annis aliarum præcedentium Locationum, quarum prima incepit, & celebrata fuit per publicum Inſtrumentum anno 1703., & ex pacto in illo inito continuavit in poſterum de novennio in novennium; Cum illa prima
15 Locatio facta ad Novennium dicto anno 1703. habeatur pro unica Locatione reſpectu ad alia Novennia ſubſecuta in poſterum, in vim ſupradicti pacti, & ob non factam diſdictam renovata, ſeu potius prorogata; ut ſingulariter declarat *Bald. in Leg. licet. quæſtion.10. num.17. in fin. verſic. niſi per modum prorogationis. Cod. Locati*, *Giurb. obſervat.24. num.20. in fine, verſic. niſi Annus eſſet prorogatus.*, *Valaſch. de Jur. emphyteut. quæſt.27. ſub num.46. verſic. niſi nova conductio.*, *Rocc. diſput. Jur. ſelect. cap.119. num.55.*, *Rot. cor. clar. mem. Card. Caprara deciſ.180. numer.11.*, *& dec.116. num.25.*; dum
16 regulare eſt, quod primus Actus prorogatus non dicitur actus novus, ſed idem cum primo; *Leg. ſed etſi manente. ff. de prætor.*, *Coſt. de retrotract. cap.8. num.2.*, *Rocc. dicto cap.119. num.56.*, *& 57.*, *Rot. cor. Buratt. dec.376. n.11.* *& cor. Ceſo dec.169. num.3.*

Minoris etiam ponderis viſa eſt obje-
17 ctio illa, quod in hoc caſu recenſita compenſatio anni ſterilis cum fertili locum habere nequeat, dum res eſt de ſterilitate proveniente ex caſu omnino fortuito, ac valde inſolito, & inopinato, cujus reſpectu abſolutè debetur remiſſio Penſionis abſque ulla compenſatione: Quoniam in hoc præſuppoſito caſu perfectæ probationis ſterilitatis quoad ſæpedictos annos 1722. & 1724., ubi procedendum eſſet juxta ſupra recenſita irrelevantia, ac informia documenta a Barone adducta, conſtat unicè ex Elencho renunciationum factarum a Colonis partiariis de anno 1722. enunciatum fuiſſe a Notario Agricolturæ, quod illæ renunciationes factæ fue-
18 re ex cauſa infortunii, ut dicitur -- *Di manna, e nebbia* -- reliquis documentis, & atteſtationibus nullam cauſam referentibus; Quod quidem infortunium veluti proveniens ab aeris intemperie, & a Cœlo, non conſideratur pro caſu fortuito, & valde inſolito, ac inopinato; cum ſimilia infortunia frequenter accidere ſoleant; ut diſtinguendo inter iſta, ac alia provenientia ex impedito Commercio, Peſte, Bello, vel alio ſimili tradunt *Sebaſt. Medic. de compenſat. part. prima quæſt.45. in fine*, *Camill. Medic. conſ.23. n.10.*, *& 13.*, *Card. de Luca de locat.*, *& conduct. diſc.1. num.70.*, ubi aſſignat rationem maxi-

Digitized by Google

maximè in latifundiis Agri Romani, eo quod ſimilia infortunia, quæ in illis accidunt, habentur pro caſibus prævisis, & opinatis, atque nulla debetur remiſſio Penſionis, dum idem Ager aſſiduis imbribus, & pluviis occupari ſolet; ut teſtatur *Paeion. de locat., & conduct. cap.46. num.90.*, qui ita deciſum refert *in Romana Affictus 30. Martii 1618. §. Ulterius animaduertebatur.*, *& §. finali cor. bon. mem. Martino Andrea.*

Altera ratio excluſiva cujuſcunque remiſſionis reſidet in pacto in Inſtru-
19 mento Locationis inito, quod nempe Paſcucci Conductores nunquam illam petere poſſent, etiamſi -- *detti Affittuarj uno, o più Anni perdeſſero il frutto in tutto, o in parte*, -- quod eſſe omnino ſervandum, ex quo reſpicit damnnm, & caſus contigibiles ſuper fructibus, & conceptum fuit ſub ea ratione, quod aliàs -- *detto Signor Prineipe non averebbe affittata per detta ſomma, ma ne aurebbe voluto aſſai più* -- firmatur in *præterita Deciſione §. His addebatur. cum pluribus ſequen.*

Nec obſtat annuam Penſionem prædicti latifundii conventam in ſc.1300. ſuperare quantitatem fructuum, dum juxta atteſtationem Peritorum Agrimenſorum relatam a Barone, illud ad ſummum locari poteſt in annuis ſcutis 1161., & ob. 50.; & propterea non ſubſiſtere fundamentum præteritæ Deciſionis, quod ſupradictum pactum non petendi remiſſionem propter ſupradictam rationem ceſſerit in partem, ſive diminutionem earundem Penſionum;
20 Ceſſant enim omnia, non ſolùm quia dicti Periti non deponunt de fructu latifundii relativè ad tempus locationis ſequutæ anno 1703., quemadmodum ad hunc effectum exigitur; *Riminald. Jun. conſil. 461. numer.28. verſic. Nec quidquam.*, *Becc. conſil.3. num.23. verſic. His ita.*, *Paeion. de locat., & conduct. cap.3. num.34.*, *Rota cor. bo. me. Molines dec.889. num.25.*, *& 26.*, *& in Recen. dec.770. num.7. part.2.*; ſed
21 etiam ex quo relatio dictorum Peritorum eſt extrajudicialis, informis, & pendente lite, & non citata Parte expiſcata; & ſic nullam meretur fidem; ex adductis ſuperiùs *§. Inutiliter verò in fine.*

Potiſſimum in concurſu tam contrariæ
22 declarationis dictorum Conductorum, quos non præſumitur oſcitanter conſenſiſſe adjectioni ſupradicti pacti in diminutionem annuæ Penſionis, niſi verè, & realiter fructus latifundii eſſent illo longè majores: *Cravett. conſil.61. n.3.*, *Rota coram Buratt. decis.317. num.8.*, *& coram bon. mem. Molines decis.355. num.11.*, *& in Recen. dec. 309. n.14.*
23 *part.10.*, quam ſucceſſivæ obſervantiæ; Dum ipſi Conductores, etiam elapſo primo Novennio Locationis continuarunt per alia plura Novennia; quod ſuadet pariter fructus Latifundii longe exceſſiſſe annuam Penſionem conventam in dicta ſumma, aliàs elapſo primo novennio Conductores, ſi fuiſſent in damno uſque ab initio, utique ab Affictu receſſiſſent, cum nemo præſumatur jactare ſuum; *per Text. in leg. eum de indebit. ff. de probat.*, *Federic. de Sen. conſil.54. num.2.*, *Ciriac. controv.263. num.8.*, *Rota coram Buratt. decis.592. num.2.*, *& coram Biehio dec.74. n.10.*

Pariter conſiderationem non meretur, quod recenſitum pactum non petendi remiſſionem veluti adjectum in Inſtrumento Locationis anni 1703. initæ cum Æmiliano Paſcucci, repetitum non cenſeatur in renovatione, ſeu prorogatione ejuſdem Locationis ſecuta anno 1721. poſt obitum dicti Æmiliani cum ejus filiis minoribus, & Pupillis:
24 Cum enim in eodem Inſtrumento conventum fuerit, quod non facta diſdicta, cenſeretur Locatio renovata, ſeu potius prorogata ad aliud novennium cum eiſdem pactis, Capitulis, aliiſque contentis, & expreſſis in eodem Inſtrumento; palam inde eſt, quod etiam in dicta renovatione Anni 1721. repetita cenſeantur eadem pacta, & ſpecialiter ſupradictum non petendi remiſſionem, ut firmatur in *dicta mea præterita Deciſione §. Quidquam non relevante*;
25 quæ veluti neceſſaria, atque a lege Contractus inſeparabilia afficere etiam apta fuere filios Æmiliani minores, quamvis in renovatione eorum favore ſecuta ſolemnitates neceſſariæ Statuti non intervenerint, cum in hoc caſu ſolem-

ſolemnitates ejuſmodi non requirantur; ut docent *Paulus de Caſtro conſil.*183. *num.*2. *verſic. Nec obſtat Statutum.lib.*1., *Pic. ad Statut. Urbis Gloſſ.*7. *num.* 218. *verſic. Et quod Statutum.*, *Rota in Recent. dec.*335. *n.*12. *part.*10.

Excluſa prætenſa remiſſione, deſcendentes Domini ad inſpectionem reliquarum duodecim Partitarum, de quibus in præterita Deciſione, illarum videlicet ſub quæſtione cadentium, omiſſis illis, quæ inter Collitigantes amplius non controvertuntur, & indicatæ ſuperius fuerunt §. *Et prætermiſſo.*, cenſuerunt quoad *primam* ſc.920. 95., ſeu potius ſcut.620. 95., provenientem ex treſdecim partitis Frumenti, aliorumque fructuum venditorum deſcriptis in atteſtatione ratiocinatoris Appaltus *della Rubbiatella* – *ſtandum eſſe in Deciſis, & non eſſe bonificandam a Principe*. Quoniam ut bene reſpondet *præterita Deciſio* §. *Primam.* de dictis treſdecim partitis Princeps rationem reddidit, ut ex relatione Periti; non attento, quod talis redditio rationis reſpiciat Frumentum, ac fructus collectos anno 1627., fructus verò ſupradictarum tredecim partitarum fuerint collecti anno 1726.; tum quia hoc aſſumptum non probatur ex dicta fide Ratiocinatoris *della Rubbiatella*; Tum etiam quia de Frumento, & fructibus collectis anno 1726. ratio reddi debet
26 a Livaldino, qui tunc temporis uti Œconomus latifundium adminiſtrabat, quouſque non probetur illos perveniſſe ad manus Principis, quod viſum fuit non probari per Baronem ex variis æquivocis, & generalibus conjecturis, & argumentis in præſenti propoſitione repetitis, ac rejectis in *Deciſione*, quæ revidetur §. *Nec viſum fuit.*

Circa *ſecundam Partitam* reſpicien-
27 tem Creditum Fratrum de Paſcuccis contra quoſdam de Moſtarda; *receſſerunt DD. a deciſis*, nam cum Princeps in ſatisfactionem ſui Crediti elegerit hoc nomen Debitoris, & ſucceſſive illud vendiderit cuidam Matthæo pro pretio ſcut.614. ſolvendo in tot ratis ad rationem annuorum ſcut.35., nequit recedere ab hac electione, & acceptatione ſemel facta; ad *Text. in Cap. Quod ſemel. de Regul. Jur. in* 6., *Leg. Pomponius ff. de Negoc. geſt.*, *Rota coram Emerix Jun. dec.*1259. *num.*3., *& in Recentior. dec.*316. *num.*13. *part.*19.; & conſequenter tenetur imputare in diminutionem ſui Crediti integram dictam ſummam ſcutor. 614. quamvis non exactam, *& hic eſt modus*, quem DD. adjecerunt præſenti reſolutioni.

Quoad *Sextam Partitam* ſc.951. 28. pro pretio Rubrorum 253. Frumenti, quæ dicuntur collecta anno 1727. ultra alia rubra 587., de quibus D. Princeps rationem reddit, *perſtitum fuit in Deciſis*, nempe *illam non eſſe bonificandam a Principe*, quia nulla probatione oſtenditur frumentum dicto anno collectum exceſſiſſe Rubra 587.; minimè obſtante depoſitione duorum Teſtium, cum iſta ſit extrajudicialis, & illi depo-
28 nant de poſſibilitate reditus latifundii, & propria credulitate, & opinione, quod non ſufficit ad inducendam perfectam probationem, ut firmatur in *præterita mea Deciſione* §. *Sextam partitam*: Computum verò Bartoletti reſpicit expenſas aſportationis Frumenti collecti anno 1726., & ſic non probat quantitatem collectam anno 1727.: Et inſuper cum D. Princeps declaraverit, quod Frumentum quouſque aſportatum non fuiſſet in propria Horrea, ſtaret periculo Fratrum de Paſcuccis Conductorum, condemnari proinde nequit, niſi pro Frumento in ejus Horreis repoſito, quod conſiſtit in dd. ſolis Rubris 587.; ut pariformiter firmatur in eadem *præterita Deciſione eodem* §. *Sextam partitam.*, *verſic. Non obſtante.*

Eandemque reſolutionem amplexi fuerunt DD. quoad *ſeptimam partitam* reſpicientem diminutionem dicti Frumenti a Rubris 887. ad Rubra 366. occaſione triplicis expurgationis, iterum exiſtimantes illam *referendam non eſſe ad debitum Principis*: Quippe cum præcedenter ad dictam expurgationem pluries interpellati fuerint Creditores Fratrum de Paſcuccis, ac moniti ad illi intereſſendum, ſibimetipſis imputari debeat, ſi intervenire neglexerint; ac proinde inutiliter redarguitur eadem
29 expurgatio, dum illorum contumacia in non comparendo æquipollet præſentiæ,

tiæ, & acquieſcentiæ; præcipue dum revera conſtitit a Principe fuiſſe venditæ Rubra 366. Frumenti boni, & expurgati, & Rubra 221., ut dicitur, *di Conciatura, Cappiame, e Granoſa*, quod in unum redacta conſtituuntRubra 587. de quibus eſt quæſtio; ut latiùs oſtenditur in *præterita Deciſione §. Septima partita*.

Sequitur *nona Partita* ſuper Plauſtris, ac aliis *ſtylis* ad uſum Artis Agrariæ, & Gregis Ovium in latifundio exiſtentibus, de quibus iterum fuit dictum *non teneri Principem reddere rationem*; Quoniam hęc deſcripta quidem fuerunt præſentibus Miniſtris Principis, non
30 tamen ad ejus inſtantiam, ſed ad inſtantiam Baronis; & ideo ex dicta deſcriptione cum præſentia dictorum Miniſtrorum non inſurgit probatio plena, & concludens, quod dicta Plauſtra, ac ſtylia tradita fuerint D. Principi, vel ejus Miniſtris, ſine qua conſignatione
31 nunquam ille cogi valet ad ullam redditionem rationis: ex adductis in *præterita Deciſione §. Nona partita*.

Pariter DD. fuerunt in ſenſu quoad *Decimam Partitam* ſcut.74. 95. ſolutorum a Miniſtris Principis pro Gabella, & Vectura *Fabarum*, & *Blade* ad Urbem aſportatarum, *illam non eſſe demendam a credito ejuſdem Principis*; Quia præter reſponſiones datas in *præterita Deciſione §. Decimam partitam*, additum fuit, quod idem Princeps poterat quidem, ſed non tenebatur dictos fructus vendere in Area, præſertim cum per Baronem de Franceſchis doctum non fuerit de parata occaſione illos vendendi in Area cariori pretio, itaut per dictam aſportationem præjudicatum remanſerit Patrimonio communium Debitorum: ceſſante verò pręjudicio hujuſmodi, dicta Partita nullo modo controverti poteſt; cum præju-
32 dicium, quod poteſt eſſe, & abeſſe non ſit in conſideratione habendum; *Sarnien. ad reg. de Jur. quæſit. non tollen. quæſt.4. verſic. addo ulteriùs.*, *Gonzal. ad Reg.8. Gloſ. 45. §.1. num.44., & ſequen.*, *Rot. in rec. dec.262. num.12., & 13. part.15.*

Supereſt ultima, *ac duodecima Partita* complexiva plurium Partitarum conſtantium in totum ſummam ſcutorum 1324. 57. erogatorum a Principe in expenſis factis in Latifundio, ac pro collectione Frumenti, aliarumque Segetum, quam hodie pariter exceptis binis modicis Partitis, altera ſcut.1., & alia ſcut.4., *non eſſe in reliquis ſubducendam a credito Principis* dijudicatum fuit:

Quandoquidem licet a Barone impugnaretur quinta ex iſtis ſubalternis Partitis ſolutionum ex eo, quod non expreſſo nomine Perſonarum deſcripta fuerit in folle, ibi — *ſcuta* 48. *alli Carrari, ſcuta* 28. *alli Caricarelli, ſcut.* 11. *a due Buttari, e ſcudi* 7. *al Capoccia*; Itemque alia ſcut. 99. 97. $\frac{1}{2}$ ſolutorum pro Gabella Frumenti, & Segetum Anni 1726. ſub prætextu, quod hoc tempore Latifundium adminiſtraret Livaldinus; Et denique alia ſcut. 80. 10. ſolutorum Depoſitariæ Urbanæ pro executione ſuper Bobus, ac Animalibus ſpectantibus ad Paſcuccios, quia hæc executio revocata fuit ex capite nullitatis.

Attamen hæc nullius eſſe momenti compertum eſt, reſpondentibus Dominis ad primam, quod, cum dictæ expenſæ in illa expreſſæ, quæ cæteroquin juxta ſolitum excedere debuiſſent ſcuta 151., ut advertit Peritus in hac Cauſa electus ab A. C., non excedant ſcuta 90., nulla poſſunt exceptione redargui; & ad ſecundam, quod ſi dictam Gabellam ſolvit D. Princeps, & non Livaldinus, hoc operari quidem poſſit, quod ſolutio hujuſmodi referenda non ſit ad computum Livaldini, quatenus in eo deſcriberetur; non autem quod bonificari non debeat Principi, qui exhibet legalem Receptum; Et ad tertiam tandem, quod non regit in facto, ſupradictam executionem Animalium fuiſſe revocatam uti nullam; dum Judex dumtaxat per modum proviſionis mandavit, quod loco executionis illa retinerentur in forma depoſiti per Livaldinum Adminiſtratorem; quod utile fuit tam Principi non adhuc certo de ſuo integro Credito, quàm etiam cæteris Creditoribus.

Et ita DD. in hac nova propoſitione reſponderunt utraque Parte ſatis audita &c.

PAM-

Digitized by Google

PAMPILONEN. PAROCHIALIS DE ALSASUA.

Lunæ 12. *Martii* 1736.

ARGUMENTUM.

Simonia locum non habet, ubi non adeſt præcedens conventio, in cujus executionem aliquid datum, vel factum probetur. Diffamatio, ut apta ſit ad inducendam privationem Beneficii debet ſolidè vigere apud majorem, & ſpectabiliorem Populi partem.

SUMMARIUM.

1 *Sententia in rem judicatam tranſit ob appellationem tempore legitimo non interpoſitam.*

2 *Ceſſante autem læſione non datur reſtitutio in integrum.*

3 *Parochia debetur habenti majorem numerum ſuffragiorum.*

4 *Simonia eſt concludenter probanda:*

5 *Nec inducitur, niſi ex dato, vel facto in vim præcedentis conventionis.*

6 *Teſtes extrajudiciales, & pendente lite expiſcati nihil probant*: & num. 13.

7 *Prout nec ſingulares, varii, diſcordes, & deponentes de auditu, licet formiter examinati*; & num. 13.

8 *Maximè ſi deponant de auditu a Simoniæ participe; excluſa præſertim ſuſpicione pacti per juramentum prætenſi Simoniaci.*

9 *Conventio neceſſariò requirit conſenſum duorum.*

10 *Ex inveriſimilitudine, & impoſſibilitate executionis excluditur quævis ſuſpicio conventionis.*

11 *Ex præſentatione acquiritur jus certum ad Beneficium, cujus privatio ex ſola diffamatione non inducitur.*

12 *Diffamatio, ut apta ſit ad inducendam privationem, ſolidè vigere debet apud majorem, & ſpectabiliorem partem Populi.*

13 *Teſtes deponentes de vago, & incerto rumore probationem non conſtituunt.*

14 *Teſtes deponentes ad excluſionem diffamationis prævalent aliis pro ea teſtimonium ferentibus.*

15 *Pro excluſione delicti præſertim ſimoniaci ſemper inclinandum eſt.*

DECISIO XLI.

Juxta præſcripta in Conſtitutionibus Synodalibus Pampilonen. Diœceſis Vicini, ſeu Incolæ habentes Domum propriam cum Ianua in Via Loci de Alſaſua potiuntur Jure in contingentibus vacationibus nominandi, ſeu præſentandi Rectorem ad Eccleſiam Parochialem ejuſdem Loci, quæ cum nuper vacaverit per obitum Pauli Martinez, fuit ad illam ab una parte Vicinorum nominatus, & præſentatus Sacerdos Martinus de Arieta, & ab altera parte Sacerdos Joannes Diaz de Jauregui; primuſque ex illis, nempe Martinus obtinuit a Proviſore Pampilonen. Sententiam favorabilem ſuper Inſtitutione: ſed devoluta Cauſa ad hoc Sacrum Auditorium, eaque commiſſa Illmo D. Corio nunc digniſſimo Almæ Urbis Gubernatori, & diſputato ſub die prima Februarii 1744. Dubio — *An & cui eſſet adjudicanda dicta Parochialis Eccleſia de Alſaſua* — fuit reſponſum — *Eandem Eccleſiam eſſe adjudicandam Joanni* — tunc tantum informanti: quæ reſolutio, etiam audito ſupra recenſito Martino de Arieta Compræſentato, confirmata extitit ſub die 18. Martii 1735. coram Rmo P. D. meo Calcagnino Decano ſubrogato in locum dicti Illmi Corii; & ad formam Deciſionum deſuper editarum deventum fuit ad Cauſæ expeditionem, prævia Sententia concedente Joanni adjudicationem dictæ Eccleſiæ Parochialis, & reſpectivè infirmante alteram præcedentem Sententiam Proviſoris Pampilonen.

Inde commiſſa mihi Cauſa ex Reſcripto Signaturæ Juſtitiæ in gradu reſtitutionis in integrum, propoſui in hodierna Audientia conſuetum Dubium — *An conſtet de re Judicata, ſeu potius de Cauſis reſtitutionis in integrum* — & dictum fuit — *Conſtare de re judicata* — non autem de Cauſis reſtitutionis in integrum, & rectè quidem; Nam cum Martinus a dicta Sententia Rotali nullam intra legitima tempora
1 interpoſuerit appellationem, ſtatim illa in rem judicatam tranſivit; juxta *Text. in cap. Conſultationem. de Sent., & Re judic., Rot. coram Emerix Jun. deciſ.*

*deciſ.*477. *num.*1., & *coram clar. mem. Cardin. Falconerio deciſ.*58. *num.*1. *tit. de Jurepat.*, & *dec.* 90. *pariter num.*1. *in Miſcell.*, & *in Salernitana Juriſpatronatus* 6. *Decembris* 1734. §. *Eo ipſo. coram Me*; & cum de hujus rei judicatæ validitate, ac juſtitia conſtet, ex quibus ceſſat læſio, per conſequens locus
2 non eſt ulli reſtitutioni in integrum; *cap.*1., *ubi Abbas de reſtit. in integr.*, *leg. Quod ſi Minor* 25. *ff. de minor.*, *Rot. coram clar. mem. Card. Caprara deciſ.*558. *num.*2., & *in recent. dec.*393. *pariter num.*2. *par.*18., & *in Romana Cambii* 6. *Junii* 1735. §. *Etenim. coram Me*.

Nec dubitatum fuit de dicta validitate, veluti ex actis apparente; prout neque de juſtitia ſupradictæ rei judicatæ, dum Joannes pluribus, quam Martinus Vicinorum ſuffragiis nominatus, atque præſentatus fuit ad enunciatam Eccleſiam Parochialem, non obſtante quod Verificatores electi ad formam Conſtitutionum Synodalium ex centum, & uno ſuffragiis Joannis quadraginta ſeptem dubia declaraverint; quia dubietas ejuſmodi per ſubſequens formale examen Teſtium penitus ſublata remanſit; & conſequenter in hoc ſtatu
3 Joanni, veluti muuito majori ſuffragiorum numero, merito adjudicata fuit recenſita Eccleſia Parochialis; ut firmatur in *prima Deciſione Illmi Corii* 1. *Februarii* 1734. §. *Conſtitit.*, & §. *Haud ſaceſcente*, & *in altera confirmatoria Reverendiſs. Decani* 16. *Martii* 1735. §. *Prætenſionem. cum duobus ſequen.*

Haud juvante, quod licet Joannes habuerit majorem partem ſuffragiorum, nihilominus arceudus veniat ab aſſecutione ſupradictæ Eccleſiæ Parochialis propter crimen ſimoniæ ex eo deductum, quod Joannes pro eiſdem ſuffragiis obtinendis uſus fuerit opera Martini de Arza, iſtiuſque filio promiſerit in compenſationem quoddam Beneficium erectum in eadem Eccleſia Parochiali, ac ab eodem Joanne actualiter poſſeſſum: Quandoquidem delictum
4 hujuſmodi, quod eſt execrandum, & deteſtabile *cap.*1., & *tot. tit. de Simonia*, & conſequenter uti non præſumendum plenè, & concludenter probandum ex adductis *in prima hujus Cauſæ deciſione coram Illuſtriſſimo Corio* §. *Attendi quin magis*, & *in ſecunda coram Reverendiſs. Decano*, & ultra ibidem relatos tradunt *Abbas in cap. Veniens in* 1. *num.*4. *de Teſtib.*, *Alciat. conſ.*2. *n.*40., & 41. *lib.*1. *tom.*1., *Rot. relata per Farinacc. inter ejus conſilia*, *ſeu reſponſa*, & *Deciſiones Crimin. conſ.*75. *num.*45. 53. 65. *tom.*1., *Vellar. deciſ.*202. *par.*1., & *coram Ludoviſ. dec.*238. *n.*1. & 13. Iterum viſum fuit non probari a Martino Arieta illud allegante; cum ab ipſo doctum non fuerit ante præſtationem ſuffragiorum favore Joannis Diaz præceſſiſſe inter iſtum, & ſupra enunciatum Martinum de Arza, quem aſſeritur favore illius ſuffragia procuraſſe, conventionem ullam, vel pactum, quod quatenus idem Martinus operam ſuam impendiſſet, ut ſupra, idem Joannes ceſſiſſet illius filio ſupradictum Beneficium a ſe poſſeſſum; non facta vero tali
5 probatione inutiliter agitur, vel excipitur de Simonia, quæ nunquam probata dicitur, niſi *probetur præcedens tractatus*, *atque conventio*, & pactum ſolemniter concluſum, & quidquid factum reperitur, Simoniam non inducit, ſi non probetur factum in vim, & executionem præcedentis conventionis; *cap.Veniens* 1.*de Teſt.*,*Pariſ.de confidentiis quæſt.*26. *num.*4. & 5., *Rot. coram Seraphin. deciſ.*1029. *num.*8., & *cor. Gregorio deciſ.*517. *num.*30., & *in Recent.dec.*358. *num.*12. *par.*2., & *dec.*93. *n.*6. & 7.*par.*3. *tom.*2., & *firmatur in dd. antecedentibus Deciſionibus*.

Abſque eo quod dictum pactum, ſive præcedens conventio comprobata remanſerit ex quibuſdam Teſtibus a Mar-
6 tino Arieti adductis: Nam aliqui ex illis deponunt *extrajudicialiter*, & ſunt expiſcati pendente hac lite, & ſic nil probant; *cap. In nomine. de Teſt.*, *leg. Si quomodo Cod. eodem*, *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconerio dec.*5. *n.*6. *tit. de Pactis*, & *in Romana Concurſus ſuper redditione rationis* 24. *Februarii currentis anni* §. *Inutiliter in fine cor. Me*; alii
7 autem licet probarent ratione examinis, quia fuerunt formiter examinati, tamen nil penitus concludunt *in dicto*, nedum quia

quia ſunt *ſingulares*, *varii*, *diſcordes*,
8 & deponunt tantùm *de auditu*; ſed etiam ex quo aliqui ex iſtis deponunt de auditu dictę promiſſionis ab enunciato *Martino de Arza*, cujus aſſertioni, uti provenienti a ſocio, & participe in prætenſo Crimine Simoniæ, nulla eſt danda fides; ſecundum expreſſam *Gloſs. cap. Venient. de Teſt. cap.1. eodem tit. in 6.*, *Rot. coram Seraphin d. dec.1029. num.4.*, *& cor. Cavaler, dec.352. n.5.*, juncta præſertim jurata declaratione ejuſdem Martini, nullum pactum, nullamque conventionem interceſſiſſe inter ipſum,& Joannem Diaz. Alii tandem deponunt, quod audiverint, eundem Martinum ſuffragia procuraſſe ad finem ut Didacus ejus filius conſequeretur Beneficium Joannis, & iſtum ei ſuper hoc præſtaſſe *auxilium*; Id autem ultra quod *non includit ullum Crimen Simoniæ*, ut luculenter probat *deciſio Reverendiſſimi Decani §. Quin imo, & ſeq.*; nec minus continet in ſe ſe ullam conventionem, vel pactum cum prædicto Diaz; dum non conſtat, iſtum dictæ Martini intentioni *ſuum præſtitiſſe conſenſum*,
9 ſine quo nunquam oritur conventio, & pactũ per neceſſe requirens non unius, ſed duorum conſenſum; *l.1. §. Conventiones. ff. de pact.*, & in terminis firmat *Rot. in Rec. deciſ.93. n.10. 11., & 12. part.4. tom.2., & utraque deciſio præcedentis Inſtantiæ coram Reverendiſſimis PP. DD. Corio, & Caleagnino.*

Et abſque ulla prorſus umbra difficultatis ſtante maxima *inveriſimilitudine* ſupradictæ aſſertæ conventionis, ſive pacti deducta, tum ex perſona ſupradicti Didaci filii Martini de Arza, qui de eo tempore erat *Puer laicus*, & *illitteratus*, ſicque incapax cujuſcunque Beneficii; tum quoque ex perſona Diaz ſimplicis Sacerdotis, ac Parochi, in cujus poteſtate proinde non erat illud conferre, vel reſignare favore Didaci, ſed hoc ſpectabat ad Reverendiſſimum Ordinarium: Concurrente itaque hac inveriſimilitudine, imo etiam impoſſibilitate executionis inſubſiſtens penitus, ac improbabilis dignoſcebatur dicta ſuppoſita præcedens conventio; & propterea ex omni parte illius exaggeratio ſpernenda erat; ex firmatis *in prima deciſione Illuſtriſſimi Corii §. Tum quia, & latiùs in alia Reverendiſſimi Decani §. Spes verò & ſeq.* ubi reſpondetur objecto deducto, quod Parochus de Alſaſua habeat Jus conferendi Beneficia erecta in ejus Parochiali Eccleſia.

Minus etiam officere viſum fuit, quod, & ſi probatum non remaneat crimen Simoniæ, nihilominus de illo Joannes ſit publicè diffamatus,& hoc ſufficiat, ut ipſe repellendus veniat ab aſſecutione controverſæ Eccleſiæ Parochialis, quid quid ſit, ubi agatur de privatione Beneficii jam aſſequuti: Præterquamquod enim in hoc caſu etiam affirmari poſſet, quod quamvis Joannes adhuc non acquiſiverit actualem poſſeſſionem Parochię,
11 tamen res eſſet de privatione illius, ob Jus certum ei acquiſitum ex præſentatione obtenta a majori parte vicinorum habentium Jus nominandi, & conſequenter quod non ſufficeret ſola diffamatio; ut tenent *Lambertin. de Jurepatr. part.1. lib.2. quæſt.9. art.16. per tot.*, *Garz. de Benefic. par.7. cap.8. n.47. & ſeq.*, *Rot. cor. Anſaldo dec.32. n.16.*, *& in Senogallien. Canonicatus de Lucchis 23. Junii 1710. §. Ex quibus coram Eminentiſſimo Card. Aldrovando, & in Trivicana Juriſpatronatus 17. Junii 1718. §. Non obſtante. coram bon. mem. Foſcaro.*

Adhuc etiam ſuppoſito, quod ageretur de Beneficio aſſequendo, ponderatum fuit, non tamen prætenſam diffamationem comprobatam fuiſſe cum qualitatibus ad illam inducendam neceſſariis; ideſt, quod illa viguerit apud
12 majorem partem Populi, & quidem non levis, aut vilis conditionis, ſed ſpectatæ qualitatis, & non vagè, ſed ſolidè, & inconcuſsè, & quod inſuper ortum habuerit ante motam litem; ex firmatis per *Rot. in dicta Senogallien. Canonicatus de Lucchis 23. Junii 1710. §. Ex quibus, coram Emo D. Card. Aldrovando, & in d. dec. Rmi Decani §. Nihilo tamen minus.*

Siquidem nonnulli ex Teſtibus adductis ab Arieta ſunt infimæ Plebis, ac ignari, & de ſuppoſita diffamatione non deponunt, niſi tres, aut quatuor ex illis referendo quendam *vagum, ac incertum rumorem*, nil certi de illa affirman-

mantes; alii deponunt *extrajudicialiter*, & expiſcati fuere *pendente Lite*, imo poſt editam primam Deciſionem hujus Cauſæ; & alter ex illis aſſerit rumorem dictæ diffamationis proceſſiſſe ab ipſo Arieta; & alii tandem de eadem diffamatione nullum verbum faciunt; &
13 propterea per ſimiles Teſtes adeo inter ſe diſcrepantes, & contrarios, & nullum ex ſupradictis requiſitis referentes nullo modo probata dici valet recenſita adducta diffamatio; ut latè probatur in ſæpedicta *deciſ. Rmi P. D. Caleagnini Decani eodem* §. *Nihilo tamen minùs. cum tribus ſeqq.*

Fortiùs dum in contrarium adſunt innumeri Teſtes inducti a Joanne Diaz aſſerentes nunquam audiviſſe ſuppoſi-
14 tam diffamationem, quibus Teſtibus, & non aliis ab Arieta inductis ſtandum eſt, dum ſi diffamatio vera fuiſſet, dicti quoque Teſtes a Joanne adducti non fuiſſent de illa ignari, & ſemper eſt in-
15 clinandum in excluſionem delicti, ac Simoniacæ pravitatis; *Pariſ. de reſignat. Benef. lib.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 55., *& ſeq.*, *Rot. coram Gregor. deciſ.* 517. *n.* 20., *ac alii plures adducti in prima Deciſione Illuſtriſſimi Corii* §. *Tum demum*, *& ſeq.*, *& in altera Rmi P.D. Decani* §. *Contrarietati Teſtium*.

Cœteris egregiè ſatisfaciunt præcedentes Deciſiones, ideoque Domini ad illas ſeſe retulerunt.

Et ita &c. informante tantùm Joanne Diaz reſponſum fuit, altera Parte licet expectata comparere tamen adhuc reluctante.

ALBEN. PRIORATUS.

Ven. 16. Martii 1736.

ARGUMENTUM.

Multiplicitas Subcollectorum tollit reſervationem orientem ex Regula V. Cancellariæ, niſi agatur de Subcollectoribus generalibus plurium partium Diœceſis ſub diverſis Dominiis exiſtentium. Ad hoc tamen ut Beneficia Subcollectoris reſervata maneant, ſufficit eum aliquando unicum, & generalem Subcollectorem remanſiſſe; quod nunquam verificari poteſt, ſi ejus deputatio ad aliquem particularem locum fuerit limitata.

SUMMARIUM.

1 *Sententia valida, & juſta eſt confirmanda.*

2 *Literæ Apoſtolicæ impetratæ ſub expreſſione vacationis Beneficii per obitum unici Subcollectoris, non dicuntur juſtificatæ, ſi alii adſint Subcollectores; & conſequenter executionem non merentur:*

3 *Quia multiplicitas Subcollectorum tollit Reſervationem orientem ex Regula V. Cancellariæ.* & num. 10.

4 *Reſervatione autem ſemota ad Ordinarium ſpectat collatio Beneficiorum Diœceſis:*

5 *Neque ejus juri Summus Pontifex cenſetur præjudicare velle.*

6 *Ad effectum dignoſcendi a quibus ſoluti fuerint proventus ſpoliorum omnimoda fides præſtatur Libris Cameræ.*

7 *Subcollector in una parte Diœceſis conſtitutus cum plena, & independenti juriſdictione habetur pro unico Subcollectore ad excludendam reſervationem:*

8 *Quod tamen intellige, ſi remanſit non unicus, ſed etiam generalis in tota Diœceſi;*

9 *Vel ſi Diœceſis ſita ſit ſub diverſis dominiis, in quorum ſingulis adſit generalis Subcollector.*

10 *Secus ſi in pluribus Partibus Diœceſis plures adſint Subcollectores.*

11 *In Regula V. Cancellariæ particula* vel *non multiplicat perſonas Subcollectorum.*

12 *Civitas dicitur de Diœceſi, & venit nomine Diœceſis.*

13 *Ad inducendam reſervationem ſufficit, quod Subcollector etiam per temporis momentum remanſerit unicus, & ſeq.*

14 *Si tamen eodem tempore remanſit etiam generalis, quod impeditur ex deputatione ad aliquem particularem locum limitata.*

DECISIO XLII.

A Sententia Rotali, quam præviis duabus luculentiſſimis Deciſionibus editis, altera ſub die 24. *Aprilis anni* 1733. altera *die* 22. *Junii anni* 1735. promulgavit Reverendiſſimus P.D.Cal-

cagninus Decanus, cum appellationem
interpoſuiſſet Franciſcus Gregorius
Battaglia adhuc credens executionem
promereri Apoſtolicas Literas in vim
regulæ quartæ hodie quintæ Cancella-
riæ aliàs ab ipſo expeditas, cumque
appellationis cauſa mihi commiſſa eſſet,
Idcirco propoſui hodie Dominis meis
conſuetum Dubium, ſcilicet = *An*
Sententia Rotalis ſit confirmanda, vel
infirmanda — Qui, ſtante validitate, &
1 Juſtitia Sententiæ, non dubitarunt re-
ſpondere — pro confirmatione —

Et ſane de Juſtitia memoratæ ſen-
tentiæ, circa quam reſtringitur tota
2 difficultas, ambigi nequit; Literæ
namque Apoſtolicæ, quas præfatus Bat-
taglia impetravit ea ſub expreſſione
quod Prioratus ſub Titulo S. Mariæ
Aquæ Dulcis, ſeu S. Blaſii in Diœceſi
Alben. fuiſſet vacans per obitum Ca-
nonici Baymundi *unici* ſpoliorum Sub-
collectoris in eadem Diœceſi, minimè
juſtificatæ apparuerunt: ſiquidem nun-
quam doctum eſt uſque adhuc, quod
dictus Raymundi fuiſſet unicus ſpolio-
rum Subcollector in dicta Diœceſi;
quinimmo contrarium apertè remanet
in facto probatum, ac proinde ſi ſupe-
riùs enunciata ſententia executionem
denegavit iiſdem Literis, in dubium
revocari nequit ipſius Juſtitia, quia,
ubi Literæ Apoſtolicæ, quarum exe-
cutio petitur, non ſunt juſtificatæ, nul-
lam certo certius merentur executio-
nem; *ad Text. in cap. ſi proponente. de*
reſcript., *& in cap. ſi motu proprio. de*
præbend. in 6.

Ratio autem, cur d. expreſſio vaca-
tionis per obitum unici Collectoris
injuſtificatas reddat præfatas Literas,
ea eſt, quia Subcollectorum multipli-
citate ſuppoſita, ſtatim excluditur re-
3 ſervatio ſuper beneficiis ſimilium per-
ſonarum inducta in vim dictæ Regulæ
Quintæ Cancellariæ, ut de communi
Doctorum, & hujus Sac. Tribunalis opi-
nione teſtantur citatæ Deciſiones Re-
verendiſſimi Decani prima *in §. Sub-*
collectorum; ſecunda *in §. Quod autem.*
Unde excluſa reſervatione controverſi
Prioratus clara eſt inefficacia prædi-
ctarum Literarum Apoſtolicarum: Ju-
ribus enim Ordinariorum, ad quos,
4 reſervatione ſemota, ſpectat Jus con-
ferendi Beneficia in eorum Diœceſi
vacantia, *cap. conquerente. 16. de*
Offic. Ordin., *cap. cum olim. 18. de*
præſcript., *cap. cum ex injuncto. de*
5 *hæret.*, nunquam cenſetur Summus
Pontifex præjudicare velle; ad firmata
per Cardin. de Luc. diſcurſ. 128. de re-
gal. num. 11., *Rocc. diſput. cap. 78.*
num. 16., *& 17.*, *Rot. coram bon. mem.*
Molin. in deciſ. 606. num. 36.

Caret vero omni etiam vel minima
difficultate, quod Canonicus Raymun-
di non fuiſſet unicus Subcollector in
Diœceſi Alben., proventus quippe
ſpoliorum, & Eccleſiarum vacantium,
ſicuti in facto probantur perſoluti Nun-
tiis, & Internuntiis Taurinen. a plu-
ribus, qui Subcollectoris munus exer-
cebant eodem tempore, quo eo mu-
nere fungebatur d. Canonicus Ray-
mundi, & quidem per extractionem
partitarum earundem ſolutionum a
Libris Cameræ depromptam. Ita
in evidentiam tranſit Canonicum
Raymundi non fuiſſe unicum ſpolio-
6 rum Subcollectorem in diœceſi: Quan-
doquidem præfatis Libris Cameræ
omnimodam præſtandam eſſe fidem,
in hypotheſi, & ad effectum de quo
agitur, probat *Rot. in deciſ. 671. num.*
4. coram clar. mem. Card. Caprara, in
deciſ. 857. num. 2. tom. 3. part. 2. coram
bon. mem. Molines, in Sagonen. Ple-
baniæ 11. Junii 1706. §. Et Subcolle-
ctorem. coram bon. mem. Kaunitz, &
alii relati in prima Deciſione Cauſæ
§. Factoque ipſo.

Qui in adverſus hucuſque dicta ullius
ſit ponderis animadverſio illa, quod ad-
miſſa etiam pluralitate Subcollectorum,
quia tamen dictus Canonicus Ray-
7 mundi fuit deputatus in Subcollecto-
rem in una parte Diœceſis cum totali,
independenti, ac plenaria Juriſdictio-
ne, inde haberi debeat pro unico
Subcollectore ad effectum reſerva-
tionis; juxta firmata *in deciſ. 779.*
num. 11. coram bon. mem. Molines,
& in deciſ. tit. de reſcript., *& Li-*
ter. Apoſtolicis coram clar. mem. Card.
Falconer.

Etenim quidquid ſit in caſu, in quo
per multum temporis ſpatium in ali-

qua

8 qua Diœceſi ſolus remanſiſſet unicus, & generalis Subcollector, qui ſunt termini *deciſ.779. coram bon.mem. Moli-*
9 *nes*; vel in caſu in quo Diœceſis ſita eſſet ſub diverſis Dominiis temporalibus, in quorum ſingulis deputatus fuiſſet ſuus univerſalis Subcollector, in quibus aliis terminis loquitur altera *Deciſio coram Eminentiſſ. Falconer.* in objecto allegat. Quoties tamen in pluribus Diœceſis partibus uno, eodem-
10 que tempore plures ſunt particulares Subcollectores, prout hìc, neque Diœceſis in temporalibus ſubdita eſt diverſis Principibus; illico excluditur unicitas illa generalis, quæ requiritur ad effectum reſervationis; ut diſtinguendo caſus firmat *Card. de Luc. diſc.9.num.6. de Beneſic.* & admittunt deciſiones præcedentis Inſtantiæ prima §. *Nullumque*, & ſecunda §. *Facilisque*.

Neque quidquam ſuffragatur recurſus ad corticem Literæ ſupracitatæ Regulæ V. Cancellariæ, ubi præſcribitur reſervatio Beneficiorum, de quibus quæſtio eſt, quotieſcunque in *Civitate*, *vel Diœceſi* extet Subcollector, quaſi quod vigore illius dictionis *Vel* elici poſſit, quod data etiam pluralitate Subcollectorum inducta remaneat reſervatio.

Quoniam quidquid dixerint nonnulli Doctores, qui dictionem illam *Vel* — interpretati ſunt in alternativam. Verior tamen Sententia illa eſt, ut ad effectum reſervationis neceſſe omnino ſit, quod Subcollector ſit unicus in tota Diœceſi comprehenſa
11 etiam Civitate. Dictio enim illa — *Vel* — appoſita in præcitata Cancellariæ regula, quantumvis alternet Loca, videlicet Civitatem, & Diœceſim, non tamen multiplicat Subcollectorum perſonas; aliàs ſi unus Subcollector eſſet in Civitate, alter verò in Diœceſi, non unici amplius Subcollectoris generalis de aliqua Diœceſi eſſent reſervata Beneficia, prout dictat prænotata Cancellariæ Regula, ſed plurium Subcollectorum particularium de eadem Diœceſi; cum Civi-
12 tas dicatur de Diœceſi, & regulariter veniat appellatione Diœceſis per ea, quæ in puncto docet *Gonzalez ad Regul. 8. Cancellariæ gloſſ.5 1, num.73. & ſeq.*, & conſentanee firmat *ſecunda Cauſæ Deciſio §. Suaderi*.

Demum nullius roboris videbatur objectum alterum, quod proponere conſuevit præfatus Battaglia, quod ni-
13 mirum ſicuti ad effectum reſervationis ſufficere videtur ex auctoritatibus ſupra *in §. Quin adverſus*, Subcollectorem etiam per temporis momentum fuiſſe unicum in tota Diœceſi: Ita de reſervatione in præſenti dubitari nequeat, cum probabile ſit, quod in decurſu 39. annorum, quo prædictus Raymundi munus Subcollectoris exercuit, potuerit unicus remanere.

Siquidem prænotato in facto, quod idem Canonicus Raymundi in ſuis
14 Literis patentibus non aliam habuit deputationem, niſi reſtrictam, & limitatam ad Civitatem Cevæ, & Loca adjacentia per decem milliaria; quodque per conſequens generalem habere nequivit Juriſdictionem, niſi exadverſo exhibeantur aliæ Literæ: Hinc oritur, quod licet per momentum temporis unicus remanere potuiſſet; generalis tamen in tota Diœceſi nunquam fuit; atque ideo ipſius Beneficia dictæ reſervationi obnoxia eſſe nequierunt; juxta ea, quæ firmant *Cauſæ Deciſiones utrobique §. Etenim*.

Et ita, remiſſive in reliquis ſeſe habentes ad enunciatas Deciſiones, quæ in Cauſa prodierunt unica tantùm Parte informante, cenſuerunt Domini, ſuffragantibus 5., & 6.

FERRARIEN, SEU RAVENNATEN EXEMPTIONIS.

Merc. 21. Martii 1736.

Argumento non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Ementes pretio intrinſeco ab Eccleſiaſticis aquam vitis, ſtare debent circa quantitatem expenſarum notulæ juratæ ab iiſdem Eccleſiaſticis tradendæ.*

DECISIO XLIII.

IN hodierna Rota Memoriallum Menſa Archiepiſcopalis Ravennaten. petiit expeditionem hujus Cauſæ

ad formam Deciſionis coram Me editæ die 27. Januarii currentis Anni 1736., & è converſo Communitas Ferrariæ, & Locus Pius pauperum mendicantium ejuſdem Civitatis inſtabant pro conceſſione novæ Audientiæ; ſed DD. illam denegarunt demandando mihi Cauſæ expeditionem extenſa brevi deciſione, qua (ad tollendam omnem ſuſpicionem alterationis notulæ omnium expenſarum factarum pro conficienda Aquavitis una cum pretio vini, tradendæ per d. menſam in actu interpellationis, ſive intimationis per ipſam faciendæ d. Communitati, & Loco Pio) declaratur eandem notulam eſſe dandam a Miniſtris d. Menſæ prævio juramento ſuper illius veritate, inhærendo reſolutioni in ſimili caſu emanatæ *a Sac. Congregatione Immunitatis in nullius, ſeu Sublacen* 1. *Aprilis* 1731. *relatæ in Deciſione hujus Cauſæ coram R̃mo P. D. Decano die* 28. *Martii* 1738. §. *Hiſque pro Coronide*.

Et ita &c.

ROMANA TRANSACTIONIS.

Die Ven. 13. *Aprilis* 1736.

A R G U M E N T U M

Læſio in Tranſactione deſumenda eſt non a pretio rei litigioſæ, ſed a ſubſiſtentia, vel inſubſiſtentia Prætenſionum. Vocatio ex quibus excludatur. Cætera habes in argumento Deciſionis XII.

S U M M A R I U M.

1 *Tranſactio inita poſt rem judicatam nititur bona fide.*

2 *Læſio regulari debet non a pretio rei litigioſæ, ſed a ſubſiſtentia, vel inſubſiſtentia Prætenſionum.*

3 *Subſtitutio fœminarum extendi nequit ad earum maſculos.*

4 *Binæ Deciſiones contra aliquem latæ ſuſpicionem augent ejus mali juris ad effectum excludendi læſionem in tranſactione.*

5 *Verba quo ſenſu a Teſtatore in una Teſtamenti parte proferuntur, eodem in aliis etiam partibus prolata cenſeri debent.*

6 *Dictio* Mà *eſt adverſativa;*

7 *Et operatur, ut qualitates ſupra expreſſæ repetitæ cenſeantur.*

8 *Ex conditionali deſumitur interpretatio Diſpoſitivæ.*

9 *Teſtator, dum voluit, ut vocati inſignia, & nomen ſuæ domus aſſumerent, eos vocaſſe non cenſetur, quibus tale onus non impoſuit, ſi eorum vocatio dubia ſit:*

10 *Pariterque ſi cæterorum vocationem clare, & apertè deſignavit, eos invitaſſe non dicitur, quorum vocatio æquivoca, & dubia manet.*

11 *Quæ efficaciùs oſtendunt voluntatem Teſtatoris, ſuperflua dici nequeunt.*

12 *Voluntas Teſtatoris erui non poteſt a circumſtantia facti deficiente.*

13 *Auth.* Reſque *non prodeſt neque quoad ſortem, neque quoad fructus differenti petere ſatisfactionem, uſque ac patrimonium Dotantis defuncti detectum fuerit impar ſolutioni.*

14 *Mandatum ante mortem Dotantis expeditum, ſed pro cujus executione nunquàm actum fuit, majorem negligentiam oſtendit.*

15 *Subſcriptio* — affermo quanto ſopra; *addita renuntiationi ab alio faciendæ importat merum teſtimonium, non vero operatur, ut ſubſcribens non ſecuta renuntiatione teneatur ad damna.*

D E C I S I O XLIV.

QUamvis in Audientia diei 16. Januarii currentis anni ad trutinam revocatis fundamentis *Deciſionis* coram me editæ *ſub die* 4. *Februarii anni proximè elapſi*, nulla prodiiſſet reſolutio ob ſuffragiorum paritatem, hodie tamen, repropoſita cauſa, reſponſum habui — *in Deciſis* —

Iterum namque ponderato, quod Tranſactio anno 1730. inita inter Comitem Alexandrum Urſinum, & Olimpiam Urſinam ejus Amitam, quæ nomine etiam Sororis Mariæ Magdalenæ alterius dicti Comitis Amitæ ſtipulata fuit, omnimoda bona fide exarata
1 comperiebatur, utpotè facta, poſtquam præfatus Comes paſſus fuit Sententiam contrariam in Tribunali A. C., quæ ſubinde vim rei Judicatæ obtinuit, comprobavitque, eidem debitam non eſſe

eſſe ſucceſſionem in Feudo Arcis Juvenis, ut firmavit concordantibus allegatis *Deciſio*, *quæ revidetur* §. 3.

Inſuperque animadvertendo, tertiam partem pretii, ſeu fructuum Feudi Ar-
2 cis Juvenis ab eodem Comite æſtimat. in ſumma ſcut.4603., atque receptam occaſione hujus Tranſactionis, ultra ceſſionem Jurium pro proſequendis aliis Bonis Fideicommiſſariis Marci Lepidi Urſini Fideicommitentis, fuiſſe pretium pluſquam congruum, comparative ad totalem inſubſiſtentiam ejus prætenſionum, tam ſuper ſucceſſione in dicto Feudo Arcis Juvenis, quam ſuper conſecutione Creditorum Dotalium ex Perſona Flaviæ ejus Matris, & ex Perſona Modeſtæ ejus Aviæ Maternæ, non dubitarunt Domini, quin longè exularent termini læſionis adverſus dictam Tranſactionem ab ipſo Comite propoſitæ, quemadmodum in hac hypotheſi ſemper longe abeſſe, licet data non ſit medietas pretii rei in litem deductæ; ſicuti ultra citatos in *Deciſione Cauſæ* §.5. firmat *Conſtantin. ad Stat. Vrb. annot.46. art.2. num.*141.

Inſubſiſtentia verò, ſaltem ad effectum de quo agitur, enunciatarum prætenſionum ſæpedicti Comitis Actoris, haud difficiliter detecta eſt: Exordiendo quippe a ſucceſſione, quam conabatur oſtendere ſibi deberi in præcitato Feudo, vocationem ſuam deſumendo ex ea Teſtamenti parte, in qua Marcus Lepidus Fideicommittens, extincta linea maſculina filiorum ejuſdem ſubſtituerat Fœminas ab ipſis filiis deſcendentes; ſicuti hujuſmodi ſubſtitutio reſtricta apparuit præciſe ad Fœminas eorundem primorum Hæredum inſtitutorum, ita ambigi nequivit, quin
3 fruſtra vocationem ſuam ex hac Teſtamenti parte deſumeret, cum ſubſtitutio loquens de Fœminis certo certius extendi non valeat ad maſculos ex ipſis progenitos; *leg. ſi ita ſcriptum ff. de legat.*2., *Rot. in Romana*, *ſeu Sabinen. Primogeniture ſuper bono Jure* 17. *Martii* 1733. §. *Hæc erant cor. R.P.D. Creſcentio*.

Neque viſa ſunt obſtare in hypotheſi ſubſequentia illa verba immediate poſt Fœminarum ſubſtitutionem a Fideicommittente prolata, ibi — *Ma eſſendoci maſchj ſiano eſcluſe le femine* — ex quibus Actor inferebat, quod cum non ſint verificabilia in maſculis ex maſculo, qui pro extinctis conſiderati jam fuerant, neceſſario importare debeant vocationem maſculorum ex fæminis.

Nam ultra quod non ſemel, ſed bis Sacrum hoc Tribunal, data occaſione examinandi hoc idem Teſtamentum, explicavit prænarrata verba in vero ſenſu repetitivo excluſionis fœminarum in concurſu maſculorum ex maſculis, non autem in ſenſu vocationis maſculorum ex fœminis, ut videre eſt *in Deciſionibus* 112., & 114. impreſſis penes *Conſtantin. ad Statut. Vrb.*, ac proinde ſemper urgebit contra præfa-
4 tum Comitem Urſinum validior ſuſpicio ejus mali juris ad effectum excludendi prætenſam læſionem ſibi illatam ex dicta Tranſactione; ad enucleata in propoſito per *Rot. in deciſ.*25. *per tot. coram Otthobono*.

In eodem ſenſu præterea accipienda eſſe ſuaſit, primò, quod Teſtator, ubi aliquos ex maſculis primis Hæredibus inſtitutis conſideravit adhuc extantes, ex quo ipſos reciprocavit, ſimili expreſſione nihilominus uſus fuit, ibi — *E che Donne in modo alcuno poſſino ſuccedere &c. eſſendoci li maſchj* —; Unde non levis inſurgit præſumptio, quod de maſculis ex maſculo intellexerit, occaſione etiam exponendi conſimilia altera verba ſuperiùs in objecto tranſcripta; juxta regulam, qua edo-
5 cemur, verba uno modo intellecta a Teſtatore in una diſpoſitionis parte, eodem modo intelligenda eſſe in altera, quam in propoſito exornant; *Bartol. in leg. Centurio. num.* 27. *ff. de vulg., & pupill.*, *Surd. conſ.*268. *num.*8., *Manſ. conſult.*201. *num.*25., *Rodulphin. allegat.*95. *num.*13., *Rot. coram bo. me. Molines dec.*1001. *num.*25.

Secundò deinde, quia recognitum eſt, incluſionem maſculorum in prænarratis verbis, de quibus in objecto,
6 conceptam fuiſſe per dictionem *Mà*; Hujuſmodi quippe dictio de ſui natura adverſativa eſt, *Riminald. Jun. conſ.*29. *num.*26., & 27., *Ruin. conſult.* 178. *n.*8. *tom.*2., *Alexand. conſ.*99. *num.*9. *lib.*7., *Manſ.*

*Manſ. conſult.*18. *num.*8. *tom.*1.; Atque ideo operatur, ut retentis iiſdem
7 terminis, & qualitatibus, dici debeant in præcitatis verbis incluſæ illæmet perſonæ, quarum intuitu fœminæ in hac facti ſpecie fuerant priùs excluſæ, & conſequenter maſculi ex maſculis; per ea, quæ examinata importantia ipſius dictionis *Mà* reſolvunt per *Text. in leg. peto §. Fratre, ff. de legat.* 2., *Cyriac. controv.* 400. *num.*121., *Gratian. diſcep. forenſ. cap.*539. *num.*14., *& ſeqq.*, *Torr. variar. quæſt, tit,*8. *queſt.*7. *num.* 81, *tom.*2., *Rot. coram Merlino deciſ.* 669. *num.*10., *& poſt eundem in tract. de legitim. deciſ.*114. *num.*2., *&* 3., *& coram Reverendiſſimo Criſpo deciſ.* 127. *num.* 9.

Tertio loco poſtea validiùs pro eodem amplectendo ſenſu, deductum eſt argumentum, nedum ex Teſtamenti parte conditionali, in qua de ſolis maſculis ex maſculo loquutus fuit Teſtator nulla facta mentione de Deſcendentibus ipſarum fæminarum: Verum etiam ex altera ejuſdem Teſtamenti parte præcepitiva, in qua occaſione injungendi onus aſſumptionis cognominis, & Armorum Domus Urſinæ illud ſolummodò injunxit — *Alle Figliuole di detti Eredi* — primo loco inſtitutorum, nullatenus autem deſcendentibus ex ipſis.

Ex his etenim ſumma ratione non ſolum datum eſt inferre, Fideicommittentem in ſuperius appoſita expreſſione non comprehendiſſe Deſcendentes maſculos ex ipſis Fæminis, utpote efformantes quoddam Perſonarum genus, de quo mentionem non fecit ad excluſionem ulteriorum ſubſtitutorum in parte conditionali; quæ de cætero
8 tuta ſemper, atque fida interpres eſt partis diſpoſitivæ; *Rodulphin. allegat.* 25. *num.*18., *Peregrin. de fideicommiſſ. art.*25. *num.*32., *Rot. deciſ.*26. *num.*6. *part.*7., *deciſ.*9. *num.*20. *part,*11., *deciſ.*235. *num.* 20. *par.*16. *recen.*, *& in Montis Alti Immiſſionis* 17. *Jan.*1721. *§. Ubicunque coram bo. me. Cerro*.

Quin immo eruitur procul dubio, nec etiam de hoc maſculorum genere
9 cogitaſſe, cum ipſi non injunxerit agnationis artificialis renovationem, quod porro non omiſiſſet, ſi verè intellexiſſet antea eoſdem maſculos ex fæminis ad ſucceſſionem invitare, prout tale onus expreſſe injungere non omiſit Perſonis illis, quas ad ſuum Fideicommiſſum vocavit; ex ponderatis per *Rot. coram Cerro deciſ.*630. *num.* 10., *& in recen., deciſ.*218. *num.*10. *par.*11., *& in deciſ.*400. *num.*3. *part.*15.

Indubitanter poſtremò hujuſmodi interpretationem prævalere authumarunt Domini, conſiderando, quod ubi Teſtator de vocatione maſculorum ex fæminis ſollicitus fuit, clarè, & non per verba imperfecta, aut æquivoca eam deſignavit, quemadmodum conſtat in vocatione filiorum Cleriæ; quod egit etiam occaſione invitandi ad ſucceſſionem novas Perſonas in quibuſcunque Teſtamenti partibus, in quibus
10 ſemper legitur verbum *ſuccedino*; Hæc namque diſponendi methodus clariùs etiam probat, tranſcripta in objecto verba non inopportune hic repetenda — ibi — *Mà eſſendoci maſchj, ſiano eſcluſe le femine* — prolata quidem fuiſſe, ut magis magiſque prælatio maſculorum ex maſculis, eorumque reciprocatio pateret, minime vero dat intelligere, eadem verba importare vocationem maſculorum ex fæminis a primis Hæredibus deſcendentibus, quorum reſpectu Fideicommittens non omiſiſſet eadem propria, & perfecta proferre verba ſucceſſionem importantia, quæ protulit reſpectu cæterorum vocatorum, ut ad caſum ratiocinantur, *Rodulphin. allegat.*174. *num.*21., *Rot. deciſ.*991. *num.*7., *&* 8, *coram Emerix Jun*, *& in deciſ.*918. *num.*74., *& ſeqq. coram bon. mem. Molines*.

Hinc propterea ad declinandam vim, & efficaciam argumentorum huc uſque ponderatorum, nihil valuit, vel notare nuper dicta verba de ſuperfluitate, quatenus non operarentur vocationem maſculorum ex fœminis; vel objicere, quod Teſtator injunxit onus aſſumendi Cognomen, & Arma filiis etiam earundem fœminarum. Etenim quoad primum attinet quotieſcunque prædicta verba appoſita dignoſcuntur ad ſimplicem etiam effectum clariùs patefaciendi voluntatem Teſtatoris, ſtan-

ſtantem pro reciproca, & prælativa ſucceſſione maſculorum ex maſculis, minime notari queunt de ſuperfluitate: Ea ſiquidem, quæ efficacius oſtendunt
11 Teſtatorum voluntatem, nunquam ſine operatione dicuntur; *Leg. Baliſta ff. ad Trebell.*, *Rot. coram clar. mem. Cardinali Falconer. deciſ. 37. num. 15.*, *& deciſ. 45. num. 20.*, *& 21. ſub tit. de Fideicommiſſ.*

Quoad ſecundum verò compertum eſt hujuſmodi objectionem carere totali facti aſſiſtentia; quoniam ſedulò examinata Teſtamentaria Diſpoſitione, de qua quæſtio eſt, onus aſſumendi Cognomen, & Arma legitur injunctum filiabus Hæredum inſtitutorum, & filiis Cleriæ ſimpliciter, ut deſuper dictum eſt; de filiis verò fæminarum eorundem Hæredum inſtitutorum ne verbum quidem, ſicuti etiam conſtanter admiſſum fuit in citatis *Deciſionibus 112.*, *& 114.*, penes *Conſtantin. ad Statut. Urb.*, ſuper hoc eodem teſtamento emanatis. Deficiente itaque Fa-
12 cto in hoc propoſito, fruſtra quæritur, qualis potuiſſet eſſe Fideicommittentis voluntas ex eadem Facti circumſtantia, quæ deficit; *leg. ſi ex plagis §. In olivo ff. ad leg. Aquil.*

His autem ſic poſitis, pro eo quod reſpicit prætenſionem dicti Comitis Urſini quoad expetitam ſucceſſionem in enunciato Fideicommiſſo; non minori irrelevantia ſubinde, ad effectum ſaltem excludendi impictam læſionem, viſæ ſunt laborare ſubalternæ præcitatæ ejus prætenſiones: Quandoquidem, dum idem Actor, ſuper Bonis prænarrato Fideicommiſſo ſubjectis contendebat ſibi deberi conſpicuam ſummam ſcutorum ferme 3000. pro reſiduo Dotis Flaviæ Matris, ejuſque fructibus.

Animadvertentes Domini petitionem ſatisfactionis hujus Crediti diu protractam fuiſſe, & poſtquam detectum fuit Patrimonium Julii Conſtituentis, & ultimi Hæredis Gravati, minùs impar pro ſolutione; Hinc deduxere, hanc petitionem ad formale Judicium procul dubio rejiciendam denuo fore,
13 cum in Jure vulgata ſit Propoſitio, minimè locum eſſe actioni ſubſidiariæ deſcendenti a famigerata *Auth. res quæ Cod. Com. de legat.*; quoties Creditor tempore congruo diſtulit petere ſatiſfactionem Crediti dotalis, ſive agatur de ſorte, ut advertunt allegati in *Deciſione*, quæ revidetur *§. 6.*, ſive agatur de fructibus; ut unanimiter firmant *Balduc. ad Ramon. conſ. 1. num. 82.*; *Fuſar. de ſubſtit. quæſt. 531. num. 43.*, *Urceol. deciſ. Florentin. 30. num. 41.*, *Rot. in deciſ. 1278. num. 21.*, *& 22.*, *& in deciſ. 1359. num. 24. coram bon. mem. Lancetta.*

Abſque eo quod negligentia in petendo hoc creditum evitari poſſet, ex eo quod probetur expeditio Mandati uſque de anno 1714. adverſus memoratum Julium: Quia e contra conſtat in facto eundem Julium obiiſſe de anno 1720., nec intermedio hoc tempore docetur, unquam actum fuiſſe pro executione hujus mandati: His vero
14 in circumſtantiis, non ſolum dicta mandati expeditio deſervire non valeret pro excuſatione negligentiæ, ſed potius ejuſdem negligentiæ efficacius ſubminiſtraret argumentum, *Rot. in Interamnen. Cenſuum ſuper reſervatis quoad fructus decurſos ante Annum 1715. 16. Martii 1732. §. Nec. coram R. P. D. Nunez*, *& in illius confirmatoria 25. Januarii 1734. §. 6. cor. R. P. D. Millino.*

Quatenus denique ſæpe nominatus Actor contendebat ſibi obligatum Fideicommiſſum ex Juribus dotalibus Modeſtæ ejus Aviæ, adverſus quam agere potuiſſe proponebatur pro emendatione damni in ſumma ſcut. 4000. ſibi obventi, quia eadem Modeſta non curavit, ut prædicta Maria Magdalena renunciaret Juribus ei competentibus ſuper antedicto Fideicommiſſo, prout aſſerebatur teneri, attenta prætenſa promiſſione ab ipſa emiſſa in Capitulis Matrimonialibus exaratis occaſione Matrimonii a Patre moderni Actoris cum Flavia Urſina contracti.

Illico reſponſum eſt, nullo pacto Modeſtam promiſiſſe ſe curaturam, ut dicta Maria Magdalena renunciare, in quibus terminis forſan promiſſio operaretur, ſaltem ut ipſa adhibere debuiſſet diligentias, ut effectuata remaneret promiſſa renunciatio. Aſt poſtquam

in

in dictis Capitulis dictum fuit, Mariam Magdalenam renunciaturam fore, ſequentibus dumtaxat verbis Apocham Capitulorum ſubſcripſit, ibi — *Io Modeſta Roſanna affermo quanto ſopra* — Quo circa, ſicuti hujuſmodi ſubſcriptio,
15 aut præſefert nudum Teſtimonium alienæ aſſertionis, aut ad ſummum quandam promiſſionem Facti alieni; ita reſolvitur in ſimplicem approbationem renunciationis in caſu, in quo exarata fuiſſet, neutiquam verò operatur, ut Modeſta, vel ejus Hæredes. ex ipſa teneantur ad refectionem prætenſi damni ob renunciationem non ſequutam illati; juxta clare diſpoſita *in §.Si quis alium. Inſtit. de inutilib. ſtipulat.*, *leg. inter ſtipulantem 83. ff. de verbor. obligat.*, quæ Jura appoſitè exornant *Cyriac. controv.103. num.13.*, *Ludovic. deciſ.Peruſin.27. num.8.*, *Rot. coram Buratto deciſ.64.*, *ibique Addcn. n.19.*, *coram Ludoviſ. dec.241. num.8.*, *& coram bon. mem. Molines in dec.630. n.2.* Et ita &c. utraque &c.

CAVALLICEN. FIDEICOMMISSI.

Veneris 13. Aprilis 1736.

ARGUMENTUM.

Subſtitutio a Teſtatore facta in caſu, quo ipſe moriatur cum filiis, qui deinde ſine filiis decedant, evaneſcit ipſo ſine filiis obeunte, ſi ad primum caſum reſtricta dignoſcatur; vel ſi Teſtator utrumque caſum prævidit, & diverſimode diſpoſuit.

SUMMARIUM.

1 *Subſtitutio a Teſtatore facta in caſu tantùm, quo ipſe moriatur cum filiis, qui deinde ſine filiis decedant, evaneſcit ipſo ſine filiis obeunte:*

2 *Dicitur autem in eo unice caſu ſubſtituiſſe, ſi hæredes inſtituerit filios ſuperſtites,*

3 *Et controverſa ſubſtitutio non ſtat independenter, ſed in eadem oratione per copulam—Et—connectitur cum inſtitutione filiorum ſuperſtitum,*

4 *Eſtque concepta cum verbis illativis, & reſtrictivis ad illum caſum, prout ſunt illa* — Delli detti miei figli —.

5 *Subſtitutio facta in defectum filiorum habet locum tam in caſu; quo Teſtator moriatur cum filiis, qui deinde ſine filiis decedant, quam in caſu, quo Teſtator ſine filiis decedat:*

6 *Quod tamen verum eſt, ſi Teſtator ſimpliciter diſponat in caſu obitus cum filiis, non procedendo ad alium caſum, quo ſine filiis decedat:*

7 *Secus verò quando de utroque cogitavit, & diverſimodè diſpoſuit;*

8 *Præſertim ſi extenſo priùs Teſtamento, & utroque caſu diſtincto, ſubſtitutio ſubinde per apoſtillam addita fuerit uni tantùm caſui;*

9 *Ac maxime ſi Teſtator erat Juriſconſultus.*

10 *Supradicta autem procedunt etiamſi per vocatos in controverſa ſubſtitutione conſervare voluit Teſtator agnationem artificialem.*

11 *Inveriſimilitudinis ratio habenda non eſt, quando contraria voluntas Teſtatoris eſt clara.*

12 *Plures ſubſtitutiones longa ſerie ordinatæ etiam intuitu agnationis, & cauſæ piæ, ſi ab aliqua conditione, vel caſu dependeant, eo non eveniente evaneſcunt.*

13 *Novum non eſt, quod fideicommiſſi gravamen imponatur Proximioribus, & bona remaneant libera penes remotiores:*

14 *Prout non eſt omnino inveriſimile, quod Teſtator voluerit artificialem renovationem agnationis, ubi naturalis inceperit in deſcendentibus; & quod viceverſa ubi hæc non inceperit, de illa non curaverit; & hæc ratio exuberat, ut ſubſtitutio ad unum caſum reſtricta ad aliũ non extendatur.*

DECISIO LXV.

INſtantia, quam Spiritus Michael Dureaù vivens promovit, & ſubinde, eo defuncto, proſequutus fuit Franciſcus Dureaù ejus hæres, ſuper immiſſione in poſſeſſionem bonorum hæreditariorum Joſephi de Martin in vim Fideicommiſſi ab iſto ordinati in Teſtamento condito die 8. Octobris 1697. contra Mariam Margharitam de Blanc, uti hæredem Teſtamentariam Claudii de Martin Fratris, & reſpectivè hæredis ſupradicti Joſephi Teſtatoris, conſtanter

ter rejecta remanſit tribus conformibus Judicatis, altero videlicet Officialis Curiæ Epiſcopalis Cavallicen., altero A. C., & tertio demum hujus Sacri Tribunalis coram Rm̃o P. D. meo Calcagnino Decano, præviis duabus egregiis Deciſionibus editis diebus 4. Februarii, & 6. Junii ſuperioris An. 1735.

Cumque Cauſa in gradu ulterioris appellationis ex reſcripto plenæ Signaturæ, & ad inſtantiam recenſiti Franciſci mihi commiſſa fuerit, propoſui hodie, informante tantùm Margharita Rea conventa, conſuetum Dubium — *An conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum* — ac Domini reſponderunt — *Conſtare de re judicata* —

Et jure quidem merito, quia dictæ rei judicatæ juſtitia nimis evidenter
1 apparuit ex eo, quod vocatio, ſive ſubſtitutio Spiritus Michaelis, ejuſque Deſcendentium unice facta fuit a Joſepho Teſtatore in eo caſu, quo ipſe deceſſiſſet cum Filiis, & inde iſti ſine filiis deficiſſent; proindeque cum hic caſus non evenerit, dum idem Teſtator obiit ſine Filiis; hinc patet eundem Spiritum Michaelem, ejuſque Deſcendentes nil petere poſſe ex hæreditate antedicti Teſtatoris in vim vocationis, ſeu ſubſtitutionis in ejus Teſtamento appoſitæ; Cum iſta ob non ſequutam purificationem caſus, & conditionis, ſub qua concepta fuit, defecerit, ac evanuerit, & habeatur, acſi nunquam ſcripta fuiſſet; *l. ex facto 17. ff. ad Trebell., Alexand. conſil. 1. a num. 9. lib. 1., Roland. conſ. 58. num. 17. lib. 3., Rot. cor. bon. mem. Lancetta dec. 337. n. 3., & cor. clar. mem. Card. Falconer. de Fideicom. dec. 13. n. 1., & in rec. dec. 116. num. 10. part. 13., & firmat utraque deciſio Rm̃i Decani, & ſignanter ſecunda §. Obſervatum*.

Quod autem enunciata Spiritus Michaelis ſubſtitutio concepta ſit in caſu ſupra deſignato deprehenditur ex eo,
2 quod d. Teſtator ſibi ſcripſit hæredes filios — *che ſi troveranno viventi in tempo della mia morte* —; Et hiſce ſuperſtitibus Filiis ſine liberis decedentibus primo loco ſubſtituit Claudium Fratrem, & inde ſuprad. Spiritum Michaelem, ejuſque deſcendentes ſub his verbis — *Ed in mancanza delli dd. miei Figli, e del d. Claudio de Martin mio Fratello, Io chiamo, e ſoſtituiſco in tutti li miei ſudetti beni in virtù dell' iſteſſa ſoſtituzione, come ſopra il d. Sig. Dureau mio Nipote &c.* Unde ſi Teſtator filios viventes, & ſuperſtites inſtituit hæredes, palam eſt, eundem ad hunc caſum reſtrinxiſſe ſupradictam ſubſtitutionem Spiritus Michaelis, ejuſque deſcendentium, ex bene deductis *in Deciſionibus Rm̃i Decani*, nempe *in prima §. Ideoque, & in Secunda §. Siquidem*.

Nec ſubſiſtit, quod hæc ſubſtitutio ſtet de per ſe, & ſit indeterminata, ideoque reſtringi nequeat ad dictum caſum obitus Teſtatoris cum filiis; quia dilucidè apparet contrarium ex ſupra relatis ver-
3 bis, non ſolùm quia eadem ſubſtitutio in una, eademque oratione, ſive tenore diſpoſitionis connectitur, mediante copula — *Et* — cum d. Inſtitutione filiorum ſuperſtitum — *e che ſi troveranno viventi nel tempo della mia morte* — Sed etiam ex quo eadem ſubſtitutio concepta eſt
4 verbis illativis, & reſtrictivis ad illum caſum, ut ſunt ea — *delli detti miei figli* — & rurſus — *in virtù della ſteſſa Soſtituzione, come ſopra* — quæ eſt illa ſubſtitutio Claudii Fratris, facta etiam in prædicto caſu obitus Teſtatoris cum filiis: in quibus circumſtantiis ſemper ſubſtitutio dicitur dependens atque reſtricta ad caſum ſupra expreſſum, & non indeterminata, & de per ſe ſtans; *Alexand. conſ. 139. num. 1., & ſeq., Ruin. conſ. 102. n. 21. lib. 2., latè Rota Diverſor. dec. 568 n. 3. & 4. part. 1., & egregiè de more firmat utraque deciſio Rm̃i Decani Prima §. Reſtrictionem, & ſeq., Secunda §. Militat ſiquidem*.

Minimè refragante, quod admiſſa etiam reſtrictione recenſitæ ſubſtitutionis ad caſum obitus Teſtatoris cum filiis, adhuc ex hoc, quod Teſtator deceſſerit ſine filiis, non remaneat excluſus illius effectus, cum dicta verba, ſive
5 conditio — *Ed in mancanza* — verificata remaneant tam in caſu, quo Teſtator decedat cum filiis, & ſucceſſivè iſti ſine filiis decedant, quam in altero caſu, quo idem Teſtator decedat abſque filiis, *juxta Theoric. Socin. in l. Solemus ff. de* con-

condition., *& demonſtrat.*, *quam repro-*
bato Oldrad. contrarium ſentiente in
*conſ.*177., ſequuntur communiter *DD.*,
& hoc Sac. Tribunal, ut habetur *in An-*
conitana Concurſus 5. *Februarii* 1734.
§. *Cum autem coram Reverendiſs. Cal-*
cagnino Decano.

Hoc namque unicè procedit, quotieſ-
cunque Teſtator prævidit, atque diſpo-
6 ſuit in dicto primo caſu obitus cum filiis,
non procedendo, nec diſponendo aliter
in altero caſu, quo ſine filiis decederet:
Tunc enim quemadmodum in caſu exi-
ſtentiæ, & ſucceſſivæ deficientiæ filio-
rum ſine liberis voluit dari ſubſtitutum;
ita quoque præſumitur, illum dare vo-
luiſſe in enunciato altero caſu non exi-
ſtentiæ; cum non ſit aſſignabilis ratio,
quare potius ſubſtituere voluerit in uno
caſu, quam in altero; juxta animadver-
ſa *per Facchin. contr. Jur. lib.*4. *cap.*46.,
*Caſtill. contr. Jur. cap.*49. *n.*12., *Card.*
*de Luc. de fideicomm. diſc.*91. *num.*6., *&*
firmant Deciſiones Reverendiſs. Decani,
Prima §. *Utcunque*, *& Secunda* §. *Pa-*
remque.

Verùm in ſubjecta hypotheſi Teſta-
tor prævidit, ac diſpoſuit etiam in al-
7 tero caſu, quo ipſe decederet abſque
Filiis; & in iſto purè, & ſimpliciter,
& abſque ulla penitus repetitione ſu-
pradictæ ſubſtitutionis Spiritus Michae-
lis, ejuſque Deſcendentium, quemad-
modum fecerat in primo caſu obi-
tus cum filiis, inſtituit, & ſibi ſcripſit
hæredem univerſalem Claudium Fra-
trem, ibi -- *Evenendo il caſo*, *che Io*
moja ſenza Figli legittimi, *e naturali*
fò, *iſtituiſco*, *e di mia propria bocca no-*
mino mio Erede univerſale ſolo, *e per il*
tutto il Signor Don Claudio de Martin
Sacerdote, *e Canonico della Chieſa Ca-*
tedrale di Carpentras mio caro Fratel-
lo --: Ideoque cum in hiſce terminis
clare nimis pateat, Teſtatorem in hoc
ultimo caſu nullum voluiſſe eidem
Claudio dare Subſtitutum, dum, ſi hoc
voluiſſet, expreſſiſſet, ut fecit in primo
caſu; ſequitur inde in hoc ſecundo non
eſſe admiſſibilem, atque recipiendam
ſupra enunciatam *Soccini Theoricam*,
ſeu præſumptam voluntatem Teſtatoris,
quæ ſemper ceſſat, ubi conſtat de ejus
voluntate in contrarium; nec ullam
eſſe faciendam extenſionem de caſu ad
caſum, ut diſtinguendo tradunt *Ger.*
*Spin. conſil.*12. *n.*10., *& ſequen.*, *Can-*
*cer. var. reſolut. lib.*1. *tit. de Subſtitut.*
*num.*179., *Mantic. de tacit. lib.*2. *tit.*7.
*n.*6., *&* 7., *latè adden. ad dec.*320. *n.*122.
& pluribus anteceden., *& ſubſequen.*
*par.*9. *rec.*, *Rot. dec.*222. *n.*15. *par.*5., *&*
*dec.*114. *n.*10., *& plur. ſequen. par.*13.
rec., *cum aliis Concordantibus tam in*
prima Deciſione Rm̃i Decani §. *Ubi verò*,
& §. *Ideoque*, *quam in Secunda* §. *Siqui-*
quidem, *&* §. *Cum enim*.

Quod tranſit in evidentiam ponde-
rando, quod recenſitus Teſtator prius
8 condidit teſtamentum, ac devenit ad
ſupra enunciatatam diſpoſitionem ha-
bito reſpectu ad ſæpedictos binos caſus
obitus cum Filiis in uno, & obitus ſine
Filiis in altero; & in primo, ut dictum
eſt, ſuos Hæredes inſtituit Filios ſuper-
viventes cum Fideicommiſſo perpetuo
favore eorum Deſcendentium Maſcu-
lorum, & inde Fæminarum per viam
regularis Primogenituræ, & in illorum
defectum ſine Filiis ſubſtituit Claudium
Fratrem; in ſecundo verò caſu obitus
ſine Filiis, ut pariter dictum eſt, inſti-
tuit liberum hæredem eundem Clau-
dium Fratrem, & in hoc ſtatu, & dicto
jam extenſo Teſtamento Teſtator ex-
poſt ſuperaddidit per viam Apoſtillæ
ſubſtitutionem ſupradicti Spiritus Mi-
chaelis, ejuſque Deſcendentium, illam-
que collocavit in primo caſu obitus
cum filiis, nil penitus ſuperaddendo li-
beræ, atque inferiori inſtitutioni Fra-
tris conceptæ in altero caſu obitus ſine
Filiis: quibus ſtantibus, eo magis appa-
ret, Teſtatorem procedendo, ut ſupra,
noluiſſe habere locum præfatam ſubſti-
tutionem in eo caſu, quo ipſe abſque fi-
liis decederet, ſed voluiſſe, ut Claudius
Frater hæres remaneret abſque ullo
onere aliis ſuam hæreditatem reſtituen-
di; recurrente, quod ſi contrarium vo-
luiſſet, ſupradictam Apoſtillam, ſive
ſubſtitutionem collocaſſet etiam in hoc
ultimo caſu, ex bene firmatis *in utraque*
Deciſione Rm̃i Decani in Prima ſcilicet
§. *Diverſitatem*, *& in ſecunda* §. *Cum*
enim, *&* §. *Militat ſiquidem*.

Maximè inſpecta qualitate Teſtato-
ris, qui erat Juriſconſultus diligentiſ-
ſimus,

9 ſimus, & in ſtatu optimæ valetudinis, dum totum teſtamentum proprio caractere ſcripſit, & potuit illud maturè ponderare, quia non ſtatim conſignavit Notario, ſed per ſeptem dies penes ſe retinuit, quod magis ſuadet, non aliter ſupradictam Apoſtillam ſubſtitutionis D. Spiritus Michaelis appoſuiſſe in primo ex recenſitis caſibus, niſi quia voluerit firmiter, ac maturè illum non ſuccedere in dicto altero caſu, ut hac qualitate Teſtatoris conſiderata, firmavit *Rota in Maceraten. Legatorum, & Fideicommiſſi 18. Junii 1710. §. 16., & 17. cor. bon. mem. Anſaldo*.

Quin urgeat, quod Teſtator vocaverit, ac ſubſtituerit Spiritum Michaelem
10 Nepotem, ejuſque Deſcendentes in perpetuum ad finem artificialiter renovandi ejus agnationem, ut deſumitur ex illo onere — *col peſo però di aſſumere egli, e ſuoi Deſcendenti in perpetuo il mio nome, o le mie Armi ſenza altro nome, ne armi ſotto pena della privazione de' miei Beni ipſo facto ſenz' altra dichiarazione* — Et per conſequens ex omni parte inveriſimile ſit, quod id potius voluerit in dicto caſu prædeceſſus cum Filiis, quam in altero ſine Filiis.

Siquidem hìc clara ſunt, & expreſſa verba Teſtamenti, unde ab illis non eſt
11 recedendum propter aliquam inveriſimilitudinem, quæ attendi non meretur, quando clara eſt in contrarium voluntas Teſtatoris: Nam novum non eſt, imo paſſim, & quotidie evenit, multas
12 ſubſtitutiones longa ſerie ordinatas etiam intuitu agnationis, & Cauſæ Piæ, dependenter tamen ab una conditione, vel caſu, illo non eveniente, penitus evaneſcere; ſicuti conſtat *ex deciſ. 820. num. 1. per tot. cor. Buratto, & dec. 712. n. 3., & ſeq. coram Cerro, & in recent. dec. 158., & dec. 221. n. 1., & ſeq. par. 5., & dec. 272. num. 12., & ſeqq. part. 6.*,
13 Quodque Fideicommiſſi gravamen in uno caſu adjectum ſit Proximioribus, & in alio bona remaneant libera in Remotioribus; prout ſupradicto objecto aliàs reſpondit *Rot. cor. bon. mem. Lancetta dec. 217. num. 13.*

Itidemque non eſt adeo inveriſimile, & a recta ratione alienum, quod Teſtator ſollicitus fuerit de renovanda civiliter agnatione in Deſcendentibus Spiritus Michaelis ejus ex Sorore Nepotis, ubi illa ſemel naturaliter incepiſſet in propriis Filiis, ac Deſcendentibus; quodque in caſu contrario, quo illa naturaliter non inciperet in propriis Filiis,
14 nec etiam curaverit de illius artificiali renovatione; ſed melius duxerit liberam facultatem diſponendi dilectiſſimo Fratri relinquere; & hæc ratio diverſitatis connaturalis de cætero, quæ potuit eſſe in mente Teſtatoris, exuberat, ut ſupradicta ſubſtitutio ad unum caſum reſtricta non extendatur ad alium de diametro contrarium. *Ger. Spin. d. conſ. 12. num. 10. cum duobus ſeq., Gratian. diſcept. 586. num. 41., Rota in rec. dec. 635. n. 15. par. 19., & bene obſervat ſecunda Deciſio Rmi Decani §. Conſtito itaque*.

Et ita Domini approbantes reliqua egregiè deducta, ac perpenſa in ſæpedictis binis Deciſionibus Rmi P.D. Decani cenſuerunt, informante tantum Maria Margharita, non comparente autem in hac ulteriori Inſtantia Franciſco Dureaù, etſi pluries monito &c.

MELEVITANA SOCIETATIS.

Die Lunæ 16. Aprilis 1736.

ARGUMENTUM.

Contractus Societatis, & aſſecurationis certi lucri, etiamſi unus ex Sociis ponat ſortem, alter induſtriam, valent, tam ſi ſeparatim fiant, quam ſi conjunctè; modo tamen taxatio certi lucri uſque ab initio exceſſiva non fuerit, habita ratione lucri ex Societate proventuri. Trinus contractus an validus ſit, ſaltem quando agitur cum mercatore? remiſſivè.

SUMMARIUM.

1 *Sententia valida, & juſta eſt confirmanda, & mandatum in ejus vim relaxatum eſt exequendum.*
2 *Inter ſocios commune eſſe debet damnum, & lucrum.*
3 *Inſtantanea correctio eſt evitanda, & vitium a ſtipulatione, quoad fieri poteſt, avertendum.*
4 *Mutuum palliatum facilius excluditur in negotiatore.*

5 *Una Inſtrumenti pars alium declarat, maximè ubi agitur de excludendo delicto.*
6 *Congrua congruis referenda ſunt.*
7 *Res intelligendæ ſunt juxta ſubjectam materiam.*
8 *Negotiatores damnum appellant amiſſionem lucri.*
9 *Verba generalia, immo etiam univerſalia reſtringuntur ad contenta in diſpoſitione, cui immediatè cohærent.*
10 *Trinus contractus an valeat? Quid ſi fiat cum mercatore, & lucrum ceſſum ſit pretium proportionatum Aſſecurationi ſortis, & certi lucri?*
11 *Contractus ſocietatis, & aſſecurationis certi lucri, etiam ſi unus ex ſociis ponat ſortem, alter induſtriam, valent, tam ſi ſeparatim fiant, quam ſi conjunctè, & num. ſeq.*
12 *Contrario in hoc ſecundo caſu procedente, quando taxatio certi lucri eſſet uſque ab initio exceſſiva, habita ratione lucri ex ſocietate proventuri.*
13 *Per mortem ſocii finitur ſocietas, ſicuti per lapſum anni, quando eſt annualis;*
14 *Utroque tamen caſu ex partium, vel hæredum conſenſu tacito, vel expreſſo poteſt prorogari.*
15 *Allegans obærationem debet eam concludenter probare.*

DECISIO XLVI.

PRomulgata per Rmum P. D. Aſſeſſorem SSmæ Inquiſitionis ſententia de Voto hujus Sacri Tribunalis edito prævia *Deciſione Rmi P.D. Decani evulgata ſub die 13. Maii elapſi anni*, relaxatoque mandato pro ſumma ſcutorum mille in ſorte, & pro fructibus tam decurſis, quam decurrendis uſq; ad effectivam illius reſtitutionem contra Joannem Antonium Ciantar, adhuc idem non deſiſtens a ſua prætenſione, quas alias ſibi blandiebatur contractum Societatis initum inter Joſephum ejus Patrem, & Maximilianum Balſanum non ſuſtineri tanquam uſurarium, fructuſque ultra ſortis quantitatem ſolutos ſibi reſtituendos eſſe, curavit novam mihi dirigi commiſſionem: unde hodie propoſito dubio: *An ſententia lata, & mandatum relaxatum de Voto Sacræ Rotæ ſit confirmandum, & reſpective exequendum in caſu &c.* reſponſum eſt unà mecum a Dominis in ordinario Turno ſedentibus — *Affirmativè in omnibus* —

De validitate namque tam memoratæ ſententiæ, quam prædicti mandati nulla inter Partes intercedit controverſia. Juſtitia verò reſultat ex luculenter deductis in præcitata *Deciſione Rmi P. D. Decani*: Proinde dubium non eſt,
1 quin illa ſit confirmanda, & iſtud exequendum, ut alias reſpondit hoc Sacrum Auditorium in *dec.286.in principio cor.Royas, in dec.165., & 235.utrobique n.1. par.13.rec., & in dec.492. n.1., & dec.514. n.8. p.19. rec.*

Incaſſum autem propoſitum eſt, quod ſi a Partibus, & præſertim poſt conventam in Inſtrumento Societatis ad an-
2 num duraturæ participationem utilium, atque damnorum juxta leges perfectæ Societatis, deventum fuit ad alteram conventionem, ut Balſanus, qui ſcuta mille numeraverat, eadem ipſa ſcuta mille abſque ulla prorſus contradictione aſſequi deberet in fine anni unà cum certo, & uniformi fructu ſcutorum quinquaginta, hinc nil amplius deſiderari queat ad probandam Societatem ad *caput ſalvum*, conſequenterque contractum, de quo quæſtio eſt, fuiſſe mutuum palliatum titulo Societatis omnibus legibus exoſum.

Iterum namque non diſſimilis poſtrema hæc conventio conſiderari potuit a prima pro eo, quod pertinet ad reſtitutionem ſcutorum mille: Promiſſio quippe de illis in fine anni reſtituendis appoſita in hoc ſecundo Inſtrumenti capite, utpote nullam præſeferens obligationem manutenendi eandem ſortem ſalvam, intelligi debet facta ſub conditione, ſi illa non deperierit; ut ſic evi-
3 tetur inſtantanea correctio, & ad civilem ſenſum, vitioque carentem reducatur ſtipulatio, quemadmodum fieri debere ultra allegatos *in Deciſione præcedentis inſtantiæ* §.14., docet in terminis *Rot. in dec.763. n.11., & ſeq. p.1. diverſor.*, Atque ideo extra omnem dubitationem eſt, exulare ab hac hypotheſi terminos mutui palliati, & ne-
4 gotium verſari in terminis legitimæ Societatis; eo ſignanter præ oculis habito,

quod

quod Ciantar publicus negotiator erat, atque adapertam negotiationis intuitu Tabernam retinebat; ut ſolidè probat *Deciſio præcedentis inſtantiæ* §.6.

Quam interpretationem eo libentiùs amplectendam cenſuerunt Domini, ponderando, quod in priori inſtrumenti parte adhuc in eadem determinata ſumma conventa fuit reſtitutio ſcutorum mille ſortis, & hoc non obſtante Partes non intellexerunt, imminutionem ejuſdem ſortis cedere potiùs debere damno unius, quam alterius, aſt communem eſſe, ut immediatè declararunt ibi — *& in caſo di perdita ciaſcheduno di loro debba participare per metà* — Procul dubio itaque hanc conditionem tacitè cenſeri repetitam in d. poſteriori parte inſtrumenti authumarunt, ad re-

5 gulam, qua edocemur, unam inſtrumenti partem ab altera declarari, conventionemque uno modo intellectam in una Inſtrumenti parte, eodem modo data compatibilitate accipi, & intelligi debere in altera, maximè ubi agitur de excludendo delicto, prout hic; per ea, quæ ad ornatum ejuſdem regulæ firmant — *Bartol. in l. fin. ff. de reb.dub., Altograd. conſ.60.n.114.lib.1., & conſ. 12.n.31. lib.2.; Barz. dec. Bonon.73. n.14., Rot.cor.Buratt. dec.272. n.8., & cor Emerix jun. dec.594.n.15.*

Quin difformem contrahentium mentem in hac ſecunda inſtrumenti parte ſuadere potuiſſet ſubalternus ille diſcurſus videlicet, quod ſi in eadem conventum fuerat tam lucra, quam damna *nella negoziazione di eſſi ſcudi mille* integrè ſpectare debuiſſe ad Ciantar., innegabilis propterea ſit promiſſio ſortis ſalvæ, quia damnum verificari nequeat niſi reſpectu amiſſionis ſortis, nunquam verò reſpectu amiſſionis lucri:

Nulla enim intercedit difficultas, quin Ciantar publicus fuiſſet negotiator, ut ſuperiùs etiam dictum eſt; minuſque dubitari poteſt, quin in dicta poſteriori Inſtrumenti parte, ubi ipſe in ſe aſſumpſit omnia damna, & lucra, ibi res eſſet de aſſecuratione certi annui, & moderati lucri, quam voluit Balſanus, ceſſa de cætero medietate totius lucri incerti retrahendi ex negotiatione ſortis favore ipſiuſmet Ciantar: Quamobrem con-

6 grua congruis referendo, ſicuti in materia interpretationis voluntatis faciendum monent *Gloſſ. in l. ſi negotium 76. verbo Paſtorum Cod.de negot.geſt., Bartol.in l. fin. §.Idem quæſiit. ff. de condict. indebit., Rot.cor. Merlin.in dec.829. n. 9., in rec. dec.128.n.14.p.16., & cor. bon.mem.Anſald. in dec.90. n.24.*

Compertum eſt, aſſumptionem totius damni,& lucri a Ciantar factam occaſione ceſſionis habitæ de toto lucro incerto, minimè trahi poſſe ad promiſſionem ſortis ſalvæ, bene verò referri ad damnum, quod fortè contingere poterat ex lucro non facto, tum ratione ſu-

7 bjectæ materiæ, de qua in hac inſtrumenti parte diſponebatur, nimirum de ceſſione lucri, tum ratione qualitatis perſonæ ipſiuſmet Ciantar, qui utpote

8 Mercator adeo facilis erat ad concipiendam ſpem lucri, ut vix cogitando de triſti eventu poſſibilis jacturæ ſortis damnum appellaverit, quidquid lucri deperire ei potuit; *Covaruv. variar. reſol.lib.3. cap.2.n.2., cum aliis laudatis in citata Deciſ. præcedentis inſtantiæ* §.15.

Indeque fruſtra replicabatur, hujuſmodi regulis locum in præſenti non eſſe, attenta nimia verborum generalitate, quibus ſuſceptio damni concepta fuit in ſæpedicto ſecundo inſtrumenti capite: Quia eſto, quod verba ſint generalia, illud tamen ex facto certum eſt, in litera hujus ſecundi capitis Inſtrumenti ſolummodo actum eſſe de prænarrata ceſſione medietatis lucri incerti, quæ alioquin ad Balſanum pertinuiſſet, cui in recompenſationem promiſſa fuere ſcuta quinquaginta quolibet anno: Quapropter illud æquè in jure abſolutum eſt, præcitata verba reſpicientia aſſumptionem omnium damnorum a Ciantar ſuſceptam reſtringenda eſſe ad eam damni ſpeciem, quæ in ceſſatione lucri conſiſtit, juxta regulam, qua cautum habemus,

9 verba quantumvis generalia, quin & univerſalia, reſtringi, & intelligi debere juxta contenta in diſpoſitione, cui immediatè cohærent; ut in terminis tradit *Rot.in dec.304.n.3.verſ.non obſtat p.2.rec., in dec.77. n.2., & ſeq.cor.bon. mem. Molin., & in dec.101. n.2. cor. eodem.*

His verò ſic poſitis, meritò Sacrum Au-

Digitized by Google

Auditorium cenſuit, denuo ſibi abſtinendum eſſe a Deciſione quæſtionis, utrum
10 contractus trinus, ſocietatis ſcilicet, & aſſecurationis tum ſortis, tum certi lucri licitè fieri poſſit, qnod negant ad mentem *Conſtitutionis ſan. mem. Sixti V.* 45. *Bullar. Roman.*, *Card. de Luc. de uſur. diſc.* 1. *per tot.*, *Roec. diſp. jur. cap.* 99. *pariter per tot.*, *bon. mem. Taurus in ſuo Vot. impreſſ. in Mantiſſ. ad Card. de Luc. diſc.* 1. *n.* 21., & 22. *lib.* 5. *tom.* 1. & alii plena manu pro hac ſententia relati in *Melevitana Pecuniaria* 11. *Febr.* 1718. §. *Quin. coram Illmo R.P.D. Corio Urbis Gubernatore*.

E contra autem, quando hujus generis contractus verè initus fuit cum Mercatore de facto negotiationem exercente, & concludenter probari poteſt ceſſionem totius lucri ſocietatis factam conſocio fuiſſe pretium congruum, & proportionatum pro aſſecuratione ſortis, & certi lucri, ſuſtineri tuentur *Navarr. in* 14. *quæſt.* 3. *n.* 32., & *in Manual. cap.* 17. *n.* 254., & *ſeq.*, *Giballin. de uſur. lib.* 2. *cap.* 3. *art.* 1. *per tot.*, *Duard. de Societat. lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 6. *n.* 16., & *ſeq.*, *Panimoll. dec.* 152. *annot.* 2. *n.* 13., & *ſeq. p.* 3., *Rot. Rom.*, & *Senat. Mantuan. in Deciſionib. regiſtrat. per Bonden. in obſerv. ad cap.* 48.

Siquidem in hac facti ſpecie duo tan-
11 tùm initi leguntur contractus, Societatis nimirum, & aſſecurationis certi lucri, qui ſi ſeparatim conventi, etiamſi in Societate unus ſortem poſuiſſet, alter verò induſtriam, exempti ſunt ab omni pravitate, ut probat *Deciſio Rmi Decani a* §. 4., & *ſeq.*, nulla ratio ſuadet, ob quam unitim facti improbari debeant, quemadmodum proſequuntur *Covarruv. variar. cap.* 2. *num.* 2. *in* 1. *Concluſ.*, *Leotard. de uſur. cap.* 31. *n.* 14., *Carleval. de Judic. lib.* 1. *tit.* 3. *diſput.* 7. *n.* 19., & 20. *verſ.*, & *quæ duobus* cum aliis concordantibus allegatis *in cit. Deciſ.* §. 9.

Et ſanè non refragantibus authoritatibus *Leotard. de uſur. q.* 31. *n.* 17., & 18., *Card. de Luc. de uſur. diſc.* 1. *n.* 7., *Rocc. diſp. jur. cap.* 99. *n.* 15., & 20., & *Rotæ in dec.* 186. *n.* 6., & *in dec.* 201. *n.* 2., & 5. *cor. Millino*; quarum præſidio contendebatur, ſocietatem in hacquoque hypotheſi infectam labe uſuraria videri, utpotè quia lucrorum taxatio contemporaneè, & non ex intervallo facta fuit.

Quandoquidem quidquid dicendum foret, ubi ageretur de annua taxatione lucrorum veriſimiliter uſque ab initio exceſſiva, habito reſpectu ad lucra ex ſocietate perventura, in quo ſuppoſito loquuntur authoritates in objecto alle-
12 gatæ: Quoties tamen taxatio certi lucri exceſſiva non comperitur, prout revera in præſenti caſu de exceſſivitate notari nequit, ex quo in Inſula Melitenſi ob multiplices Inveſtimentorum occaſiones, Mercatores de facili, & paſſim lucrari ſolent longè majus emolumentum, quam conſtitueret annuus reditus ſcutorum quinque pro centenario; ut alias recognovit hoc Sacrum Tribunal *in Melevitana Pecuniaria* 10. *Martii* 1719. §. *Aſt peccabat cor. Illmo Corio Almæ Urbis Gubernatore*.

Profectò in his terminis, & præciſivè ab aſſecuratione ſortis, ſive conventio ſuper certo annuo, & honeſto lucro per viam tranſactionis fiat contemporaneè, & in ipſo inſtrumento ſocietatis, ſive, fiat ex intervallo, & poſtquam de fructibus tutior cognitio haberi potuit a contrahentibus, prout requirere videntur authoritates in objecto allegatæ, par in utroque caſu ratio eſt, nec uſurariæ pravitatis ſuſpicione notari valet contractus, qui procul eſt ab aſſecuratione ſortis, & ſolius lucri juſtam, & æquam aſſecurationem continere apparet per quandam ſpeciem venditionis, ſeu tranſactionis ſuper eodem futuro, incertoque lucro; ut explicant idem *Card. de Luc. de uſur. diſc.* 3. *n.* 4., *Mantic. de tacit.*, & *ambig. convent. lib.* 6. *tit.* 6. *n.* 11., *bon. mem. Anſald. de commerc. diſc.* 67. *n.* 28., & 29., *Caſareg. eod. tract. diſc.* 44. *n.* 9., *Thomat. dec.* 131. *n.* 43., & 44., *Rot. in rec. dec.* 304. *n.* 7., & *ſeq. p.* 2. *rec.*, & *in dec.* 70. *n.* 3., & *ſeq. cor. Coccin.*

Debilius tandem cæteris recognitum eſt aliud Jo: Antonii Ciantar aſſumptum, dum infringere cogitabat juſtitiam ſuperiùs enunciatæ ſententiæ in hac cauſa proditæ eo ſub obtentu, quod ſocietas, de qua quæſtio eſt, vel diſſoluta re-
13 manſiſſet per obitum Maximiliani Balſani, qui ex hac vita migravit ante finem

nem anni, intra quod durare debebat ſocietas ex Partium conventione; vel ſaltem poſt annum a die, quo inita fuit, utpote ad damnum ſimpliciter contracta; ad notata in propoſito utriuſque caſus per *Felin.de Societat.cap.35.n.37., Gratian.diſcept.forenſ.852.n.1., Gobb. conſult.deciſio 78.n.3., Rot.Januen. dec. 27.n.6., & in Romana Pecuniaria, ſeu Reintegrationis 27.Junii 1735.§.3.cor. R.P.D. Peralta.*

In facto namque conſtitit non ſolum de prorogatione hujuſmet ſocietatis petita,& obtenta per Joſephum Ciantar ab hæredibus Maximiliani Balſani uſque ad annum 1720., quo ſupervixit ipſe Joſeph; ſed etiam de alia ſimili prorogatione impetrata ab illius filiis, & hæredibus, quorum alter eſt præcitatus Joannes Antonius, a quo ulterius ab anno 1726. ad alios plures ſubſequentes annos abſque ulla contradictione ſoluti fuerunt integri fructus totius ſortis in vim tranſactionis antecedenti anno 1725. initæ cum ejus germano
14 fratre: Quocirca in his circumſtantiis unicuique datum eſt intelligere, fruſtraneum omnino eſſe proponere exſpirationem ſocietatis finito anno, intra quem primordialiter fuit contracta, utpote quæ nedum ex factis poſitivis, verùm etiam ex conjecturis prorogata cæteroquin probatur: *Menoch. de præſumpt.lib.3.præſumpt.56. num.4., Mantic. de tacit.lib.6.cap.23. num.21., Thomat. dec.188. num.4., Rot. cor.bon. mem.Molines dec.1125. num.1.tom.4.*

Nullatenus ſubſiſtente, quod prædictæ prorogationes, ac reſpectivæ fructuum ſolutiones potius tribuendæ ſint inopiæ, & proximæ decoctioni, cui ſubjecta erat hæreditas D.Joſephi Ciantar, cujus cauſa ad ſolutionem ſortis devenire noluerunt ejus hæredes, quam animo deliberato prorogandi ſocietatem; prout deduci contenditur ex depoſitionibus eorundem Teſtium adductorum pro parte illorum de Balſanis ad probandam prorogationem ſocietatis;

Sedulò enim perpenſis dictis Teſtium depoſitionibus, ex ipſis erutum quidem eſt, quod de tempore, quo petitæ fuere prorogationes, effectus hæreditarii adhuc implicati erant in negotiis a patre vivente exercitis cum retentione publicæ Tabernæ, nunquam verò deduci potuit, eandem hæreditatem obæratam fuiſſe, atque ideo hujus decoctionis cauſa ſolutionem ſortis fieri nequiviſſe; quæ
15 obæratio de cætero ad hunc effectum concludentiſſimè probanda eſſet ab ipſo Ciantar, qui illam allegat juxta regulam ad caſum exornatam per *Alexand. conſ.133.in fin., Veſtr.in prax.Rom.Curiæ lib.8. cap.1. num.7., Matheſilan.ſingul. 17. num.1., Fenzon.ad Stat.Urb. in annot. ad cap.191. num.43.*

Et ita utraque parte &c. reſponſum fuit unà cum ſuffragio mei Ponentis, approbatis in reliquis fundamentis Deciſionis præcedentis inſtantiæ.

FOROLIVIEN SUCCESSIONIS.

Veneris 4. Maii 1736.

ARGUMENTUM.

Tam de jure communi, quam ſtatutario Forilivii legitima matris in bonis filii eſt tertia portionis inteſtatæ fratribus cum effectu ſuccedentibus. Quomodo ex eodem ſtatuto regulanda ſit ſucceſſio matris non exiſtentibus fratribus defuncti, eorumve filiis maſculis. Materialis exiſtentia unius tunc ſufficit ad excludendam purificationem vocationis alterius, quando conſiderata fuit ad faciendam conditionem, ſecus ſi ad inducendam ſucceſſionem; quo caſu ſi ille abdicativè renuntiet habetur pro mortuo. Repudiatio inducit jus accreſcendi pro conjunctis in gradu per Edictum ſucceſſorium; renuntiatio verò abdicativa locum aperit ſequenti gradui, quoties ſola exiſtentia ita renuntiantis illum excludebat.

SUMMARIUM.

1 *Statutum Forilivii defert ſucceſſionem fratribus reſervata matri dumtaxat legitima in tertia portionis inteſtatæ.*

2 *De jure communi mater pro virili ſuccedit cum fratribus defuncti: intellige ut* num.4.

3 *Si verò a ſtatuto excludatur reſervata legitima, hæc debet eſſe tertia portionis inteſtatæ.*

4 *Decedenti ſine liberis, & ſine teſtamen-*

to

to conſuccedunt fratres, ſorores, & mater, non verò patrui:

5 *Limita ex ſtatuto Forilivii deferente ſucceſſionem matri, & patruis pro virili.*

6 *Juris municipalis ratio habenda eſt, non communis*, & num.9.

7 *Prædictum ſtatutum non extantibus fratribus vel utrinque conjunctis, vel conſanguineis, eorumve filiis maſculis æqualiter ad ſucceſſionem vocat matrem defuncti, ſorores, earumque deſcendentes, nepteſque ex fratre in ſtirpes;*

8 *Quibus non exiſtentibus vocat pro æquali matrem, & patruos, ſeu patrueles in ſtirpes;*

10 *Advertendo, quod ſoror abdicativè renuntians habetur pro mortua;*

11 *Paria quippe ſunt non extare, & ſuccedere non poſſe;*

12 *Tunc enim ſolum materialis exiſtentia ſororis ſufficeret ad excludendam purificationem ſecundi caſus, quando a ſtatuto conſiderata merè fuiſſet ad faciendam conditionem;*

13 *Secus verò ſi conſideretur ad effectum, ut ſoror in caſu exiſtentiæ præferatur.*

14 *Excluſio a lege, vel ſtatuto promanans conſtituit excluſum tanquam civiliter mortuum, & impedit delationem hæreditatis;*

15 *Renuntiatio verò quamvis reddat renuntiantem incapacem acquirendi, non impedit tamen hæreditatis delationem*. Sed vid.num.20.

16 *Pluribus gradibus ſucceſſionis conſtitutis, inter vocatos in eodem gradu datur jus accreſcendi in portione ab altero ex iis repudiata:*

17 *Et illud potentius eſt Edicto ſucceſſorio:*

18 *Idque locum habet, etiamſi veniens ex ſucceſſorio Edicto concurrere potuiſſet cum perſona præcedentis gradus, quatenus repudians prædeceſſiſſet.*

19 *Repudiatio reſolvitur in pactum de non petendo, & de non adeundo favore conjuncti in gradu, non gradus ſubſequentis;*

20 *Aliud verò eſt in renuntiatione abdicativa, & extinctiva, quæ tam acquiſitionem, quam delationem impedit.* & num.22., & 23.

21 *Jus accreſcendi non habet locum, ubi non adeſt portio, quæ debet accreſcere, & altera portio, cui fiat accretio.*

22 *Portio abdicativè renuntiata computari nequit pro inducendo jure accreſcendi.*

23 *Vocatio conditionata non admittitur deficiente conditione;*

24 *Cum non entis nullæ ſint qualitates.*

DECISIO XLVII.

A Sententia A. C. Guglielmi, in qua definitum fuit, Comitiſſæ Catharinæ de Morattinis competere immiſſionem ſuper bonis Bartholomæi ejus filii majoris natu, pro rata legitimæ tantùm in duabus unciis; non competere autem eidem jus ad integram hæreditatem Pauli Junioris alterius filii natu minimi poſtremo loco defuncti, ſed ſolum conſucceſſionem pro ſua virili, & æqualiter cum tribus Patruis ejuſdem Pauli, appellavit præfata Catharina Mater, cauſaque mihi delegata, cum iterum hodie conſuluerim DD. meos ſuper Dubio *ſub die 23. Januarii preteriti* propter Suffragiorum paritatem non reſoluto — *An, nempè, & in qua quantitate ſit danda Immiſſio* — prodiit reſponſio — *Affirmativè juxta modum*, nimirum *ad formam Sententiæ A. C.*

Conveniebant Scribentes pro utraque Parte in eo, quod attinet ad legitimam, ejuſque quantitatem in ſextante, ſeu duabus unciis debitam Catharinæ Matri ſuper bonis Bartholomæi ejus Filii ab inteſtato defuncti ſuperſtite
1 Paulo fratre: Clara ſiquidem, & literalis erat cenſura Patrii Statuti Civitatis Forilivii, deferentis hæreditatem defuncti Fratribus maſculis ejuſdem, reſervata Matri ſola legitima, *quæ ſit, & intelligatur eſſe tertia pars illius, quod habitura fuiſſet ab inteſtato ſecundùm diſpoſitionem Juris communis* — ſunt verba dicti Statuti *rub.32. de Succeſſ. ab inteſt. lib.5. §. Quibus fratribus.*

Cum itaque juxta juris communis diſpoſitionem in hæreditate præfati Bar-
2 tholomæi æqualiter ſucceſſiſſent Paulus Junior unicus illius frater ſuperſtes, & Catharina communis Mater; ad *Text. in Auth. Defuncto, ubi Gloſſ. verſ. ſed ſi Parentes C. ad Tertul., & in §. Sed cum antea inſtit. eodem tit.*; Inde fit, quod

Digitized by Google

3 quod legitima Catharinæ Matri ſit debita in duabus unciis, ſeu in ſextante, cum ejuſmodi quota ſit tertia pars ſemiſſis, ſeu medietatis, in qua de jure communi ſucceſſiſſet eadem Mater, niſi fuiſſet per Statutum excluſa ab hæreditate Bartholomæi filii ab inteſtato defuncti; ad ea, quæ in propoſito animadvertit *Merlin. de Legitim. lib.1. tit.4. quæſt.7. n.24., Rota poſt eundem dec.39. n.3., & ſeq., & deciſ.50. num.9. coram Molin.*

Unica igitur erat contentio reſpiciens hæreditatem Pauli Jun. alterius filii, quam integrè ſibi vindicare ſatagebat Catharina Mater excluſis Patruis ejuſdem Pauli: quamvis autem nullatenus inficiaretur, quod, inſpecta litera Juris noviſſimi Codicis, & Authenticorum,
4 ſola Mater ſit vocata ad luctuoſam ſucceſſionem filii ab inteſtato, & ſine liberis defuncti, & cum ea concurrere poſſint Fratres quidem, & Sorores ejuſdem Defuncti, quatenus exiſtant, ſed non etiam Patrui, tanquam uno gradu remotiores; quemadmodum poſt *Textum expreſſum in Leg.fin.§.Sin vero. Cod. ad Tertull., & §. Sed nos. inſtit. de S.C. Tertull.* communiter docent Scribentes omnes, & firmavit *Rot.dec.421. num.1., & ſeqq.cor.Priolo, & dec.674. num.8. cor.Molin., & dec.556.num.13. part.19. rec.*

Cum tamen in caſu ſubjecto aliter diſponat cenſura Statuti Forolivien.
5 præſcribens, ut una cum Matre concurrant Patrui ad participandum pro virili ex hæreditate defuncti nepotis, inani conatu proponi viſa fuit diſpoſitio Juris communis, quæ ſilet in con-
6 curſu legis municipalis, ad cujus tramites quæſtio dirimenda venit; ex traditis per *Rotam cor.Ubago dec.22.n.11., & dec.36. n.43. p.5., & dec.16. n.12. part.8., & dec.254. n.17.par.19. rec.*

Utque facilius percipi valeat caſus quæſtionis, in qua præciſè verſamur, Domini præmittebant, quod Statutum Forolivien. *lib.5. rub.32. de ſucceſſ. ab inteſtato, impreſſ. penes Card.de Luc.de*
7 *Stat. ſucceſſ. partic.73.* non extantibus fratribus maſculis defuncti, vel utrinque conjunctis, vel etiam conſanguineis tantùm, eorumque filiis maſculis, conſtituit duos ulteriores gradus ſucceſſionis inter ſe ſubordinatos, in quorum priori vocat ad hæreditatem defuncti Sorores, & Neptes una ſimul cum Matre pro æquis portionibus, ibi — *Prædictis autem fratribus, vel eorum filiis maſculis non exiſtentibus, tunc poſſint ſuccedere, & ſuccedant Sorores prædictæ una cum neptibus ex fratre præmortuo, aut nepotibus, ſeu neptibus ex altera ſorore prædefuncta, in ſtirpes tamen, & non in capita, & Mater inſimul cum eis æqualiter cum qualibet ſorore.*

In altero verò poſteriori gradu Succeſſionis conſiderato caſu non exiſten-
8 tiæ alicujus ſororis defuncti, præfatum Statutum vocat ad ſucceſſionem Patruos una ſimul cum eadem Matre pro æquali portione, ibi — *Quibus ſororibus, & neptibus non exiſtentibus, ſeu aliqua ipſarum non exiſtente, ſuccedant Patrui carnales una cum fratribus Patruelibus ex Patruo prædefuncto in ſtirpes, & Mater una cum eis in æquali portione cum quolibet Patruo.*

Quibus ita opportunè præmiſſis progrediendo ad peculiarem indaginem controverſæ hæreditatis Pauli Jun. de Monſignanis, cum in facto conſtans ſit, quod de tempore illius obitus nulla ſuperſtes erat defuncti ſoror ſucceſſibilis, viſus fuit caſus præſens verſari in terminis poſterioris partis Statuti, in qua defertur hæreditas Patruis una ſimul cum Matre, cui proinde debetur Immiſſio, non jam ad omnia bona hæreditaria filii prædefuncti, ſed tantùm ad quartam partem, in qua, ſtante concurſu trium Patruorum conſiſtit illius virilis juxta literam citati Statuti, cujus
9 ſpecialis diſpoſitio dubio procul ſervanda venit; *Rot.dec.102. n.2.par.10.rec., & dec.513. num.1. cor.bon. mem. Molines.*

Non officiente, quod tam de dicto tempore obitus Pauli, quam etiam hodie exiſtat Eliſabeth illius ſoror, proindeque res potius verſari videatur in priori caſu, in quo vocantur ad ſucceſſionem defuncti ſorores ejuſdem una cum Matre, & non in alio, in quo non extantibus ſororibus ſuccedit ſimultanea vocatio Patruorum cum eadem Ma-

Matre: Prompta ſiquidem, & facilis
occurrebat reſponſio, quod nempe
longè ante obitum Pauli fratris, Eliſa-
beth ſoror occaſione ingreſſus in Reli-
gionem ampliſſimam emiſerat renun-
10 tiationem omnium bonorum, & ju-
rium prorſus abdicativam, & extincti-
vam, per quam cum abſtulerit de
medio ſeipſam, perinde habetur, ac ſi
non extaret, & naturaliter mortua eſſet:
paria quippe ſunt ad effectum ſucceſſio-
11 nis aliquem non extare, vel extare, &
non poſſe ſuccedere, ad latè firmata per
*Maſtrill. de Succeſſion. ab inteſt. artic. 2.
n. 15., & artic. 3. n. 55., Mangil. de Imput. quæſt. 6. n. 7., & 62., Torr. de Pact.
Futur. Succeſſ. lib. 2. cap. 24. n. 2. 10.,
& 26., Rocc. diſput. Jur. cap. 194. n. 26.,
Zaul. ad Statut. Favent. lib. 3. rub. 27.
n. 13. tom. 1., Rot. dec. 12. poſt eundem
Torr. n. 3., & dec. 956. num. 5. coram
Cerro.*

Paruipenſa replicatione, quod ad verificandam diſpoſitionem Statuti in ea parte, in qua per priùs vocantur ſorores Defuncti una cum Matre, & ad excludendos Patruos ſubſtitutos, & ulteriori loco vocatos ſororibus non extan-
12 tibus, ſufficiat materialis exiſtentia
alicujus ſororis in conditione poſitæ, licet incapacis ſucceſſionis, ut in ſpecie reſpondit *Rot. dec. 403. n. 4., & ſeq., & dec. 418. n. 5. cor. Roxas, & dec. 1227. n. 10. cor. Molines*. Urgeret enim objectum, quoties Statutum conſideraſſet exiſtentiam ſororum ad nudum effectum faciendi conditionem, in quibus terminis loquuntur authoritates mox
13 allegatæ; Secus tamen procedit in hy-
potheſi, in qua Statutum præcedenter invitans ad Succeſſionem eaſdem ſorores, eas conſideravit ad effectum, ut ſi extarent, præferrentur Patruis in Succeſſione: In hiſce quippe circumſtantiis non ſufficit ad excluſionem Patruorum materialis exiſtentia ſororis, ſed requiritur effectus juris, nimirum capacitas ſuccedendi, ad quam primariò, & principaliter reſpexit Statutum, ut in puncto diſtinguendo probant *Giovagnon. conſ. 13. n. 10. lib. 2., Corn. conſ. 61. n. 7., & 8. volum. 4., Palm. allegat. 374. n. 23., & allegat. 375. num. 1.*

Quin obitet, quod etiamſi Statutum conſideret exiſtentiam, vel non exiſtentiam ſororum non in ſenſu naturali, ſed in ſenſu civili, & ad effectum ſucceſſionis, adhuc tamen non exinde ſequatur, quod Eliſabeth ſoror Pauli, quæ præventivè repudiavit illius hæreditatem, haberi debeat in ſenſu civili pro mortua, & non extante; Cum enim illius excluſio a ſucceſſione fratris prædefun-
14 cti non fuerit inducta a Lege, vel Sta-
tuto, quo caſu ſoror licet naturaliter exiſtens haberetur a Lege, vel Statuto, perinde ac ſi non extaret, & tanquam civiliter mortua, cui proinde hæreditas fratris deferri nequeat; ad tradita per *Palm. dicta allegat. 374., & 375.*, ſed prædicta excluſio procedat a præventiva renuntiatione ſororis, quæ reddit
15 quidem renuntiantem incapacem
acquirendi hæreditatem, ſed non efficit eandem tanquam civiliter mortuam, quinimo non impedit, quominus Statutum ei deferat hæreditatem, quæ civiliter mortuis deferri nequit; quemadmodum diſtinguendo firmat *Anton. Faber de error. Pragmatic. decad. 27. error. 8. num. 5., & ſeqq., & num. 18.*

Inde fit, quod portio hæreditatis fraternæ delata per Statutum Eliſabeth ſorori, quam ipſa capere nequit propter obſtaculum renuntiationis, beneficio juris accreſcendi tranſeat in ejus Matrem, quæ veluti cum ea conjuncta in eodem gradu ſucceſſionis capere debeat integram hæreditatem, nempe medietatem jure propriæ vocationis, & alte-
16 ram medietatem jure accreſcendi:
Quando enim Statutum, prout in hypotheſi, ad inſtar Edicti Succeſſorii conſtituit plures gradus Succeſſionis inter ſe ſubordinatos, tunc, quouſque ſupereſt Perſona prioris gradus, quæ poſſit capere jure accreſcendi portionem repudiatam ab altera adhuc vivente ejuſdem prioris gradus, nunquam aperitur locus vocatis in poſteriori, & ſubſequenti gradu, ea ratione, quia jus accreſcendi eſt po-
17 tentius Edicto Succeſſorio, juxta com-
munem Sententiam Doctorum, de qua *Textus in Leg. Meminimus 15. §. Sed nec fratrem*, juncto *§. Succeſſionis videlicet C. de legit. hæredibus, ibique Bald. in §. Cum igitur n. 4., Fulgoſ. eodem n. 4., Corn. num. 7., & in Leg. unica C. quando*

non

non petentium partes petentibus accreſcant, *ibique Bartol. n.4.*, *Alexander n.10.*, *Bolognett. n.38.*, *Duaren. de jur. accreſcen. lib.2. cap.18.*, *Bellon. eodem tract. cap.9.*, *quæſt.14. n.22.*, *& ſeqq.*, & in puncto Succeſſionis Statutariæ *Mart. de Succeſſ. Legal. par.1. quæſt.22. artic.3. num. 12.*, *& ſeq.*, *Manſ. conſult.81. n.35.*, *& ſeq.* Etiamſi veniens
18 ex Succeſſorio Edicto concurrere potuiſſet cum Perſona præcedentis gradus, quatenus repudians de tempore delatæ hæreditatis non fuiſſet in rerum natura; ad ea quæ latè tradit *Bellon. de jur. accreſcen. d. cap.9. quæſt.14. a num.58. ad finem*.

Huic ſiquidem fundamento, ſuper quo viriliter inſiſtebant Defenſores Catharinæ Matris, occurrentes Domini authu-
19 marunt, quod licet ſimplex repudiatio hæreditatis certæ Perſonæ viventis reſolvatur in pactum de non petendo hæreditatem, & de illam non adeundo, quando delata fuerit, ac per conſequens reddat quidem repudiantem incapacem acquirendi eandem hæreditatem, ſed non impediat quominus ei deferatur hæreditas; quinimo ab eo tempore, quo eidem defertur hæreditas, repudiatio incipiat habere effectum favore Conjuncti in gradu, non autem favore ſubſequentis gradus, eo fermè pacto, quo faveret conjuncto, ſi facta fuiſſet poſt obitum ejus, de cujus hæreditate agitur; non eadem tamen militat ratio in
20 caſu ſubjecto, in quo non agitur de ſimplici repudiatione, ſed de renuntiatione prorſus abdicativa, & extinctiva, quæ cum ſuſtulerit de medio Eliſabeth *come ſe foſſe naturalmente morta*, *& de medio ſublata*, poſuit impedimentum nedum acquiſitioni, ſed etiam delationi hæreditatis, quemadmodum diſtinguendo tradit *Torr. de Pact. Futur. Succeſſ. lib.1. cap.22. per tot.*

Quo poſito, ſtatim corruebat tota moles objecti ſubnixa beneficio juris
21 accreſcendi, cui locus eſſe nequit, ubi, prout in hypotheſi, deficiunt ea duo extrema, nimirum portio, quæ debeat accreſcere, & altera portio, cui fieri debeat accretio: Et ſanè deerat portio
22 Eliſabeth ſororis, quæ ſit delata, & vacans, & quæ per conſequens poſſit accreſcere; De tempore enim apertæ ſucceſſionis præfata Eliſabeth jam erat civiliter mortua per abdicativam renuntiationem, cujus ope poſuerat impedimentum tam acquiſitioni, quam delationi prædictæ ſucceſſionis; Sicque computari non poterat neque ad capiendam aliquam partem pro ſe ipſa, neque ad faciendam partem, quæ accreſcat Matri, ut in hiſce terminis tradit *Alciat. conſ.201. num.9. lib.9.*, *& in celebri Voto Severol. impreſſ. poſt Albit. de inconſtant. in Jud. n.6.*, *Bellon. de jure accreſcen. cap.6. quæſt.14. n.11.*, *Rot. dec.228. num.19. par.6.*

Verum nedum deficit portio ſororis, quæ poſſit accreſcere Matri, ſed ulterius deeſt portio ipſius Matris, cui fieri poſſit accretio: Cum enim vocatio
23 Matris in priori Statuti capite ſit ſecundaria, & dependens ab ea conditione *quatenus ſorores exiſtant*, *& ſuccedere poſſint*, itaut nulla ſorore in rerum natura exiſtente in ſtatu ſucceſſibili, Mater ad ſucceſſionem ex eodem priori capite vocata dici nequeat; inde fit, quod nec vocata cenſeri poſſit in caſu, in quo unica ſoror exiſtens, ratione inſucceſſibilitatis provenientis ab ejus renuntiatione abdicativa, reputatur, ac ſi non extaret, & naturaliter mortua eſſet etiam ad effectum delationis Juris: Deficiente autem vocatione Matris, deficit per conſequens portio, cui poſſit
24 accreſci, cum non entis nullæ ſint qualitates; juxta regulam de qua *Textus in Leg. Decem ff. de verbor. obligat.*, *Rot. dec.982. num.7. coram Emerix Jun.*, *& alibi paſſim*.

Cum itaque, ſublata de medio Eliſabeth ſorore Pauli, communis Mater capere nequeat nec medietatem hæreditatis jure proprio, nec alteram medietatem nullatenus delatam ſorori renuntianti in vim juris accreſcendi, clarum exinde remanet, quod præſens quæſtio verſatur in terminis poſterioris capitis Statuti, in quo non exiſtente ulla ſorore defuncti de tempore apertæ ſucceſſionis, eadem defertur Patruis una ſimul cum Matre pro æquali portione, & cuilibet pro ſua virili.

Et ita utraque &c.

PISTORIEN BENEFICII.

Veneris 4. Maii 1736.

ARGUMENTUM

Juſpatronatus familiare deſertur in capita. Renuntiatio bonorum, & jurium quorumcunque non comprehendit Juſpatronatus, ſi cauſa finalis renuntiationis in procemio expreſſa loquatur de bonis, & effectibus temporalibus. Juſpatronatus Monacho competens acquiritur Monaſterio, in quo profitetur, non in quo degit.

SUMMARIUM.

1 *Ad Juſpatronatus familiare, ſeu gentilitium ſucceſſio deſertur in capita.*

2 *Literæ Apoſtolicæ juſtificatæ exequendæ ſunt.*

3 *Dictio* ſuoi *eſt perſonaliſſima, & indicativa juris proprii.*

4 *In renuntiatione bonorum, & hæreditatum non comprehenditur Juſpatronatus gentilitium, comprehenditur tamen in renuntiatione bonorum, & jurium propriorum:*

5 *Immo etiam in renuntiatione univerſali bonorum, & jurium quorumcunque ubique exiſtentium;* ſed intellige ut num.8., & ſeq.

6 *Neque in hoc caſu requiritur conſenſus Epiſcopi.*

7 *Cauſa finalis in Proœmio expreſſa informat totam renuntiationem:*

8 *Ac proinde ſi finis renuntiantis fuit ſe expoliandi bonis, & effectibus temporalibus, jura, & actiones, quibus ſubinde renuntiatum fuit, intelligi debent de temporalibus:*

9 *Nec ſub iis venire poteſt Juſpatronatus, quod eſt jus honorificum, & ſpirituale.*

10 *Amplitudo verborum, & clauſularum reſtringitur ad comprehenſa in diſpoſitione, & cauſa finali.*

11 *Renuntiatio emiſſa occaſione ingreſſus in Religionem latè interpretanda eſt in dubio, non in claris;*

12 *Et cenſeri debet facta juxta exigentiam ſtatus religioſi; ut nempè comprehendat jura temporalia, non ſpiritualia.*

13 *Juſpatronatus Monacho competens acquiritur Monaſterio, in quo ille profeſſionem emiſit;*

14 *Ac propterea jus præſentandi ſpectat ad ejus Abbatem, & Monachos, vel de eorum conſenſu ad prædictum Monachum, non autem ad Monaſterium, ubi ipſe degit:*

15 *Alioquin præſentatio aliter facta eſt nulla;*

16 *Et ejus nullitas utpote excluſiva juris compræſentati allegari poteſt a compræſentato.*

17 *Ut conſenſus ex acquieſcentia erui valeat, debet concludenter probari ſcientia actus.*

18 *Nemo ratificare valet, quod ejus nomine geſtum non eſt.*

19 *Præſentatio, uti in facto conſiſtens ab allegante probanda eſt.*

20 *Per adhæſionem vox computatur commodo adhærentis.*

21 *Præſentatio dat jus ad Inſtitutionem.*

22 *Actus agentis ad certum finem ordinatus operari nequit diverſum effectum.*

23 *Acceptatio continet id, quod in utilitatem acceptantis confertur, non verò quod in alterius beneficium;*

24 *Nam, quæ ad proprium commodum fiunt, non includunt commodum alienum.*

25 *Adhæſio æquipollet præſentationi.*

26 *Silentium Compatroni, quando æquipollet præſentationi, nullum alium effectum producit, quam præſervare jus præſentandi in futuris vacationibus.*

27 *Voluntas ad actum deductа nihil operatur.*

DECISIO XLVIII.

VAcavit ſub die 16. Septembris anni 1732. ſimplex Beneficium ſub Invocatione Sancti Stephani fundatum in Eccleſia Cathedrali Piſtorienſi; Cumque Jus nominandi, ac præſentandi ad idem Beneficium alternis vicibus ſpectet ad Capitulum dictæ Eccleſiæ Cathedralis, & ad Familiam de Converſinis in duas Lineas, ſive Columnellos diviſam, & quidem in Capita, & non in ſtirpes, in vim amicabilis compoſitionis inter illos de hac Familia initam anno 1702. in qua declaratum fuit, Juſ-

Digitized by Google

1 Juſpatronatus hujuſmodi eſſe Familiare, & Gentilitium in genere, & per modum Univerſitatis, quod ſecum fert ſucceſſionem in Capita, ut ſupra, ad tradita per *Vivian.de Jurepatron.lib.4. cap.4. n.28., & ſeq., Card. de Luc. eodem tract. diſc.54. num.5., & 6., Rota in rec.dec.166. n.14. par.6., & dec.82. n.8. par.7., & in Piſana Jurispatronatus 26. Junii 1709. §.Juſtificata, & §.Procedendo.cor.clar.mem.Card.Priolo, & in Mediolanen. Cappellaniæ 22. Januarii 1716. §.Minimè refragante cor. clar.mem. Card.Althan.*

Cumque etiam in hac vacatione Jus nominandi, & præſentandi obtingeret illis de dicta Familia de Converſinis, hinc *Benedictus Converſinus* de uno Columnello, ſive linea, coram Rmo Ordinario Piſtorien. tam ex perſona propria, quam uti Donatarius univerſalis trium ejus Fratrum, nempe *Nicolai, Fælicis, ac Dominici*, & Renuntiatarius alterius *Fratris Monachi* Profeſſi in Congregatione Olivetana, atque etiam nomine *Hieronymi, & Franciſci* ſuorum Filiorum Infantium præſentavit dictum *Dominicum* Fratrem, qui huic præſentationi de ſe factæ adhæſit; Et inſuper reportavit a Sanctiſſimo Domino Noſtro ſolitam gratiam pro Præſentato cum derogatione medietatis vocum.

E converſo autem alii de altero Columnello recenſitæ Familiæ, ideſt *Franchinus Creſcentius* nomine proprio, & *Eques Lambertus* tam ex perſona propria, quam nomine, *& vice Raphaelis, Alberti, & Octavii* ſuorum Filiorum præſentarunt primo loco *Antonium* filium d.Equitis Lamberti, & cumulativè, ac ſecundo loco Primicerium *Bartholomæum* alterum ejuſdem Equitis Filium, qui pariter ſic præſentati propriis præſentationibus adhæſerunt.

Orta proinde Lite inter dd. Præſentatos coram Reverendiſſimo Ordinario Piſtorien., ſive ejus Vicario Generali, placuit eidem denegare executionem ſupradictis Literis Apoſtolicis pro præſentato *a Dominico* obtentis, & reſpectivè concedere inſtitutionem *Antonio*: ſed, devoluta cauſa in gradu appellationis ad hoc ſacrum Auditorium, Mihique commiſſa, propoſui in Rota diei 9.Martii anni currentis dubium = *An Literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ, ſeu potius Beneficium ſit adjudicandum Antonio* =; & quia, ob Dominorum in Turno ſedentium diſcordiam, tunc reſolutum non extitit, illud repropoſui in hodierna Audientia, in qua Domini convenerunt -- *Pro executione dictarum Literarum Apoſtolicarum*.

Quia conſtitit, illas eſſe perfectiſſimè verificatas in ea ſubſtantiali narrativa, quod *Dominicus* fuerit præſentatus per medietatem vocum, ut infra demonſtrabitur, & conſequenter data tali ve-
2 rificatione, omnino eædem Literæ Apoſtolicæ ſunt exequendæ; juxta *Text. in cap.ſi Capitulo, ibique Gloſſ. verb. Exequatur de Præbend.in 6., Piton. alleg. 37. n.1., Rot.cor.Emerix Jun. dec.675. n.2., & cor.bon.mem.Lancet.dec.1265. n.1., 2., & 3., & in Giennen.Beneficii 21. Martii 1735. §. Quoniam apparuit. coram me, & in Squillacen.Juriſpatronatus 17.Jun. ejuſdem Anni §.Cum enim verificata. pariter coram Me.*

Nec verificatio prædicta excluſa remanet ex eo, quod licet Dominicus numeret pro ſe ſeptem voces ſui Columnelli, illas nempe *Benedicti, Nicolai, Fælicis, Hieronymi, Franciſci, & Patris Actonis, atque ſuam propriam* — propter adhæſionem factam ſuæ præſentationi, & totidem alias numeret pro ſe Antonius in ordine ad alium Columnellum, eas videlicet *Franchini Creſcentii, Lamberti, Raphaelis, Alberti, Octavii, & Bartholomæi*, juncta ſimiliter *voce propria ejuſdem Antonii* ex cauſa ſupradictæ conſimilis adhæſionis; nihilominus cum a recenſito calculo vocum Dominici demenda veniat illa vox *Monachi* inutiliter connumerata, voces Antonii, uti ſeptem, remaneant numero majores aliis vocibus Dominici, non remanentibus niſi in ſex.

Admiſerunt ſiquidem Domini favore Dominici, non eſſe connumerandam vocem ſpectantem ad memoratum *Monachum*, non obſtante, quod iſte anno 1713. quo Profeſſionem emiſit in Congregatione Olivetana, renuntiaverit Hieronymo Patri, cujus eſt hæres

Be-

Benedictus Converſinus, qui tam nomine proprio, quam nomine ejuſdem Renuntiantis præſentavit *Dominicum*, non ſolum jura, actiones, vel prætenſiones, quas etiam habebat ſuper dicti Hieronymi Bonis, & Hæreditate, ſed etiam omnia ſua Bona, Jura, & actiones, nec non credita, & ſucceſſiones paternam, maternam, fraternas, ſororinas, & avitas, ac omnia Fideicommiſſa, tam particularia, quam univerſalia purificata, & purificanda, omnemque aliam ſucceſſionem, ſive hæreditatem ad ſui favorem devolutam, & devolvendam, & omnia Bona dotalia, extradotalia, peculium adventitium, & profectitium, & quidem ubicunque exiſtentia, & denique -- *E finalmente a tutte quelle ragioni, ed azioni, che ſe gli competono, ed in futuro in qualſivoglia modo competere gli ſi poteſſero per qualunque cauſa, ragione, ed azione ancorchè quì non eſpreſſa, e che di neceſſità quì ſi doveſſe eſprimere, cedè, e trasferì* --

Sub quorum verborum contextu loquentium de omnibus Bonis, ac omnibus Juribus, & actionibus propriis, & ex propria Perſona competentibus dicto *Monacho*; ut ultra mox relata verba, indicant alia antecedentia ibi -- *Renunciò, e renuncia a tutti, e ſingoli ſuoi beni, effetti, mobili, ed immobili, ſemoventi, ragioni, azioni, crediti,*
3 *Paterni &c.* attenta dicta dictione -- *Suoi* -- quæ eſt perſonaliſſima, & indicativa Juris proprii; ex adductis per *Bonden. collect.33. n.165., verſ., & quod lib.2., Torr. de majorat. part.2. quæſt.34. ſub n.56., Rot. in Camerinen. Succeſſionis* 11. Decembris 1716. §.29. *in fine coram bon. mem. Anſaldo, & in Ceſenaten. Immiſſionis* 2. Julii 1717. §. *Quod autem. verſic. Tum etiam. coram Eodem,* ſubdebant Defenſores Dominici venire, ac remanere incluſam etiam vocem in hoc Jurepatronatus eidem *Monacho* ſpectantem, licet iſta eo ipſo, quod
4 agitur de Jurepatronatus Gentilitio inhæreret Perſonæ ejuſdem Religioſi ex providentia Fundatorum, & non Bonis, ac hæreditatibus, quæ renuntiatæ fuere; dum, ut mox viſum eſt, idem Monachus etiam Bona, & Jura propria, ac ex propria perſona competentia renuntiavit; ut ſequendo opinionem *Abb. in cap. ex literis n.12. de Jurepatron.*, rejecta altera *Innoc. in eodem Cap.* tradunt *Dec. conſil.127. n.2., Ferret. conſil.169. n.3., Ricc. in prax. For. Eccleſ. de Jurepatr. reſol.168. n.1., & 2., Barboſ. vot. dec.20. n.15., & 16. lib.2., Marant. reſponſ.50. num.25. par.4.,* & eandem opinionem *Abbatis* ſemper te-
5 nuit in terminis univerſalis, ac generalis renuntiationis Bonorum, ac Jurium quorumcunque ubique exiſtentium, ut hìc, noſtrum Sacrum Auditorium, ut teſtatur *Panimoll. dec.10. annot.3. num.84. 85., & 86.,* & videre eſt *ex dec.341. lib.2. cor. Puteo, & dec.721. n.1. cor. Seraph., & poſt Torr. de pact.*
6 *futur. ſucceſſ. dec.122. n.7., & a 22. ad 26.,* ubi, quod in hoc caſu univerſalitatis renuntiationis non requiritur conſenſus Epiſcopi, quia per concomitantiam, & miniſterio Legis Juſpatronatus tranſit in Renuntiatarium, & in *rec. dec.207. n.12. par.6., & in Urbanien. Canonicatus* 20. *Junii* 1698. §. *Enim verò. cor. bon. mem. Pio.*

Quoniam hæc omnia exiſtimarunt iidem Domini ceſſare ex ipſa cauſa fi-
7 nali in proœmio renuntiationis expreſſa a recenſito Monacho, renuntiandi ſcilicet tum Bonis, ac effectibus temporalibus ibi -- *ſpogliarſi di tutti li ſuoi beni, ed effetti temporali &c.* -- quæ proinde cum reſtricta ſit ad Bona, & effectus temporales informat totam dictam renuntiationem; *Cap. intelligentia dictorum, de verb. ſignificat., Bald. in leg. 1. n.13. ff. ſolut. Matrim., Mantic. de tacit., & ambig. convent. lib.3. tit.12. n.13., & ſequen., & de conject. lib.6. tit.14. n.8., Rot. cor. clar. mem. Card.*
8 *Falcon. tit. de Union. Benef. dec.3. num.5.,* ac per conſequens omnia illa quæcunque jura, & actiones in eadem renuntiatione contenta, intelligenda ſunt de
9 juribus, & actionibus temporalibus, nec trahi poſſunt ad controverſum Juſpatronatus, ſive vocem in illo præſentandi; cum naturæ iſtius conſideratæ, ſive in ſubſtantia, ſive in exercitio non congruat dicta qualitas temporalitatis, dum Juſpatronatus connumeratur inter Jura honorifica, & ſpiritualia, eo quia eſt

Digitized by Google

eſt annexum ſpiritualitati, & ordinatum
ad ſpiritualia; *Lotter.de re beneſic.lib.2.*
quæſt.9. n.75., & ſequen., Torr.de pact.
futuræ ſucceſſion.lib.2. cap.39. num.33.,
Rot.cor.clar.mem.Card.Caprar.dec.276.
n.11., & dec.306. n.10. verſic.Opponebant
, & in Lauretana Juriſpatronatus
21. Januarii 1735. §. Duplex , &
§. Prior cor.R.P.D. meo Nunez .

Non attenta amplitudine verborum
ſupra enuntiatæ renuntiationis, & clau-
10 ſularum in ejus Inſtrumento adjecta-
rum, quia hæc ſtant famulativè, & ac-
ceſſoriè ad præcedentem diſpoſitionem,
ſemperque reſtringuntur ad illam fina-
lem cauſam, propter quam fuit renun-
tiatum, nec ullam extenſionem, ac am-
pliationem extra ſpheram dictæ cauſæ
finalis operantur; *Manſ. conſult.799.*
n.1., & 16., Rot. cor. Dunozet. Jun.
dec.346. n.10., & ſeq., & cor.bon.mem.
Molines deciſ.475. n.7., & in terminis
Juriſpatronatus, *in Melevitana Bene-*
ficii ſuper pertinentia 15.Januarii 1731.
§.Detecta. cor. R.P.D.meo Millino, &
in illius confirmatoria 4. Junii ejuſdem
anni §.Retentis . cor.Emo D. meo Card.
Aldrovando; Sicuti nec etiam attento,
11 quod agatur de renuntiatione facta
occaſione ingreſſus in Religionem, quæ
latè interpretari ſolet; quia hoc proce-
dit in dubio, non autem dum clara eſt
voluntas Monachi ejuſdem unicè renun-
12 tiandi reſtrictive ad Bona, & Jura
temporalia, & non ad ſpiritualia, ſive
ſpiritualitati annexa, ut eſt Juſpatrona-
tus, & ſic non repugnantia ſtatui reli-
gioſo, ac Diſciplinæ Regulari ejuſdem
renunciantis Monachi Congregationis
Olivetanæ; *Sanchez in præcept. Deca-*
logi cap.18. n.25., Trulengh.eod. tract.
lib.7. cap.2. dub.5. n.4., Pignatell.con-
ſult. canon.82. n.109. tom.9.

Quæ veritas optimè agnita fuit ab
eodem renunciante, qui pariter præ-
ſentavit Dominicum, & ab iſto, qui tali
præſentatione uſus fuit, & utitur, ſed
præſentatio hujuſmodi, veluti facta
nomine ſæpedicti Religioſi ab Abba-
te, & Monachis Monaſterii S.Mariæ in
Organo Civitatis Veronæ, in quo ille
reperiebatur, dijudicata fuit nullius
13 momenti, nam cum idem Monachus
Profeſſionem emiſerit in Monaſterio
S. Benedicti Piſtorien., & inter Mona-
chos illius adſcriptus, illico Jus præ-
ſentandi pro ejus rata acquiſitum re-
manſit dicto Monaſterio S. Benedicti
Piſtorien., juxta *Text. in can. Abbates*
18. quæſt.2., & in can.Quia ingredien-
tibus 19. quæſt.ultim., Calderin. quæſt.
23. per tot.de Regularibus, Honded.con-
ſil.94. n.14. lib.1., Tamburin. de Jur.
Abbat. diſput.11. quæſt.4. n.6. tom.3.,
latè *Emus Petra ad Conſt.Apoſtol. tom.*
4.fol.534. num.5., & 6., Rota coram
Seraphin.dec.1328., & dec.1361.utro-
bique n.1., & in Romana Beneficiatus
S. Laurentii in Damaſo 6. Febr.1698.
cor.clar. mem. Card.Caccia impreſſ.apud
Piton. Diſcept.Eccleſiaſt.4.n.21.tom.1.,
& conſequenter, durante vita ejuſdem
14 Monachi, exercitium Juriſpræſen-
tandi pro dicta rata ex perſona illius
ſpectat ad Abbatem, & Monachos præ-
fati Monaſterii S. Benedicti Piſtorien.,
in quo, ut dictum eſt, idem Profeſ-
ſionem emiſit, ſive ad iſtum, de con-
ſenſu tamen d. Abbatis, & Monacho-
rum, non autem ad alterum Monaſte-
rium Veronæ, in quo ille moratur, &
degit de familia; *Lambertin.de Jurepa-*
tronat. lib.1. par.1. art.11. num.12.,
Vivian.eodem tract. lib.4.cap.2. n.63.,
Tamburin.de Jur.Abbat.tom.3.diſput.9.
quæſt.23. num.2., & ſeq., Sanchez ad
præcept.Decal. lib.7.cap.14. n.6., 7., 9.,
& 10., Piton.de controv. Patron. alle-
gat.36. n.29. tom.1,, Rot. cor. Emerix
Jun.dec.830. num.6., & in rec.dec.336.
num.8., & ſeq.par.5., & in Mediola-
nen.Præpoſituræ 3.Martii 1707.§.Pro-
fecto cor.bon. mem. Anſald., & dicta
15 præſentatio aliter facta, ut ſupra, nul-
la eſt, *Rot.in dicta Mediolanen.Præpo-*
ſituræ 13.Maii 1704. d. §.Profectò, &
§.Quin adjuvaret.cor.bon.mem.Anſald.,
16 Et hanc nullitatem optimè allegare
valet Antonius Compræſentatus, uti
excluſivam Juris Dominici; *Rot.coram*
Coccin. dec.1073.num.5., & cor. Bich-
dec.36. n.8., & cor.Priol. dec.39.n.16.,
cum aliis paſſim.

Quidquam non officiente, quod Ab-
bas, & Monachi præfati Monaſterii S.Be-
nedicti Piſtorien. notitiam habuerint
de dicta præſentatione facta ab eodem
Monacho de conſenſu Abbatis, &
Mo-

Monachorum recenſiti alterius Monaſterii Veronæ, & non reclamaverint, proptereaque illam tacitè approbaſſe,
17 & ratificaſſe cenſerentur; Tum quia ſcientia prędicta deducebatur ex levibus conjecturis, quando ad hunc effectum plenè, & concludenter probanda venit, *ad Text.in cap.concertationi, & ibi Gloſſ.verbo ſciverit de appellat.in 6., & in Clement. cauſam de elect., Rot. coram Celſ.dec.163.n.2., & cor.bon.mem. Molinei dec.436. n.32., & 33.*, tum etiam quia etſi plenè probata aliquid operaretur, ubi idem præſentaſſet ſub ſuppoſito conſenſu Abbatis, & Monachorum recenſiti Monaſterii Piſtorien., & ſic actum expleviſſet nomine iſtius Monaſterii; ſecus tamen eſt, dum ille præſentavit de conſenſu, & uti Procurator Abbatis, & Monachorum dicti alterius Monaſterii Veronæ, in hoc namque caſu actus hujuſmodi alieno nomine geſtus nunquam dici valet ex quacunque ſcientia ratificatus, & approbatus a dicto Monaſterio Piſtorien., cum
18 quis ratificare non valeat, quod ſuo nomine geſtum non fuit; *ad cap.ratum 9. de regul.Jur. in 6., Gloſſ. in cap.12. quæſt.9.in verbo Rota, Gabriel.conſ.175. n.16., & ſeq.lib.2., Surd.dec.33.n.15., Rota cor.clor.mem.Card. Falconer.tit.de Jurepatr.dec.30.n.11., & in Urbanien. Canonicatus 23.Januarii 1697. §.Non obſtat. cor. bon.mem. dell'Olmo.*

Sed his quoque veris exiſtentibus, & dempta etiam a calculo illorum, qui præſentarunt Dominicum, voce illa controverſa, adhuc cenſuerunt Domini, eundem Dominicum habere medietatem vocum; dum, facta ſubductione hujuſmodi, adhuc habet pro ſe ſex voces, ut admittitur etiam ab Antonio Compræſentato, & Literæ Apoſtolicæ ab illo obtentæ ſunt exequendæ; cum neque idem Antonius poſſit numerare ad ſui favorem, niſi alias ſex voces, nempe *Franchini Creſcentii, Lamberti Patris, Raphaelis, Alberti, Octavii, & ſuam propriam.*

Spreta prorſus voce *Bartholomæi* Fratris, quam ad ſui favorem numerare contendebat Antonius, & quæ ſi computaretur, voces illius aſcenderent ad ſeptem, & excluderent ſupra enuntiatam paritatem vocum; dum pro parte ejuſdem Antonii doctum non fuit de
19 ulla ſpecifica præſentatione, ſeu nominatione ad ſui favorem facta ab eodem Bartholomæo, quæ, uti in facto conſiſtens, eſſet ab illo probanda, & demonſtranda; *leg. in bello §.Facta ff. de capt., & poſt lim. reverſ., leg.1. Cod. de probat., leg. aſſecuratio 10.Cod. de non num.pecun., Rota cor.Coccin. dec.1388. num.14.*, nec talis nominatio, ſeu præſentatio Bartholomæi ſatis, ſuperque apparere viſa fuit ex eo, quod tam idem Antonius, quam Bartholomæus *die 21.Decembris* 1732. comparuerint coram Ordinario, & habita notitia de utriuſque præſentatione ab aliis Patronis, quoad eorum Perſonas primo, & ſecundo loco facta, illam acceptaverint, & in iſtius ſequelam, uti Compatroni, ei adhæſerint in uno, eodemque actu, ſive Inſtrumento.

Urget enim reſponſio, quod aliud eſt adhærere præſentationi ſui ipſius ab aliis Compatronis factæ, & aliud alteram perſonam nominare, & præſentare ad Beneficium, cum enim hi ſint duo actus, & unuſquiſque ex illis rem, finem, & effectum diverſum reſpiciat, eo quia primus, nempe adhæſionis eo
20 dirigitur, ut vox Adhærentis computetur ad ſui favorem per argumentum, quod votis Præſentantium inducit dicta adhæſio; juxta *Text. in cap. cum in Jure de elect, Abbas ibidem num.5., Card. de Luc. de Canonic., & Capitul. diſ.26. num.7., & de Jurepatr.diſc.31.num.11., Rot.cor.Buratt. dec.316.num.4., & in rec. dec.373. n.8., & ſeq.par.9., & in Pampilon. Cappellaniæ 25. Maii 1646, §.Quia benè cor.clar.mem.Card.Corrad. impreſſa apud Piton.de controverſ. Patron.allegat.33. n.40.*, Secundus verò, ideſt nominationis, ſeu præſentationis, ut vox Præſentantis operetur ad commodum Præſentati, & ex illa iſte Bene-
21 ficium aſſequatur; cum Præſentatus ex ejus præſentatione facultatem habeat petendi, & conſequendi inſtitutionem, *Lambertin.de Jurepatr.in 3.ar.8.quæſt. princ.2.par.2.lib., Vivian.eodem tract. cap.1. num.1. lib.11., Rot. coram Cerro dec.727. num.1.*

Hinc deducitur clarè, & evidenter,

quod

quod ſi Bartholomæus unicè adhæſit præſentationi in ſui perſonam factæ ab aliis Compatronis, & voluit vocem propriam computare ad ſui commodum, non intellexerit unquam tali actu adhæſionis, nil in contrarium verbis explicitis explicando, præſentare, & nominare Antonium fratrem, eique accommodare propriam vocem;
22 cum actus Agentis ad certum finem ordinatus operari nequeat effectum diverſum, de quo non fuit cogitatum, nec diſpoſitum; ex regula *Text. in leg. legata inutiliter ff. de legatis* 1., *leg. non omnis ff. ſi cert. petat.*, *Rot. coram bon. mem. Molines dec.* 22. *n.* 6., *& dec.* 871. *n.* 27., *& in rec. deciſ.* 90. *n.* 14. *par.* 19.

Et ſane id oſtendit tenor Inſtrumenti ſupradictæ adhæſionis, in quo Antonius, & Bartholomæus, præmiſſa declaratione notitiæ habitæ præſentationum de ſe ipſis factarum — *Acceptarunt, & acceptant dictam præſentationem, ut ſupra, ad eorum favorem primo, & ſecundo loco reſpectiue factam, & ſucceſſivè tanquam Beneficii Compatroni ipſi Præſentationi de ſeſe, ut ſupra, factæ, prout in actis, adhæſerunt, & adhærent* —; Quam acceptationem, & correſpectivam adhæſionem licet geſtam ab utroque ex prædictis conjunctim, & in unico, eodemque actu, tamen nimis patens eſt, eſſe reſtrictam unicè ad præſentationem propriam, & non alterius, attenta ſubjecta materia reſpiciente non mutuum, ſed diſtinctum, ac ſeparatum, & independens commodum uniuſcujuſque ex acceptationibus, ob rationem, quod quis acceptare ſolet,
23 quod in ſui utilitatem confertur, non autem quod confertur in beneficium alterius; *Rota coram bon. mem. Molines deciſ.* 1325. *num.* 8. *tom.* 5.

Et ſupra evidentiam hoc luculenter apparet ex ſubſequentibus, & finalibus verbis ſupradicti Inſtrumenti = *Præſente D. Clerico Antonio de Conuerſinis, ut ſupra, primo loco præſentato, & dictam præſentationem acceptante, & tanquam uno ex Compatronis adhærente; Preſente D. Primicerio Bartholomæo de Converſinis, ut ſupra ſecundo loco præſentato, & tanquam uno de Compatronis adhærente.*

Itaque dum litera ſupradicti Inſtrumenti unicè, ac reſtrictivè ſe ſe habet ad acceptationem alterutrius præſentationis; & tam Antonius, quam Bartholomæus propriam, ac diſtinctam præſentationem acceptant, & unuſquiſque propriæ præſentationi pariter adhæret, & non adeſt ullum nec quidem minimum verbum ſuadens, ultra præmiſſa, aliquid aliud eoſdem Antonium, & Bartholomæum inſuper explere voluiſſe, impoſſibile videtur, ex actu hujuſmodi ſic limitato velle deduci alterum præſentationis tacitæ ejuſdem Bartho-
24 lomæi reſpectu Antonii: dum, quæ facta dignoſcuntur ad commodum propriæ Perſonæ, non includunt favorem aliorum; *leg. ultima Cod. de hæred. Inſtituen.*, *Cephal. conſi.* 140. *n.* 17. *vol.* 1., *Barboſ. dictiòn.* 103. *num.* 3., *Rot. cor. Seraphin. deciſ.* 26. *num.* 2., *& coram bon. mem. Molines deciſ.* 895. *num.* 7., *& in rec. dec.* 118. *num.* 11. *part.* 17.

Paruique refert, quod Bartholomæus certo ſciret, Antonium Fratrem præſentatum fuiſſe ab aliis Compatronis conſanguineis, & tamen non contradixerit præſentando aliam Perſonam, & per conſequens videatur conſenſiſſe præſentationi a cæteris Conſanguineis factæ in perſonam memorati Antonii; Tum quia dictum ſuppoſitum non ſubſiſtit; nam eo ipſo, quod dictus Bartholomæus adhæſit propriæ præſentationi,
25 videtur ſe ſe ipſum præſentaſſe, cum adhæſio hujuſmodi æquipolleat præſentationi, dum per illam favore adhærentis augetur numerus vocum, propter ſuæ quoque vocis computationem, ex firmatis ſuperius §. *Vrget enim*; Tum
26 inſuper quia ſilentium Compatroni, ubi æquipollet præſentationi, non alium effectum producit, quam in conſervando pro futuris vacationibus ſuam quaſi poſſeſſionem præſentandi ex facto Patronorum realiter præſentantium; *Rimin. Jun. conſ.* 214. *num.* 40., *& ſequen.*, *Garz. de Beneſ. par.* 5. *cap.* 5. *num.* 115., *& ſequen.*, *Rota cor. Arguell. dec.* 115. *num.* 9., *& coram Ludoviſ. deciſ.* 417. *num.* 9., *& dec.* 713. *num.* 6., *&* 7. *par.* 1. *diverſ.*

Minuſque denique obſtat, quod Bartholomæus declaraverit, pendente hac

lite, & ſic re non amplius integra, per ſupradictam adhæſionem intellexiſſe etiam conſentire præſentationi aliorum Compatronorum factæ commodo Antonii; quia cum de hac ejus voluntate, ac intentione nullum adſit ſignum in
27 ſupradicto Inſtrumento, hæc ejus voluntas, ſi quæ adfuit, veluti in animo retenta, & ad actum non deducta, nil operatur, nec diſponit, & conſequenter nullam meretur conſiderationem; *Text.in leg. quidam cum filium ff. de hæred.inſtituen., ibique Bald.num.1., & 2. & Imol.num.2., Dec. conſil.636. n.12. in fin. lib.2., Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. tit.de Penſion.dec.6. num.24., & de Primogenitur. dec.9. ſub n.10.*

Et ita, omiſſis levioribus deductis pro parte Antoñii, quibus benè ſatisfecerunt Informantes pro Dominico, reſponſum fuit, utraque Parte ſtrenuè jura ſua deducente &c.

TOLETANA JURIUM PAROCHIALIUM.

Lunæ 7. Maii 1736.

ARGUMENTUM.

Domus unius Parochiæ incorporatæ cum domo alterius Parochiæ huic ſubjectæ evadunt de jure tam communi, quam Statutario Eccleſiæ Toletanæ. Conſuetudo contraria utrique mox dicto juri, ut obliget, debet eſſe longæva; & quomodo hæc probetur.

SUMMARIUM.

1 *Juſtitia rei judicatæ viam præcludit reſtitutioni in integrum.*
2 *Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.*
3 *In vim Statutorum Eccleſiæ Toletanæ Domus unius Parochiæ ſi incorporentur in domo alterius Parochiæ, huic ſubjectæ evadunt;*
4 *Et hæc Statuta ut pote pro bono pacis edita obſervanda ſunt.*
5 *Duo vincula magis ligant, quam unum.*
6 *Conſuetudo contraria juri communi, ac municipali, ut obliget, debet eſſe antiquiſſima.*
7 *Teſtes de ſpecifico caſu non deponentes nihil probant*; & ſub num.10.
8 *Præſertim in comparatione aliorum Teſtium ſpecificè deponentium, & habentium aſſiſtentiam juris*, & ſub num.10.
9 *Teſtium formiter, & juſſu S. Rotæ non examinatorum nulla ratio habetur.*
10 *Teſtes deponentes de actis non excedentibus metam 40. annorum, & non reddentes rationem dicti, nec coarctantes negativam non probant conſuetudinem longævam.*

DECISIO XLIX.

Adhuc non acquieſcens Parochus Sanctæ Leocadiæ tribus conformibus Judicatis, & ſignanter ultimo hujus Sacri Auditorii coram Rmo Domino meo Decano declarantibus, Decimas, aliaque emolumenta Parochialia debita a Gabriele Alphonſo Buendia Domino, ac poſſeſſore Domus magnæ ſitæ in altera Parochia S. Vincentii integre ſpectare ad Parochum hujus ultimæ Parochiæ, non obſtante incorporatione quarundam parvarum Domuncularum exiſtentium in Parochia S.Leocadiæ dictæ Magnæ Domui facta per memoratum Gabrielem, nec eſſe inter eoſdem Parochos dividenda pro rata Ædificii in utramque Parochiam ſeſe extendentis, habuit recurſum ad plenam Signaturam pro obtinenda ſuſpenſiva appellatione, quæ non aliter reſcripſit, quam *ſine præjudicio*; Ideoque cauſa mihi delegata, propoſui hac mane ad inſtantiam ſupra recenſiti Parochi S.Vincentii unicè informantis ſolitum Dubium = *An conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum* — fuitque reſponſum -- *conſtare de re judicata* —
1 attenta ejus juſtitia, quæ ſemper viam præcludit cuicunque reſtitutioni in integrum; ad *Text.in cap.1., ibique Abbas de reſtit. in integrum, leg. Quod ſi Minor 25. §.1. ff. de minor., Rot. cor. clar.mem. Card. Falconer. tit. de Tutor. dec.5. n.1., & dec.10. n.2., & in Salamantina Pecuniaria 28. Febr.1735. §. Juſtitia cor. Me.*

Nec de earum juſtitia DD.dubitarunt; quia etſi ſupradictæ Domunculæ, ſive earum ſitus jaceat in Parochia S. Leocadiæ, nihilominus cum illæ, ut dictum eſt, aggregatæ, ac incorporatæ fuerint ſupradictæ magnæ, nobiliori, ac amplio-

pliori Domui exiſtenti in recenſita altera Parochia S. Vincentii, ceſſarunt eſſe de prima Parochia, & ſubjectæ remanſerunt ſecundæ S. Vincentii, cujus eſt dicta Magna Domus; cum quodlibet
2 acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis; ut in terminis tradit *Pignatell. conſult. Canonic. tom.8. conſult.5. n.7. in fine*, & *firmat Deciſio edita cor.Rmo Decano die 19.Novembris 1734. §.Hoc autem. cum pluribus ſeqq.*

Quod eo fortiùs procedere viſum fuit, dum ultra juris diſpoſitionem, de qua ſupra, id ipſum decernunt antiqua Sta-
3 tuta Eccleſiæ Toletanæ in *Cap.51.*, ubi hæc verba habentur — *Che quando ſi fabbricherà alcuna Caſa principale, che tiene la ſua porta principale determinata in certa Parrocchia, benchè ſi uniſcano alla medema altre molte Caſe, che ſiano d' altra Parrocchia, ed abbiano le ſue Porte alle medeme; che la detta Caſa principale coll'altre che ſi uniranno dentro della Caſa principale ſiano tutte unite una Caſa, e della Parrocchia, dove ſarà la Caſa principale, benchè abbiano altre Porte piccole, o falſe da ſervirſene per altra parte* — Quæ quidem ſtatuta renovata fuere anno 1728., idemque determinatum fuit in*Cap.13.*, & *14.*, & confirmata ab Archiepiſcopis pro tempore, & ſic utpotè edita ad fo-
4 vendam pacem inter Parochos omnino attendenda veniunt; ut pariformiter firmatur in *d.deciſ. Rmi Decani §.Huic autem*, & propterea ſi unà cum d. juris diſpoſitione concurrunt etiam recenſita ſtatuta, eo magis affirmare oportet, ſupradictas Domunculas incorporatas, ut ſupra, ſine ullo dubio propter incorporationem hujuſmodi evaſiſſe de memorata Parochia S.Vincentii juxta vulgare adagium, quod duo vincula magis
5 ligant, quam unum; ut inquit *Text.in §. Sed hodie inſtit. de adopt.*, & *in Authentic. Itaque C. Commun. de Succeſſ.*, *Barboſ. axiom.79. num.1.*, *Manſ. conſult.617. num.24.*

Non ſuffragante Parocho S. Leocadiæ aſſerta conſuetudine contraria præmiſſæ juris diſpoſitioni, ac Statutis, ſeu Conſtitutionibus Eccleſiæ Toletanæ; quia conſuetudinem hujuſmodi, quæ
6 uti habens contra ſe Cenſuram juris communis, ac juris Municipalis, de reliquo debet eſſe longæva, & antiquiſſimi temporis juxta diſtinctionem; de qua *Piton. diſcept. Eccleſ.16. ſub n.18. §. Advertendo*, *Rota cor. Emerix Jun. dec.731. n.9. 10.*, & *11.*, & *dec.764. num.8. 9.*, & *10.*, nullo modo probant teſtes adducti a dicto Parocho in præcedentibus inſtantiis, nedum quia vel
7 nil deponunt de aſſerta generali conſuetudine, vel nullum verbum faciunt de controverſo caſu aggregationis plurium parvarum Domuncularum cum ædificio principali de aliena Parochia,
8 ſed etiam ex quo ſuffocati remanent ab aliis teſtibus adductis a Parocho S.Vincentii, & ſpecificè deponentibus de continua obſervantia diſpoſitionis tam d. juris communis, quam dd. Conſtitutionum, & adducentibus exempla magis individua, & ſpecifica; ut latè probatur *in d.Deciſione Rmi Decani §.Illud apprimè. cum pluribus ſeqq.*

Minuſque etiam pro eadem conſuetudine comprobanda ratio haberi potuit aliorum Teſtium expiſcatorum a Parocho S.Leocadiæ poſt cauſam expeditam coram Rmo Decano; Tum quia
9 uti non examinati de ordine hujus Sacri Auditorii, & quidem formiter præviis ſolitis interrogatoriis nullam faciunt fidem, *Cap.2. extra de Teſt. ubi Gloſſ.in verbo Admonendus*, *Farinacc. de teſt.quæſt.72. num.1.*, *Cyriac. controv.287. n.2.*, *Rot. in rec. dec.8. n.17. par.12.*, & *dec.100. n.9. par.15.*, & *dec.355. n.8. par.18. tom.1.*, tum etiam
10 quia non concludunt, dum deponunt de aggregationibus recentibus, & non excedentibus metam quadraginta annorum, nulla reddita ratione quare in illis ita practicatum fuerit, cum hoc evenire potuerit ex incuria Parochorum non patrocinantium jura propriæ Eccleſiæ, vel ex amicabili compoſitione inter Parochos ſecuta, & non deponunt cum negativa coarctata, quod videlicet nil unquam practicatum fuerit in contrarium, & conſequenter ex omni parte hi Teſtes inepti ſunt etiam attento eorum dicto ad concludendam d. conſuetudinem, quæ, ut ſupra viſum eſt, exigitur longæva, & probata per Teſtes univoce deponentes, & non haben-

tes alios Teſtes magis qualiſicatos in contrarium.

Dum itaque ex hiſce conſtat omnes Ædes ſupradictas eſſe de Parochia S. Vincentii; inde fit, ut etiam Parocho iſtius debeantur Decimæ, ac omnia integra alia Emolumenta Parochialia, ut concluditur *in dicta Deciſione Rmi Decani §. Aſt in propoſita*.

Et ita informante tantùm Parocho S. Vincentii concluſum fuit &c.

ROMANA CONCURSUS SUPER PRÆLATIONE.

Veneris 11. *Maii* 1736.

ARGUMENTUM.

Renovatio, ſeu potius continuatio Locationis ſi fiat in vim pacti expreſſi in Inſtrumento exarato ab initio ejuſdem Locationis, creditum Locationis etiam ex cauſa penſionum ultimi novennii deſumit ſuam anterioritatem uſque a tempore præd. Inſtrumenti; quod ſecus eſt, ſi renovatio tacitè fiat; Prædictaque vera ſunt, etiamſi continuatio dependeat a conditione non factæ diſdictæ, quia hujuſmodi conditio eſt reſolutiva non ſuſpenſiva, & proinde non impedit retrotractionem hypothecæ. Piſtores præferuntur quibuſcunque Creditoribus reſervationem dominii, & ſpecialis hypothecæ non habentibus.

SUMMARIUM.

1 *Creditori anteriori debetur prælatio.*

2 *Si renovatio Locationis fiat in vim pacti expreſſi in Inſtrumento exarato ab initio ejuſdem Locationis, creditum Locatoris etiam ex cauſa penſionum ultimi novennii deſumit ſuam anterioritatem uſq. a tempore ſtipulationis præd. Inſtrumenti tam contra Conductorem, quam contra tertium; ſecus verò ſi renovatio tacitè fiat.*

3 *Diſdicta æque fieri poteſt a Conductore, & a Locatore.*

4 *Verba* — & deinde ad beneplacitum — *longum tempus, immo perpetuum important.*

5 *Et efficiunt, ut obligatio, & hypotheca contracta quoad primum novennium afficiant aliud quodcunque ſucceſſivum tempus, uſque ac contrahentes non recedant*;

6 *Non obſtante conditione faciendæ diſdictæ, quæ eſt reſolutiva, non ſuſpenſiva*; & ſub num. 14.

7 *Ex qua proinde non oritur novus contractus, ſed idem ſemper manet.*

8 *Conditio ſuſpenſiva nihil ponit in eſſe, nec ullam a principio ante ipſius exiſtentiam inducit obligationem*;

9 *Reſolubilis verò ſupponit jus purum, ita ut, reſolutione non eveniente, obligatio pura maneat uſque ab initio*; & ſub num. 11.

10 *Continuatio importat prorogationem, & repugnat novo actui.*

11 *Hypotheca dependens a conditione poteſtativa ſuſpenſiva non retrotrahitur, benè verò dependens a conditione poteſtativa reſolutiva.*

12 *Quæ ideo tribuit Creditori anterioritatem uſque a tempore initi contractus.*

13 *Secundum* Card. de Luc., & Rotam dec. 28. poſt Rodriq. *Locatio bonorum Eccleſiæ ad triennium in pacto, quod non facta diſdicta, intelligatur renovata ad aliud triennium, cenſetur renovata ex novo, & tacito conſenſu inducente novum contractum*; *ſed eſt caſus valde dubitabilis*. ſub num. 4.

14 *A diverſis non fit illatio.*

15 *Verba futuri temporis adjecta continuationi Locationis deſignant actum continuandi, non tempus, a quo hypotheca incipere debet.*

16 *Voluntas clara ſpectanda eſt, interpretatio verò locum non habet, niſi in caſu dubio.*

17 *Beneplacitum per mortem Locatoris expirat*;

18 *Limita concurrente pacto, ut beneplacitum ſit revocandum per diſdictam, quia tunc requiritur, ut ſucceſſor eam faciat.*

19 *Privilegium Piſtorum quoad prælationem ſuper bonis debitoris non habet locum contra habentes reſervationem dominii.*

20 *Creditor ex cauſa collectionis, & conſervationis fructuum præfertur Creditori reſervationem dominii ſuper illis habenti*; *quia fructus intelliguntur deductis expenſis*; *conjunge cum* §. Hæc. ſub num. 18.

21 *Pi-*

21 *Piſtor pro credito pretii panis præfertur quibuſcunque Creditoribus anterioribus, & potioribus reſervationem dominii, & ſpecialis hypothecæ non habentibus.*

DECISIO L.

IN eadem met Rota diei 24. Februarii currentis Anni, in qua beneficio novæ Audientiæ fuit revocata ad examen Deciſio coram Me die 7. Februarii currentis Anni 1735. ſuper redditione rationis, & credito DD. Principum de Pamphiliis, fuit quoque diſceptatum — *An eſſet ſtandum, vel recedendum a deciſis* — pariter coram Me ſub dicta die 7. Februarii, ſuper alio puncto prælationis in Bonis illorum de Paſcuccis communium Debitorum; & quia Domini, confirmata d. mea Deciſione reſpiciente redditionem rationis, & creditum, quoad præfatam prælationem non fuerunt concordes, nec ad ullam devenerunt reſolutionem; ideo Cauſam ſuper hoc puncto repropoſui in hodierna Audientia, & materia ſedulò diſcuſſa, non attentis accuratè deductis pro parte Defenſorum Baronis de Franceſchis, iidem Domini exiſtimarunt quoad ipſum perſiſtendum *in Deciſis juxta tamen modum*, de quo infra reſpectu Rinaldi Piſtoris.

Etenim non controverſa amplius per Baronem DD. Principibus prælatione ratione potioritatis pro conſecutione eorum crediti ex cauſa Locationis Latifundii *della Bottaccia* ſuper fructibus in illa collectis Anno 1727., & Ani-
1 malibus in ea repertis; Quoad reliqua Bona indifferentia dd. Fratrum de Paſcuccis communium Debitorum viſa fuit undique ſubſiſtens præterita reſolutio prælationem concedens Principibus ſuper dd. Bonis ratione anterioritatis; Cum eorum creditum ſuum initium deſumat a die 29. Maii 1702., quo fuit celebratum Inſtrumentum Locationis ejuſdem Latifundii *della Bottaccia*, & illud Baronis a die 20. Julii 1716., & propterea favore Principum militat ſatis nota diſpoſitio *Tex. in leg. Potior ff. qui potior. in pign. habeant.*, ut ait *Deciſio*, quæ revidetur §. *Tota proinde*.

Abſque eo quod memorata anterioritas excluſa remaneat ex repetito objecto, quod creditum Principum proveniat ex Penſionibus decurſis in tertio novennio Locationis renovato, & incepto Anno 1721., & ſic ab hoc tempore, & non prius deſumenda ſit ejuſdem crediti anterioritas, dum agitur cum tertio intermedio Creditore, & non cum ipſo met Conductore;

Recurrit ſiquidem reſponſio aliàs data, quod id procedit in relocatione,
2 ſive renovatione Locationis tacita, quæ dicitur novus, ac diſtinctus contractus ab illo Locationis, veluti efformatus ex novo Contrahentium conſenſu tunc præſtito, & deducto ex retentione rei locatæ poſt jam ceſſatam Locationem continuata a Conductore, & correſpectiva acquieſcentia Locatoris, non autem in renovatione, ſeu potius continuatione Locationis etiam in poſterùm expreſsè, & literaliter conventa in ipſo met Inſtrumento Locationis, de quo hìc agitur, & quæ non eſt Contractus novus, ſeu idem identificè cum illo Locationis, a quo proinde anterioritas crediti annuarum Penſionum deſumenda eſt, tam quoad primum, quam quoad alia quæcunque ſucceſſiva novennia; ut animadverſum fuit *in præterita Deciſione* §. *Neque obſtat cum ſequen.*

Contra hanc diſtinctionem, ſeu declarationem acriter inſurgebant Defenſores Baronis, contendendo, non obſtante etiam dicta expreſſa conventione ſucceſſivas renovationes Locationis habendas eſſe pro novis, ac diſtinctis contractibus ab illis ejuſdem Locationis, ſub ea ratione, quod cum poſt ceſſatum primum novennium conventum fuerit locationem, non facta diſdicta, tunc, & eo caſu durare debere per alios novem Annos, & ſic de novennio in novennium, inde oriebatur, quod cum hæc conventio ob di-
3 ctam conditionem diſdictæ, quæ eſt poteſtativa ex parte utriuſque Contrahentis, nil uſque tunc ponat in eſſe, nec obliget, ſemper ſit neceſſarius quoad continuationem novus conſenſus, ſeu Partium voluntas ex omiſſione d. diſdictæ declarata, quæ dum ſupervenit poſt jam ceſſatam primam Locationem.

nem reſtrictam ad unicum novennium, ita de plano importet contractum novum, atque diſtinctum ab illo primæ Locationis, qualis dicitur ſemper ille contractus, qui ex novo, ac independenti conſenſu producitur; & ſic a tempore dumtaxat iſtius novi contractus connumeranda veniat anterioritas, & hypotheca ſupradicti crediti DD. Principum Locatorum.

At Domini dixerunt, objectum hujuſmodi funditus everti ex eo, quod controverſa Locatio fuit facta quidem pro novennio, ſed inde tamen ad beneplacitum ambarum Partium ibi — *Affictavit &c. Tenutam nuncupatam della Bottaccia per novem Annos proximè futuros &c., & deinde ad beneplacitum ambarum Partium &c.* — quod ſicuti comprehendit nedum primum novennium, ſed etiam quodcunque ſucceſſivum tempus indefinitum, & indeterminatum ſub illis verbis — *& deinde*
4 *ad beneplacitum* — longum tempus, imo etiam perpetuum importantibus; *ut ex Text.in leg.4.ff. locati* communiter docent *Surd. conſil.524. n.4., & dec.265. num.55., Paeion.de locat., & conduct. cap.4. n.22., Rot.coram clar.mem.Card. Caprara dec.171. n.3., & coram Anſald.dec.23. n.3., & in recen.dec.2.n.20. par.11., & dec.535. n.4.par.19.tom.2.,* per conſequens illamet obligatio, &
5 hypotheca contracta quoad dictum primum novennium afficit etiam aliud quodcunque tempus ſucceſſivum, quo Partibus ſic volentibus, & contrarium non declarantibus, continuatum fuit in Locatione, & eodem modo, quo d.obligatio pura, & abſoluta eſt reſpectu ejuſdem primi novennii, dicitur etiam talis quoad aliud tempus ſucceſſivum, non exiſtente, ut dictum eſt, in contrarium aliqua Contrahentium declaratione, quæ recenſitam obligationem, & hypothecam reſolvat; ad tradita per *Dec. conſil.108. lib.1., Mantic.de tacit., & ambig. convent. lib.5. tit.4. n.2., Card. de Luc.de locat.diſc.19. n.13., Thomat. dec.Marchiæ 203. n.63.*

Non refragante, quod reſpectu continuationis Locationis poſt dictum primum novennium habita fuerit conventio de facienda diſdicta, quatenus aliqua ex Partibus continuare nollet in Locatione, quod importat conditionem
6 poteſtativam: Quia conditio hujuſmodi non eſt ſuſpenſiva præcedentis, ac prioris obligationis, ſed tantùm reſolutiva illius, attenta qualitate diſdictæ, quæ eſt deſtinata præcisè ad reſolvendum contractum jam in ſe perfectum, & præcedenter concluſum, *Rot.coram Herrera dec.164. num.3.*, ac propterea donec, & quouſque diſdicta facta non
7 fuerit, ſemper manet in eſſe, ac perſeverat eadem prior obligatio; nec quoad dictum ſucceſſivum tempus neceſſarius eſt novus contractus, quem nunquam producit pactum faciendi diſdictam, uti tradunt *Decius d. conſil.108. num. 4. lib.1., Gabriel.conſil.73. n.6. lib.1., Caſtracan. de ſociet. Offic.cap.55. num.12., Gratian.diſcept.forenſ. cap.534.num.9., & 10.*

Et hæc eſt illa differentia, quæ intercedit inter conditionem ſuſpenſivam, & reſolutivam, quod prima nihil ponit
8 in eſſe, & ita ſuſpendit, ut ab ipſo principio ante ejus exiſtentiam nulla dicatur contracta obligatio, ſed ſolum quædam ſpes, quod illa inpoſterum ſuccedat; *leg.cedere diem ff.de verbor.ſignificat., leg. legata ſub conditione relicta ff. de condit., & demonſtrat., Oldrad.conſil.285. n.7. verſic.ad tertium, Paul. de Caſtro conſil.452.in princip.*, ſecunda verò operatur totum oppoſitum; Præſupponit enim Jus purum, ſive obliga-
9 tionem abſolutam uſque ab initio reſolubilem, & hac reſolutione non ſecuta, eadem obligatio pura manet, & abſoluta a principio, itaut ex illa agi poſſit, ut agitur ex obligatione ſimplici, pura, & abſoluta. *leg. proponebatur ff. de Caſtren.pecul., idem Oldrad. d.conſil.285. n.8.verſic.in ſecunda, Alexand.conſ.91. n.5.verſic. ſed ſi in aliquo lib.4., Rot.deciſ.6.n.9.tit.de Donat.cor.Falcon.tom.1.*

Idemque expreſsè voluerunt Contrahentes exprimendo in Inſtrumento Locationis, quod poſt novem primos Annos, diſdicta non ſecuta, continuare, ac perſeverare deberet per ſucceſſivum tempus, ac alia novennia idemmet Inſtrumentum Locationis, ſive prior ejus contractus; ut conſtat literatiter ex tenore memorati Inſtrumenti

tam

tam in parte affirmativa diſdictæ ibi — *& deinde ad beneplacitum ambarum Partium , cum diſdicta tamen ſex Menſium &c. facienda ab illa Parte in hujuſmodi Inſtrumento affictus amplius continuare nolente* -- quam in parte negativa ibi — *Qua diſdicta non facta , & in Actis mei non reproducta , tunc , & eo caſu præſens Inſtrumentum affictus continuare debeat per alios novem Annos &c., & ſic de novennio in novennium , donec d. præceſſerit diſdicta, ſemper cum eiſdem pactis , capitulis , annuo affictu , & aliis contentis , & expreſſis in præſenti Inſtrumento .*

Si itaque Contrahentes etiam quoad ſucceſſivum tempus Locationis poſt primos novem Annos, & alia poſteriora novennia voluerunt continuationem primi Inſtrumenti Locationis , ac obligationis, & hypothecæ cum omnibus aliis , & ſingulis in illo contentis , eo magis apertè dignoſcitur ex conventione ſupra recenſitæ diſdictæ quoad enuntiata alia ſucceſſiva novennia non eſſe neceſſarium novum contractum , nec conſenſum eorundem Contrahentium ; ſed ſemper reſpectu illorum durare , & firmam remanere obligationem, & contractum ; cum continuatio iſtius quoad
10 alia novennia , quæ ex ſui natura importat diffuſionem , & prorogationem directò repugnet renovationi , ſeu novo contractui Locationis ; ut obſervatum fuit *in mea præterita Deciſione §. Idque apertius* , & firmavit *Rota cor. Cerro dec.415. num.5., & 6.*, & in puncto *in Reatina Locationis 16. Martii 1703. §. Non obſtat , & ſeq. cor. clar. mem. Card. Scotto* .

Quibus ſic ſtantibus , ceſſare etiam viſum fuit alterum objectum ſuper non admiſſione retrotractionis hypothecæ conditionalis , & quidem conditione poteſtativa, ut eſt illa diſdictæ , ad diem contractus in præjudicium intermedii Creditoris juxta terminos *Textus in L. Titius ff. quæ res pignor. obligar. non poſſ.* , cui conſonat alter *in Leg. potior.*
11 *11. ff.* , *qui potior. in pignor.* ; Quia hæc veriſſima ſunt in terminis conditionis poteſtativæ , & ſuſpenſivæ , quæ nil ponit in eſſe, & obligationem ſuſpendit uſque ad illius eventum, non autem conditionis reſolutivæ quantumvis poteſtativæ , quæ contractum non ſuſpendit, ut eſt *Text.* expreſſus *in L. ſi res ita ff. de contrahend. empt.* , cum autem in præſenti caſu , ut ſupra firmatum fuit , conditio prædicta ſit tantum reſolutiva tam ex ſui natura , quam ex voluntate Contrahentium ; ita ut ea purificata contractus habendus ſit pro puro , &
12 abſoluto ; Nulli eſt dubium , quod a tempore iſtius ſit deſumenda anterioritas crediti DD. Principum , & non a die purificationis ejuſdem conditionis; cum illa met obligatio, & hypotheca uſque ab initio impreſſa ſemper duret , & firma remaneat , eo ipſo quod revocata non fuit ; ut in caſu tenet *Pacion. de locat. , & conduct. cap.39. n.59.* , & explicando Textus ſupra allegatos , ac diſtinguendo firmavit *Rota in Romana Pecuniaria , ſeu Cauthelæ Angeli 4. Februarii 1722. §. Non attento , & ſeq. coram bon. mem. Foſcaro* .

Atque hinc conſiderationem non meruerunt *Card. de Luc. de alien. diſc.1. ſub n.33., & de Locat. diſc.22. ſub n.3. , & Rot. dec.28. n.5. poſt. Rodriq. de ann. red.*, firmantes locationem factam ad triennium cum pacto , quod , non facta diſdicta , intelligatur renovata ad aliud triennium , cenſeri renovatam pro dicto tempore ex novo tacito Contrahentium conſenſu oriente ex facto negativo non factæ diſdictæ , & eſſe novum, ac diſtinctum contractum ab illo primo Locationis , nec conſequenter eſſe locum ulli retrotractioni hypothecæ hujus ſecundi temporis ad primum tem-
13 pus , quia loquuntur in terminis Locationis non indefinitæ , & Bonorum Eccleſiæ , cujus reſpectu militat diſpoſitio *Extravagantis Ambitioſæ de rebus Eccleſiæ non alienan.* , prohibentis locationem dictorum Bonorum ultra triennium ſub diverſis pœnis ; & ideo nil curandum eſt , ſi ad haſce pœnas evitandas in dicto caſu data fuerit ſupradicta interpretatio , dum hic agitur de Locatione Bonorum Laicalium , & indefinita propter ſupra enuntiata verba -- *& deinde ad beneplacitum* -- , cui non congruit ratio prædicta ; & ex di-
14 verſis nulla fieri valet illatio , vulgata *Leg. Papinianus ff. de minor.* , licet de cæ-

cætero præmiſſa interpretatio, ſive intelligentia juxta ſenſum *Card. de Luc.*, *& deciſionis ſupradictæ poſt Rodriq. de ann.redit.*, & caſus, in quo iſti loquuntur etiam in terminis Locationis Bonorum Eccleſiæ, ſit valde dubitabilis propter ſupradictum immotum principium, quod conditio faciendæ diſdictæ, ut ſupra viſum eſt, non ſit ſuſpenſiva, ſed tantùm reſolutiva; ut in eiſdem terminis bene conſiderat *Pignattell. conſult. canon.*95. *n.*233., *& ſeqq.tom.*6.

Nec refert ulteriùs, quod ſupra dicta retrotractio hypothecæ ad diem contractus, ſive locationis nequeat admitti, quia ceſſato primo novennio, non facta diſdicta reſpectu continuationis, fuerint adhibitæ illæ dictiones -- *tunc, & eo caſu præſens Inſtrumentum affictus continuare debeat &c.* -- reſpicientes tempus futurum, & excluſivæ tem-
15 poris præteriti; Quia ex antea firmatis conſtat, illam primam hypothecam infixam in primo Inſtrumento Locationis, veluti non revocatam, ſemper fuiſſe continuatam, & propterea eædem dictiones dici debent adjectæ ad deſignandum ipſum met actum continuationis, non autem tempus, a quo hæc continuatio quoad obligationem, & hypothecam ſuum initium deſumere deberet; *Rot. coram Coccin. dec.*2121. *n.*89.; *& in rec.dec.*278. *n.*14.*par.*18., *& in Reatina Fideicommiſſi* 3.*Jun.*1726. §.*finali, coram bon.mem.Gamachcs*; Maximè dum reſtrictioni hujuſmodi ad tempus, quo continuatio ſuccederet, reſiſtit clara, atque literalis voluntas Contrahentium, qui dixerunt, quod *tunc continuare deberet præcedens Inſtrumentum affictus*. Quæ quidem vo-
16 luntas ita clara, & manifeſta unicè ad hunc effectum ſpectanda venit, rejecta quacunque alia cogitabili interpretatione ſolummodò examinanda in caſu dubio voluntatis; ut in terminis præciſis firmant authoritates ſuperiùs allegatæ §.*Si itaque*, videlicet *Rot.cor.Cerro dec.*415. *n.*5., *&* 6., *& in Romana Locationis* 16.*Martii* 1703. §.*Non obſtant. cor. clar.mem. Card.Scotto*.

Denique momenti non eſt, quod locatio per mortem Æmiliani Conductoris ſecutam pendente ſecundo novennio expiraverit, & ideo juris neceſſitate nova reconductio ex novo tacito conſenſu dici debeat renovata in illius filiis, & hæredibus, qui in eadem Locatione continuarunt; Quoniam licet ſit
17 verum, quod beneplacitum per mortem expiret, ut in *L.*4.*ff.locati*, *Cap.ſi gratioſè de reſcript. in* 6., æquè tamen
18 verum eſt, quod quotieſcunque, prout in hypotheſi, conventum fuit, ut beneplacitum ſit revocandum per diſdictam, tunc per mortem non revocetur, ſed ex primo contractu duret, donec a Succeſſore expreſsè mediante præfata diſdicta revocatum non remanſerit; *Bartol.in Leg.more majorum n.*17.*ff.de Juriſdiction. omnium Jur.*, *Dec. ſupracit. conſil.*108. *n.*3., *&* 4.*lib.*1., *Caſtracan. de Societ. cap.*53. *n.*13., *& ſeq.*; Quod verò dicti filii, & hæredes Æmiliani Conductoris, veluti minores, non poſſent Locationem continuare ſine ſolemnitatibus Statutariis, jam præventivè, & in alia mea *Deciſione dici* 24.*Februarii Anni currentis* 1736. *ſuper Redditione Rationis* §. *Sicuti nec etiam*, objectum hujuſmodi tunc etiam a Barone deductum ſublatum fuit, & rejectum.

Hæc quoad Baronem de Franceſchis; Reſpectu verò Valentini, ac aliorum hæredum quond. Dominici Rinaldi Piſtoris in urbe creditorum illorum de Paſcuccis communium debitorum pro pretio panis in ſumma ſcut.168., & obul.60. Domini *receſſerunt a deciſis*, (& in hoc ſtetit *modus* reſolutioni adjectus) authumantes pro rata ſcut.68., & obul.60. eoſdem de Rinaldis eſſe præferendos DD.Principibus de Pamphiliis etiam ſuper fructibus collectis in Latifundio *della Bottaccia*, ac Animalibus in ea repertis, quantumvis ſuper his iidem Principes in Inſtrumento Locationis ſibi reſervaverint dominium, ac ſpecialem hypothecam adverſus quoſcunque privilegiatos, & privilegiatiſſimos Creditores; cui fundamento innixa fuit *præterita deciſio* §. *Quo verò*. Nam cum ex duobus Ordinibus Livaldini Œconomi deputati a Judice ſuper Bonis dd.Debitorum, & ex Peritia judiciali relatis conſtiterit pro d.rata panem traditum fuiſſe tam Procuratori, ſive Defenſori Œconomiæ, quam Operariis

rariis

Digitized by Google

rariis Maſſariæ; Pro hac omnis prælatio debita eſt eidem Piſtori ſuper dictis fructibus, & Animalibus, haud attenta ſupradicta reſervatione Dominii; Non
19 quidem in vim allegati privilegii ſan. mem. Urbani VIII. Piſtoribus conceſſi anno 1634., quod contra reſervationem dominii habentes, uti nimis exorbitans, nunquam fuit uſu receptum, neque in Tribunalibus ſervatum, etiam ex declaratione ipſius Summi Pontificis concedentis emiſſa in plena Signatura Gratiæ; prout teſtantur *Card. de Luc. de Dot. diſc. 81. n. 5., & diſc. 166. n. 46., & ſeqq., Zaul. ad Statut. Favent. lib. 7., rubr. 11. n. 19. tom. 2., Conſtantin. ad Statut. Urbis annot. 39. art. 1. n. 69., & ſeq. tom. 1.*, a qua praxi exiſtimarunt Domini non eſſe recedendum.

Sed ex ipſa met diſpoſitione Juris communis deducta ex *Text. in L. ſi a*
20 *Patre, vel a Domino §. ultim. ff. de petit. Hæredit.*, juxta quam habetur, quod ex fructibus collectis a Bonis priùs ſint deducendæ expenſæ neceſſariæ factæ pro illorum collectione, & reſpectivè conſervatione, cum tanto minus in illis adeſſe dicatur, quantum eædem expenſæ important, & in terminis tenent *Card. de Luc. de eredit., & debit. diſc. 16. n. 2. cum duob. ſeq., & de dote ſuprad. diſc. 166. num. 51., Conſtantin. ad Stat. Urbis d. annot. 30. art. 1. n. 72. tom. 1.*

Pro reſiduali verò ſumma ſcut. 100. panis, qui traditus fuit Paſcuccis tempore, quo eorum Bona manebant ſub dicta Œconomia Livaldini, cujus proinde reſpectu deficit omnis præſumptio, quod ceſſerit in cauſam ſupradicti Latifundii *della Bottaccia*; dixerunt iidem Domini, Rinaldos eſſe præferendos ſuper aliis Bonis illorum de Paſcuc-
21 cis recenſitis Principibus; Cum enim quoad hæc ceſſet ſupra enunciata reſervatio Dominii, & ſpecialis hypothecæ, conſequenter locum habere debet memoratum privilegium prælationis adverſus quoſcunque alios Creditores etiam anteriores, & potiores a dicto Urbano VIII. conceſſum, *Conſtantin. ad Statutum Urbis eadem annot. 30. art. 1. n. 68. vol. 1.*, & aliàs dixit *Rota in Romana Pecuniaria 14. Martii 1701. §. fin. cor. bon. mem. Anſald.* cum aliis concordan. *apud Zaul. ad ſtatut. Faventin. Rub. 11. lib. 7. in addit. n. 8.*

Et ita, firmis remanentibus reliquis in mea præterita Deciſione deductis quoad Bartolettum, alioſque Creditores non comparentes, in acerrimo, præſertim inter Principes, & Baronem, ſtrenue jura ſua deducentes, conflictu, poſt ſecundam cauſæ propoſitionem reſponſum fuit &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE RHODIANIS.

Lunæ 14. Maii 1736.

ARGUMENTUM.

Qualitates in parte diſpoſitiva adjectæ repetitæ cenſentur in conditionali, ubi agitur de iiſdem perſonis; præſertim ſi ex tali repetitione non oriatur reſtrictio vocationis, ſed prælatio dumtaxat maſculorum. Recenſentur, & refelluntur conjecturæ repetitioni contrariæ. Prærogativa ſexus vincit beneficium Lineæ, ubi a Teſtatore volita fuit in omnibus gradibus deſcendentiæ prælatio maſculorum, in quorum tantùm defectu vocavit fœminas. Deſcendentes a communi ſtipite conſtituunt quidem diverſos columnellos, ſed non diverſas Lineas.

SUMMARIUM.

1 *Filii in conditione poſiti ex ſtatuto Urbis habentur pro diſpoſitivè vocatis.*
2 *Qualitates in parte diſpoſitiva adjectæ cenſentur in conditionali repetitæ, ubi agitur de iiſdem perſonis*; & num. 8.
3 *Quia cum æqualis ſemper erga eaſdem præſumatur benevolentia Teſtatoris, ita præſumi debet volita repetitio earundem qualitatum.*
4 *Conditionalis non cenſetur comprehendere alias perſonas, quam diſpoſitivè vocatas.*
5 *Repetitio ſupradicta faciliùs admittitur, ſi ex ea non ſequatur reſtrictio vocationis, ſed prælatio dumtaxat maſculorum.*
6 *Caducatio fideicommiſſi perpetui ſemper eſt vitanda.*
7 *Verba* — dicti, prædicti, ut ſupra — *ſunt relativa.*

8 *Conjecturæ deſumptæ a modo diſcretivo loquendi, & a defectu verborum relativorum ad effectum excludendi ſuprad.repetitionem vim habent, ubi de diverſis perſonis agatur, non ubi de iiſdem.*

9 *Onus dotandi fœminas verbis indefinitis, ac perpetuitatem denotantibus impoſitum, cenſetur ubique repetitum, nec ex ejus omiſſione in aliquo peculiari caſu inferri poteſt, quod in eo nolita fuerit prælatio maſculorum.*

10 *Diverſitas, ac ſeparatio orationis non obeſt repetitioni qualitatum, ubi res eſt de iiſdem perſonis.*

11 *Ordinatio continuativa inſtitutionis, & ſubſtitutionum habetur pro unica oratione ſimul unita, quamvis ejus partes regantur a proprio, & peculiari verbo*; & num. ſeq.

12 *Quod non procedit, ſi orationes, & ſubſtitutiones longo intervallo inter ſe diſtent.*

13 *Qualitas maſculinitatis ut repetita cenſeatur inter eaſdem perſonas, non eſt neceſſaria contemplatio agnationis, ſed ſufficit, quod exoptata fuerit eadem qualitas maſculinitatis, & prælatio maſculorum.*

14 *Fideicommiſſarius ſuccedit jure proprio tanquam hæres Teſtatoris independenter ab hæredibus gravatis.*

15 *Deſcendentes a communi ſtipite conſtituunt quidem diverſos Columnellos, at non diverſas Lineas.*

16 *Volita a Teſtatore prælatione maſculorum in omnibus gradibus deſcendentiæ ſui hæredis, ita ut fœminæ ſuccedere nequeant niſi in eorum defectu, prærogativa ſexus vincit beneficium Lineæ.*

DECISIO LI.

IMmiſſio, quam vigore fideicommiſſi conditi a Cæſare de Rhodianis pro filiis, & deſcendentibus Jacobi Antonii ejus ex Laura ſorore Pronepotis expoſtulavit Comes Hieronymus a Porta per medium Lauræ ejus Aviæ deſcendens a prædicto Jacobo Antonio, in poſſeſſionem illius portionis bonorum fideicommiſſariorum obventæ Innocentio ejuſdem Hieronymi fratri, & modò detentæ a Maria Eleonora, & Laura Roſalia illius filiabus, conceſſa remanſit eidem Comiti Hieronymo ab R.P.D. Merlino in locum A. C. deputato: ſed devoluta cauſa in gradu appellationis ad hoc Sac. Tribunal, illa denegata fuit præcipuè ex duabus rationibus deductis in Deciſione deſuper edita coram Me ſub die 20. Junii anni præteriti 1735.

Altera nempe, quod illa perpetua prælatio Maſculorum Deſcendentium in concurſu Fœminarum, cui innitebatur Hieronymus pro obtinenda ſupra recenſita immiſſione, unicè exoptata fuerit a Cæſare Teſtatore in primis duobus ex tribus caſibus per eum conſideratis; primò videlicet, ſi Jacobus Antonius hæres inſtitutus decederet cum filiis, & deſcendentibus maſculis, dum tunc injunxit, ut maſculi ſuccederent, & fœminæ dote providerentur; & alio caſu cum ille ſine filiis maſculis decederet, in quo Teſtator mandavit ſuccedere filias ex illo natas, omneſque earum deſcendentes, ſemper præferendo maſculos fœminis.

Ideoque cum neuter ex his caſibus evenerit, dum Jacobus Antonius deceſſit relicto maſculo, idest Julio Cæſare, & duabus fœminis Virgilia ſcilicet nupta in domo Raſpona, atque Laura nupta Franciſco a Porta, ſubindeq. obiit dictus Julius Cæſar abſque filiis, & deſcendentibus, ſuperſtitibus tamen dictis ejus ſororibus; ſequitur, quod factus fuerit locus tertio caſui, in quo, obeuntibus Jacobo Antonio abſque filiis, aut ejus deſcendentibus pariter abſque filiis, Teſtator vocavit, atque ſubſtituit in ſua hereditate pro medietate bina loca Pia Urbis; juxta quem caſum dd. ſorores, a quarum altera, nempe Laura deſcendunt collitigantes, admiſſæ fuere ad ſucceſſionem, ut ex *dec.499.cor.bon. mem. Dunozett. Jun.*; Ex quibus inferebatur, quod dicta maſculorum prælatio volita in recenſitis duobus primis caſibus, nec volita, nec exoptata fuerit in tertio, eo ipſo, quod in iſto illa expreſsè repetita non fuerat.

Altera verò, quod admiſſa etiam hac maſculorum prælatione, iſta intelligenda eſſet diſcretivè in qualibet linea, ſive columnello, & conſequenter cum ex

Digitized by Google

ex perſona ſupradictæ Lauræ Aviæ, portio bonorum fideicommiſſariorum diviſa fuerit in duos illius filios, ideſt Innocentium Patrem Mariæ Eleonoræ, & Lauræ Roſaliæ, ac Hieronymum Actorem; nequeat iſte licet maſculus aſpirare ad ſucceſſionem portionis Innocentii, exiſtentibus de medio dictis ejus filiabus, quamvis carentibus dicta qualitate maſculina.

Verùm conceſſa Hieronymo adverſus ſupradictam meam Deciſionem nova audientia, & altius reaſſumpto per illius defenſores examine voluntatis recenſiti Teſtatoris, poſt binas cauſæ propoſitiones, in quibus nulla capi valuit reſolutio ob diſcrepantiam ſuffragiorum, tandem in hac tertia propoſitione, ſuffragantibus etiam Quinto, & Sexto ex Dominis poſt conſuetum turnum ſedentibus, agnita inſubſiſtentia fundamentorum memoratæ præteritæ reſolutionis, ea docilitate, qua Sac. Auditorium pollet, *receſſum fuit a deciſis*.

Et profectò corruere viſum fuit primum fundamentum, ſive ratio ſupra recenſitæ præteritæ reſolutionis: quandoquidem, etſi Cæſar Teſtator tam in primo, quam in ſecundo ex prædictis caſibus invitaverit ad ſucceſſionem maſculos deſcendentes a Jacobo Antonio hærede inſtituto prælativè ad fœminas, iſtaſque non vocaverit, niſi in ſubſidium, ac in defectum omnium maſculorum; nihilominus cum in ſucceſſiva parte conditionali, ſub qua ſubſtituta fuere Loca Pia, qui eſt tertius caſus, poſuerit in conditione illoſmet maſculos, & fœminas deſcendentes, ut dictum eſt, ab eodem Jacobo Antonio, ac quandocunque deficientes ſine filiis, in hoc quoque tertio caſu dicendum eſt, eoſdem deſcendentes fuiſſe poſitos in con-
1 ditione, & ſic juxta Statutum Urbis in *cap.* 142. diſpoſitivè vocatos cum dicta prælatione maſculorum in concurſu fœminarum, quamvis hìc eadem prælatio non fuerit expreſsè, ac literaliter repetita; ex recepta propoſitione, quod omnes qualitates adjectæ in parte di-
2 ſpoſitiva repetitæ cenſentur in parte conditionali, ubi, ut hìc, illæmet perſonæ in parte diſpoſitiva vocatæ, fuerunt quoque in conditione poſitæ; *Torr. de Primogen. par.* 1. *cap.* 37. *num.* 53., *& ſeq.*, *Ridolphin. alleg.* 34. *n.* 11., *Rot. in rec. dec.* 237. *num.* 5. *par.* 5., *& dec.* 330. *n.* 10. *par.* 12., *& dec.* 76. *n.* 11. *par.* 13., *& dec.* 410. *n.* 43. *par.* 19., *& in Mantiſſ. ad Card. de Luca lib.* 10. *dec.* 28. *n.* 7., *& ſeqq.*, *& dec.* 29. *n.* 2. *tom.* 2.

Ea nempe ratione, quia ſicuti circa eaſdem perſonas præſumitur ea-
3 dem æqualis affectio Teſtatoris, ita & præſumenda eſt cujuſcunque qualitatis repetitio, ut concordando contrarias opiniones Joannis de Anania, & Abbatis diſtinguunt *Deeian. reſponſ.* 12. *n.* 45. *vol.* 1., *Giovagnon. conſ.* 21. *num.* 59., *&* 61. *lib.* 1., *Noguerol. alleg.* 23. *n.* 40., *& ſeq.*, *Rot. in rec. dec.* 76. *n.* 11. *par.* 13., aliique relati per *Vrceol. conſult. forenſ. cap.* 57. *n.* 34.

Quod autem in dicta parte conditionali poſitæ fuerint in conditione eædem met perſonæ vocatæ in parte diſpoſitiva Teſtamenti Cæſaris de Rhodianis, & ſic in ſæpedictis duobus primis caſibus ab eo conſideratis, deprомptum fuit ex eo, quod in primo ſubſtituuntur Jacobo Antonio — *li ſuoi figliuoli maſchj, ed altri Diſcendenti maſchj, che naſceranno da lui in infinito, ed in perpetuo di legittimo Matrimonio con peſo di dotare di dote conveniente le figliuole femmine* — Et in ſecundo caſu obeunte d. Jacobo Antonio ſine filiis maſculis, ita diſponitur — *in tal caſo nella ſua Eredità ſuccedano ſiccome adeſſo ſoſtituiſco le figlie femmine nate d'eſſo Giacomo Antonio mio Erede, e tutti altri loro Diſcendenti maſchj legittimi, e naturali, ed in caſo di mancamento de' maſchj le figlie femmine in infinitum*.

Quapropter cum Teſtator in tertio caſu, ſive parte conditionali ita ſe expreſſerit — *e caſo, che detto Giacomo Antonio moriſſe ſenza figliuoli legittimi, e naturali, ovvero li ſuoi Diſcendenti in qualſivoglia tempo moriſſero ſenza figliuoli legittimi, e naturali, in tal caſo ſoſtituiſco &c.* — patet per conſequens nimis evidenter, facta præmiſſorum combinatione, eaſdemmet perſonas incluſas in recenſita parte diſpoſitiva Teſtamenti eſſe illaſmet in conditione poſitas, & in parte conditionali expreſſas, dum in ſubſtantia utraque ſeſe ha-

bet de filiis ; ac deſcendentibus tam
maſculis , quam fœmin is a Jacobo An-
tonio perpetuò vocatis , ut legenti pa-
tet ; Id quoque ſuadente regula , quod
4 pars conditionalis non cenſetur com-
prehendere alias perſonas, quam diſpo-
ſitivè vocatas ; *Gabriel.conſ.116. n.32. verſ. Et deſcendentes maſculi lib.2., Rodulphin. allegat.174. n.16. , Rot. coram Cerro dec.910. n.25. , & dec.956. n.6., & in rec. dec.402. n.10. par.9.*

Eoque libentiùs Domini inclinarunt
pro repetitione ſupradictæ prælationis
5 etiam in enuntiato tertio caſu , quia
per illam non fit ulla reſtrictio perſo-
narum incluſarum in parte conditio-
nali , itaut facilior reddatur eventus ca-
ſus ſubſtitutionis Locorum Piorum, ſed
tantum datur prælatio maſculis in con-
curſu fœminarum , quibus ſicuti ſemper
firma remanet ſucceſſio in caſu ſubſidii,
& maſculorum defectus , ita eo magis
admittenda videtur , cum per iſtam
ſuccedere nequeat caducatio Fideicom-
6 miſſi perpetui primariò , ac principali-
ter a Teſtatore deſiderati ſemper vitan-
da ; ad *Text.in leg.cogi 16.in princip.ff. ad S.C.Trebell., Rot.cor. clar. mem.Cardinal. Falconer. tit. de fideicom. dec.53. tit. 15.*

Quin DD. ab eodem ſenſu retrahere
valuerint conjecturæ , & circumſtantiæ
examinatæ in præterita deciſione §. *Potiſſimum* , atque a Sororibus reis con-
ventis repetitæ , ac aliæ de novo addu-
ctæ in præſenti propoſitione ; quod vi-
delicet in dicto tertio caſu , ſeu parte
conditionali Teſtator non expreſſerit
prælationem maſculorum , ut fecit in
parte diſpoſitiva, nec ullam relationem
ad iſtam habuerit mediantibus ſolitis
7 verbis relativis — *dicti, prædicti, ut ſupra* —, nec in ea repetierit onus dotan-
di fæminas , quodque demum repetitio
maſculinitatis , ſive d. prælationis ma-
ſculorum non detur , ubi orationes ſunt
prorſus diverſæ , & ſeparatæ , ac rectæ
a ſuis particularibus verbis, & non aga-
tur de fideicommiſſo agnatitio , ſive
condito pro conſervanda agnatione , &
quia alioqui induceretur odioſum fi-
deicommiſſum ſaltuarium de linea ad
lineam .

Etenim ponderatum fuit , quod pri-
ma conjectura deſumpta ex diſcretivo
8 modo diſponendi Teſtatoris conſidera-
tur , quando contenditur deduci repe-
titio maſculinitatis inter diverſas per-
ſonas , quarum reſpectu militare poteſt
diverſa ratio, ſive affectio; prout etiam
in eodem themate conſideratur ſecunda
defectus dictionum relativarum in par-
te conditionali , quia cum tunc deficiat
veriſimilis mens Teſtatoris pro repeti-
tione , ea induci nequit , niſi voluntas
repetendi fuerit expreſſa in parte con-
ditionali, vel explicata per æquipollens
ex enuntiatis relativis verbis : At ſecus
eſt , ubi , ut hìc , agitur inter eaſdem
perſonas , in quibus cadit æqualis affe-
ctio ; in hoc namque caſu cum volun-
tas Teſtatoris, ſive ejus præſumptio ſtet
pro repetitione , id ſufficit ad hoc , ut
illa exoptata dicatur , nec excluditur
ex prædictis conjecturis ; dum ſi etiam
in hoc caſu requireretur expreſſa vo-
luntas Teſtatoris , vel æquipollens ut
ſupra, fruſtra quæreretur inter Doct. de
tacita repetitione , & tamen in hiſce
circumſtantiis communiſſima eſt opinio
affirmativa pro eadem tacita repetitio-
ne ; ut ultra individuales authoritates
relatas ſuperiùs §. *Profectò* tradunt
Surd. conſ.21. n.9. , Peregrin.de Fideicom. art.25.num.30., cor.Bich.dec.101. n.27. , & ſeq. , & cor.Emer.Jun. deciſ.660. num.8

Ejuſdemque levitatis eſt tertia conje-
ctura ex eo elicita , quod in hac parte
9 conditionali non fuerit repetitum onus
dotandi fœminas: nam cum iſtud injun-
ctum fuerit maſculis cum verbis indefi-
nitè prolatis , ac denotantibus perpe-
tuitatem , nulla neceſſitas aderat illud
repetendi omnibus maſculis poſtea ſub-
ſtitutis cum prælatione firmiſſima ſupra
fœminas ; quoniam hoc onus tacitè vi-
detur injunctum omnibus aliis deſcen-
dentibus , ac ſucceſſoribus in fideicom-
miſſo quoad omnes caſus , quoad omnes
perſonas , & quoad omnia tempora ;
Gloſſ. in L.1.ff. ſolut.Matrimon.in verſ. ſemper , Caſtill. lib. 2. controv. cap.22. num.9. , Carol.Anton.de Luc.de lin.leg. tom.1.art.12. , a n.27.uſque ad 30., Rot. cor.Priol.dec.110.n.8., & cor.clar.mem. Card. Caprar.dec.47. num.22., dec.288. num.5. 6. , & 7.

Re-

Digitized by Google

Reliquę verò nullius ſunt momenti, ut quoad prætenſum abſurdum fideicommiſſi ſaluarii infra demonſtrabitur; quoad diverſitatem autem, ac ſeparationem orationum, ultra quod iſta non
10 attenditur, ubi res eſt de repetenda qualitate maſculinitatis inter eaſdem Perſonas, juxta deducta per *Curt. Sen. conſil.52. col.3. n.28., Corn.conſil.202. n.8.lib.3., Pariſ.conſ.18. n.28., & 29. lib.2., Mantic.de conjectur. ult. volunt. lib.6.tit.13. n.9.*, aliosque congeſtos per *Peregr. de fideic. art.25. n.30.*, inſuper eam ne adeſſe quidem in præſenti caſu eruitur ex ipſo tenore Teſtamenti, in quo Cęſar Teſtator conſiderando exiſtentiam maſculorum Jacobi Antonii primi hæredis, illos vocavit in infinitum; Inſuper conſiderando quoque deficientiam iſtorum maſculorum, & ſuperexiſtentiam fœminarum, voluit illas ſuccedere cum omnibus filiis, & deſcendentibus maſculis,& in eorum defectum ſe convertit ad vocandas fœminas, & demum recogitando, quod nullæ adeſſent reliquiæ iſtorum deſcendentium, vel maſculorum, vel fœminarum, eo caſu ſubſtituit Loca Pia ſub illa generica conditione, quatenus tam Jacobus Antonius primus hæres, quam illius deſcendentes obiiſſent ſine filiis.

Et proinde cum idem Teſtator præfatam inſtitutionem, & reſpectivè ſub-
11 ſtitutiones continuativè ordinaverit unam nempe poſt aliam, ſequitur id totum habendum eſſe pro unica oratione inſimul unita, quamvis ejus partes regantur a proprio, & peculiari verbo: *Altograd.conſ.54.n.19.tom.1.,Gratian. diſcept. forenſ. cap.773. n.28., & 29., Torr.de Primogenit.Ital. tom.2. par.32. n.18., & 19.*, ubi conciliat DD. contrarinm tenentes, & ait eos procedere, quando orationes, & ſubſtitutiones lon-
12 go intervallo inter ſe diſtant; At non quando, ut in præſenti, ſunt inter ſe connexæ, & continuato ſermone una venit poſt aliam; *Rot. in Mantiſſ. ad Card. de Luc. lib.10. deciſ.29. num.5. volum.2.*

Parique inſubſiſtentia laborat ultima conjectura, quod in controverſo Fideicommiſſo non fuerit contemplata conſervatio agnationis; quia fuit animadverſum, quod contemplatio hujuſmodi faciliorem quidem reddit in caſu, ubi adeſt, repetitionem maſculinitatis ob magis patefactam ex hac circumſtantia voluntatem Teſtatoris, non autem illam excludit in caſu, ubi non adeſt: Ad
13 effectum enim, ut qualitas maſculinitatis repetita cenſeatur inter eaſdem perſonas, ſufficit Teſtatorem, poſthabita conſideratione agnationis, unice exoptaſſe qualitatem maſculinitatis, ac prælationem maſculorum ſupra fœminas; *Adden.ad Buratt. dec.272. n.21., Rot.diverſ.dec.374.in fine par.1., & in rec. dec.237. num.8. par.5., & dec.330. n.17. par.12., & in Mantiſſ.ad Card.de Luc.d.dec.28. n.4. lib.10. vol.2.*

Nec præmiſſis, ut ſupra firmatis repugnant aliàs deciſa ab hoc Sac.Tribunali *in dec.499. cor.bon.mem.Dunozet.Jun.* ibi enim illud unum deciſum fuit, quod pars conditionalis continebat tam maſculos, quam fœminas,quod veriſſimum eſt, & in cauſa præſenti non controvertitur a Hieronymo actore, minime verò deciſa, atque examinata fuit præſens quæſtio, an ſcilicet in eadem parte conditionali cenſeretur repetita prælatio maſculorum; nec neceſſe erat illam examinare, dum lis tunc vertebatur non quidem inter fœminas, & maſculos, ſed inter fœminas, & hæredem extraneum inſtitutum a Julio Cæſare filio Jacobi Antonii; & licet in vim reſolutionis captæ *coram Dunozet. in ſuprad. dec.499.* Laura Avia Com. Hieronymi ſucceſſerit in fideicommiſſo, attamen non per hoc affirmari poteſt, eundem Comitem ſuam cauſam agnoſcere, & deſumere in eodem fideicommiſſo ab eadem Laura; dum notiſſimi Juris eſt
14 quemcunque ſucceſſorem ſuccedere jure proprio tanquam hæredem Teſtatoris, & independenter ab Anteceſſoribus hęredibus gravatis,ad *Text.in leg. Cohæredi §.Cum filiæ ff. de vulgar., & pupillar., Peregr.de fideic.art.20. n.22., & ſeq., Rot.cor.Emerix.Jun.dec.1274. n.4., & in rec. dec.198. n.9., & ſeqq. part.4. tom.2.*

Ex his porrò procedentes Domini ad alterum fundamentum præteritæ reſolutionis, quod, videlicet admiſſa etiam repetitione ſupradictæ prælationis maſcu-

Digitized by Google

ſculorum in ſupra recenſito tertio caſu, ſive parte conditionali , iſta intelligenda ſit diſcretivè in qualibet linea , cenſuerunt etiam illud pariformiter cor-
15 ruere ; tum quia Hieronymus actor, & Innocentius ejus Frater prædefunctus, ex quo ortum habuerunt Sorores Reæ conventæ , conſtituunt quidem diverſum columnellum , non autem diverſam lineam , cum utrique deſcendant ex Laura filia Jacobi Antonii , & communi ſtipite, ut declarando firmant *Carol. Anton. de Luc. de lin. leg. tom.2. reſponſ.20.n.41. §.Quare multum, Card. de Luc. de fideicom. diſc.104. n.6.*, *Rota cor. Rmo Criſpo dec.8. n.4.*, *& cor. clar. mem. Card. Falcon. tit. de fideicom. dec.14. num.27.*

Tum inſuper quia, ubi etiam diverſitas linearum ſubſiſteret, adhuc nil penitus officeret, nec ullum conſiderari poſſet odium fideicommiſſi ſaltuarii ; quotieſcunque enim, ut ſupra viſum eſt,
16 Cæſar Teſtator in omnibus gradibus deſcendentiæ ſui primi hæredis voluit prælationem maſculorum ſupra fœminas , ita ut iſtæ ſuccedere non valeant, niſi ubi illi deficiant , ex hoc ſequitur, quod hæc prærogativa maſculinitatis vincere debeat vi ſua quodcunque beneficium lineæ , & excludat fœminas poſitas in linea diverſa, & in gradu proximiori, & omnino non extantibus maſculis in una linea , prætermiſſis fœminis faciendus ſit tranſitus ad aliam lineam , in qua illi exiſtunt ; *Peregrin. de fideicom. art.25. n.11.*, *Rota cor. Buratt. dec.272. n.15.*, *& ſeq.*, *& cor. Dunozett. Jun. dec.651. n.32.*, *& in Mantiſſ. ad Card. de Luc. d. dec.28. n.13.*, *& 14. lib.10. vol.2.*, *in Bononien. fideicommiſſi de Gargantis ſuper reſervatis 7. Martii 1729. §. Attamen, cum ſeq.*, *& 18. Junii 1731. §. confirmat quoque, coram* Rmo P.D. Caſtagnino Decano ; *Rurſus confirmata 21. Junii 1734. cor. R.P.D. Creſcentio.*

Et ita , utraque parte acriter informante poſt ſecundam Cauſæ propoſitionem, ſuffragantibus Quinto, & Sexto reſponſum fuit &c,

ROMANA HÆREDITATIS

PRINCIPISSÆ DE BUTERO IAM QUOAD TERTIAM PARTEM, NUNC QUOAD MEDIETATEM SUPER PRIMO DUBIO , CIRCA REINTEGRATIONEM LOCORUM MONTIUM, OFFICIORUM VACABILIUM, CREDITORUM, ET PECUNIARUM.

Lunæ 4. Junii 1736.

ARGUMENTUM.

Ad exequendam immiſſionem in genere conceſſam neceſſaria eſt liquidatio , & ſpecificatio bonorum fideicommiſſariorum ; prout liquidatio crediti ad reintegrationem obtinendam. Fructus locorum montium debentur a die motæ litis ſaltem in linea damnorum , & intereſſe . Bonorum, quæ conſumptioni obnoxia non ſunt, ſi alienata fuerint, reintegratio debetur fideicommiſſo . Legata , & æs alienum , itemque impenſæ ultimæ infirmitatis , funeris , & veſtium lugubrium , & ſalaria familiæ debent ſolvi ex fideicommiſſo .

SUMMARIUM.

1 *Liquidatio, & ſpecificatio bonorum fideicommiſſariorum eſt neceſſaria pro executione immiſſionis in genere conceſſæ ;*

2 *Prout etiam neceſſaria eſt liquidatio crediti ad obtinendam reintegrationem.*

3 *In materia Locorum Montium omnimoda fides præſtatur Secretario Montium.*

4 *Fructus Locorum Montium debent reſtitui a die motæ litis ſaltem in linea damnorum , & intereſſe.*

5 *Nemini impugnare licet aliàs a ſe deducta, admiſſa, & acceptata.*

6 *Bona fideicommiſſaria non reperta in hereditate gravati ab eo præſumuntur alienata, donec per redditionem rationis contrarium oſtenſum non fuerit.*

7 *Bonorum , quæ conſumptioni obnoxia non ſunt , veluti nomina debitorum , & pecunia numerata , ſi alienata fuerint , fideicommiſſo debetur reintegratio.*

8 *Heres eo ipſo, quod debitricem fideicommiſſi conſtituit hereditatem ſui authoris, & patitur eandem condemnari ad*

ri ad reintegrationem , producitque in actis peritiam, in qua debitum comprobatur , & allegat cautelam Angeli, eo ipſo inquam fatetur, Authorem ſuum exegiſſe , & alienaſſe credit a fideicommiſſaria .

9 *Hæres in dubium revocare nequit id, quod ſuus Author admiſit, & faſſus fuit .*

10 *Si hæres gravatus diligentias opportunè non adhibuerit pro creditorum exactione ; nec oſtendat ea tempore obitus fideicommittentis fuiſſe inexigibilia , tenetur ad reintegrationem:*

11 *Credita enim de jure præſumuntur exigibilia .*

12 *Hæres gravatus ſolvens Legata , debita , impenſas funeris , ſalaria familiæ reintegrari debet ex fideicommiſſo :*

13 *Itemque ſolvens expenſas veſtium lugubrium , & ultimæ infirmitatis , & ſimilium .*

14 *Quæ ſemel compenſata ſunt, amplius non ſunt compenſanda .*

15 *Peritiæ extrajudicialis , & depromptæ ex libro , cujus legalitas non oſtenditur , nulla ratio eſt habenda .*

16 *Sola aſſertio, & libri hæredis non probant exiſtentiam debitorum Teſtatoris .*

17 *Non demonſtrato defectu peritiæ jam confectæ , non eſt locus electioni novi Periti , ne inutiles circuitus fiant , & lites in infinitum protrahantur .*

DECISIO LII.

QUoniam , conceſſa in genere immiſſione in poſſeſſionem bonorum hæreditariorum , vel fideicommiſſariorum, propter eorum incertitu-
1 dinem non eſt locus executioni , niſi prius per Judicem , qui eam decrevit, liquidentur, & ſpecificentur eadem bona , ad quæ quis eſt immittendus; ut tradit *Surd. conſ.* 186. *n.*24. *lib.*2., & *ſæpe firmavit Rota ſignanter cor. Ubald. dec.*41. *n.*7., & *cor. Peutinger. dec.*55. *n.*2. , & *cor. Merlin. dec.*859. *n.*3. , & *cor. bon. mem. Anſaldo dec.*21. *n.*1., & 2., & *in Mantiſſ. ad Cardin. de Luc. dec.*3. *n.*6., & *dec.*4. *num.*1. 2. , & 9. *lib.*3. *vol.*1.

Ideo in hac cauſa D. Joannes Baptiſta Columna poſt reportatas in hoc Sacro Auditorio geminas favorabiles ſententias latas ab Emo Aldrovando , & bon. mem Gamaches , approbatas a plena Signatura Juſtitiæ cum clauſula *S. P. quoad tertiam partem* , & ſucceſſivè etiam in devolutivo confirmatas coram Rmo P. D. Meo Decano , ſuper immiſſione bonorum fideicommiſſariorum clar. mem. Margharitæ de Auſtria Principiſſæ de Butero contra Antonium Columnam hæredem teſtamentarium bon. mem. alterius Antonii Columnæ ultimi dd. bonorum poſſeſſoris , ad iſtorum liquidationem , & ſpecificationem aſſequendam curavit coram Me diſputari non ſolùm dub. — *An* , & *de quorum bonorum identitate conſtet ad effectum &c.* — ſed etiam ſuſpicans fere omnia dicta bona fuiſſe alienata , & diſſipata tam a Dominico Columna Patre primo hærede gravato , quam a recenſito Antonio ultimo Poſſeſſore , curavit diſputari alterum *ſuper reintegratione* , illiſque a me propoſitis in Rota diei 10. Decembris 1734. in contumaciam ſuprad. D. Antonii Junioris prodiit quoad utrumque reſolutio favorabilis eidem D. Joanni Baptiſtæ , ut ex geminis deciſionibus coram Me editis .

Verùm quia hæ pariter reſolutiones circa generalia verſatæ fuerunt , firmante prima ex illis *Conſtare de identitate bonorum repertorum in hæreditate d. ultimi poſſeſſoris , quæ convenirent cum illis deſcriptis in Inventario bonorum hæreditariorum ſuprad. Principiſſæ de Butero confecto per memoratum D. Dominicum Columnam*, & ſecunda concedente *reintegrationem pro bonis fideicommiſſariis deficientibus in d. Inventario , itemque peritia judiciali Maximilli Scipionis emanata ad inſtantiam ſuprad. D. Antonii ultimi poſſeſſoris, & ab eo in actis hujus Sacri Tribunalis adverſus paternum creditorem producta*, quemadmodum apparet ex ſupra memoratis deciſionibus editis coram Me ; Domini propterea occaſione , qua ex eorum benignitate quoad deciſionem ſuper reintegratione impartiti fuere D. Antonio juniori reo convento novam audientiam , demandarunt etiam electionem periti Curialis , qui deberet comparare Inventarium bonorum hæredi-

reditariorum Antonii Seuioris expletum a D. Antonio juniore ejus hærede cum ſupra enuntiata peritia Maximilli Scipionis firmante ſtatum hęreditarium Principiſſę de Butero, ac alterum ſtatum hęreditarium Dominici Columnę ejus primi hęredis gravati, indeque referret quęnam bona relicta a D. Principiſſa, & reperta in ſtatu hęreditario Dominici extarent in ſtatu hęreditario D. Antonii ultimi poſſeſſoris, & quęnam bona deficerent, & eſſent diſtracta, ad effectum, ut prima adjudicarentur fideicommiſſo Principiſſę actione rei vindicatoria, & quoad deficientia relaxaretur mandatum pro reintegratione contra bona propria dictorum Dominici, & Antonii Senioris alienantium.

Ad quem finem electo Perito, eidemque per Sac. Auditorium iterum bis, nempe *ſub diebus 4. Februarii, & 3. Junii anni præteriti* 1735. communicatis, ac reſtrictis facultatibus ad pręmiſſa dumtaxat peragenda, non obſtante contradictione D. Antonii Junioris contendentis eſſe deveniendum quoque ad novam firmationem ex integro ſtatus hęreditarii, tam D. Principiſſæ, quam D. Dominici primi hęredis gravati, penitus poſthabita illa facta, ut ſupra a Maximillo Scipione; tandem ſupervenit peritia comparationis, ſeu collationis ab eodem Perito exactiſſimè peracta; Unde cauſam ſuper reintegratione repropoſui ſub *die 2. Decembris d. Anni* 1735., & dictum fuit -- *In deciſis* -- pariter in genere, firmaudo creditum reintegrationis ex fundamentis deductis in utraque deciſione deſuper edita; Cumque ego declaraſſem ad faciliorem ejuſdem crediti liquidationem ob bonorum multiplicitatem ſenſum Sac. Auditorii eſſe, quod diſputarentur Dubia ſeparata ſuper ſpeciebus bonorum reintegrandorum, fuerunt ſuper illis deſtinata quatuor Dubia, quorum primo a Me in hodierna audientia propoſito, nempe -- *An, & pro qua ſumma teneatur hæreditas Antonii Columnæ ad reintegrationem fideicommiſſi Butero quoad Loca Montium, Officia Vacabilia, pecunias numeratas, & credita, & reſpectivè ſit relaxandum mandatum* -- Omnes Domini unà mecum ſuffragium ferentes reſponderunt -- *Affirmativè in omnibus juxta modum* inferiùs exprimendum.

Pręmiſſo enim, quod de credito in genere fideicommiſſi Principiſſæ de Butero, ex cauſa reintegrationis adverſus hęreditatem Antonii Senioris ultimi ejus poſſeſſoris conſtat ex ſupra recenſitis *duabus deciſionibus omnino præſupponendis editis coram Me diebus* 10. *Decembris* 1734., & 2. *Decembris* 1735., quodque inſuper antea D. Joanni Baptiſtæ propter ſuperviventiam R. P. D. Franciſci, & D. Margharitę illius Fratris, & Sororis reſpective; æquè vocatorum in eodem fideicommiſſo, ex quorum ceſſione, & renuntiatione factis favore tam Antonii Sen., quam Dominici contendebat reus conventus iſtorum Succeſſor univerſalis retentionem, non competebat actio pro eadem reintegratione aſſequenda, *niſi pro tertia parte*, ut etiam reſcripſerat Signatura Juſtitię, quodque hodie propter obitum ejuſdem R. P. D. Franciſci eadem actio competit *pro medietate*, remanente adhuc in ſuſpenſo alia medietate ob ſuperviventiam d. D. Margharitę, ex deductis in *deciſione Rmi P. D. Decani edita ſub die* 30. *Januarii Anni currentis* 2736. firmante, rem judicatam pro tertia parte ortam favore D. Joannis Baptiſtę, eſſe etiam exequendam pro medietate illius portionis vacatę per obitum dicti R. P. D. Franciſci non amplius impugnata a d. reo convento.

Pro eo, quod reſpicit liquidationem,
2 & quantitatem ſuprad. crediti omnino neceſſariam pro obtinenda reintegratione; *Rot. cor. Cerro dec.* 525. *n.* 1., & *in rec. dec.* 113. *n.* 8. *par.* 17., & *in Romana Pecuniaria, ſeu Reintegrationis* 23. *Junii* 1719. §. *Et quidem cor. Illmo Almæ Urbis Gubernatore*, incipiendo *a Locis Montium* reſponderunt Domini, *hæreditatem Antonii teneri ad reintegrationem pro ſumma, & quantitate* ſcut. 92724. 33., conſtitit enim Principiſſam in ſua hęreditate reliquiſſe Loca Montium 772. nimirum Loca 640. Montis S. Bonaventurę ſecundę erectionis, Loca 20. Montis Salis tertię erectionis, Loca 69. Montis Novennalis

Digitized by Google

lis ſecundæ erectionis, & alia Loca 17. Montis Columneſii, licet cæteroqui D. Dominicus ejuſdem Principiſſæ primus hæres gravatus erroneè, & æquivocè enuntiaverit in Inventario illius bonorum dd. Loca Montium S. Bonaventuræ in ſola quantitate Locorum 440., dum, quod iſta aſcenderent ad ſupra enuntiatum numerum Locorum 640., doctum fuit ex fide Secretarii Montium,
3 cui in hac materia plena fides adhibetur, & omnino ſtatur; *Rot. cor. Dunozet. Jun. dec. 376. ſub n. 11., & cor. Bich. dec. 266. n. 17., & cor. Coccin. dec. 1517. n. 26., & cor. Herrera dec. 119. n. 10., & cor. Rmo Criſpo dec. 475. n. 15., & in recen. dec. 26. n. 5. par. 7.*, & recognovit Maximillus Scipionus primus Peritus, ſicuti depromptum fuit ex particula ejus relationis diſtinctim referentis ſingulas ſpecies omnium dd. Locorum Montium.

Quamobrem cum ex dd. Locis 640. S. Bonaventuræ conſtiterit perveniſſe ad manus Dominici pretium Locorum 583., quod ipſe pro rata tantùm ſc. 30000. inveſtivit in Locis 300. Montis S. Petri primæ erectionis, ut narratur in *deciſione in hac cauſa edita die 11. Decembris 2709. §. Et quamvis cor. clar. mem. Card. Priolo*, inſuperque oſtenſum fuerit, Antonium Seniorem ex hiſce Locis 300. repertis in hæreditate Dominici alienaſſe in proprium commodum Loca 290. 34. 80, itaut in hæreditate Antonii non fuerint reperta, niſi Loca 9.$\frac{1}{1}\frac{1}{1}\frac{1}{1}$ 20. pretii ſc. 1090. 67. $\frac{1}{3}$ quemadmodum recognovit, & retulit ſecundus Peritus in collatione per ipſum facta de mandato hujus Sac. Auditorii, hinc deducitur, quod facto calculo pretii Locorum Montium alienatorum, & deficientium, ac ab eo ſubductis dd. ſcut. 1090. 67. $\frac{1}{3}$ Locorum Montium exiſtentium, pro hac partita d. fideicommiſſum Principiſſæ remanet Creditor hæreditatum DD. Dominici, & Antonii in dictis ſcut. 92724. 33.; ſed tamen ex cauſa ſuperviventiæ ſupra memoratæ Margharitæ, atque litis adhuc pendentis ſuper ejus renuntiatione, *pro nunc* DD. cenſuerunt, eſſe unicè relaxandum mandatum pro medietate d.
4 ſummæ aſcendente ad ſcut. 46362. 16. unà cum eorum fructibus a die motæ litis debitis ſaltem loco damnorum, & intereſſe, ut firmatum fuit in *prima deciſione ſuper hoc puncto Reintegrationis 10. Decembris 1734. §. Unde ſequitur. in fine coram Me, & in illius confirmatoria 2. Decembris 1734. §. Indubitatum namque. pariter coram Me*.

Quo verò ad Officia Vacabilia, ex peritia, ſive ſtatu hæreditario Principiſſæ efformato a ſupradicto Maximillo Scipiono apparuit illam in ſua hæreditate reliquiſſe Officia Vacabilia valoris ſcut. 16198. 62., & in hęreditate Dominici alia diverſa officia reperta fuiſſe valoris ſcut. 16000., cumque quatuor ex his officiis aſcendentibus ad ſcut. 10500. non fuerint reperta in hęreditate, ſeu patrimonio Antonii Senioris, ut recognovit ſecundus Peritus in ejus collatione, ſequitur pro medietate iſtius ſummę, ideſt pro ſcut. 5250. eſſe reintegrandum fideicommiſſum, & relaxandum mandatum, ut ſupra.

Non attenta exceptione, quod probatum non remanſerit eadem Officia Vacabilia fuiſſe alienata, & diſtracta, vel a Dominico, vel ab Antonio; tum quia illa, quę ad Principiſſam ſpectabant, alienata fuiſſe a Dominico non poteſt controvertere, & impugnare D. Antonius Junior, eo ipſo, quod id admiſit, & faſſus fuit pluries in hoc Sac. Auditorio in prętеritis cauſæ propoſitionibus ſuper negotio principali, ut teſtatur in *tertia deciſ. cor. Rmo Aldrovando dici 31. Januarii 1732. §. Abſque eo quod* ab eo-
5 dem reo convento acceptata; cum nemini permiſſum ſit impugnare ea, quę aliàs deduxit, admiſit, & ſolemniter acceptavit; ad *Text. in l. cum precum Cod. de liberal. cauſ., & in cap. per tuas de probat.* Tum etiam quia, dum eadem Officia reperta non fuere in hęreditate
6 D. Antonii Senioris, ut conſtat ex Inventario per reum conventum confecto, pręſumptio eſt, quod alienata, & diſtracta fuerint, niſi per illum, qui de illis rationem reddere tenetur, contrarium oſtendatur; uti probant *Peregrin. de fideicommiſſ. art. 10. n. 40., Rot. coram Martin. Andrea deciſ. 69. num. 3., coram Ludoviſ. 265. num. 3., & ibi adden. num. 4., una cum aliis adductis per* Rot.

Rot. coram Molines deciſ.646. num.32. tom.2.

Tranſeundo hinc *ad credita, & pecunias numeratas*, quoad iſta reſponſum fuit, ſupradictum fideicommiſſum fore reintegrandum pro ſumma ſcutorum 16409. 60., & pro nunc mandatum eſſe relaxandum *pro ejus medietate* aſcendente ad ſcut.8204. 80., cum ex recenſita peritia Maximilli Scipionis conſtiterit, Principiſſam in ſua hęreditate reliquiſſe credita, & pecunias numeratas in eadem ſumma ſc.16409.60., & licet ex eadem peritia conſtiterit etiam Dominicum in ejus hæreditate reliquiſſe longe majorem ſummam Creditorum aſcendentium ad conſpicuam quantitatem ſcut.76712. 60., attamen patuit quoque ex alia peritia collationis Antonium ejus filium, & Auctorem alterius Antonii rei conventi ea omnia exegiſſe, & diſtraxiſſe, quocirca cum
7 hæc bonorum ſpecies nulli ſit ſubjecta conſumptioni, meritò profectò pro illa debita eſt reintegratio; *Peregrin.de fideicomm. art.10. num.44., Cyriac. contr.16: num.3. verſic., & has poſteriores, Rot. coram Zarat. dec.110. ſub num.10, & coram Priol. deciſ.229. n.11., & ſeq., & in rec. deciſ.399.ſub num.39. par.5.*

Nec obſtare viſum fuit, quod inter eadem credita computetur illud ſc.800. cujuſdam Catharinę Vacca, quod non probatur exactum fuiſſe a dd. hęredibus
8 gravatis; non ſolùm quia Antonius Auctor rei conventi in peritia confecta per ſupradictum Maximillum Scipionem conſtituit debitricem hęreditatem Dominici Patris in d.ſumma ſcut.800., & paſſus fuit illam condemnari ad reintegrandum fideicommiſſum Principiſſę pro eadem ſumma, producendo in actis eandem peritiam, & vigore illius allegando cautelam Angeli adverſus paternos creditores, quę facta ſicuti pręſupponunt, & pręſeferunt evidentiſſimam confeſſionem d. Antonii, quod idem creditum a Dominico exactum fuerit; ex regula de qua *Text. in leg. ad rem mobilem ff.de Procurat., Caſtren. conſ.306. col.1. lib.2., Menoch.de præſcript. lib.5. præſumpt.68. n.6., Rot. deciſ.44. n.2. par.1. recen.*, ſic datum non eſt hodie eidem reo convento confeſſionem hujuſmodi impugnare, in diſcrimen revocando exactionem contro-
9 verſi crediti; cum hęres nequeat controvertere id, quod ejus Auctor admiſit, & faſſus fuit *ad Text.in l. cum a Matre, ibique Gloſſ.verb. Non prohibetis Cod.de rei vindicat., Rot. coram bon.mem.Molines deciſ.862. num.7., & in recen.deciſ.89. num.8., & 10.par.8., & dec.46. num.1. par.18.* Sed etiam ex quo, quatenus idem creditum exactum non fuiſſet, illud adhuc eſſet adſcribendum debito hęredum gravatorum, quos non
10 docetur ſuis debitis temporibus adhibuiſſe opportunas diligentias pro exactione, vel ſaltem, quod idem nomen debitoris tempore obitus Principiſſæ fuerit inexigibile, cum de jure credita exigibilia pręſumantur; juxta *Text. in leg. ſi creditores ff. de privileg. creditor., Menoch. præſumpt. 88. num.9. lib.1., Peregr.de fideicommiſſ. art.10. num.45., & ſeq., Rot. cor. Rembold.dec.445. n.2., & deciſ.313. num. 7., & 8. part.14. recen.*

Prout nec refragatur, quod pręd ictis creditis per hęredes gravatos exactis contraponi debeant debita fideicommiſſaria per Dominicum dimiſſa, ideſt
12 Legata a Principiſſa relicta, expenſæ funeris, ſalaria familiæ, & alia ſimilia, cum hęc hęredi gravato ſemper ſint compenſanda in reſtitutione fideicommiſſi, ut de ære alieno eſt *Text. in l.1. Cod. ad Trebellian., Angel.de legit. contrad.quæſt.10.art.11.num.180., Urceol. conſult.20. num.1., Rot.poſt Merlin. de Pignor. dec.78. la.2. num.21., & cor. Cavaler. dec.130. per tot.*, & de legatis *Peregrin. de fideicom. art.35. num.40., Urceol. eadem conſult.20.n.20., & 21., Rot. in recen. deciſ.360. num.32. par.5.*,
13 & de impenſa funeris, aliiſque expenſis ultimæ infirmitatis, veſtibus lugubribus, & ſimilibus *leg. Papinianus 8. §.Quarta ff.de inoffic.Teſtam., Peregrin. de fideicom.d. art.35. num.40., Urceol. d.conſult.20.num.24., & plur.ſeq.* Quia conſtitit ex ſępedicta peritia Maximilli
14 Scipionis ea omnia ſingillatim fuiſſe compenſata hęreditati Dominici, & conſequenter non erant denuo compenſanda; *l. bona fides 58. ff.de regul.Jur., Rot.*

Rot.in recen. deciſ.594. num.5. par.18.

Rejecta prorſus replicatione D. Antonii Junioris, quod pręfatum æs alienum Principiſſæ longè excederet eam ſummam, quam ſuppoſuit,& compenſavit dictus Peritus; quod demonſtrare contendebat ex quibuſdam Partitis, ut aſſerebat, extractis ex libro magiſtro Dominici a quodam Ratiocinatore; quia cum in contrarium exiſtat memorata peritia confecta ad inſtantiam Auctoris ejuſdem D. Antonii, & toties ab utroque approbata, & ratificata, ei omnino ſtandum eſt; nec eſt in ejus con-
15 curſu ulla conſideratio habenda de d. extractione a d. Ratiocinatore facta, veluti extrajudiciali, & ex libro, de cujus qualitate, & legalitate non apparet; ad *Text.in l.ſeptimo menſe ff.de ſtat. homin., Rot.coram Emerix Jun.deciſ.*472. *num.*6., *& coram bon. mem. Lancetta dec.*1276. *num.*5., pręſertim cum circa
16 exiſtentiam Debitorum Teſtatoris non ſtetur ſoli aſſertioni hęredis gravati, ejuſque libris, ſed de illis, eorumque ſolutione aliunde docendum ſit, ut ſunt *Text. expreſſ in leg. rationes* 6., *& leg. exemplo* 7. *Cod.de probat., & in leg.fin. Cod.de convenien. fiſc.debit.lib.*10., *Rot. dec.*896.*num.*4.*par.*4.*tom.*2.*rec.,& cor. Molines dec.*614. *n.*19.*tom.*2.

Denique incongrua exiſtimata fuit petitio D. Antonii Junioris rei conventi ſuper electione novi Periti ad effectum liquidandi, & determinandi certam ſummam eorum, quę reintegranda veniant ab Antonio Seniore ultimo hęrede gravato; dum toties illa aliàs rejecta fuit ab hoc Sac. Auditorio, & dum etiam, ut ſupra viſum eſt, de eadem liquidatione, & certa ſumma conſtat ex binis judicialibus peritiis, altera quond.Maximilli Scipionis, & ultima Petri Flavii de Sanctis ſuper com-
17 paratione, ſeu collatione; contra quas cum nulla detur concludens probatio ullius erroris, ut eſſet neceſſarium, non eſt propterea deveniendum ad electionem alterius Periti, ad evitandos inutiles circuitus, & ne detur anſa litem in infinitum protrahendi, quod nullatenus eſt permittendum, ut in terminis advertunt *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 600. *n.*2., *adden.ad Buratt. deciſ.*70. *in Tom.I. fin., Rot. coram bon.mem.Lancetta deciſ.*670. *n.*2., *&* 3., *& in rec. dec.*349. *n.*1., *& ſeq.par.*19.

Et ita &c. utraque &c., & omnibus DD. una mecum ſuffragantibus &c.

ROMANA IMMISSIONIS

AD HÆREDITATEM PRINCIPISSÆ DE BUTERO JAM QUOAD TERTIAM PARTEM, NUNC QUOAD MEDIETATEM SUPER SECUNDO DUBIO CIRCA REINTEGRATIONEM ARGENTORUM, GEMMARUM, ALIARUMQUE RERUM PRETIOSARUM.

Lunæ 4. Junii 1736.

ARGUMENTUM.

Mobilia conſumptioni non obnoxia veniunt in reſtitutione fideicommiſſi, iiſque alienatis debetur reintegratio habita ratione eorum pretii de tempore conſignationis, ſi non demonſtretur per quod tempus apud gravatum alienantem permanſerint, & quod ex uſu eorundem a Teſtatore volito probabiliter ſequi potuerit deterioratio.

SUMMARIUM.

1 *Mobilia conſumptioni non obnoxia, veluti aurum, argentum, æs, gemmæ, tabulæ pictæ, & ſimilia, veniunt in reſtitutione fideicommiſſ, & ſi non extent, pretium reſtituendum eſt*; & num.3., & 4.

2 *Amplia, ut reſtitutio locum habeat non ſolùm quoad tabulas pictas nobiles, ſed etiam quoad alias inferioris notæ.*

5 *Quando tamen ſit caſus reſtitutionis pretii, debet gravato compenſari imminutio, & deterioratio proveniens ex uſu;*

6 *Si tamen oſtendatur per quod tempus apud gravatum permanſerint, & quod uſus a Teſtatore volitus talis fuerit, ut deterioratio ſequi potuerit.*

7 *Deficiente ſubjecto peritiæ, electio Periti tanquam inutilis non conceditur.*

8 *Quæ conſiſtunt in facto, non præſumuntur, nec probantur ſola aſſertione Allegantis.*

DECISIO LIII.

Contemporaneè ad primum Dubium in hac cauſa, & in hodierna audientia propoſui etiam ſecundum — *An pro qua ſumma teneatur hæreditas Antonii Columnæ ad reintegrationem fideicom-*

miſſi Butero quoad Argenta, Gemmas,
1 *aliaſque res pretioſas, & reſpectivè ſit relaxandum mandatum in caſu &c.* — & pariter prodiit reſponſum — *Affirmativè in omnibus juxta modum* —, qui hìc fuit, ut *quoad Argenta*, hæreditas Antonii teneatur reintegrare fideicommiſſum pro ſumma ſcut. 14958.27., & *pro nunc*, ex ratione inſinuata in mea contemporanea deciſione, mandatum favore D. Joannis Baptiſtæ ſit relaxandum unicè pro medietate dictæ ſummæ conſiſtente in ſcut. 7479. 13.

Quippe ex peritia Maximilli Scipionis, de qua latè fit mentio in dicta mea contemporanea deciſione, & cui omnino ſtandum eſt, apparuit Principiſſam in ſua hæreditate reliquiſſe Argenta pro pretio ſcut. 16379. 2., & ex iſtis non fuiſſe reperta in hæreditate Dominici, niſi Argenta valoris ſc. 15114.50. Itaque cum, ut conſtat ex alia peritia ſuper comparatione, ſeu collatione ultimo loco emanata de ordine Sac. Auditorii, & de qua pariter fit mentio in dicta mea contemporanea deciſione, ex recenſitis Argentis non extent, niſi pro pretio ſcut. 1420. 75., juxta eorum qualitates in dicta peritia enuntiatas; ſequitur pro dicta reſidua ſumma ſcutor. 14958. 27. eſſe reintegrandum fideicommiſſum memoratæ Principiſſæ; cum Argenta connumerentur inter Mobilia ſolidioris materiæ, ut etiam ſunt Gemmæ, Tabulæ pictæ, Aurum, Æs, & hiſce ſimilia, & ſic veluti non obnoxia ulli conſumptioni, haud obſtante etiam lapſu longiſſimi temporis, veniunt in reſtitutionem fideicommiſſi, ubi extent; ſin minus, locus eſt reintegrationi favore illius quoad eorum pretium; *Peregrin. de fideicom. art.* 10. *n.* 43., *Card. de Luc. de fideicom. diſc.* 130. *n.* 14., *Rot. poſt Vreeol. de tranſact. dec.* 31. *n.* 3., *& in recen. dec.* 417. *n.* 6. *par.* 18., *& in Romana fideicommiſſi Mutii de Bubalo ſuper mobilibus* 2. *Januarii* 1702. *§. Et e converſo eum tribus ſeq. cor. bon. mem.*
2 *dell' Olmo*. Ubi ulterius firmatur hoc procedere in ordine ad Tabulas pictas, ſive iſtæ ſint nobiles, ſive vulgares.

Quoad *Gemmas* verò hæreditas Antonii tenetur dictum fideicommiſſum reintegrare pro ſumma ſcut. 14064., & pro iſtius medietate ſcut. 7362. *pro nunc* relaxandum venit mandatum; dum hæ pariter, ut dictum eſt, non ſunt obnoxiæ conſumptioni, & itidem ex dicta peritia Maximilli Scipionis apparuit in hæreditate d. Principiſſæ de Butero fuiſſe repertas Gemmas ſupra enuntiati pretii, & contra in altera peritia comparationis Dominicum reliquiſſe in ſua hæreditate Gemmas pretii dumtaxat ſc. 5203. 50., & nullas tam d. Principiſſæ, quam Dominici convenire cum aliis repertis in hæreditate d. Antonii; unde cum deficiant, nec de iſtis ſic deficientibus ulla ratio reddatur per hæ-
3 redem ejuſdem Antonii, æquè fit locus reſtitutioni pretii dictarum Gemmarum favore fideicommiſſi, ut ultra ſupra allegatas firmat *Rot. cor. Gregor. dec.* 285. *n.* 4., *& cor. Benineaſ. dec.* 388. *num.* 13.

Demum quod ſpectat *ad res aureas* repertas in hæreditate Principiſſæ ſcutor. 1185., & *Horologia* illius æſtimata pretii ſcut. 415., ut ex dicta peritia Maximilli Scipionis, cum ex primis repertæ fuerint in hæreditate Antonii res aureæ pretii ſcut. 243. 80., ut ex altera peritia comparationis, remanet fideicommiſſum reintegrandum pro ſumma reſidua ſcut. 945. 20., quorum medietas, pro cujus ſolutione *pro nunc* eſt relaxandum mandatum, aſcendit ad ſcut. 470.60., ex Horologiis verò reperta fuere adhuc extantia in dicta hæreditate Antonii pro pretio ſcutor. 100., ut ex eadem peritia comparationis; Unde pro medietate ſummæ deficientis ſcut. 305., quæ eſt ſcut. 152. 50. pariter *pro nunc* decerni debet idem manda-
4 tum; dum hæ quoque res ſive mobilia in ea parte in qua non extant, non poſſunt dici conſumpta, uti conſumptioni non obnoxia, ut ſuperiùs demonſtratum fuit.

Nec obſtat, quod Argenta, & alia ſupradicta propter uſum habitum ab
5 hæredibus gravatis præſumi debeant imminuta in ſubſtantia, & propterea, cum hæc diminutio, & deterioratio ſecuta non ex aliqua culpa dd. hæredum, ſed ex voluntate Teſtatoris permittentis eiſdem eorum uſum, ſit illis compenſanda juxta *dec.* 117. *n.* 7., *&* 8. *coram bon.*

bon.mem.Lancetta . & *dec.*591. *num.*9. *par.*19. *rec. tom.*1. Juri conſentaneum non ſit, quod ſupradicta mandata relaxentur pro eo pretio, in quo præcedenter æſtimata fuere in peritia Maximilli Scipionis, ſed eligendus veniat alter Peritus, qui dictam diminutionem recognoſcat, ejuſque quantitatem liquidet, ad hoc, ut inde iſta compenſetur ut ſupra;

Etenim quidquid ſit, an omnia prædicta ſive conjunctim, ſive ſeparatè ſumpta, inſpectis eorum qualitate, & quantitate, dici debeant ita univerſaliter deſtinata ad talem, & continuum uſum, propter quem probabiliter ſequi voluerit dicta diminutio, & deterioratio; cum D. Antonius Junior, qui hanc exceptionem allegat, de dicto ſucceſſivo uſu penes hæredes gravatos non doceat, nec det ullum, ne minimum quidem ſignum, nec reddat rationem, quando, & quo tempore illa defecerint, & alienata fuerint, cum potuerint illa omnia diſtrahi, ac alienari immediatè poſt obitum Principiſſæ, & dictam peritiam Maximilli Scipionis reſpectivè, & ſic ante illorum uſum; hoc ſufficit, ut in odium dicti D. Antonii excipientis, & nihil penitus probantis ſpectandum omnino veniat pretium in dicta peritia ſtabilitum, & pro illius ſolutione relaxandum mandatum; etenim non de-
6 monſtrato tempore, quo hujuſmodi mobilia remanſerunt penes hæredes gravatos, & quod uſus a Teſtatore volitus, talis fuerit, ut ex eo probabiliter ſequi potuerit illorum diminutio, ut conſtabat in ſupradictis deciſionibus in contrarium allegatis, ſemper illorum pretium reſtituendum venit ad illam rationem, & quantitatem determinatam tempore factæ conſignationis, ut tenent *Pinell.in l.*1. *Cod.de bon.matern.*, *Bald. conſil.*239. *lib.*5., *Rot. cor. Duran. deciſ.*235. *num.*3., & *cor.clar.mem.Card. Falcon.tit.de fideicom.dec.*49. *n.*6., & 7.,

Quibus ſtantibus, & deficiente ſubje-
7 cto, ſuper quo Peritus fundare poſſit ſuam relationem, meritò illius electio rejecta fuit tanquam inutilis, & fruſtratoria, & potius tendens ad procraſtinandam cauſæ terminationem, ut alias dixit *Rot.coram bon. mem.Lancetta deciſ.*149. *num.*2., & *deciſ.*2225. *num.*16., & etiam dictum fuit *in mea contemporanea deciſione* §.*finali*.

Inutili poſtremo remanente ejuſdem D.Antonii Junioris diffugio ad ſuppoſitum, quod quamplura ex ſupradictis mobilibus, ſive rebus diſtracta fuerint ab ipſamet Principiſſa de Butero titulo legati; quia hoc unice fuit ab eodem aſſertum, & non probatum, prout probandum fuiſſet; cum ea, quæ in facto conſiſtunt, non præſumantur, nec ſtetur
8 aſſertioni allegantis; *leg.ſi fortè ff. de Caſtren. pecul.*, *Rot. coram Penia deciſ.*1310. *num.*4., & 5., & *optimè deciſ.*2. *ſub num.*14. *de Tutor. coram clar. mem. Card. Falconer.*, & quatenus probatum fuiſſet, non profuiſſet, niſi unà ſimul oſtenſum fuiſſet, illaſmet res legatas ab eadem Principiſſa connumeratas, atque calculatas fuiſſe a Maximillo Scipiono Perito in ſtatu activo aliorum bonorum hæreditariorum, a quo deſumuntur credita ſupradicta ex cauſa reintegrationis bonorum, & rerum alienatarum, ac deficientium.

Et ita pariter omnibus Dominis unà mecum ſuffragium ferentibus reſponſum fuit. Utraque &c.

ROMANA HÆREDITATIS

PRINCIPISSÆ DE BUTERO JAM QUOAD TERTIAM PARTEM, NUNC QUOAD MEDIETATEM SUPER TERTIO DUBIO, CIRCA REINTEGRATIONEM BONORUM, REDITUUM, ET CREDITORUM SICILIÆ, ATQUE VINEAM URBIS.

Veneris 8. *Junii* 1736.

ARGUMENTUM.

Fructus bonorum fideicommiſſariorum reſtituendi ſunt a die motæ litis. Reintegratio evitari nequit, niſi oſtendendo, vel bona fideicommiſſaria exiſtere, vel alienata fuiſſe ex cauſa afficiente fideicommiſſum.

SUMMARIUM.

1 *Approbata ab authore nequeunt ab hærede impugnari.*
2 *Fructus bonorum fideicommiſſariorum reſtituendi ſunt a die motæ litis.*
2 *Defectio bonorum ſufficienter probatur ex Inventario.*
4 *Defectio bonorum ſtabilium imputari non*

non valet niſi facto gravati, eum ſuapte natura perire nequeant.

5 *Reintegratio evitari nequit, niſi oſtendendo, vel bona fideicommiſſaria extare, vel alienata fuiſſe ex cauſa afficiente fideicommiſſum.*

6 *Ad ſubvertendam judicialem peritiam requiruntur probationes excludentes poſſibilitatem in contrarium.*

DECISIO LIV.

INter cætera bona relicta a Principiſſa de Butero in ſua hæreditate ultra illa, de quibus in meis aliis antecedentibus deciſionibus ſuper hoc puncto reintegrationis, & ultra vineam magnam ſitam hìc in urbe extra Portam Angelicam in loco vulgariter nuncupato — *la Valle dell' Inferno* — connumerantur quoque aliqua ſtabilia, annui reditus, ſive cenſus, & credita exiſtentia in Regno Siciliæ, nimirum bona ſtabilia libera, & allodialia pretii unciar.5792. monetæ illius partis, cenſus, ſive reditus in annuis unciis 2400. 15. 3. ſimilis monetæ debiti ſuper Statu Buteri, ejuſque juribus tam feudalibus, quam burgenſaticis, & denique creditum in ſcut.19239. monetæ romanæ eum Leonardo Brancaſio Agente ejuſdem Principiſſæ in præfato Regno Siciliæ.

Quoniam verò Dominicus Columna dictæ Principiſſæ primus hæres gravatus recenſita bona ſtabilia alienavit, dictumque creditum exegit, atque annuos cenſus ſuper ſtatu Buteri pro rata annuarum unciarum 1200. dimiſit, & tranſtulit in Principem Joſephum Brancinforte ejuſdem ſtatus poſſeſſorem, in tranſactione inter eos inita die 9. Julii Anni 1661., & de reſiduis reditibus, ſive cenſibus in annuis unciis 1200.15.3. aſſignavit uncias annuas 500.in cauſam dotis Margharitæ ejus filiæ in dicto Regno Siciliæ nuptæ, aliamque eorum partem diſtraxit, ita ut in hæreditate Dominici ex iiſdem reditibus, ſive cenſibus non fuerint repertæ, niſi unciæ 379. 20. 15., & ulterius d. vinea Urbis, licet empta a Principiſſa pretio ſcut.12000., ejuſdemque pretii reperta tempore obitus Dominici, nihilominus ad præſens eſt totaliter deſerta, & vix attingit pretium ſcut.4835. ex relatione Agrimenſoris peracta occaſione confectionis peritiæ comparationis bonorum, de qua ratio habetur in aliis meis præcedentibus deciſionibus,

Hinc Joannes Baptiſta Columna Brancinforte in fideicommiſſo a dicta Principiſſa de Butero condito ſucceſſor, deſiderans etiam in hac parte conſulere indemnitati ejuſdem fideicommiſſi, curavit ſubſcribi, ac diſputari hoc quoque tertium Dubium — *An, & pro qua ſumma teneatur hæreditas Antonii Columnæ ad reintegrationem fideicommiſſi Butero, quoad bona, reditus, & credita exiſtentia in Regno Siciliæ, atque vineam Urbis, ac demandanda ſit imputatio, ſive collatio, & reſpectivè relaxandum mandatum* — Quo a Me hodie propoſito, dilata reſolutione quoad collationem, ſive imputationem, & vineam Urbis, cujus reſpectu injunctum fuit, ut eligatur Peritus, in reliquis Domini reſponderunt — *Affirmativè juxta modum* — mox ſubnectendum.

Cum enim inhærendo facto ſupra recenſito confirmato, & pleniſſimè comprobato tum ex Inventario bonorum hæreditariorum Principiſſæ confecto a Dominico, tum ex peritia Ma-
1 ximilli Scipionis approbata ab Antonio Seniore illius hærede, & reſpectivè D. Antonii Junioris rei conventi Auctore, quorum utrumque proinde contra iſtum perfectam conſtituit probationem, ita quidem, ut nihil ab eo ex contentis in illis impugnari valeat, ut firmatum fuit *in deciſione hujus cauſæ ſuper identitate* 10.*Decembris* 1734. §.*Siquidem*, *& in aliis ſuper reintegratione, in prima nempe ejuſdem diei* 10.*Decembris*, *& d.anni* §.*Quippe*, *& in ſecunda* 2.*Decembris* 1735. §.*Primo. coram Me*, & reaſſumitur *in dictis aliis ſubſequentibus deciſionibus ſuper hac controverſia liquidationis, editis die* 4. *currentis menſis pariter coram Me*: eum, inquam remanſerint in hæreditate Principiſſæ bona allodialia in Regno Siciliæ Unciarum 5792., quæ redactæ ad monetam romanam conflant ſummam ſcut.13366. 16., & ſupra enunciati reditus ſuper Statu Buteri unciarum 2400. 15.3., inde deſcendit, quod eum in Patrimonio, ſive hæreditate

Do-

Dominiei juxta peritiam enuntiati Ma-
ximilli Scipionis reperta non fuerint
dicta bona allodialia, & ex dictis an-
nuis reditibus, ſive cenſibus calculatis
etiam illis dimiſſis, & translatis in Prin-
cipem Joſephum Brancinforte, & aſſi-
gnatis in dotem Margharitę filię, cum
debuiſſent remanere uncię 700. 15. 3.,
ut patet calculanti, conſtituentes in
moneta romana ſummam ſc.32330.77.:
repertę unicè fuerint uncię 379.20.15.
vix aſcendentes ad ſcut.17040. mone-
tę romanę, ideo pro hiſce bonis defi-
cientibus, & conſtituentibus ſimul uni-
tis ſummam ſcut.28626. 93. ſit reinte-
grandum dictum fideicommiſſum Prin-
cipiſſę, & *pro nunc*, ex ratione inſinua-
ta in alia mea *deciſione ſuper primo Du-
bio Locorum Montium &c. diei* 4. *hujus
menſis* §. *Præmiſſo*, & §. *Quamobrem*
ſit dumtaxat relaxandum mandatum
pro medietate recenſitę ſummę conſi-
ſtentis in ſcut.14314. 46. $\frac{1}{2}$ unà cum
2 illius fructibus a die motę litis, ut di-
ctum eſt in *ſupra enuntiatis meis deci-
ſionibus ſuper reintegratione*, & *in d.
alia pariter mea deciſione* 4. *currentis
menſis eodem* §. *Quamobrem*, & ultra
ibidem adductos eſt *Text. in l. ſi Procu-
ratorem* §. *Mandati actio*, *l. ſi mandave-
ro* §. *Julianus ſcribit ff. de mandat.*, *Hon-
ded. conſil.* 39. *num.* 3., & *ſeq. lib.* 2.,
Rot. diverſ. decis. 71. *num.* 7. *par.* 2., &
rec. dec. 402. *num.* 32. *par.* 9.

Quidquam non refragante etiam in
hac parte repetito objecto, quod a
D. Joanne Baptiſta non probetur alie-
natio dd. bonorum allodialium, ac dd.
annuarum unciarum ſuper Statu Bute-
ri deficientium, vel iſtarum ſortis exa-
ctiò, ideoque cum omiſſio deſcriptio-
nis iſtorum omnium in peritia Maxi-
milli Scipionis facta ſuper Patrimonio
Dominici evenire potuerit ex ignoran-
tia, vel ex aliis juſtis cauſis, non com-
petat proinde d. reintegratio: nam prę-
terquamquod negativa illorum exi-
ſtentię ſufficienter apparuiſſet probata
3 ex inventario hęreditario ejuſdem Do-
minici confecto per Antonium Senio-
rem, in quo ex bonis, quę exiſtebant
in Regno Sicilię, non videntur deſcri-
ptę, ut ſupra innuimus, niſi reſiduę un-
cię 379. 20. 15. conſlantes ſummam
ſcut.17040., quę propterea cum conſi-
ſterent in bonis ſtabilibus, atq. reditibus
annuis non vacabilibus, ſed perpetuis,
extra controverſiam remanet, quod na-
tura ſua perire nequiverint, ſed illorum
4 deficientia proceſſit ex facto hęredis
gravati; per ea, quę tradunt *Cyriac.
controv.* 16. *num.* 3. *in fin.*, *Card. de Luc.
de ſervit. diſc.* 54. *ſub num.* 12., *Rot. cor.
Dunnzet. Jun. decis.* 846. *ſub num.* 24.
Inſuper recognitum fuit idem objectum
ceſſare ex facto, eo quia idem Peritus
claris verbis in ſua relatione refert ea-
dem bona, & annuos reditus deficien-
tes, prę ter ſupradictam ſummam adhuc
extantem ſcut.17040. fuiſſe venditos,
& alienatos, ut ex eadem illius rela-
tione §. *L'alienazioni de' beni*; Demum-
que in ulteriorem objecti confutatio-
nem placuit quoque reſponſio data in
d. deciſione 4. *currentis menſis ſuper pri-
mo Dubio* §. *Non attenta*. *in fine coram
Me*, quod cum D. Antonius Junior hę-
res hęredum gravatorum teneatur red-
dere rationem D. Joanni Baptiſtę fidei-
commiſſario de omnibus iis, quę in hę-
reditate Principiſſę reperta fuere, &
5 quę deſcripta non leguntur in inventa-
rio confecto poſt obitum Dominici per
anted. Antonium Seniorem, onus etiam
ſit ipſius ad effugiendam petitam rein-
tegrationem oſtendere, vel bona, &
reditus prędictos adhuc exiſtere, vel di-
ſtractos fuiſſe ex juſta, & legitima cau-
ſa ipſummet fideicommiſſum afficiente;
ex deductis in eadem deciſione §. *Non
attenta*, quibus additur *Text. in l. cum
tale* §. *Titius ff. de condition.*, & *demon-
ſtrat.*, *Merlin. de legit. lib.* 1. *tit.* 2. *quæſt.*
6., *num.* 4, *Rot. in Romana Fideicommiſſi
Mutii de Bubalo ſuper mobilibus* 13. *Ja-
nuarii* 1702. §. *Et tertio cor. bon. mem.
dell'Olmo*.

Circa verò *creditum* ſcut.19239. exa-
ctum a Leonardo Brancaſio Agente
Principiſſę in eodem Regno Sicilię pa-
riter reſponſum fuit, hęreditatem An-
tonii teneri ad illius reintegrationem,
& *pro nunc* pariter mandatum eſſe rela-
xandum pro medietate ſcilicet ſcuto-
rum 9519. 50., quia de illius exactio-
ne facta a Dominico conſtat ex to-
ties memorata peritia Maximilli Sci-
pionis.

Nec

Nec facit, quod juxta fidem extrajudicialem cujuſdam Ratiocinatoris, quem aſſeritur ex libris Dominici partitas extraxiſſe, appareat eundem Dominicum a d.Brancaſio non exegiſſe,niſi ſcut.11260. 78., quodque ſi plus exegit uſque ad d.ſummam ſcut.19239.hoc augmentum ſit referibile ad fructus bonorum Siciliȩ maturatos poſt obitum Principiſſȩ, & ſic ſpectantes ad eundem Dominicum, cujus adhuc idem Brancaſius remanſerat Agens, & Procurator; quia eo ipſo, quod idem Peritus, re ſedulo diſcuſſa, retulit Dominicum a d. Brancaſio exegiſſe totam ſummam ſcut.19239., & de illa conſtituit creditricem hȩreditatem Principiſſȩ, & reſpectivè debitorem Dominicum, quod ſuadet totam d. ſummam ſpectare ad hȩreditatem Principiſſȩ, huic relationi omnino ſtandum eſt, cum non remaneat deſtructa, nec ex d. extrajudiciali fide Ratiocinatoris, nec ex ſupra enuntiata poſſibilitate, quod pars d.crediti caderet ſuper fructibus Dominico ſpectantibus poſt obitum Principiſſȩ; ad effectum enim ſubvertendi
6 judicialem peritiam acceptatam exiguntur probationes ſuperlative excludentes quamcunque poſſibilitatem in contrarium; *Anſald. de commerc.*, *& mercat. diſc.*34. *num.*14., *Rot. cor. Buratt. dec.*344. *num.*18., *cor. Peutinger. dec.*449. *num.*10., *cor. Ottbob. dec.*242. *num.*29., *& cor. bon. mem. Molines deciſ.*1017. *num.*8. *tom.*4., *& dec.*1264. *num.*16. *cum ſeq. tom.*5., & reſpondendo conſimili fidei ejuſdem Ratiocinatoris dictum fuit *in mea deciſione ſuper primo Dubio* 4. *currentis menſis* §.*Rejecta prorſus*.

Et ita, ſuſpenſa, ut dictum eſt reſponſione, quoad collationem dotis Margharitȩ conſtitutȩ in rata ſcut.25000. ſuper dd.bonis Siciliȩ quatenus admittatur ejus favore, ſive ejus renuntiatariorum conſucceſſio in hoc fideicommiſſo propter litis pendentiam in S.Auditorio ſuper hac controverſia,& quoad vineam Urbis; ab omnibus pariter Dominis una mecum ſuffragantibus concluſum fuit; Utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS

AD HÆREDITATEM PRINCIPISSÆ DE BUTEROJAM QUOAD TERTIAM PARTEM, NUNC QUOAD MEDIETATEM SUPER QUARTO DUBIO CIRCA REINTEGRATIONEM RELIQUORUM MOBILIUM, ET SUPPELLECTILIUM.

Veneris 8. *Junii* 1736.

Argumento ob brevitatem non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Mobilia ſi oculis Æſtimatorum ſubjici nequeant, æſtimantur habita ratione qualitatum, cum quibus deſcripta fuerunt.*

2 *Rota ad determinandum pretium utitur arbitrio, adhibendo etiam peritiam extrajudicialem, & in caſu deciſionis illud præfinivit in tertia parte ſummæ contentæ in peritia.*

3 *De animalibus a gravato alienatis fideicommiſſum eſt reintegrandum;*

4 *Prout de ære, ac aliis conſumptioni non obnoxiis.*

DECISIO LV.

PRoſequente D. Joanne Baptiſta Columna examen liquidationis eorum bonorum hæreditariorum Principiſſȩ de Butero, de quibus reintegrandum venit fideicommiſſum ab ipſa ordinatum, quoad reliqua mobilia, & ſuppellectilia, non comprehenſa, nec in duabus deciſionibus diei 4. currentis menſis Junii, nec in contemporanea deciſione, propoſui etiam hodie diſceptandum Dominis meis hoc quartum, & ultimum Dubium — *An, & pro qua ſumma teneatur hæreditas Antonii Columnæ ad reintegrationem fideicommiſſi Butero quoad mobilia, & reſpectivè ſit relaxandum mandatum* —, & ſimiliter reſponſum fuit — *Affirmativè juxta modum* inferiùs explicandum.

Ut enim advertitur in ſȩpe enuntiata peritia Maximilli Scipionis confecta tam ſuper dicta hȩreditate Principiſſȩ, quam Dominici primi hȩredis gravati, quamplura ex dictis reliquis mobilibus, & ſupellectilibus memoratȩ Principiſſȩ, quȩ non integre deſcripta fuerunt in ejus inventario, & per conſequens nec ȩſtimata, non fuere reperta in hȩreditate ejuſdem Dominici, alia verò in ea-

eadem hęreditate reperta tranſierunt in Antonium Seniorem ejus ſucceſſorem: Unde diſtinctè procedendo quoad prima mobilia, quorum pretium idem Peritus, ut ipſe aſſerit, determinare non valuit in dicta ſua peritia, ſeu relatione, idem Joannes Baptiſta contendebat illorum pretium aſcendere ad ſcuta 11303.64., illudque in tali ſumma liquidare ex æſtimatione nuperrimè a Perito facta, & fundata in eorundem mobilium deſcriptione, ſive individuatione expreſſa in peritia Maximilli Sci-
1 pionis; quem modum æſtimandi mobilia, habita ratione qualitatum earum, cum quibus deſcripta reperiuntur in inventario, quando illa oculis æſtimatorum ſubjici non poſſunt, aliquando admiſerunt Praxis, & Tribunalia; ex notatis per *Ridolphin. in prax. part.3. cap.2. ſub n.*180., *Rota in rec. dec.*485. *n.*5. *par.*13.

At DD. ponderando, quod dicta peritia eſt extrajudicialis, & quatenus eligeretur judicialiter alter Peritus, non poſſet iſte ita facile devenire ad faciendam æſtimationem ob non bene expreſſas uniuſcujuſque ex dictis mobilibus deficientibus qualitates; & inſuper quod illa tam fragilis, quam ſolidioris materiæ, quorum quamplura, ut aſſerit dictus Maximillus Scipionus, vendita fuere ab eodem Dominico, & ob id non deſcripta in inventario, forſan tempore obitus Principiſſæ erant valde imminuta, & deteriorata: Propterea ad tollendos in hac re adeo involuta ulteriores anfractus, habitis præ oculis dictis circumſtantiis, prout quoque dicta ex-
2 trajudiciali peritia, utendo eo arbitrio, quo in hac materia Judices pollent, reduxerunt, & determinarunt pretium enuntiatorum mobilium in tertia parte ejus, quo æſtimata fuere in peritia extrajudiciali, & ſic in ſcutis 3767. 88., ut in ſimilibus terminis aliàs fecit hoc Sacrum Auditorium; & præ cæteris *coram bon.mem.Lancetta dec.*910.*n.*15. *&* 16., *& coram clar.mem. Card. Falconer. tit.de fideicommiſſ. dec.*52.*num.*3., & dixerunt hæreditatem Antonii pro dicta ſumma teneri ad reintegrationem fideicommiſſi Principiſſæ, & pro nunc pro illius medietate, videlicet ſcutorum 1883.94., eſſe relaxandum mandatum.

Quo verò ad reliqua mobilia reperta in hæreditate Dominici, & quæ tranſierunt in Antonium ejus filium, conſtat ex altera peritia comparationis convenire partitas Aulæorum, Tabularum pictarum, & aliorum ſimilium, & ſic cum quoad iſta, de quorum identitate apparet, firma remaneat actio D.Joanni Baptiſtæ rei vindicatoria in vim Immiſſionis obtentæ, ſatiùs putarunt Domini ſeſe remittere ad eandem peritiam: Attamen circa binas partitas Equorum Principiſſæ per dictum Dominicum venditorum pro rata ſcut.285., & alteram reſpicientem æra, ferra, & ſtamna, quæ in dicta comparatione comperta fuere deficere pro rata ſcutorum 119. 10., reſponſum fuit de utraque eſſe dictum fideicommiſſum reintegrandum, & *pro nunc* mandatum eſſe relaxandum pro medietate utriuſque ſummæ, ut ſupra; cum etiam de ani-
3 malibus debeatur reintegratio, ubi per hæredem gravatum diſtrahuntur, & venduntur; quemadmodum habetur ex *Text.in leg.ſi rem, & pretium ff. de petit. hæredit.*, ubi ſic notarunt *Bart. in princip.*, *Angel. num.*2., *Imol.num.*9., una cum aliis lato calamo relatis per *Peregrin.de fideicomm.art.*10. *num.*30., & æra, ac alia de quibus ſupra, non
4 ſubjaceant conſumptioni, ut firmatum fuit *in deciſ.*4. *currentis menſis ſuper ſecundo dubio* §. *Quippe*.

Et ita &c.omnibus Dominis una mecum &c. utraque &c.

ROMANA, SEU PORTUEN. TENUTARUM QUOAD FRUCTUS.

Lunæ 21. *Junii* 1736.

ARGUMENTUM.

Non conſtito de certo pretio prædiorum, locus eſſe nequit taxę legali, prout ſi conventum fuerit, ut reditus concludenter probetur; cujus probatio ſi haberi nequeat, proventus calculatur in tribus ſcut. pro quolibet rubro, & anno. Canon ſolvendus eſt ex fructibus rei emphyteuticæ. Donatio, & remiſſio præſertim ſummæ conſpicuæ, & in Loco Pio non præſumitur.

SUMMARIUM,

1 *Fructus prædiorum, ſi non habeatur notitia certi reditus, calculantur in tribus ſcut. pro quolibet rubro, & anno, habita ratione ſterilitatis, & ubertatis,*

2 *Per lapſum 40. annorum ſtatus prædiorum præſumitur immutatus.*

3 *Non conſtito de certo pretio prædiorum, locus eſſe nequit taxæ legali quoad fructus;*

4 *Prout neque, ſi conventum fuerit, ut reditus concludenter probari debeat.*

5 *Concludens autem probatio non deſumitur ex locatione tempore diverſo facta, & alia bona comprehendente; nec ex libris, in quibus promiſcuè adnotatur reditus aliorum bonorum; nec ex peritia extrajudiciali; neque ex folio informi ad alium finem in judicio exhibito.*

6 *Canon ex fructibus rei emphyteuticæ ſolvendus eſt.*

7 *Nemo præſumitur jactare ſuum.*

8 *Unum tempus non comprehendit aliud.*

9 *Modus diſcretivus loquendi diverſam voluntatem indicat.*

10 *Fructus intelliguntur deductis expenſis, & oneribus, puta Canonis.*

11 *Donatio, & remiſſio præſertim ſummæ conſpicuæ in Loco Pio, cui ſimiles liberalitates ſunt interdictæ, non præſumuntur.*

DECISIO LVI.

ITerum provocante Œconomo Patrimonii Urſini a Sententia noſtri Sacri Auditorii lata coram Rmo Decano prævijs tribus conformibus deciſionibus, cauſa mihi delegata fuit: Quare in hodierna audientia propoſui dubium — *An Sententia Rotalis eſſet confirmanda, vel infirmanda —, & DD. confirmandam eſſe reſponderunt.*

Juri ſiquidem omnino conſona viſa fuit prior pars ſententiæ, in qua, præter ſummam hactenus ſolutam, ulterior liquidatio fructuum ab Inclito Collegio Germanico reſtituendorum Creditoribus Patrimonii Urſini ex æquo, prudentique Judicantium officio præſcribitur ad rationem annuam ſcut.3. pro quolibet rubro Terreni quatuor latifundiorum *Quarti S. Sabbæ, Montis Mariæ Grandis, Montis Mariæ Parui, & Vicarelli*: Non enim redargui valet de tenuitate liquidatio ſuperius enun-
1 ciata ad rationem ſcut.3. pro quolibet rubro, & anno, habita compenſatione ubertatis, & ſterilitatis fundorum, donec non afferatur perfecta, & undequaque concludens probatio majoris reditus dictorum bonorum percepti per Collegium de tempore controverſo, hoc eſt *a die 3. Martii 1684. ad totum menſem Septembris 1696.* ad tramites peculiaris pacti, & obligationis ſuſceptæ per Principiſſam Urſinam in tranſactione inita de anno 1699. cum eodem Collegio, quemadmodum latè firmant deciſiones ſuperioris inſtantiæ, aliiſque collectis tradit *Rota in Romana fideicommiſſi de Catenaccis 3. Decemb.1732. §.Illud utique cor. Rmo P.D. meo Caccagnino Decano.*

Hujuſmodi autem neceſſaria, & concludens probatio majoris quantitatis fructuum perceptæ per Collegium de tempore ſub lite cadente, deſumi nullatenus valet ab opera, & judicio Peritorum eligendorum pro eruendo vero prædiorum pretio, eorumque fructu, vel a præſidio taxæ legalis: Quandoquidem æſtimatio, & liquidatio Peritorum, quæ valet expleri de tempore præſenti, & juxta præſentem ſtatum prædiorum, tam quoad pretium, quam quoad reditum, prorſus inefficax, & inepta foret ad eliciendam probationem temporis præteriti, & ſtatus antiqui eorundem
2 bonorum, qui poſt lapſum annorum 40. nedum præſumitur, ſed ulterius docetur omnino immutatus; Itaquidem, ut in hac rerum varietate nihil certi, ac determinati referri poſſit a Peritis ad tradita per *Rotam cor. Anſaldo deciſ.91. num.16.* cum aliis cumula-
3 tis in deciſionibus Rmi Decani, quæ revidentur: Deficiente autem certo pretio latifundiorum, deerat quoque neceſſarium ſubjectum taxæ legalis, quæ cæteroquin veluti innixa generali Juris
4 præſumptioni, locum ſibi vindicare nequit in hypotheſi, in qua probatio majoris quantitatis fructuum, juxta indolem ſuſceptæ obligationis, mutuari nequit

quit ex nuda, & ſimplici præſumptione, ſed perneceſſe deſumenda venit a præſidio documentorum undequaque concludentium controverſum reditum dictorum bonorum, ut latiùs advertunt deciſiones, quæ præcesserunt Sententiam Rmi Decani, & potiſſimè *ſecunda* 15. *Januarii* 1734. §.4.*cum ſeq.*, & *poſtrema* 24. *Januarii* 1735. §.*Sed quæſtionem*, & §.*Supplementum*.

Quin ad effectum conſtituendi plenam, & concludentem probationem
5 proſit Œconomo Patrimonii Urſini recurrere, vel *ad unicum Inſtrumentum locationis Quarti S. Sabbæ* ad rationem quatuor cum dimidio pro quolibet rubro, quæ quidem locatio percutit Annum 1672., & ſic diverſum a controverſo, & ulterius ſimultaneè comprehendit alia bona prorſus diverſa; *Vel ad partitas extractas ex libris reditus Domus Urſinæ*, in quibus generaliter, & promiſcuè adnotantur fructus aliorum bonorum ſub lite non cadentium; *Vel ad depoſitionem duorum Peritorum* aſſerentium extrajudicialiter, & reſpectu temporis non percutientis præciſè tempus liquidationis, controverſa latifundia reddere valuiſſe ſcut.4.50. pro quolibet rubro, & anno; *Vel* denique *ad quoddam Folium informe* nomine Collegii de anno 1694. in noſtro Sac. Auditorio exhibitum ad alium finem, & effectum: Ex hiſce quippe documentis, vel nulla, vel dubio procul æquivoca, & prorſus imperfecta deſcendit probatio, quæ nullatenus attendi meretur, potiſſime in caſu, in quo retunditur ab aliis documentis in oppoſitum deductis a Collegio; prout ſingulariter occurrendo cuilibet ex recenſitis probationibus advertunt deciſiones Rmi Decani, ad quas in hac parte Domini ſeſe remiſerunt, ne toties actum inutiliter agere viderentur.

Profligata a contrariis objectis priori parte ſententiæ, inani pariter conatu impugnabatur altera pars, in qua favore Collegii demandata fuit compenſatio annui Canonis ſcut. 1100. *a die* 3. *Martii* 1685.*ad menſem Septemb.*1696. & illius deductio ex fructibus reſtituendis Creditoribus Patrimonii Urſini: Cum enim inficiari nequeat, quod ex
6 fructibus rei Emphyteuticæ debeatur annuus Canon Domino directo; Exceptio ſolutionis, vel remiſſionis ejuſdem Canonis deſumpta ex viſceribus tranſactionis initæ de Anno 1699. inter Collegium, & Principiſſam Urſinam nullam promeruit animadverſionem. Quod enim attinet ad ſolutionem, ea minus rectè deducitur ex Depoſito Canonum in ſumma ſcut.12250.facto per Ducem Urſinum de Anno 1696., & recepto per Collegium in actu Tranſactionis; Etenim ex verbis ejuſdem depoſiti ſtatim eluceſcit, quod illud reſpicit Canones decurſos ante poſſeſſionem bonorum captam a Collegio ob retardatam eorum ſolutionem, nempe ab *Anno* 1672. *ad Annum* 1682., nuſquam autem percutit Canones decurſos *a die* 3. *Martii* 1684. *ad menſem Septembris* 1696., de quibus hodie quæritur; Cum enim Collegium de hoc alio poſteriori tempore poſſederit controverſa latifundia emphyteutica, eorumque fructus perceperit, fatuum eſſet dicere, Ducem Urſinum adhuc perſolviſſe Ca-
7 nones pro latifundiis, quorum poſſeſſione fuerat privatus; Cum nemo præſumatur velle jactare ſuum; ad regulam *Textus in Leg. cum de indebito ff. de probat.*

Eoque minus contendi valet de remiſſione prædictorum Canonum; Cum
8 enim remiſſio comprehenſa in tranſactione reſpiciat dumtaxat Canones decurſos *a die* 1.*Octobris* 1696.*recuperatæ poſſeſſionis* per Ducem Urſinum *ad diem* 16. *Aprilis* 1699. initæ tranſactionis, nullo pacto trahi valet ad comprehenſionem Canonis pro alio diverſo tempore; ad tradita per *Menoch. conſ.*97. *num.*8., *Honded-conſ.*73.*num.*62., *Gratian. diſcept. forenſ. cap.*699. *num.*6.. Quin immo eo ipſo, quod præfati Canones, quoad tempus decurſum *ab anno* 1696. *ad diem tranſactionis* fuerunt expreſſis verbis remiſſi, & condonati, conſultò reticita,& nolita cenſeri debet condonatio,& remiſſio reſpectu alterius diverſi temporis *a die* 3. *Martii* 1684. *ad menſem Septembris* 1699., prout ex
9 vi diſcretivæ orationis, demonſtrativæ diverſæ voluntatis contrahentium ratiocinatur *Rot. in rec. dec.*170. *num.*5., & 10.

& 10.par.14., & dec.638.n.5., & 6. par.18., & dec.75.num.15. cor. Rmo Criſpo.

Non reſiſtente, quod cum Collegium ſuſceperit onus reſtituendi fructus perceptos ex controverſis latifundiis *a die 3. Martii 1684. ad menſem Septembris 1696.*, & ipſorum etiam ratam perſolverit, nulla facta Canonis exceptione, & præſervatione, inde reſurgat præcedens tacita remiſſio, & condonatio ejuſdem Canonis: Diluitur enim objectum duplici æquè valida reſponſione, quarum prima deſumitur ex eo, quod ejuſmodi exceptio, & præſervatio
10 Canonis ſuapte natura inerat in obligatione ſolvendi fructus, qui ſemper intelliguntur deductis oneribus, & expenſis illos minuentibus; ad *Textum in Leg.fructus ff.ſolut.Matrim.*, *Rot. deciſ.117. num.9. cor.Emerix jun.*; Alteram verò præſtat qualitas donationis, ſeu remiſſionis, quæ nequit induci per præſumptiones, & ſubauditos intellectus, ſed debet concludenter probari; potiſſimè cum agatur de conſpicua ſumma ſcut.15000.circiter, cujus condonatio non ita de facili præſumitur ſignan-
11 ter in Loco Pio, cui conſimiles liberalitates ſunt de jure interdictæ, ſicuti latè exornat *Rot.dec.692.num.1.cum ſeqq. cor.Merlin., & dec.855. num.15., & 16. cor.Molines.*

Hactenus de utraque parte Sententiæ Rotalis, pro cujus confirmatione ſimpliciter Domini reſponderunt, prætermiſſis aliis petitionibus Œconomi Patrimonii Urſini noviter deductis in hodierna audientia, vel tanquam extraneis ab hodierno dubio, vel uti reſpicientibus executionem Sententiæ, ideoque examinandis in ſuo particulari judicio.

Et ita &c, Omnibus Dominis ſuffragantibus reſponſum fuit utraque &c.

NULLIUS, SEU MELITEN MANUTENTIONIS.

Lunæ 18. Junii 1736.

ARGUMENTUM.

Poſſidenti jure proprio datur manutentio, ſecus poſſidenti nomine precario. Ad oſtendendam autem poſſeſſionem ſufficiunt leviores probationes, & ea in dubio præſumitur retenta nomine proprio, præſertim ſi ſit antiquiſſima; exceptiones autem contra manutentionem rejiciuntur, niſi incontinenti probentur, vel per confeſſionem partis, vel per rem judicatam, vel per publicum Inſtrumentum.

SUMMARIUM.

1 *Deponentes de materia ad proprium officium pertinente plene probant.*

2 *Quo major eſt numerus Teſtium, eo majorem probationem conſtituunt.*

3 *Conſtito de quaſi poſſeſſione manutentio concedi debet.*

4 *In Judicio ſummariiſſimo manutentionis ſufficiunt leviores probationes*;

5 *Quia ex ea nullum, vel modicum, & reparabile damnum oritur*:

6 *Et proinde admittuntur depoſitiones extrajudiciales, & metu excommunicationis emiſſæ, etiam a famulis manutenendi*;

7 *Prout quoque a Monacho in materia reſpiciente non ſingulorum, ſed Monaſterii commodum.*

8 *Teſtis etiam unicus plenè contra inducentem probat*, & num.16.

9 *Et ita adminiculat depoſitionem famulorum alterius partis, ut ii plenam probationem faciant.*

10 *Manutentio non debetur poſſidenti nomine precario, ſed tantùm poſſidenti jure dominii*:

11 *In dubio autem poſſidere quis præſumitur jure proprio.*

12 *Teſtes de facto proprio, & de publica fama deponentes probant retentionem poſſeſſionis jure proprio.*

13 *Poſſeſſio antiquiſſima præſumitur retenta jure proprio.*

14 *Teſtes cauſam dicti non reddentes nihil probant.*

15 *Teſtes ejuſdem ſpeciei numero plures præferuntur.*

16 *Teſtis contra inducentem deponens fidem adimit aliis Teſtibus, præſertim ſi ſit Loci Gubernator, qui magis inſtructus cenſetur.*

17 *Conceſſio licentiæ aliquid faciendi in libris rationum non deſcripta oſtendit, licentiam nunquam conceſſam fuiſſe.*

18 *Contra Dominum non datur manutentio,*

tio, nec ſervitus inducitur niſi ex immemorabili.

19 Ut exceptio retardet manutentionem poſſeſſori debet eſſe valida, & incontinenti probata vel per confeſſionem partis, vel per rem judicatam, vel per publicum Inſtrumentum:

20 Neque in hac materia ſufficit probatio per Teſtes;

21 Prout neque ſolutiones Canonum, ſi fuerint extractæ non citata parte;

22 Vel ſi ſint ad alia bona, & aliam cauſam referibiles.

23 Dominium exigit univocas, & perfectas probationes.

24 Limitata facultas utendi aliqua re excludit illius dominium præſeferens abſolutam libertatem diſponendi.

25 Actus factus in vim Conſtitutionis, cenſetur factus juxta illius formam, & tenorem.

26 Obſervantia, & conſuetudo declarant quid in aſſignatione conceſſum fuerit.

27 Deficiente poſſeſſione non eſt locus manutentioni.

DECISIO LVII.

Poſſeſſionem, ſeu quaſi Juris lignandi in nemore ſito in Territorio Oppidi Melicucciæ in Provincia Calabriæ ab antiquo tempore acquiſitam, & quiete continuatam ab Abbate, & Monachis S.Eliæ Ordinis S.Baſilii Magni ejuſdem Oppidi pro eorum uſu, commodo, & utilitate nuper turbare incepit Frater Hector Marulli Eques, & Commendatarius Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ, & Baro recenſiti Oppidi: Quapropter ad eandem quaſi poſſeſſionem tuendam, & conſervandam prænominati Abbas, & Monachi introduxerunt contra eundem Equitem coram A.C., ſive R.P.D. Furietto ejus Locumtenente judicium ſuper illius manutentione, & obtinuerunt decerni ad eorum favorem mandatum de manutenendo, devolutaque cauſa ad hoc Sac. Auditorium, & mihi commiſſa, non diſſimilem ſortem experti fuere, dum propoſito a me hodie ſolito Dubio, — *An, & cui ſit danda manutentio.* — Domini reſponderunt — *Manutentionem eſſe dandam Monaſterio* —

Quoniam de ſupradicta poſſeſſione, ſeu quaſi lignandi penes Abbatem, & Monachos in memorato Nemore ſatis ſuperque apparuit ex depoſitione duorum Teſtium deponentium, eoſdem Monachos ſemper liberè Arbores cujuſcunque qualitatis pro eorum uſu, & commodo incidiſſe in dicto Nemore, quin unquam paſſi fuerint ullam moleſtiam ab aliqua Perſona; quæ utique depoſitio de per ſe ſola ſufficeret ad comprobandam eandem quaſi poſſeſſionem propter optimam cauſam ſcientiæ, quam reddunt iidem Teſtes, quia nempe alter ex illis per annos 12., ideſt ab anno 1715. fuit Cuſtos ſupradicti Nemoris, & alter per annos quinque ab anno 1721. pariter fuit Cuſtos, addendo ulterius, quod etiam præcedenti tempore, quo Cuſtodes non fuerunt, viderunt quoque ſemper Monachos ligna inciſſe, ut ſupra; cum Officialibus deponentibus de materia pertinente ad
1 eorum officium, & ſic optimè informatis plena fides præſtanda veniat, ut alias dixit *Rot. poſt Poſth. de manutent. deciſ. 629. num. 13.*, *& cor. Cavaler. dec. 370. num. 3.*, *& in recen. deciſ. 432. num. 6. part. 13.*

At nihilominus in majorem confirmationem dictæ quaſi poſſeſſionis, additæ fuerunt depoſitiones aliorum viginti Teſtium pariter aſſerentium, Monachos ſemper quaſcunque Arbores in enuntiato Nemore inciſſe pro uſu Monaſterii, coquinæ, & reparationum bonorum illius; in quo caſu cum major
2 ſit numerus Teſtium de eadem quaſi poſſeſſione deponentium, tanto fortius iſta plene comprobata remanet, *Rot. coram Emerix ſen. dec. 136. num. 7.*, *& dec. 140. num. 5.*, *& in recen. dec. 246.*
3 *num. 26. par. 6.* Atque ideo conſtito de eadem quaſi poſſeſſione, jure optimo eidem Monaſterio petita manutentio concedi debet *vulgato §. Retinendæ inſtit. de interdict.*, *Poſth. de manut. obſerv. 46. num. 18.*

Non officiente, quod aliqui ex prædictis Teſtibus deponant per ſimplicem fidem extrajudicialem, alii per depoſitionem factam metu excommunicationis, & alii ſint addicti ſervitio Monaſterii, & propterea nulla ratio eorum habenda ſit: quia cum hic agatur de judicio

4 dicio ſummariiſſimo manutentionis, in quo ſufficiunt leviores probationes; *Rot. coram bon. mem. Lancetta dec.*273. *n.*21. *tom.*1., *& diverſ.dec.*375.*num.*2.*par.*3., *& in rec. dec.*85.*num.*3.*par.*6., *& in Romana, ſeu Nullius ſuper manutentione* 3.*Aprilis* 1701. §. *Neque obſtare cor. clar. mem. Card.Scotto*; ea ratione,
5 quia reſpectu illius nullum, vel ſatis modicum damnum conſideratur, & quidem reparabile in alio judicio petitorio; *Plot.de in litem jurand.* §.3. *n.*43., *Maſcard.de Probat. concluſ.*1199. *n.*5., latè *Poſth.de manutent.oſerv.*38. *n.*11., *& ferè per tot.*, *Gratian. dec.Marchiæ* 192. *num.*3., per conſequens non
6 reſpuendę, ſed omnino admittendę ſunt ſupradictæ depoſitiones, licet extrajudiciales, & metu excommunicationis ſuperventæ, & ab aliquibus Monaſterio inſervientibus factæ, ut de depoſitionibus extrajudicialibus *Nevizan.conſil.*80. *ſub num.*5., *Poſth.de manutent. dicta obſerv.*38. *num.*23., *Thomat. dec. Marchiæ* 105. *num.*1., *Rot.coram Buratt.dec.*620. *num.*2., *& coram cl.mem. Card.Falconer. dec.*16. *num.*4. *de Cenſ.*, *Rot.coram bon.mem.Molines deciſ.*881, *num.*18., *& coram bon.mem.Lancetta dec.*1143. *num.*12., *& dec.*1270. *n.*7., ac de inſervientibus Monaſterio, quorum opera in ſimilibus materiis ut plurimum Domini utuntur, immo & for-
7 tius in terminis depoſitionum ipſorum Monachorum reſpicientium non proprium, & ſingulorum, ſed totius univerſitatis commodum *Capon. contr.*48. *num.*34., *Ciroch. diſcept.*8. *n.*8., *&* 9., *Rot.coram bon. mem.Lancetta dec.*273. *num.*1. 2., *&* 3.

Maximè dum Teſtes prædicti adminiculati reperiuntur ex dicto alterius ex Teſtibus inductis pro parte Commendatarii, qui bis fuit Gubernator in Oppido Melicucciæ, atque ſemel Aſſeſſor, & ingenuè teſtatur de inciſionibus lignorum, & quidem pluries factis a Monachis, ac iiſdem Commendatarium
8 acquieviſſe; qui Teſtis licet unicus, cum plenè probet contra Commendatarium iuducentem; *Rot.coram bon. mem.Molines dec.*348. *num.*4., *& in recen. deciſ.*281. *num.*20. *part.*11., efficit, ut
9 inde adminiculum accipiant Teſtes Monaſterii, iique pleniſſimè probent, nec attendendæ ſint ſupradictæ exceptiones, quæ quando etiam eſſent alicujus ponderis, ſublatæ remanent ex tam grandi adminiculo, ut dixit olim *Rot.dec.*147. *n.*5. *par.*1. *rec.*, *cor.Buratto dec.*143. *n.*16., *& dec.*349. *num.*5., *& cor. Ottbobono dec.*100.*num.*5.

Minuſque obſtare viſum fuit, quod dictorum Monachorum quaſi poſſeſſio lignandi in ſupradicto Nemore fuerit precaria, videlicet de licentia recenſiti Commendatarii, qui ſupponit ſeſe eſſe Dominum ejuſdem Nemoris, & propterea non ſit manutenibilis; cum
10 manutentio non debeatur poſſidenti precario nomine, ſed tantùm illi, qui poſſidet jure dominii; *Menoch. de retinend.poſſeſſ. remed.*3. *num.*3. 38., *& ſequen.*, *Cancer.var. reſol.par.*4. *cap.*14. *num.*41., *Poſth.de manutent.obſerv.*52. *num.*21., *&* 22., *Rot.coram bon. mem. Lancett. dec.*1127. *num.*22., & inſuper, quod etiamſi eadem poſſeſſio eſſet jure proprio, non ſit pariter manutenibilis contra eundem Commendatarium Dominum univerſalem ſępedicti Nemoris, illiuſque Poſſeſſorem; dum primum ex hiſce objectis reſpiciens qualitatem poſſeſſionis non ſubſiſtit, & alterum ſuper prætenſo Dominio non probatur a Commendatario ſaltem eo modo, quo exigitur ad effectum impediendi ex hoc capite poſſeſſori manutentionem.

Porrò compertum fuit non ſubſiſtere primum nedum ex præſumptione Juris,
11 juxta quam quis in dubio poſſidere præſumitur jure proprio, non autem alieno, ſeu precario; *ad Text.in l.Titia ff.de ſolut.*, *Gloſſ.in l.*2.*verb.ut Dominum Cod.de acquir. poſſeſſ.*, *Surd. conſil.*135. *num.*24., in puncto *Rot.poſt Poſth.de manut. dec.* 40. *num.*3., Sed etiam ex depoſitione Teſtium adductorum pro
12 parte Monaſterii, qui unanimiter deponunt ligna ab eis inciſa fuiſſe liberè, & abſque alicujus dependentia, quia dicebant ipſos habere tanquam Dominos liberum jus lignandi, & de hoc adeſſe in loco publicam vocem, & famam, quod probat d. poſſeſſionem habitam fuiſſe nomine proprio, & non precario, ut ſubdit *Rot. dec.*40. *num.*4.*poſt Poſth. de manut.*, *& in rec.*632.*num.*3.*par.*3., jun-

juncto præſertim, quod, ut affirmant
13 iidem Teſtes, eadem poſſeſſio eſt antiquiſſima, & ſemper multiplicatis actibus continuata abſque ulla interruptione, in quo caſu eo magis excluſa remanet quælibet umbra difficultatis, quod facultativa, & precaria fuerit ſupradicta poſſeſſio, cum per adeo diuturnum tempus, & tot multiplicatos actus poſſeſſorios non præſumatur toties multiplicata gratia, ſeu licentia incidendi, ut ſupra, ad tradita *per Gratian. diſcept.Forenſ. cap.681. num.6., Adden. ad Gregor.deciſ.162. ſub num.16., Rot. poſt Poſth.de manut. dec.32.num.9., & coram Cavalcr. dec.286. num.6., & in rec. deciſ.545. num.3. part.3.*, & in terminis eadem *Rot. poſt eundem Poſth. de manut.dec.40. num.8., & 10.*

Poſthabitis aliis extrajudicialibus Teſtibus Commendatarii aſſerentibus, neminem, ſive Dominum agrorum, ſive Civem, ſive Forenſem poſſe incidere Arbores in d. Nemore abſque licentia, & permiſſione ejuſdem Commendatarii, qui eſt Arborum Dominus, quippe qui in caſum contraventionis exigit pœnas, & ſolus habet jus dictas Arbores incidendi, quodque quando Monachi Arbores inciderunt, id fecerunt prævia licentia Commendatarii, ab eis petita, & obtenta; quia quidquid ſit de dicto aſſerto dominio privative ad Monachos, ſuper quo diſſeretur inferiùs; in eo, quod reſpicit Monaſterii, & Monachorum poſſeſſionem, ſeu quaſi liberè incidendi, & dictam licentiam, quod iſta a Monachis fuerit petita non deponuut, niſi quatuor Teſtes, ideſt *Carminus Capiſerro, Joſeph Carcri, Paulus Bugiſano, & Thomas Fantone*, ſed hi
14 duo ultimi nullam penitus reddunt cauſam ſcientiæ eorum dicti, & ſic nil probant; ut in terminis alias firmavit *Rot.poſt Poſth.de manut. dec.419. n.3.*, & reliqui duo, etſi aſſerant id ſcire, quia alter ex illis fuit magiſter juratus Commendæ, & alter Ærarius, propter quorum officiorum exercitium poteſt forſan dijudicari ſufficiens allegatio hujus cauſæ, tamen nullam merentur conſiderationem, quia ſtant contra eorum dictum tam ſupra relata præſumptio, & atteſtatio viginti duorum Teſtium a Monachis inductorum contrarium aſſerentium, qui veluti muniti eadem præ-
15 ſumptione, & utpotè numero plures præſeferendi ſunt eiſdem duobus Teſtibus Commendatarii; *Cap.licet cauſam verſic. Ex præmiſſis de probat., Rot. poſt Poſth. de manut. dec.170. num.4., & cor.ſan.mem.Gregor.XV. deciſ.249.pariter num.4., & coram Cerro dec.869. num.6., & 9.*, quam etiam ſupra enuntiata depoſitio alterius ex Teſtibus ejuſdem Commendatarii, qui fuit bis ejus Gubernator, & ſemel ejus Aſſeſſor, & ait, pluries Monachos pro uſu proprio abſque ulla licentia Arbores incidiſſe; & quamvis reclamaverint Commendatarius,& ejus Miniſtri faciendo acceſſum ad locum inciſionis; nihilominus Monachis pretēdentibus liberum jus lignandi tam d.Commendatarium, quam ejus Miniſtros acquieviſſe, & ceſſaſſe a quacunque ulteriori moleſtia; qui Te-
16 ſtis cum plenè probat contra Commendatarium ex allegatis ſuperiùs §.*Maximè*, ſic adimere facit omnem fidem dd. aliis ejus Teſtibus, ſignanter cum hic ultimus uti Gubernator Localis de hac re eſt melius inſtructus, quam alii Teſtes; *Farinac. de Teſtibus quæſt.65.numer.96., & ſequen., Rota coram clar. mem. Card. Falcon. dec.5. num.17. de Pact.*

Addendo ulteriùs, quod ſi Commendatarii conceſſiſſent Monachis licentiam incidendi Arbores, illam utique
17 in re adeo magni momenti, & per adeo longiſſimum tempus continuata deſcripſiſſent eorum Miniſtri in Libris Ærarii Loci Melicucciæ, & indicarentur illius conceſſiones; unde cum non detur ullum,ne minimum quidem indicium ejuſdem aſſertæ licentiæ, ſignum eſt evidentiſſimum, quod illa Monachis nunquam conceſſa fuerit, ut aliàs dixit *Rot. dec.841. num.24. coram bon. mem. Molines*.

Deſcendendo tandem ad examen alterius exceptionis in eo poſitæ, quod Commendatarius ſit Dominus ſæpedicti Nemoris, & conſequenter, cum omnes fructus illius ad Dominum ſpectent,non ſuffragetur eadem quaſi poſſeſſio Monachorum incidendi ligna, cum nun-
18 quam detur contra Dominum manuten-

tentio, Immo iſti competat jus aliis pro-
hibendi, ne dicta ligna incidantur, niſi
in contrarium doceatur de ſervitute
acquiſita Arbores incidendi, & quidem
per tempus immemorabile juxta *dec.2.,*
& 3. de ſervit. coram clar. mem. Cardin.
Falconer, a dicto Commendatario al-
legatas.

Nam ad hoc ut d. exceptio retardet
manutentionem Poſſeſſori, nedum de-
19 bet eſſe valida in ſubſtantia, ſed etiam
incontinenti, & indubitanter probata,
& quidem vel per confeſſionem Partis,
vel per rem judicatam, vel per publi-
cum Iuſtrumentum; ad firmata per
Rot. coram Seraphin. num.2., & coram
Martin. Andr. dec.81. num.4., & in
rec. deciſ.333. num.13. part.10., & in
Paderbonen. Beneficii 28. Junii 1734.
§. Nec urget coram Me, quemadmo-
dum de facto per publicum Inſtrumen-
tum emptionis probatum fuerat domi-
nium bonorum in caſu *dictarum deciſ.*
coram Emo Falconerio: probationes ve-
rò adductæ a Commendatario non ſunt
ejuſdem qualitatis, quia Teſtes ab illo
inducti, & ſuperiùs enuntiati deponen-
tes, illum eſſe Dominum Nemoris, ha-
bereque integrum Jus lignandi, ac pro-
hibendi aliis, & exigendi pœnas a con-
travenientibus, ultra quod deponunt
per ſimplicem fidem extrajudicialem,
& habent contra ſe alios ſupradictos
Teſtes a Monachis exhibitos, aſſerentes
eſſe publicam vocem, & famam illos ab
antiquo, & immemorabili tempore ha-
bere jus lignandi in d. Nemore, & repe-
riri in illius quaſi poſſeſſione, non di-
20 cuntur conſtituere probationem in-
continenti in hoc ſummariiſſimo judi-
cio manutentionis ſuper non jure poſ-
ſeſſoris, prout faciunt confeſſio Partis,
res judicata, & Inſtrumentum publi-
cum, cum probatio per Teſtes non ex-
cludat, quin alia pars admittatur ad
probandum contrarium, ut optimè ad-
vertunt *Paul. de Caſtr. conſil.91. ſub n.8.*
verſic. quod cum lib.1., Roland. conſil.98.
num.38. verſic. Nam certiſſimi lib.5.,
Rot. poſt Poſth. de manut. dec.322. n.10.,
& in rec. d. dec.233. n.18. ad 23. par.10.

Sicuti nec etiam quædam partitæ ſo-
lutionum Canonum a Monachis fieri
ſolitarum Commendatario pro eorum
bonis retentis in Territorio ſupradicti
Oppidi Melicucciæ extractæ ex Libris
21 Commendæ, quia ultra quod etiam
hæ partitæ non ſunt extractæ Mona-
chis citatis, prout in hoc caſu requiritur;
Rota coram Lancett. dec.112. num.23.,
coram Corein. dec.776. num.6., & in
rec. dec.190. num.4. par.14., & dec.2.
22 *num.10., & 18. par.18.*, cum tales
ſolutiones ſint referibiles ad bona par-
ticularia Monachorum, & ad cauſas
longè diverſas, per conſequens ineptæ
remanent ad concludendum dictum
23 prætenſum Dominium, quod exigit
probationes univocas, perfectas, & un-
dique concludentes; *Maſcard. de pro-*
bat. concluſ.536. num.5., Rot. dec.30.
num.5. par.9. rec., & coram Molines
dec.833. num.8.

Quinimmo exiſtimarunt Domini, non
ſolum pro parte Commendatarii non
eſſe illico, & incontinenti probatum
recenſitum Dominium, ſed etiam illud
remanere excluſum ex Inventario bo-
norum, & jurium Commendæ a Mona-
chis exhibito, & a dicto Commenda-
tario non controvertibili, in quo lo-
quendo de controverſo Nemore enun-
tiatur Commendatarios habere limita-
tam facultatem ligna incidendi pro uſu
tantùm Caſtri, ibi — *Al quale Signor*
Commendatore è lecito far tagliare le-
gni verdi di Cerſa, ſeu Cerqua per ſer-
vizio del fuoco del Caſtello —; cum hæc
24 reſtrictio, & limitata facultas ſit con-
traria Dominio includenti in ſeſe uni-
verſalem libertatem diſponendi, ac
utendi re ſua quomodo ſibi placet; *L.*
in re mandata C. Mandati, de Cuc. de
ſervitut. diſc.38. n.4.

Contra verò, quod conſtet de titu-
lo ſaltem colorato Monachorum ſuper
jure, & facultate ligna incidendi pro
eorum uſu, quo caſu eo magis d. eo-
rum poſſeſſio manutenenda venit, edu-
citur ex eo, quod cum hoc Monaſte-
rium fuiſſet ſolitum commendari a
S. Sede Clericis Sæcularibus, de ordine
ſan. mem. Gregorii XIII. a clar. mem.
Cardinali Sirleto fuit facta diviſio bo-
norum illius inter Menſam conventua-
lem pro congrua manutentione Mona-
chorum, & Menſam Abbatialem, ſeu
Commendalem, & inter cætera Mona-
chis

chis aſſignata connumeratur præſervatio juris lignandi, ibi — *Præterea eiſdem Monachis in omnibus, & quibuſcunque dictorum, & Commendatariorum Sylvis, in quibus Jus lignandi pro eiſdem Commendatariis fore dignoſcitur, Jus lignandi, & ligna incidendi pro eorundem Monachorum tantùm uſu, commodo, utilitate, & facultate concedimus* — Cum itaque inter bona d.Monaſterii, ut ſupra, commendata, & inde a ſan.mem.Clemente VIII. unita, atque aſſignata Collegio Scotorum Urbis connumeretur pars ſuprad.Nemoris, ut ex recenſito Inventario bonorum Commendæ Melicucciæ, in quo dicitur Commendatarios frui paſcuis illius una cum Abbatia S. Eliæ Monachorum Baſilianorum, & loco ipſius cum dicto Collegio Scotorum, ita ut ex penſionibus duæ partes pertineant ad hoc Collegium, & unica ſpectet ad Commendatarium; patens eſt, Monachos antiquis temporibus fuiſſe Dominos, vel ſaltem Condominos ſæpe memorati Nemoris, & in vim ſupradictæ præſervativæ, & ſic etiam reſervati Dominii illis competere Jus lignandi in eodem Nemore pro eorum uſu, cui etſi judicialiter interpellatum in nihilo contradicit d.Collegium Scotorum.

Nec refragatur, quod in ſucceſſiva, & effectiva ſeparatione dd. bonorum facta tempore ſan. mem. Clement.VIII. inter Menſam Conventualem, & Abbatialem non repetatur præſervativa juris lignandi, ſed ſolum nominentur bona ſtabilia, & nomina debitorum, quæ Monachis aſſignantur; Tum quia hæc aſſignatio minimè facta fuit a Cardinali Sirleto Executore Mandati ſan. mem. Gregorii XIII., ſed a Patre Generali Ordinis Baſiliani in executionem alterius mandati ſan. mem.Clement.VIII., & veluti in ſupplementum, & ulteriorem ſpecificam, & actualem aſſignationem jam priùs generaliter factam a præfato Cardinali Sirleto, ita ut non fuerit neceſſe mentionem facere de iſto jure lignandi in poſteriori, & ſpeciali aſſignatione bonorum pro Menſa Monaſterii, illiuſque Monachorum, dum illud jus lignandi jam prius, & ſatis ſuperque ſpecificè aſſignatum fuerat pro commoditate omnium, & ſingulorum Monaſteriorum præd. Ordinis; Tum etiam quia cum hæc aſſignatio proceſſerit tam in executionem dicti mandati ſan. mem. Clementis VIII., quam in executionem etiam d. alterius præcedentis mandati ſan.mem.Gregorii XIII. præſervantis, ut ſupra viſum eſt, jus lignandi, & bona præd. aſſignata fuerint cum omnibus juribus, ſub hujuſmodi formali aſſignatione cenſetur incluſum,
25 & repetitum etiam jus lignandi; cum quilibet actus ſucceſſivus ad aliquam conſtitutionem intelligatur factus juxta illius formam, & tenorem, & ab iſta declaratus remaneat, & reguletur; *Surd.conſil.385. num.14., & 15.; Menoch.de præſumpt. Præſumpt.134.n.26. lib.3., Rot. coram Emer. Jun. dec.883. num.6., & 10., & in recen. dec.558. num.4. par.19. tom.2.*

Accedente potiſſimum ſucceſſiva, & inconcuſſa obſervantia, ſive conſuetu-
26 dine Monachorum liberè lignandi, deducta ex Teſtibus ab ipſis exhibitis, ut ſupra dictum eſt, quæ pariter oſtendit nedum certorum bonorum aſſignationem factam fuiſſe, ſed Monachis quoque pridem conceſſum fuiſſe jus lignandi, ut tradit *Maſcard. de probat. concl. 1296. num.16.per tot., Menoch. de præſumpt. Præſumpt.5. num.4. lib.6., Rot. deciſ.360. num.6.par.19. rec.*

Stabilita ex his libera quaſi poſſeſſione Monachorum ligna incidendi pro eorum uſu in controverſo Nemore, eaque expurgata a contrariis exceptionibus, & ſic etiam firmata competentia manutentionis in illa, eo fortius attento ſupradicto Titulo, ſuccedit per conſequens eſſe denegandam Commendatario contrariam manutentionem in poſſeſſione, ſeu quaſi prohibendi Monachis inciſionem Arborum, cum ex fir-
27 matis de iſta ejus poſſeſſione quoad Monachos non conſtet, ſine qua nunquam manutentio competit; *Alex. conſil.4. num.1. lib. 2., Covarruv. pract.9. cap.17. num.3., Rot. poſt Poſth. de manut. dec.68. num.27., & dec.120. num.13., & cor. clar. mem. Card. Falconer. dec.3. in fin. de ſubhaſt.*

Et ita &c. utraque &c.

NULLIUS, SEU MELITEN SPOLII.

Lunæ 18. Junii 1736.

Argumento ob brevitatem non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Agens pro ſpolio probare tenetur ſuam antiquam poſſeſſionem, & recentem ſpoliantis;*

2 *Quibus probatis ſpoliato debetur reintegratio non ſolùm poſſeſſionis, ſed omnium inſuper damnorum, & expenſarum.*

3 *Teſtes plene probant contra inducentem.*

4 *Dominus utilis liberè poteſt Arbores incidere.*

5 *In materia ſpolii præcipuè violenti prius ſpoliatus debet reſtitui in poſſeſſionem, quam ſpolians audiatur ſuper meritis cauſæ.*

DECISIO LVIII.

EX deductis in mea contemporanea decisione *ſuper manutentione*, Monaſterium, & Monachi S. Eliæ Melicucciæ Ordinis S. Baſilii Magni reperiuntur in poſſeſſione, ſeu quaſi juris lignandi, ac arbores incidendi pro eorum uſu in Nemore ſito in Territorio ejuſdem Oppidi, idemque jus exercuerunt etiam, & exercent in bonis propriis, ſive de novo acquiſitis, ſive pridem ſibi aſſignatis in partem congruæ in executionem Brevis ſan. mem. Gregorii XIII. ac decreti Cardinalis Sirleti illius executoris, ut habetur in dicta mea contemporanea deciſione §. *E converſo*, & quia iidem Monachi, ſive eorum Coloni fuerunt ſpoliati jure, & quaſi poſſeſſione arbores incidendi etiam in dictis bonis propriis; Ideo propoſui etiam dubium — *An conſtet de ſpolio, quod veniat purgandum* — prodiitque reſponſum — *Affirmativè in omnibus*.

Etenim Monaſterium docuit de antiqua poſſeſſione, ſeu quaſi juris inciden-
1 di ligna, & arbores in memoratis bonis propriis, & illis detentis præſertim a Colonis de Luparis ex depoſitione jurata plurium Teſtium; prout quoque de recenti poſſeſſione exiſtente penes Officiales Commendatarii, qui deve-nerunt ad carcerationem Colonorum, & Famulorum Monaſterii incidentium eadem ligna in eiſdem bonis, ut deponunt ſex Teſtes, & in ſpecie Vincentius Papaſergio alter ex inciſoribus, quibus probatis illico conſtat de ſpolio,
2 quod venit omnino, hoc eſt rigorosè purgandum, non ſolum mediante reintegratione ſpoliati ad ſuam poſſeſſionem, ſed etiam prævia reintegratione omnium, & quorumcunque damnorum, intereſſe, & expenſarum; *cap. ſæpè de reſtitut. Spoliat.*, *Rot. coram Emer. Jun. dec. 517., & dec. 766. utrobique num. 1., cor. clar. mem. Card. Falcon., in Miſcell. dec. 77. ſub num. 1.*

Nec obſtat quod in receuſitis bonis Monaſterii a Colonis de Luparis detentis non reperiantur arbores cęduæ; Nam contrarium reſultat ex ipſis met Teſtibus a Commendatario inductis, qui con-
3 tra ipſum inducentem plenè probant ex firmatis in dicta mea contemporanea deciſione §. *Maximè dum*.

Prout neq. refragatur, quod inciſio arborum, quæ dedit cauſam carcerationi, & inquiſitioni Colonorum, facta fuerit in contrada *la Rena, e la Valle prope Jardenum pomorum Brunonis Lupari*, ut depoſuit enuntiatus Vincentius Papaſergio, & agnitum fuit in acceſſu, & ſic extra bona Monaſterii a Luparis detenta, quæ dicuntur conſiſtere in d. ſolo Viridario.

Quandoquidem atteſtatio d. Vincentii, & acceſſus præfatus reſpiciunt inciſionem arborum ſequutam an. 1733., Inciſio autem, quæ cauſam dedit carcerationi, & ſpolio evenit anno 1734., & quidem in prædictis bonis Monaſterii retentis ab eiſdem Luparis, ut referunt plures Teſtes, & ſignanter idem met Vincentius Papaſergio, & Franciſcus Fidelis, qui arbores inciderunt.

Neque a tali purgatione Commendatarius ſeſe eximere valuit ex repetita prætenſione dominii univerſalis bonorum exiſtentium in Territorio Oppidi Melicucciæ, & ſic illorum quoque dicti Monaſterii propter ſolutionem cujuſdam annui cenſus factam a Monaſterio Cameræ feudali; quia ultra reſponſionem datam in mea contemporanea deciſione §. *Sicuti nec etiam*, & alte-

alteram, quod d. ſolutio in omnem caſum non poſſet concludere, niſi quod
4 Commenda Baronalis ſit Domina directa dd. bonorum, quod non impedit Domino utili liberam inciſionem arborum in illis naſcentium; *leg.item ſi fundi*, *& leg.ſi Arbores ff. de uſufructu*, *Rot.in Fulginaten.*, *ſeu Spoletana Manutentionis*, *& Attentatorum 25. Junii 1725. §.Potiſſimum cor.R.P.D. meo Nunez*, urget tertia, & ultima, quod
5 natura Spolii, ac præcipuè ut in caſu violenti, exigit, quod priuſquam ſpolians audiatur ſuper meritis cauſæ, omnino ſpoliatus reintegrandus ſit ad ſuam poſſeſſionem; *leg.final.Cod.ſi per vim*, *vel alio modo*, *Rot. coram Buratto dec.133. num.2.*, *& in Mantiſſ. ad Card. de Luc. dec.8. num.13. lib.4. volum.1.*, *& in Melevitana Manutentionis 7.Julii 1734. §.fin. cor.R.P.D. meo Harrach.*

Et ita &c. utraque &c.

RECINETEN. LEGATORUM SUPER LEGATO ANNÆ ROSÆ.

Veneris 22. Junii 1736.

ARGUMENTUM.

Renuntiatio omnium bonorum comprehendit Legatum pecuniarium: Ea porro ſi ad vitam alicujus fiat, tribuit Renuntiatario tacitam facultatem diſponendi in vita, vel in morte. Ad ejus autem indolem dignoſcendam, ſiquidem conſtet de animo addendi, & innovandi, habetur ratio Inſtrumenti, ſi vero hujuſmodi animus excludatur, habetur ratio Capitulorum.

SUMMARIUM.

1 *In renuntiatione omnium bonorum continetur Legatum pecuniarium.*
2 *Defectus conditionis reſolutivæ diſpoſitionem confirmat.*
3 *Capitulis matrimonialibus potius ſtandum eſt, quam Inſtrumento renuntiationis, etiamſi mulier iis non intervenerit, ſed intervenerit Inſtrumento.*
4 *Renuntiatio ad vitam continet tacitam facultatem in Renuntiatario diſponendi de bonis renuntiatis in vita, vel in morte.*

5 *Statur Inſtrumento quoad conditionem novam non comprehenſam in Capitulis:*
6 *Sed contrarium procedit, excluſo animo recedendi a Capitulis, vel quidquam innovandi in Inſtrumento.*
7 *Clauſulæ potius referri poſſunt ad ſtylum Notariorum, quam ad contrahentium voluntatem.*
8 *Ex ſimplici relatione ad Capitula non excluditur animus addendi, & innovandi in Inſtrumento.*
9 *Additio conditionis, vel alterius peculiaris facti referri nequit ad ſtylum Notariorum.*
10 *Dictiones* — quia ſic, & non alias, nec aliter, nec alio modo — *removent conſenſum ab actu.*
11 *Scientia legalis in Agente conſideratur ad effectum interpretandi actum.*
12 *Obligatio facta nomine hæredum, & ſucceſſorum eos ligat.*

DECISIO LIX.

Legatum ſcut.1000. relictum a Marchioniſſa Conſtantia Columbellia de Anticis Annæ Roſæ ejus filiæ nuptæ Leandro Mazzagallo quamvis deberi viſum fuerit prius A.C., & deinde noſtro Sacro Auditorio coram Emo Aldrovando, prævia deciſione edita ſub die 26. Januarii 1731., prævaluit tamen opinio denegans executionem mandati pro illius præſtatione relaxati in gradu ulterioris appellationis delegatæ R.P.D. meo Creſcentio; Compertaque validitate, & juſtitia Sententiæ ab eodem latæ, præviis tribus deciſionibus cum ſuffragio quinti, & ſexti, illam in præſenti Audientia Domini confirmarunt.

Validitas nullo modo impugnata fuit; juſtitia vero iterum fuit deſumpta ex eo, quod obſtet conſecutioni prædicti Legati ampliſſima renuntiatio per Annam Roſam Legatariam emiſſa favore Marchionis Clementis Genitoris, ſub qua quidem, utpote literaliter comple-
1 ctente omnia bona *etiam materna*, *nedum præſentia*, *ſed futura*, *etiam ex nova ſuperveniente*, *& inopinata cauſa*, non poterat inficiari, quin comprehendatur Legatum controverſum; ut latè firmant præfatæ tres *Deciſiones R.P.D.*

mei Creſcentii, prima edita ſub die 6. Ju-
nii 1733. §. 3. , altera ſub die 4. Ju-
nii 1734. §. Pariter, & tertia denique
diei 21. Martii 1735. §. Firmo namque.

Non officiente, quod præfata renun-
tiatio, juxta legem adjectam in Capitu-
lis Matrimonialibus, eſſet perſonalis fa-
vore Parentum, & effectum habitura
1 eorum vita durante tantum, & dumta-
xat; proindeque iis modo defunctis,
haberi debeat pro non facta, nullum-
que ponat obſtaculum petitioni, & con-
ſecutioni controverſi Legati: Placuit ſi-
quidem animadverſio, quod ejuſmodi
reſtrictio ad vitam Parentum appoſita
in Capitulis matrimonialibus ita decla-
rata fuit in ſucceſſivo Inſtrumento ejuſ-
dem renuntiationis, cui perſonaliter
interfuit ipſa met Anna Roſa, ut intel-
ligeretur, quatenus Parentes deceſſiſſent
inteſtati, & in vita de bonis, & juribus
ſibi renuntiatis non diſpoſuiſſent; quod
cum non evenerit, quia uterque ex Pa-
rentibus diſpoſuit favore Roſaliæ alte-
rius filiæ; immotum idcirco remanet
2 obſtaculum renuntiationis, cum defe-
cerit conditio illius reſolutionis volitæ
in caſu obitus Parentum ab inteſtato, &
ſine ulla diſpoſitione; ad ea, quæ tra-
dit *Rota deciſ. 68. num. 5. tit. de fideic.*
cor. Card. Falconer., cum aliis collectis
in deciſionibus ſuperioris Inſtantiæ, pri-
ma ſub §. 4., *ſecunda pariter ſub* §. 4., *&*
tertia ſub §. 3.

Quin obſtet, quod ſtante diſcordia
inter Capitula, & Inſtrumentum, illa
3 potius ſint attendenda, etiamſi Mulier
renuntians non intervenerit Capitulis,
ſed Inſtrumento renuntiationis latius
extenſo; prout plene firmavit *Rota in*
Romana Renuntiationis 17. Jun. 1709.
§. Ad evitandum cum ſeq., & 9. Maii
1710. §. De facili cor. Card. Priolo, 3.
Julii 1711. §. Haud ſubſiſtente cor. Emo
Aldrovando, & 16. Januarii 1712. §. Sed
lucidiùs cor. bon. mem. Anſaldo.

Aut enim nulla intercedit ſubſtantia-
lis repugnantia, & difformitas inter di-
cta Capitula, & ſubſequens Inſtrumen-
tum renuntiationis, ea ratione quia pa-
ctum faciendæ renuntiationis ad vitam
4 Parentum adjectum in Capitulis tacitè
continet aliam conventionem explicitè
appoſitam in Inſtrumento favore eo-
rundem Parentum, facultatis nempe
diſponendi de bonis renuntiatis, vel in
vita, vel in obitu; Dum alias renun-
tiatio promiſſa in Capitulis, inanis, &
eluſoria fuiſſet, niſi de bonis renuntia-
tis Renuntiatarius diſponere valuiſſet;
Quando cæteroquin renuntiatio procu-
rari ſolet a Patre filiam dotante, ad
eum præciſum effectum acquirendi fa-
cultatem diſponendi de bonis renuntia-
tis; ut in propoſito notat *Card. de Luc.*
de renunt. diſc. 3. n. 7., *Rot. dec. 85. n. 6.*,
& 7. cor. Greg., atque ideo in hiſce cir-
cumſtantiis, cum Inſtrumentum cenſe-
ri nequeat contrarium Capitulis, ſed
potius declarativum, ceſſat regula in
objecto deducta, quod magis attendi
debeant Capitula, quam Inſtrumentum
juxta latè firmata in deciſionibus præ-
cedentis inſtantiæ, & ſignanter in prima,
& ſecunda utrobique §. 6.

Aut ſi quæ contrarietas, & difformi-
tas conſiderari valet inter ſæpedicta
Capitula, & Inſtrumentum, ea certe
non officit, quin adhuc, ſepoſitis Ca-
pitulis, habeatur ratio diſpoſitorum in
5 Inſtrumento: cum nihil ſit, quod pro-
hibeat, quominus Anna Roſa, recedendo
a Capitulis, quibus non interfuit, poſſit
in Inſtrumento renuntiationis, ipſa met
præſente celebrato, ſuperaddere novam
ulteriorem conditionem favore Patris,
& veluti ex integro, diſponendo de re-
bus ſuis, legem ſibi beneviſam appo-
nere; juxta firmata in altera *Recineten.*
Legatorum ſuper Legato Mariæ Fran-
ciſcæ 6. Junii 1732. §. Quibus ita, &
19. Januarii 1734. §. Alia quoque cor.
R. P. D. meo Creſcentio, & plenius com-
probat *ſecunda Deciſio ſuperioris Inſtan-*
tiæ §. 6.

Contrariis procedentibus, quoties
excluditur animus recedendi a Capitu-
6 lis, vel quidquam innovandi per ſubſe-
quens Inſtrumentum, prout erat caſus
in *Romana Renuntiationis* in objecto
allegata, in qua mulier proceſſit ad
actum renuntiationis cum explicita re-
latione ad modum, & formam conven-
tionis expreſſæ in Capitulis matrimo-
nialibus; & ulterius varietas, quæ po-
terat conſiderari inter Capitula, & In-
7 ſtrumentum, reſurgebat ex verbis, &
clauſulis, quæ magis referri poterant
ad

ad Stylum Notariorum, quam ad partium voluntatem. Quæ facti circum-
8 ſtantiæ exulant a præſenti caſu, in quo licet fiat mentio de Capitulis matrimonialibus, & de renuntiatione in eiſdem conventa, talis tamen relatio non ita apparet facta, ut excludat voluntatem aliquid addendi, vel innovandi: Quodque magis eſt, conditio ſuperaddita in Inſtrumento, tanquam præſeferens factum peculiare, nequit ullo pacto refer-
9 ri ad ſtylum Notarii, ſed omnino adſcribi debet voluntati deliberatæ Partium, potiſſimè quia legitur ſuffultum illis clauſulis, *quia ſic*, *& non alias*; *nec aliter*, *nec alio modo*, quæ removent
10 conſenſum ab actu, qui alias geſtus non fuiſſet; *Rot. deciſ.* 11. *num.*4., *&* 5. *part.*9. *rec.*, *& dec.*78. *num.*7. *poſt Conſtant. ad Stat. Urb.*

Verum omnis, & quæcunque apud Dominos removebatur difficultas, ponderando, quod Leander Vir Annæ Roſæ, vix elapſo anno a die celebrati Inſtrumenti renuntiationis, occaſione receptionis Dotis ad formam Capitulorum, quæ ſolum enuntiavit relative ad Dotem, promiſit in Inſtrumento Apochæ de recepto ſub obligatione Camerali, quod nec Anna Roſa ejus Uxor, nec illius hæredes, & ſucceſſores impugnaturi fuiſſent ſub quocunque prætextu non quidem Capitula, ſed Inſtrumentum renuntiationis: Quæ ſanè ſpecialis promiſſio maximam promeruit animadverſionem tam in linea interpretativa, quam in linea obligatoria.
11 Si enim Leander, qui erat juris utriuſque Doctor, & conſequenter non ignarus, an Inſtrumentum prævalere deberet Capitulis, bene conſcius de iis, quæ continebantur in utraque Scriptura, cui interfuerat, promiſit obſervantiam renuntiationis ad formam ſubſecuti Inſtrumenti; palam exinde fit perfectionem contractus renuntiationis conſideratam fuiſſe dependenter ab iis, quæ legebantur non in Capitulis, ſed in Inſtrumento, cujus obſervantiam cum idem Leander
12 tam nomine proprio quam nomine Annæ Roſæ, necnon hæredum, & Succeſſorum promiſerit in forma Cameræ, dubitari profecto non poteſt, quin obligatio iſthæc tranſierit in Laurentium filium, & hæredem utriuſque Parentis, qui propterea legatum controverſum petere non valeat, cum peti non poſſit abſque impugnatione dicti Inſtrumenti; quemadmodum concludunt Deciſiones, quæ revidentur prima nempè §.9., *& ſeqq.*, *& ſecunda* §.7. *& ſeqq.*, ad quas in reliquis Domini ſeſe remiſſivè habuerunt.

Et ita utraque Parte informante cum ſuffragio quinti, & ſexti reſponſum fuit.

SENOGALLIEN. PECUNIARIA.

Lunæ 25. *Junii* 1736.

Argumento non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Per ſolutionem debiti vel in manibus ipſius debitoris, vel in depoſito legitimè facto tollitur omnis obligatio.*
2 *Simplex aſſertio nihil probat.*
3 *Quando vis, & fundamentum conſiſtit in tempore, illud præcisè probandum eſt.*
4 *Ad ſimulationem probandam ultra cauſam ſimulandi, requiruntur argumenta univoca, eaque ſemper excluditur conſtito de veritate actus.*
5 *Longiſſima acquieſcentia confirmat legalitatem actus.*

DECISIO LX.

Anno 1670. Sebaſtianus, & Thomas Fratres de Brotanis uti Donatarii Juditæ Plazzonæ, & reſpective hæredes Teſtamentarii Catherinæ Plazzonæ vendiderunt Prædium ſitum in Villa S.Silveſtri Territorii Senogallien. Bernardino Covonio pro pretio ſcut.1800. monetæ Urbini, cujus pars in actu venditionis ſoluta fuit, & pro reſiduo idem Emptor adhuc debitor remanſit.

Anno ſubinde 1674. Paulus Antonius Covonius fil., & hæres dicti Bernardini, & præfata Juditta Plazzona, quæ ſuper eodem Prædio adhuc habebat jus uſusfructus ſibi reſervatum in donatione, vendiderunt idem Prædium pro pretio ſcut.1250. monetæ Romanæ Tarquinio de Cherubinis, qui in actu ſtipulationis ſolvit Venditoribus in partem pretii ſcut.300. ad effectum extin-

tinguendi tot debita anteriora, & potiora, ac pro reſidua ſumma ſcut. 950. ſe debitorem conſtituit nonnullorum cenſuum paſſivorum, quibus gravati erant nedum hæreditas dicti Bernardini Covonii, ſed etiam ſupradicti Fratres de Brotanis primi Venditores cum ea lege, & pacto, quod ſi inpoſterum detegerentur debita anteriora, & potiora, licitum eſſet eidem Emptori hæc dimittere, ac extinguere, relictis illis quæ ſibi in debitum aſcripſerat.

Cum vero eidem Tarquinio ſecundo Emptori poſt extinctos binos ex mox dictis cenſibus paſſivis, quorum erant Creditores Societas Sanctiſſimi Roſarii, & Leonardus de Leonardis, innotuiſſet præexiſtere alia debita anteriora confusè tamen, ex quo illa in dicto ultimo Inſtrumento venditionis ab eodem in proprium debitum ſuſcepta, inibi deſcripta, & enuntiata remanſerant abſque die, & anno, immo etiam abſque nomine Notarii, qui eorum Inſtrumenta rogaverat; Proinde idem Tarquinius Emptor, conſulendo propriæ indemnitati, præviis legitimis interpellationibus executis contra Venditores, ac Judicis decretis, depoſuit in S. Monte Pietatis Bodii pretium reſiduum conſiſtens in ſc.439. 30. 4. monetæ Romanæ, cum hac expreſſa lege, quod erogari deberet in extinctionem debitorum anteriorum.

Sequuto hoc depoſito, cui quoad vixerunt, acquieverunt Paulus Antonius, & Juditta Emptores, quodque erogatum remanſit in extinctionem debitorum anteriorum, poſt plurium annorum effluxum, ideſt anno 1696. inſurrexerunt coram Vicario Generali Senogalliæ contra hæredes memorati Tarquinii Emptoris Capella Sanctiſſimi Crucifixi erecta in Eccleſia Monialium S. Chriſtinæ cum bonis hæreditariis Bernardini Covoni, qui fuit Pater ſupradicti Pauli Antonii, ac Soror Angela Franciſca Filia ejuſdem Bernardini, habens jus nominandi ad hanc Cappellaniam, & prætextu, quod dicta Cappella coacta fuiſſet perſolvere duos cenſus a Bernardino impoſitos, & quorum erant Creditores Octavius Sebaſtiani, & Monialis Maria Franciſca Caballa, & qui adſcripti fuerant in debitum Tarquinii in ſupradicta emptione, excitarunt prætenſionem, quod dd. hæredes in ſequelam hujuſmodi, in debitum adſcriptionis tenerentur eandem Capellam pro ſummis ſolutis relevare; ſed paſſi fuerunt a dicto Vicario ſententiam contrariam, quæ in gradu appellationis reaſſumptæ poſt 30., & ultra annos a Fratribus de Paſquinis, altero Rectore, & altero Patrono dictæ Cappellæ confirmata remanſit ab R.P.D.Bardo tunc A.C., & cum hæ ſententiæ tranſiverint in rem judicatam, commiſſa cauſa in gradu reſtitutionis in integrum in hoc S. Auditorio Reverendiſs. P. D. meo Decano ſub die 3. Junii anni præteriti 1735. diſputato conſueto dubio = *An conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum* = fuit reſponſum = *conſtare de re judicata* = ad cujus normam conceſſa cauſæ expeditione deventum fuit ad taxationem expenſarum.

Iterum vero cauſa ex reſcripto Signaturæ mihi commiſſa, propoſui hodie dubium — *An conſtet de credito*, & informante dumtaxat hærede ſupra enuntiati Tarquini Emptoris prodiit negativa reſponſio.

Siquidem eo ipſo, quod ex facto ſupra enuntiato reſultat Tarquinium Cherubinum Emptorem partem pretii conventi perſolviſſe in manibus Debitorum, aliamque partem erogaſſe in extinctionem, ſive dimiſſionem nonnullorum eorum creditorum, reſiduumque in totale complementum legitime depoſuiſſe in Æde Sacra ad hoc, ut ex iſto ſatisfacti remanerent, prout ſatisfacti fuere alii Creditores anteriores, & potiores Venditorum; planum utique remanet, non conſtare de ullo credito eorundem Venditorum ex cauſa ſupra-
1 dicti pretii; cum per ſolutionem ejus, quod debetur, ſive effective ſecutam, ſive mediante depoſito legaliter facto, ſublata remaneat quæcunque obligatio debitoris, cujus prætextu conſequenter licitum amplius non eſt moleſtare eorum heredes; ut firmatur in *dicta deciſione Rmi Decani §. Pro reſtitutione*, & tradunt *Surd. conſ.86.num.*28., & 29., *Gratian. diſcept. forenſ. cap.*38. *n.*32., *Rot.*

Rot. in Recent. dec.228. num.4. part.9.

Non officientibus, quæ a Fratribus de Paſquinis deducta fuere in plena Signatura pro obtinenda ſupradicta nova cauſæ commiſſione, & quæ in objectum allegabantur ab hærede Emptoris, quod videlicet depoſitum memoratum reſidui pretii fuerit illegitimum, ex quo cum Paulus Antonius Covonius Venditor, uti pluribus debitis gravatus aufugerit e Civitate Senogalliæ anno 1675., per conſequens excluſum remaneat, legitime eundem interpellatum fuiſſe eodem anno pro faciendo dicto depoſito;

2 Tum quia hæc fuga non reſultat, niſi ex ſimplici aſſertiva, quæ de per ſe nil penitus probat; *l.1. Cod. de probation., l.aſſeveratio Cod.de non numerat.pecun., Rot. coram Lancetta dec.122. num.14.,* Tum inſuper quia eadem aſſertio facta apparet ſub die 23. Auguſti ejuſdem anni 1675., Unde non excludit, quod præcedenter ad hanc diem non fuerit idem Paulus Antonius legitimè interterpellatus, ut ſupra, dum revera ex parte hæredum Emptoris doctum fuit, interpellationes fuiſſe factas ſub præcedentibus diebus 6.; & 14. Auguſti ejuſdem anni 1675., ad hunc enim effectum plene, & concludenter probanda fuiſſet abſentia dicti Pauli Antonii e Senogallia præcisè dd. diebus 6., & 14.

3 Auguſti; cum quando vis eſt in tempore, ut hìc, præcisè illud probandum venit; *l.eum actum, ubi Gloſſ., Bartol. ac cæteri Scribentes ff. de negot. geſt., Riminald. Sen. conſ.33. n.56. vol.1., Ruin. conſ.67. n.5. pariter vol.1., Maſcard. de probat. concluſ.1351. num.1., & ſeq., Antonell.de tempor.legal. lib.1. cap.12. n.1., & 3.*

Minuſque, quod dd.interpellationes fuerint ſimulatæ, & colluſivæ, ſive quia prima diei 6. Auguſti facta fuerit coram Vicario Generali Senogallien., & ſecunda diei 14. ejuſdem menſis coram Prætore Montis Bodii, ſive quia hac ultima die dicto Prætore Montis Bodii deputatus extiterit in Vice-Prętorem Hieronymus Gherardus Conſanguineus Tarquinii Cherubini Emptoris; Quoniam cum in effectu doceatur de reali interpellatione ſequuta dicta die 14. Auguſti, in qua leguntur nominata omnia debita anteriora, & potiora, ac de legitima intimatione facta Venditoribus, nec non de decreto Judicis ſuper ea interpoſito, & de ſucceſſivo vero depoſito, non ſolùm cum ſucceſſiva conſignatione pecuniarum facta Creditoribus Venditorum, ſed etiam illius approbatione in ſpecie emiſſa Paulo Antonio, qui ex eodem depoſito recepit quandam pecuniarum ſummam; ceſſat per conſequens quælibet umbra colluſionis, & ſimulationis, quæ regulariter nec ſuaderi valet ex dd. inefficacibus

4 conjecturis, ſignanter deficiente cauſa deveniendi ad d. ſimulationem, dum requirit ultra hanc cauſam, perfectiſſimam probationem, & nunquam ineſſe dicitur, ubi conſtat de veritate actus in contrarium; *Gloſſ. in Rubric. de colluſion. detegend., & in cap.3. verbo colluſione eod.tit., Natt.conſ.537.n.2., Card. de Luc. de emption., & vendition. diſc. 16. n.8., Rot. cor. Emerix Jun. dec.702. num.8.*

Nec denique, quod occaſione, qua hæredes Octaviani Sebaſtiani die 9. Decembris 1676. egerunt contra Paulum Antonium Covonium pro ſolutione fructuum cenſus, iſte die 3. Auguſti 1677. actionem retorſerit contra hæredes Venditoris; quia ſuper inſtantia unica iſtius nullum editum fuit decretum, nec illa unquam fuit repetita, ſeu proſecu-

5 ta; Immo evenit longiſſima acquieſcentia ejuſdem Pauli Antonii, ut ſub initio narratum eſt, quę confirmat legalitatem ſupradicti depoſiti, & uſque tunc fuiſſe recognitum a Venditoribus Emptorem omnia ex parte ſua adimpleviſſe, & ab omni obligatione liberatum extitiſſe; *Gonzalez ad Reg.Cancell.Gloſſ.45. num. 69., & 70., Rot.coram Coccin. dec.212. n.4., & ſeq., & in rec. dec.276. n.14., & 15. part.19.*

Non obſtante ultimo ſuppoſito Fratrum de Paſquinis, quod factis calculis ſolutionum factarum Creditoribus anterioribus, & potioribus tam a dicto Paulo Antonio Venditore, quam a Tarquinio Cherubino Emptore, appareat, Brotanos primos Venditores exegiſſe majorem ſummam ſcut. 700. monetæ Urbini, pro quibus in prima emptione Debitor remanſerat Bernardinus

nus Pater Pauli Antonii; Quia quidquid ſit de veritate calculi ejuſmodi, eum Tarquinius ex firmatis integraliter ſatisfecerit propriæ obligationi, ad nil ultra tenetur, & ſi dd. de Brotanis ultra debitum exegerunt, remanet Fratribus de Paſquinis actio agendi contra eoſdem Brotanos pro repetitione indebiti.

Et ita DD., in reliquis approbantes deducta in præterita deciſione Rm̃i P.D. mei Decani reſponderunt, unicè informante hærede Tarquinii Cherubini, fruſtra verò Fratribus de Paſquinis pluries, & pluries intimationibus laceſſitis, dilationem petentibus &c.

ROMANA CAMBII.

Merc. 27. Junii 1736.

ARGUMENTUM.

Solutio debiti facienda eſt in loco contractus, alias Debitor tenetur ad expenſas cambiorum, quas Creditor remittere non cenſetur conſtituendo alibi Procuratorem ad exigendum; nec ob talem conſtitutionem amittit facultatem agendi contra fidejuſſorem ſolidalem ante excuſſionem Debitoris, niſi per eam novata fuerit præcedens obligatio.

SUMMARIUM.

1 *Creditor agere poteſt contra obligatum in ſolidum cum debitore.*

2 *Pro tranſmiſſione pecuniæ de uno in alium locum ſolvenda ſunt cambia;*

3 *Quæ cedere debent damno debitoris, non creditoris,*

4 *Qui ſuum integrum creditum ibi recipere debet, ubi pecuniam credidit:*

5 *Ita ut debitor alibi ſolvens, debeat etiam ſolvere id, quod creditoris intereſt, ſolutionem non fuiſſe factam in loco contractus.*

6 *Nec creditor conſtituendo Procuratorem ad recipiendas pecunias alio in loco, cenſetur remittere debitori expenſas ad tranſmiſſionem neceſſarias;*

7 *Sicuti nec renuntiare ſolutioni in loco contractus faciendæ per actum geſtum gratia majoris cautionis.*

8 *Debitori incumbit onus tranſmittendi pecunias.*

9 *Creditor ob conſtitutionem Procuratoris ad exigendum a debitore tunc amittit facultatem agendi contra fidejuſſorem ſolidalem ante debitoris excuſſionem, quando per talem conſtitutionem novata fuit obligatio, ſecus ſi conſtitutio unicè facta fuit ad majorem cautionem.*

10 *Obligatio Cameralis tribuit Creditori facultatem variandi, & agendi vel contra debitorem, vel contra fidejuſſorem.*

11 *Fidejuſſor, ut ſe liberet, docere debet de effectiva, non de poſſibili ſolutione.*

12 *Teſtimoniis mercatorum circa quantitatem cambiorum ad pecunias tranſmittendas plena fides adhibetur.*

DECISIO LXI.

NOn acquieſcens Joannes Baptiſta Mazzucchellius mandato ſcutorum 381. 05. per noſtrum Sacrum Auditorium coram Reverendiſſimo Decano relaxato pro integrali ſatisfactione Cambii ſcut. 2710. 94. aliàs contracti favore Franciſci Argenvillieres à Luciano Cartas Archipresbytero Ampurien. in Regno Sardiniæ cum obligatione ſolidali ejuſdem Mazzucchellii, curavit Mihi per Signaturam dirigi ulteriorem Cauſæ Commiſſionem, ad cujus tramites hodie propoſui Dubium conforme: *An ſit procedendum ad legitimam executionem*, cui Domini reſpondere non hæſitarunt *Affirmativè*.

Momentum reſolutionis iterum ſtetit in eo, quod *petiæ* 3148. per Muſſum Procuratorem Franciſci Argenvillieres exactæ in Sardinia non correſpondeant hic in Urbe ſummæ ſc. 2710. 94. monetæ Romanæ conſtituentium ſortem Cambii contracti favore ejuſdem Argenvillieres; quapropter integro Cre-
1 dito adhuc non perſoluto inficiari non poterat, quin idem Franciſcus ſit creditor deficientis ſummæ, pro qua paratam habeat actionem adverſus Mazzucchellium inſolidum obligatum; quemadmodum firmat *Deciſio præcedentis inſtantiæ ſub die* 10. *Decembris* 1734. §. *Ad oſtendendum*, & conſonat *Rota poſt Zaeb. de obligat. Camer. dec.* 251. *num.* 2., & 3., & *coram Lancett. deciſ.* 1400. *num.* 2.

Etſi enim petiæ prædictæ Sardiniæ cal-

calculari poſſint in obul.85. pro qualibet; æquè tamen certum eſt, quod illarum pretium intrinſecum decreſcit, quoties tranſmitti debent ad Urbem, propter neceſſariam diminutionem,
2 quam patiuntur ratione cambiorum, quæ ex communi juſtitia, & inveterata conſuetudine ubique recepta, ſolvenda ſunt pro tranſmiſſione pecuniæ de uno loco in alium; ut bene advertit prædicta *Deciſio Reverendiſſimi Decani ſub §. Objectionem*, & §. *Nullius*, & præter ibidem allegatos notant in ſpecie *Molin.de juſt.& jur. tit. de contract.diſput.* 403. *num.*4., & *ſeqq. tom.*2., *Lopez inſtruct.Negot.lib.*2.*cap.*4. *per tot.*, *Scacc. de Commerc.*, & *Camb.* §.1. *quæſt.*7. *num.*41., & *ſeqq.*, *Gait. de Credit. cap.* 2. *tit.*7. *num.*1306., & 1309., *Rot. dec.* 36. *num.*7. *poſt Gob. tract. var.*

Ejuſmodi autem neceſſaria diminutio pretii intrinſeci dd. petiarum cedit in caſu præſenti damno debitoris, qui non
3 tranſmittit eaſdem, nec eas effective ſolvit hic in Urbe; non autem in detrimentum Creditoris, cujus reſpectu id tantùm conſiderari debet, quod ad ejus manus pervenire poteſt ſubductis Cambiis; Ita ut non habita ratione pretii intrinſeci petiarum in obulis 85., tanto minus debitor ſolviſſe, & reſpective Creditor recepiſſe videatur, quanta eſt quantitas Cambii, quod exigitur pro habenda ſolutione hìc in Urbe; ut in propoſito ponderat *Rot. cor. Lancetta dec.*456. *num.*10. *tom.*2.

Ea quidem ſatis obvia ſolidaque ratione, quia Creditor, qui contraxit hìc in Urbe, atque hìc credidit ſuam pecu-
4 niam, non alibi, quam hìc ſuum integrum creditum conſequi debet; ad *Text. in leg. Qui Romæ* 122.*ff. de Verb. obligat.*, & *in leg.Is*, *cui certo loco.ff. de eo, quod cert. loc.*, *Scacc. de Commerc.*, & *Camb.* §.2.*gloſſ.*5.*n.*195., & latius firmat præcedens *deciſio* §.*Effugere*; Et debitor ſolvendo alibi, plene non ſatisfacit propriæ obligationi, niſi ſolvat etiam
5 id, quod Creditoris intereſt, ſolutionem non eſſe factam in loco contractus, ubi facienda erat; quemadmodùm poſt *Text. in d. l.Is, cui cert. loc.ff. de eo quod cert. loc.*, docent communiter Scribentes, & ſignanter *Caſtrenſ. n.*1., & 2., *Faber. in Cod. lib.*3. *tit.*15. *definit.*2. *per tot.*, *Scacc.de Commerc.*, & *Camb.*§.2.*Gloſſ.* 5.*n.*200., *Rot. cor.Creſcent. tit. de ſolut. dec.*2., & *dec.*461.*n.*26., & *ſeq.p.*9.*rec.*

Nil prorſus officiente, quod Creditor renuntiaſſe videatur ſolutioni in Urbe faciendæ ob conſtitutionem Procuratoris per eum factam ad exigendos fructus Archipresbyteratus; Siquidem
6 conſtitutio hujuſmodi nedum non præſumitur facta a Creditore in proprium damnum, & animo amittendi utiliorem ſolutionem in loco Contractus, cum abhorreat a veriſimili, quod Perſona ſolers, & ejus generis, cujus eſt Franciſcus Creditor, habens debitorem de jure, & facto obligatum ad complendam ſolutionem in loco Contractus, voluerit illi remittere talem obligationem, & ita non ſine notabili ſui damno contentus fuerit ſe ſubjicere periculo, & expenſis, quæ ſunt neceſſariæ pro tranſmiſſione pecuniarum de loco ad locum, eaſque condonare debitori, ad quem de jure ſpectant; ex firmatis per *Rot. in d.dec.*456. *n.*10. *cor. Lancett.*

Sed ulterius ex epiſtolis ejuſdem Creditoris præfata Procuratoris conſtitutio ad exigendos fructus palam conjicitur facta pro majori cautione, & ob moram, atque impotentiam debitoris, qui alioquin nec Ampurii,, nec Romæ ſolutionem fortaſſe impleviſſet; Proin-
7 deque non liberat debitorem a ſolvendo, eo quod intereſt ſolutionem in Urbe factam non fuiſſe, a qua non cenſetur receſſum per actum geſtum gratia majoris cautionis; ex latè firmatis in præcedenti *Deciſione Reverendiſſimi Decani* §. *Prodeſſe*. Præſertim quia idem Argenvillieres Creditor mandavit Procuratori, ne ipſo inconſulto debitorem liberaret per apocham de recepto ea præ cæteris reddita ratione, *perchè non sò effettivamente con qual danno, ò utile vengano di coſtà le rimeſſe*; ex quibus verbis evidens reſurgit demonſtratio, quod mens Creditoris eſſet, comprehendi debere in ſolutione facienda per debitorem etiam damnum tranſmiſſionis pecuniarum; ita ut in hiſce circumſtantiis nihil noceat, mandaſſe eidem Procuratori, ut quæreret utiliorem occaſionem pro tranſmit-

mittenda pecunia; Hoc enim tribuendum eſt induſtriæ, & diligentiæ ejuſdem Creditoris, non animo faciendi rem commodam debitori, qui ſibi imputet, cur in ſe non ſuſcepit onus tranſmiſſionis, prout tenebatur, ut in ſimilibus terminis tradunt *Caſtropal. Oper. moral. tom.7. diſp.7. punct.4. num.1., Molin.de contract. diſput.403. num.6., Gait.de credit. cap.2. tit.7. n.1308.*

Quin urgere viſum fuerit, quod ſæpedictus Creditor, poſt conſtitutionem d.Procuratoris ad effectum exigendi reditus Archipresbyteratus pro ſui dimiſſione, nequeat ſe vertere contra Mazzucchellium Fidejuſſorem, niſi probatis diligentiis, & impotentia ſibi ſatisfaciendi de dictis reditibus. Objectio enim procederet, quoties probaretur,
9 quod per ejuſmodi conſtitutionem novata fuiſſet præcedens obligatio, juxta quam ſolutio omnino, & indubitanter facienda erat hìc in Urbe; ſed nullatenus attendi meretur in caſu, in quo eadem conſtitutio facta fuit abſque ulla novatione priorum obligationum, gratia dumtaxat facilioris exactionis, & pro majori cautione, qua Creditor poterat ad libitum uti, & non uti; ut firmavit *Rota in Romana Concurſus de Boncompagnis 16.Januar.1736.§.Cumque cor. R. P. D. Meo de Vais*; ſtante
10 præſertim obligatione Camerali, quæ tribuit Creditori jus variandi, & omiſſo debitore, ſeſe vertendi adverſus Fidejuſſorem; ad ea quæ tradit *Poſth.reſolut.123.n.11., & ſeq., Rot.dec.1284. n.10. cor.Emerix.Jun.*

Parvipenſa poſtrema exceptione, quod nempe fieri poſſit, ut controverſum reſiduum crediti Argenvillieres inſpecto præſenti tempore ſatisfactum fuerit per exactionem fructuum Archipresbyteratus anni 1732., & 1733.: Præter quod enim, ſi hoc vere ſubſiſteret, notitia d. exactionis jam ab illo tempore perveniſſet ad Urbem, & exhiberentur hodie Apochæ de recepto, ſicuti factum fuit de aliis ſummis; Adhuc ſub hoc inani obtentu retardanda non eſt executio mandati contra Fidejuſſorem, cui
11 incumbit onus docendi de vera, & effectiva, non autem de poſſibili ſolutione; juxta firmata per *Rotam in Romana Fideicommiſſi de Mattbiettis ſuper expenſis 5.Martii 1704. §.In nihilo refragrante cor. bon.mem.Anſaldo.*

Hactenus de credito Franciſci in genere proveniente ex neceſſaria diminutione, quam patiuntur petiæ 3148. ſolutæ Sardiniæ ob tranſmiſſionem ad Urbem: Quo vero ad ſummam, ſeu quantitatem, ad quam aſcendunt cambia omnino ſubducenda ex pretio intrinſeco dictarum petiarum, res paucis abſolvitur: Hæc enim ſummo jure conſtabilita fuit in ſcut.381. 05. facto calculo ad mitiorem rationem petiarum 14. pro quolibet centenario, de qua laudabiliter contentus fuit Creditor, quando cæteroquin ejuſmodi cambialis ſubductio non ſemel aſcendit ad petias 15., 16., & ultra etiam uſque ad petias 18., quemadmodum comprobant univocæ, & conformes depoſitiones Mercatorum
12 non minus Urbis, quam Regni Sardiniæ, quibus in ſubjecta materia plena fides venit adhibenda: ex traditis per *Rot. cor. Ludoviſ. dec.226. n.3., coram Buratt. dec.419. num.6., & in rec. deciſ.369. num.6. par.19.*, & latius firmat *d.deciſio R̃mi Decani edita ſub die 10. Decembris 1734. §. In ſpecie*, ad quam in reliquis Domini ſeſe remiſſive habuerunt.

Et ita utraque &c.

ROMANA, SEU TIBURTINA IMMISSIONIS.

Lunæ 2. Julii 1736.

ARGUMENTUM.

Immiſſio non retardatur niſi ex credito claro tam quoad ſubſtantiam, quam quoad quantitatem. Amiſſio bonorum ex caſu fortuito cedit damno Commodantis, non Commodatarii; caſus autem fortuitus cenſetur Spolium Camerale. Adminiſtrator, donec datum, & acceptum calculatum, & contrapoſitum non fuerit, dici nequit debitor; ejuſque omne debitum ex rationum exæquatione extinguitur. Convocato concurſu creditum extra eum allegari nequit. Retentio, & compenſatio non admittuntur de una ad aliam hæreditatem

tatem, & niſi debitum, & creditum verificetur in una, eademque perſona.

SUMMARIUM.

1 *Verificatis extremis immiſſio denegari nequit.*
2 *Agere valenti pro evictione contra eum, qui immiſſionem petit, conceditur retentio ad evitandos inanes circuitus;*
3 *Modo tamen creditum ſit omnino clarum.* & num.31.
4 *Tam quoad ſubſtantiam, quam quoad quantitatem.* & num. 11.
5 *Amiſſio bonorum ex cauſa Spolii Cameralis provenire cenſetur ex caſu fortuito:*
6 *Proindeque cedere debet damno commodantis, & ſic etiam fideicommiſſo;* & num.9.
7 *Quæ ab uno ex fratribus in communione viventibus detrahuntur, vel alienantur, reputantur ei aſſignata in vim tacitæ diviſionis, nec fratres aliam actionem habent, quam jus tantundem conſequendi ex aliis bonis in communi poſſeſſis.*
8 *Hæredes impugnare nequeunt confeſſionem, & approbationem ſuorum autorum.*
10 *Fratribus non competit actio adverſus fratrem pro bonis ſibi adſcitis, niſi quatenus excedant ejus quotam; præſertim ſi ea ſibi adſciverit cum eorum approbatione.*
12 *Ex adminiſtratione, quam quis non habuit, dici nequit acquiſiviſſe bona.*
13 *Probationi redditionis rationis ex libris publicis erutæ plena fides eſt adhibenda.*
14 *Exæquatio rationum omne debitum adminiſtratoris extinguit.*
15 *Ante redditionem rationis Adminiſtrator neque dicitur creditor, neque debitor*, & num.21.
16 *Genus præcedens declaratur, & reſtringitur ex ſubſequenti enumeratione ſpecierum.*
17 *Declaratio, & confeſſio erronea neque tertio, neque ipſi declaranti, & confitenti nocet.*
18 *Nemo præſumitur teſtari de bonis alienis.*
19 *Declaratio facta ad unum finem extendi nequit ad alium omnino contrarium.*
20 *Continentia cauſarum dividi nequit, ne oriatur ſententia contra ſententiam.*
22 *Non oſtenſo, quantum ex aliena pecunia impenſum fuit, creditum remanet turbidum, & illiquidum.*
23 *Debitum non verificatur, niſi in eo, quod remanet deductis de jure deducendis.*
24 *Convocato concurſu omnia jura tam activa, quam paſſiva tranſeunt in univerſitatem creditorum;*
25 *Neque ullum creditum extra concurſum allegari valet:* & num.30.
26 *Cui autem in hoc judicio non competit actio, neque competit retentio.*
27 *Retentio, & compenſatio non admittitur de una ad aliam hæreditatem;*
28 *Et niſi creditum, & debitum verificentur in una, eademque perſona.*
29 *Bona ſubjecta primogenituræ alienari nequeunt.*
31 *Exceptio illiquida retardare nequit actionem claram.*

DECISIO LXII.

JUs vindicandi latifundium fideicommiſſarium ſitum in Territorio Tyburis ſub vocabulo *gl' Archi, o il Prato* de anno 1652. pretio ſcut.5000. Laviniæ Lopez de Burattis venditum, ac hodie retentum a Fratribus de Oliveriis, approbatum ab A.C. favore Scipionis, & Marii fratrum Pupillorum de Philonardis, quamvis eventu minus proſpero in noſtro Sac. Auditorio promotum fuerit in ſecunda inſtantia, ut liquet ex geminis deciſionibus non ſine ſciſſura ſuffragiorum editis coram R. P. D. Nunez *ſub die* 12.*Junii* 1733., & 13.*Junii* 1735., feliciori tamen exitu reaſſumptum fuit in hodierna Audientia per eoſdem pupillos Actores: Nam propoſito per me congruo dubio — *An Sententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda*, Domini reſponderunt, *Sententiam eſſe infirmandam.*

Non enim revocari poterat, nec revocabatur in diſcrimen exiſtentia Fideicommiſſi conventionalis de anno 1577. ordinati a Paulo Æmilio, & Silvio de Philonardis, ejuſque purifica-

tio favore Scipionis, & Marii, nec non identitas præfati latifundii comprehenſi ſub dicto Fideicommiſſo: proindeque immeritò denegata fuit eiſdem fratribus
1 immiſſio, quæ, verificatis prædictis tribus extremis, de jure venit omnino concedenda, juxta diſpoſitionem famigerati *Text.in l.fin.C.de Edict.Div.Had. toll.*, de qua in terminis hujuſcemet fideicommiſſi, omiſſis antiquioribus, *Rota in Romana Immiſſionis 25. Novembris 1729. cor.bon.mem. de Valentibus, & in Verulana Immiſſionis 12. Januarii 1733. coram R. P. D. meo Creſcentio*,

Nec ad elidendam actionem claram, & expeditam, quam promovent pupilli de Philonardis pro vindicatione dicti Caſalis fideicommiſſarii, obſtare viſa fuit exceptio, quod iidem retineant Bona Marii Sen. de Philonardis ſpectantia Cæſari, Alexandro, aliiſque de Philonardis Venditoribus ejuſdem latifundii, ac debitoribus Marchionis Julii Buratti in ſumma longe excedente illius pretium, ſuper quibus bonis ſicuti Burattus Creditor, & ex ejus juribus Oliverii rei conventi, quatenus
2 ſpoliarentur latifundio Tyburis, agere poſſent pro evictione; ita petendo retentionem ejuſdem, ad evitandum inutilem circuitum, recte valent impedire petitam Immiſſionem; juxta vulgatam regulam, de qua *Textus in l. vindicantem ff. de evict.*, cum aliis late deductis in utraque deciſione ſuperioris inſtantiæ, nimirum in prima *ſub §.Hinc, ſicuti*, & in ſecunda *ſub §.Rurſus*.

Quandoquidem ad effectum retardandi Immiſſionem ob beneficium retentionis, juris noſtri regulæ ſunt un-
3 dique firmæ, quod creditum debeat eſſe adeo clarum, & liquidum, ut nullo velamine queat obnubilari; ex firmatis per *Rot. coram Ninot. deciſ.24. num. 26., & in rec. deciſ.65. num.17. par.10., & deciſ.802. num.17.par.18., & coram Card. Caprara dec.3. num.3., & 4., & deciſ.24. num.7., & in Cornetana Cenſus 1. Martii 1706. §. Etenim cor. Card. Priolo*, quodque deſuper nullam admittat dubietatem, ne-
4 que in ſubſtantia, neque in quantitate; ad tradita per *Rot.dec.220. num.10. par.19., & dec.163. num.13. cor.bon. mem.Lancetta, & in Romana, ſeu Signina Salviani 25.Aprilis 1727.§.Multoque minus cor.Emo Circio*.

Hujus autem generis, & naturæ dici nequeunt duo credita per reos conventos in medium prolata ad effectum obtinendi retentionem controverſi latifundii petiti per Actores in vim fideicommiſſi undique clari, & ab Oliveriis approbati. Quo enim ad primum creditum deſumptum ex argentis, & pretioſis mobilibus per Marium Sen. de Philonardis deſcriptis in Inventario exarato de anno 1624., ſecumque Avenionem tranſlatis, quæ veluti communia Domus, & Familiæ de Philonardis, ſubducta quarta parte ſpectante eidem Mario, pertinuiſſe dicuntur ad alios tres illius fratres, qui ſunt debitores Buratti, Auctores laudati Fratrum de Oliveriis:

Quamvis inficiari nequeat, quod eadem argenta, & mobilia in ſui origine fuerint patrimonialia Domus Philonardæ, & ex illis, quæ a fraternis, & Avitis hæreditatibus ad omnes fratres communiter perventa fuerant, juxta tenorem confeſſionis ipſius Marii emiſſæ tum in Inventario per eum confecto de anno 1624. occaſione, qua promotus fuit ad Archiepiſcopalem Cathedram Avenionis; tum etiam in Teſtamento per eundem ſucceſſivè condito; cui ſane confeſſioni uniformis eſt declaratio facta ab Alexandro, aliiſque de Philonardis in antiquo judicio contra Cameram inſtructo de anno 1644., confirmata in alio recentiori moto a Scipione, & Mario hodiernis actoribus: non inde tamen recte valet inferri, quod Marius Sen. ſit certus, & liquidus debitor ejus fratrum pro valore trium portionum ex dictis argentis, & Mobilibus Avenionem tranſlatis.

Aut enim ea conſiderari velint a vulſa per Marium ex communi patrimonio titulo ſimplicis mutui, & commodati; cumque e domo communi, ad quam fuerunt per eundem Marium fideliter reportata, ut liquet ex collatione Inventarii exarati de anno 1624., cum alio poſteriori per Cameram confecto de anno 1644., poſt obitum dicti Ma-

Marii perierint ex facto Principis ea-
5 dem occupantis titulo Spolii; ejuſmodi ſane damnum cenſeri debet ſuperventum caſu fortuito ad late deducta per *Roland.conſ.45. per tot. lib.3.*; Indeque ſequitur, quod cedere debeat in de-
6 trimentum etiam fratrum commodantium, non autem ſolius Marii commodatarii, cujus culpæ, & ſocordiæ nequit adſcribi caſus fortuitus ad *Textum in l. argentum commodatum 20.ff. commodati*, *Hieron. de Roſ. obſervat. 96. num.10.*, *Gomez. var.reſol.lib.1. cap.3. de commod.*, *& depoſ. num.3.*

Aut verius prædicta mobilia, & argenta, quæ, licet avulſa ex communi acervo, Marius adhuc in Inventario anni 1624. faſſus eſt *ad ſe ſpectare*, *& pertinere*, ac de iis in ſuo, cum quo deceſſit elogio, *tanquam de re propria diſpoſuit*, reputanda ſunt per viam tacitæ diviſionis conſenſu fratrum aſſi-
7 gnata Mario in propriam portionem, prout de jure præſumitur, quoties frater in communione vivens aliquam partem bonorum communium detrahit, vel diſtrahit; & in hiſce circumſtantiis nulla competit aliis fratribus actio perquirendi rem a Mario detractam vel diſtractam, ſed ſolum jus conſequendi tantundem in aliis mobilibus, argentis, & bonis pro indiviſo poſſeſſis; ex late deductis per *Honded. conſ.58. num.58.*, *Gratian. diſcept.forenſ.762. num.66.*, *Merlin.de pignor. lib.2. tit.1.quæſt.36. num.20.*, *Felic. de ſociet. cap.16. n.52.*, *Card.de Luc. de regal.diſc.31. num.19.*, *Rota in Ariminen. Donationis 16. Junii 1705. §.Fin.cor. bon.mem.Kaunitz.*

Non ſubſiſtente, quod ſæpedicta mobilia, & argenta per Marium ſelecta ſuperarent quartam portionem ſibi de jure debitam; haud enim eadem complectuntur eam integram, divitemque ſuppellectilem, quæ tunc temporis ex pluribus hæreditatibus coaluerat in Domo Philonarda, aſcendentem ad ſcut 30000. circiter juxta depoſitiones Teſtium per reos conventos adductas, quæque per Cameram poſt obitum Marii de anno 1644. titulo Spolii fuit ablata, ſed unice comprehendunt eam ratam, & portionem deſcriptam in Inventario anni 1624., haud excedentem pretium, & æſtimationem ſcutorum 3440., ut docetur ex calculis innixis judicio Peritorum: quo poſito liquet, quod pars argentorum, & mobilium aſſignata Mario nullatenus æquabat ratam ſibi tangentem; quodque major pars remanſit penes illius fratres, a quibus abſente Mario peſſundata fuit, ut de pluribus argentis apparet ex libris Menſæ Bancariæ Roberti Primi, & probe agnoviſſe videntur ipſimet fratres Marii, qui tantum abeſt, ut portionem de eo ſelectam reputaverint exceſſivam, quinimmo ultra acceptarunt illius diſpoſitionem, in qua titulo particularis legati reliquit *tanquam propria* Alexandro alteri ex fratribus controverſa mobilia, & ar-
8 genta; quam ſane confeſſionem, & approbationem fratrum Marii datum non eſt reis conventis jus, & cauſam metientibus ab eiſdem fratribus impugnare, & reprobare; ad ea, quæ tradunt *Noguerol. allegat.25. num.85.*, *de Angel. de confeſſ. lib. 2. quæſt. 77. num. 1.*, *& 2.*, *Rota coram Bich. deciſ.115. num.1.*, *& cor.Coccin.dec.220. num.4.*, *& dec.349. num.13. cum ſeqq. par.17. rec.*

Sive igitur controverſa mobilia, & argenta ex communi patrimonio con-
9 ſiderentur abſtracta in linea ſimplicis mutui, & hoc caſu, tanquam deperdita ex caſu fortuito perierunt omnibus fratribus, non autem ſoli Mario commodatario: ſive potiùs reputari velint accepta in linea appropriationis factæ per eundem pro rata ſibi tangente ex communi acervo, & in hiſce
10 terminis nulla fratribus competit adverſus Marium actio, donec non probetur exceſſus ratæ ſelectæ, cui repugnat ipſamet fratrum approbatio, & quælibet etiam juris noſtri præſumptio *Rot. dec.1289. n.1. coram Card. Seraphin.*, *& dec.388. n.10. cor. Cerr.*, *& dec.823. n.9. cor. bo.me. Molines.*

Sed quatenus etiam per hypotheſim figurari velit aliqualis exceſſus in portione mobilium, & argentorum per Marium ſelecta, comparative ad reliqua penes fratres relicta; nunquam ſane inficiari poterit incertitudo quotæ excedentis: cum itaque dubium, incer-

certumque ſit, in quanam quantitate Marius ex hoc capite dijudicari valeat debitor fratrum; ex hac utique dubie-
11 tate ut ſupra diximus, remanet prorſus inefficax exceptio retentionis, minuſque apta ad retardandam immiſſionem ex actione clariſſima competentem; bene *Rot. dec.877. n.7. cor. Bichio, & dec.34. num.66., & dec.334. num.9., & 11. cor. Cerro, & dec.24. n.7. cor. clar. mem. Card. Caprara, & in Spoletana Bonorum 4. Maii 1705. §. Primo ſiquidem cor. bo.me. Kaunitz.*

Firmata ex hiſce inefficacia exceptionis retinendi controverſum latifundium in vim prætenſi Crediti deſumpti ex argentis, & mobilibus per Marium receptis ex communi patrimonio; quod ſane vel nullatenus ſubſiſtit, vel dubio procul incertum remanet, & prorſus illiquidum in quantitate; majoris ponderis compertum non fuit alterum Creditum mutuatum ex adminiſtratione Bonorum communium per ſæpedictum Marium expleta, cum qua dicuntur acquiſita Loca Montium 307., quæ licet de anno 1644. fuerint titulo Spolii per Cameram ablata, adhuc per Tranſactionem poſtremo loco initam a Pupillis actoribus recuperata fuerunt pro rata ſcut. 20. mil. ſoluta a Pamphiliis, quibus occaſione Spolii donata fuerat a Summo Pontifice major pars dictorum Locorum Montium.

Si enim ſermo ſit de univerſali adminiſtratione Bonorum omnium Domus Philonardæ, quæ *in priori Deciſione ſuperioris inſtantiæ* figuratur exercita per Marium, ea ſane remanet exuberanter excluſa tam de tempore, quo Marius Romæ moram trahebat ex pluribus acquiſitionibus factis a Cinthio fratre majori, & uxorato, quam de tempore, quo Marius erat abſens, nedum ex conſtitutione Procuratoris per eum facta ad effectum adminiſtrandi Bona dumtaxat ad ſe privative ſpectantia, nulla facta mentione Bonorum communium, ſed etiam ex poſitiva adminiſtratione exercita per Fratres ejuſdem Marii, Nepotes, & Aviam, qui omnes ſuo ſemper nomine locationes, apochas de recepto, aliaque hujuſmodi peregerunt; quibus accedunt tum plures Epiſtolæ Marcelli Nepotis, qui tempore non ſuſpecto declaravit, Bona patrimonialia adminiſtrari a Parentibus, fratribus, & Patruis juxta diverſas temporum circumſtantias; tum confeſſio Alexandri fratris, qui in Monitorio manutentionis expedito de anno 1642. fatetur ſe fuiſſe in quieta, & pacifica poſſeſſione plurium Bonorum, in quibus petiit manutentionem; tum ultronea, & ſeria confeſſio ipſius Marii, qui de anno 1640. ſolemniter repudiavit hæreditatem Cæſaris fratris, ea ſpeciali ratione, quia non minus ipſe, quam alii fratres adminiſtraverant integrum patrimonium nulla reddita ratione. Tum denique depoſitiones Teſtium examinatorum in antiquo judicio Spolii anni 1644., concurrentibus autem tot Inſtrumentis, & contractibus expletis ab aliis fratribus Marii, una cum ſucceſſivis declarationibus, & confeſſionibus emiſſis tempore non ſuſpecto, incontroverti-
12 bilis redditur negativa univerſalis adminiſtrationis impictæ Mario, de qua nullum apparet veſtigium, ac per conſequens acquiſitionis dictorum Locorum Montium ex hac aſſerta generali Bonorum omnium adminiſtratione, ut in propoſito notant *Ciriac. controv.29. n.12., Tondut. quæſt. Civ.68. num.8., Afflict. deciſ.308. n.6., Rot. dec.522. n.4., & dec.32. n.1. part.19. & dec.130. n.8. cor. Beninc., & deciſ.26. n.10., & ſeq. cor. Anſald., & dec.506. n.2., & ſeqq. cor. bon. mem. Molines.*

Si vero loquamur de peculiari adminiſtratione hæreditatis Card. Philippi, & Pauli Æmilii Archiepiſcopi Amalphiæ, necnon Bonorum Romæ, & Tyburis, *cui videtur adhæſiſſe poſterior Deciſio R. P. D. Nunez*; licet ejuſmodi adminiſtratio non inficietur exercita per Marium brevi temporis ſpatio, nimirum ab anno 1622., & 1623., quibus obierunt prædicti ejus fratres, ad annum 1624. quo idem Marius promotus ad Archiepiſcopatum Avenionis diſceſſit ab Urbe; adhuc acquiſitio dictorum Locorum Montium ex hac brevi, & peculiari admi-

adminiſtratione prorſus excluditur ea ratione, quia ſepoſitis Bonis Romæ, & Tyburis, de quibus tanquam aſſignatis eidem Mario pro manutentione Prælaturæ, & ſic propriis, nulla reddenda eſt ratio, de aliis hæreditariis, & communibus omnibus fratribus Marius antequam diſcederet ab Urbe reddidit rationem, & ſolidationem reportavit, prout liquet quoad hæreditatem Card. Philippi ex partitis exactis, & expenſis, deſumptis ex libris rationis Bancariæ Roberti Primi, ex quibus Marius apparet Creditor prædictæ hæreditatis in conſpicua ſumma ſcut. 3298.; quo vero ad aliam hæreditatem Epiſcopi Amalphiæ conſtat ex alia partita depoſiti facti in eodem Bauco *per il reſto di danari capitati in mani ſue*. Cui ſane probationi præſe-
13 ſeferenti omnimodam redditionem rationis dictæ duplicis hæreditatis tanquam erutæ, non jam ex computis confidentialibus, ſed ex libris publicis Rationis Bancariæ legaliter retentis plena fides venit adhibenda; *Surd. deciſ.199. num.11., & ſeqq., Conciol. ad Stat. Eugub. lib.2. rubr.74. n.9., Rota coram Ludoviſ. dec.302. n.3., & deciſ. 196. n.1. part.14., & dec.631. n.2. coram Molines, & dec.1130. n.7. cor. Lancetta, & in Romana Salviani* 23. *Januarii* 1699. *§. Sed cum hæc omnia cor. bo. me. dell'Olmo*.

Verum, ſi quæ fortaſſe ſupereſſet difficultas circa probationem redditionis rationis utriuſque præfatæ hæreditatis per Marium adminiſtratæ, præciſius urgebat illud inevitabile dilemma, quod aut Marius reddidit rationem hujuſce adminiſtrationis, ut conſtat ex dictis partitis rationis Bancariæ ſolutis *in cauſam reliquatus*, &
14 hoc caſu per exæquationem rationum quodcunque debitum adminiſtrationis remanſit extinctum; *Rot. deciſ.1039. n.3. cor. bo. me. Molines, & in Cæſenaten. redditionis rationis* 20. *Junii* 1698. *§. Secundo cor. clar. mem. Card. Priolo*: aut non reddidit, & non alia competit actio, quam adigendi ejus hæreditatem ad diſpunctionem dati, & accepti: explorati ſiquidem
15 juris eſt, quod ante redditam rationem Adminiſtrator dici nequit neque Creditor, neque Debitor; ad late tradita per *Excobar. de ratiocin. cap.21. n.12., Rot. dec.220. n.3. part.8., & dec.66. num.23., & ſeq., & dec.186. n.16. part.10. rec., & dec.38. n.25. lib.10. ad ornat. Card. de Luca, & dec.7. nu.11. tit. de Salv. cor. el. mem. Card. Falconerio*.

Quin ad evadendum judicium redditionis rationis omnino neceſſarium ad effectum decernendi creditum, vel debitum reſultans ex hac peculiari Bonorum adminiſtratione exercita per Marium, poſſit recurri ad declarationem per eundem emiſſam in ejus poſtremis tabulis, in quibus fatendo ſe acquiſiviſſe prædicta Loca Montium 307. ex adminiſtratione geſta, videtur hoc ipſo, ſe conſtituiſſe debitcrem ejuſdem adminiſtrationis abſque ope ulterioris diſpunctionis rationum, ut latius præſeferunt verba ejuſdem declarationis ibi - *Laſcio all'iſteſſo Monſignor Aleſſandro Luoghi 307. di Monte, conforme la nota, che gl' hò rinovata di mia mano, e dichiaro d' avere acquiſtati detti Luoghi di Monte col maneggio d' ogni coſa Patrimoniale di mia Caſa dopo la morte del Sig. Card. Filippo mio fratello, tanto della ſua Eredità, quanto di quella di Monſig. Arciveſcovo d' Amalfi ſimilmente mio Fratello; e Beni patrimoniali di Roma, e Tivoli, che per ſcarico della mia Coſcienza, come loro Procuratore univerſale, e ſenza aver mai dato conto della mia amminiſtrazione, e con li frutti avanzati dalli ſteſſi Monti, e qualche reſiduo, e poco con le proviſioni de' Carichi eſercitati in Roma d' Aſſeſſore del S. Offizio, in Avignone di Vice-Legato, e Sopraintendente di quell' Armi, in Germania, e Polonia di Nunzio Apoſtolico, e però detti Luoghi di Monte non ſono compreſi nello Spoglio*.

Jam enim fateri oportet ejuſmodi declarationem, perpenſa probationum ſerie ſuperius enuntiata, nullatenus præſeferre poſſe generalem adminiſtrationem Bonorum omnium, quæ Domus Philonarda pluribus, ac diverſis locis tunc temporis poſſidebat, ſed omnino referenda eſſe ad illam particula-

Digitized by Google

cularem Bonorum Card. Philippi, & Archiepiſcopi Amalphitani, ad quam poſt genericam expreſſionem *del maneggio di ogni coſa Patrimoniale*, coarctata fuit, tam inſpecta littera, quam etiam
16 integro contextu ejuſdem declarationis; Genus enim præcedens declarat, & modificat ſubſequens enumeratio ſpecierum; *Textus eſt in l. Legatum ff. de ſupellect. legat.*, *Actolin. reſolut.* 73. *n.*4., *Gobb. conſult.* 148. *n.*41., *de Luca ad Gratian. diſcept.* 922. *n.* 7., *& ſeqq.*, *Rot. deciſ.* 518. *n.*2. *part.*2., *& dec.*68. *n.*18. *part.*16., *& dec.*9. *n.*5. *tit. de leg. cor. Falconcrio*.

Cumque de hac ſpecie Bonorum adminiſtratorum a Mario doceatur facta redditio rationis antequam idem ſeſe transferret Avenionem; inde palam reſurgit, quod ejuſmodi poſterior declaratio præſeferens acquiſitionem Locorum Montium 307. ex dicta peculiari Bonorum adminiſtratione, & emiſſa de tempore, quo Marius erat mentis agitatione perculſus, dijudicanda ſit potiùs erronea, & per conſequens nullatenus attendenda ad effectum conſtituendi eundem certum, & liquidum debitorem ſuorum fratrum ex capite ſæpedictæ acquiſitionis; cum
17 juris inconcuſſi ſit, quod declaratio quælibet, & confeſſio erronea nullum infert præjudicium tertiis, imo nec ipſimet confitenti, *ad Textum in leg.*1. *C. de falſ. cauſ.*, *Rot. dec.*132. *n.*10. *part.*10. *Rec.*, *& cor. Emerix Jun. dec.*1055. *n.*8., *& cor. Benincaſ. dec.*348. *n.*21.

Concurrente præſertim in excluſionem acquiſitionis dictorum Locorum Montium ex dicta peculiari adminiſtratione, duplici validiſſima conjectura; Altera nimirum, quod Marius de tempore præfatæ adminiſtrationis alienavit 20. Loca Montium ad ſe privative ſpectantia, quod ſane factum non extitiſſet, ſi adfuiſſet ex geminis hæreditatibus adminiſtratis pecunia otioſa ad effectum inveſtiendi; altera verò conjectura profluit a tempore acquiſitionis dictorum Locorum Montium inceptæ de anno 1632., & ſic poſtquam jam octo effluxerant anni ab obitu tam Cardinalis Philippi, quam Epiſcopi Amalphiæ, & ulterius poſtquam ſecuta jam fuerat redditio rationis adminiſtrationis per Marium expletæ; in quibus profecto circumſtantiis veroſimilius viſum fuit ex propriis reditibus patrimonialibus Romæ, & Tyburis, aliiſque lucris comparatis ex muneribus exercitis Marium acquiſiviſſe prædicta Loca Montium 307., de quibus in eadem declaratione diſpoſuit, tanquam de bonis propriis, nemo enim præſumitur te-
18 ſtari de bonis alienis juxta regulam juris; de qua *Gloſſ. in l. conficiuntur §. Si poſt factum*, *verb. teſtatur*. *ff. de iure Codicill.*, *Rot. dec.*93. *num.*4. *cor. Duran.*, *& dec.*429. *num.*3. *cor. Priolo*, *& dec.*614. *num*6. *cor. bon. mem. Molines*.

Eoque certius, ſi mature perpendatur mens, & intentio Marii proferentis ſæpedictam declarationem, quæ dubio procul directa principaliter fuit ad illum unicum finem demonſtrandi acquiſitionem dictorum Locorum Montium factam eſſe non jam ex bonis Eccleſiaſticis, ſed ex bonis propriis patrimonialibus, ibi -- *Con il maneggio d' ogni coſa patrimoniale*; Idque ad effectum tuendi diſpoſitionem ordinatam, evitandique ſuper eiſdem Locis Montium moleſtias Spolii aliàs illatas a Miniſtris Cameralibus hæreditati Epiſcopi Amalphiæ ejus fratris, ibi -- *E però detti Luoghi de' Monti non ſono compreſi nello ſpoglio* -- Proindeque dicta declaratio per Marium emiſſa ad
19 hunc unicum finem excludendi Spolium Eccleſiaſticum nequit ultra voluntatem declarantis extendi ad alium omnino contrarium deſtruentem diſpoſitionem ejuſdem, veluti factam ſuper Locis Montium alienis, utpote ſpectantibus communi fratrum patrimonio; ut in puncto firmant *de Angelis de confeſſ. lib.*1. *q.*7. *effect.*5. *n.*1., *&* 2., *Rot. dec.*85. *n.*8. *cor. Celſ.*, *& dec.*407. *n.*1. *par.*14., *& dec.*16. *n.*28. *part.*19., *& in Sutrina fideicom.*21. *Januar.*1694. *§. Non obſtante*, *& in Romana*, *ſeu Sabinen. Capellæ* 3. *Januarii* 1694. *§. Igitur*, *&* 9. *Januarii* 1697. *§. Obligatio coram bo. me. Urſino*.

Nihil prorſus refragante, quod Pupilli de Philonardis Actores d. declaratio-

tionem Marii præſeferentem acquiſitionem Locorum Montium 307. ex reditibus communibus approbari obtinuerint in Tribunali Cameræ, atque in ejus vim grande emolumentum ſcut.20. mil. poſtremo loco conſecuti fuerint; unde quod ſemel placuit, uti verum, & ſubſiſtens ad proprium commodum, æqui, bonique ratio non patitur, ut contendatur falſum, & inſubſiſtens ad alienam jacturam: objectum enim facile corruebat ex facto; Siquidem præfata declaratio deducta non fuit ab Actoribus in judicio Camerali ad effectum tuendi acquiſitionem Locorum Montium ex Bonis communibus Familiæ de Philonardis, ſed ad hoc, ut magis confirmaretur poſſibilitas Marii comparandi eadem Loca Montium ex propriis patrimonialibus Bonis abſque ulla commixtione redituum Eccleſiaſticorum; quæ ſane poſſibilitas deſumpta fuit ex calculis particularium Bonorum ejuſdem Marii, aliiſque probationibus amplexis in Voto Camerali R.P.D. Maggi firmantis dumtaxat *prædicta Loca Montium non fuiſſe quæſita ex reditibus Eccleſiaſticis*. Quibus profecto documentis licet Princeps Pamphilius acquieſcere conſultius putaverit, curando, ut litem a Pupillis motam dirimeret Tranſactio; non tamen adhæſit Tribunal Cameræ, cujus poſtrema reſolutio præſcribens, *ut firmaretur Status per Philonardos*, palam edocet, quod poſthabita declaratione Marii, aliiſque probationibus adductis, idem Tribunal requirebat adhuc ulteriorem cognitionem ad effectum definiendi, ex quibus Bonis revera potuerint acquiri, & acquiſita fuerint per Marium ſæpedicta

20 Loca Montium: judicium itaque pendens adhuc in Tribunali Cameræ nedum operatur, ut nullo pacto dici queat approbata declaratio Marii, ſed etiam ne provenientia dictorum Locorum Montium examinetur coram alio Judice, alias enim oriretur Sententia contra Sententiam, diviſa continentia cauſarum; *Tondut. de prævent. cap.13.n.3., Capyc. Latr. dec.180. n.19.*

Cæterum ad removendam quamcunque dubietatis umbram ulterius animadvertebant Domini, quod etiamſi declaratio per Marium emiſſa in omni ſui parte materialiter, & prout jacet vera eſſet, & undequaque ſubſiſtens, adhuc ea nullatenus urgeret ad effectum decernendi debitorem eundem Marium erga fratres ex capite adminiſtrationis expletæ: cum enim dicta declaratio non ſecumferat, quod Marius ſit certus, & liquidus debitor fratrum, ſed unice, quod idem erogaverit in emptione Locorum Montium pecuniam communem, de qua nullam unquam reddiderat rationem; inde quidem reſurgit, quod in generali diſpunctione rationum facienda inter Marium, & fratres hæc partita Locorum Montium, ſive pretii in eorum emptionem a Mario erogati ad ejus debitum calculari debeat; Sed non etiam ſequitur, quod idem Marius hodie, & priuſquam dictæ rationes diſpungantur, conſtitui poſſit ex cauſa prædicta certus, & liquidus debitor ſuorum fratrum in dicta ſumma, dum juxta tenorem ipſiuſmet declarationis rationes inter eos nunquam diſpunctæ, & exæquatæ fuerunt: ad effectum enim, ut adminiſtrator certus, & liquidus debitor conſtitui poſſit, non eſt habenda ratio de ſolis partitis accepti, ſive debiti, ſed calculandæ quoque, & contraponendæ ſunt aliæ partitæ dati, ſeu Crediti, ut ſic utriſque collatis eruatur poſtea debitum, vel creditum in certa determinata ſumma: donec autem partitæ omnes tam dati, quam accepti calculatæ, & contrapoſitæ fue-

21 rint, nunquam firmari poteſt, quod Adminiſtrator propter unam, vel alteram partitam debitor remanſerit; ad tradita *per Amat. reſol.59. n.35., Salgad. in Labyr.Cred. par.3. cap.7. n.22. cum ſeqq., Guttierez de tutel. part.3. cap.1. n.52., Anſald. de commerc., & merc. diſc.36. n.3., & diſc.37. n.19.*

Sed neque prædicta partita Locorum Montium integre valet referri ad creditum fratrum, & debitum Marii: etenim ex tenore ſæpedictæ declarationis literaliter deſumitur, quod acquiſitio dictorum Locorum Montium comparata fuit partim ex adminiſtratione Bonorum hæreditariorum Car-

dinalis Philippi, & Pauli Æmilii Epiſcopi Amalphiæ, partim ex fructibus eorundem Locorum Montium, partim vero ex propriis lucris, & reditibus
22 ad Marium privative ſpectantibus: donec itaque non doceatur quid, & quantum fuerit impenſum ex pecunia communi in dicta emptione, creditum ex eadem proveniens, utpote turbidum, & illiquidum nequit opponi ad retardandam petitam Immiſſionem; *Rot. in Corinctana Cenſus* 1. *Martii* 1706. §. *Etenim ſuppoſitum, ubi concordantes, cor. cl. mem. Card. Priolo*.

Eoque fortius, quia Marius opponere valet adverſus ejus fratres plura conſpicua, & quidem anteriora Credita in ſumma ſcut. 12009. partim liquidata a Perito, partim vero poſt editam Peritiam reperta; quæ ſane dubio procul reddunt magis incertum illud qualecunque debitum deſumptum a partiali acquiſitione dictorum Locorum Montium ex pecunia communi; non enim Marius fatendo id, quod receperat ex adminiſtratione Bonorum communium, ſibi præcluſit viam deducendi propria Credita, quæ
23 utique minuunt ejus debitum, cum hoc non verificetur, niſi in eo, quod ſupereſt, factis deductionibus de jure faciendis; ad ea, quæ firmant *Cancer. var. reſol. part.* 3. *cap.* 7. *n.* 328., & *cap.* 15. *n.* 316., *Urſil. ad Afflict. deciſ.* 205. *n.* 7., *Barz. deciſ. Bonon.* 86. *n.* 40., *Cartar. dec.* 74. *n.* 21.

Vim, & efficaciam prædictorum ſentientes Defenſores Buratti, & fratrum de Oliveriis, extremum conatum parabant in eo, quod cum agatur de retentione controverſi latifundii pretii ſc. 5000. ſatis tenuis, ſi comparetur cum Creditis adverſus Marium competentibus ex perſona fratrum de Philonardis; hinc eadem retentio debeat admitti, quantumvis dicta Credita verificata ſint tantum in ſubſtantia, ſed patiantur aliquam turbiditatem in quantitate: verum in excluſionem hujus poſtremi objecti duplex occurrebat reſponſio; prima nimirum, quod ubi, prout in caſu, nulla præceſſit redditio rationis juxta declarationem Marii, durum, & aſperum erat affirmare debitum proveniens ex adminiſtratione verificari in ſubſtantia, cum poſſit in redditione rationis nedum notabiliter minui, ſed etiam in totum abſorberi a partitis crediti deducendis per Adminiſtratorem, dum præſertim illæ jam deductæ aſcendunt ad dictam inſignem ſummam ſc. 12000. Altera verò ineluctabilis reſponſio deſumitur ex eo, quod etiam ſi credita fratrum de Philonardis adverſus Marium in ſubſtantia controverti nequeant, & æque ſint clara, & liquida in quantitate; quia tamen ſuper eorum bonis uſque ab anno 1684. convocatus fuit
24 formalis concurſus, eodem ſtante, & adhuc pendente, cum omnia jura tam activa, quam paſſiva translata fuerint in univerſitatem Creditorum; ad *Text. in l. Item ſi unus* 12. *ff. de recept. Arbitr.*, *Merlin. de pign. lib.* 4. *quæſt.* 135. *n.* 2., *Rot. deciſ.* 247. *n.* 31. *par.* 9. *rec.*, & *deciſ.* 539. *n.* 4. *cor. Molines*; Si quæ fortaſſe credita eiſdem fratribus compe-
25 tunt adverſus Marium tanquam obnoxia concurſui univerſali, nequeunt extra judicium concurſus allegari, & promoveri a Buratto Creditore particulari non adhuc graduato, & fortaſſe poſteriori cæteris Creditoribus; ex late traditis per *Salgad. in Labyr. credit. par.* 1. *cap.* 4. §. 2. *n.* 15., & *n.* 60. *cum ſeqq.*, *Manſ. conſ.* 150. *num.* 2., *Rot. cor. Molin. deciſ.* 1292. *n.* 2., & 3., & *deciſ.* 629. *n.* 3. *cor. Caprar.*; Cui proinde,
26 ſi in præſenti judicio non competit actio, eo minus competere valet retentio; *Rot. dec.* 70. *n.* 38., & *dec.* 531. *n.* 11. *cor. Cerro*, & *dec.* 149. *num. fin. par.* 15., & *dec.* 646. *n.* 39., & *ſeq. par.* 19. *rec.*, & *dec.* 1143. *n.* 4. *cor. Lancetta*.

Quæ omnia eo libentius amplectenda videbantur, ponderando, quod actio Immiſſionis promota fuit a Pupillis Actoribus in vim fideicommiſſi Pauli Æmilii, & Silvii de Philonardis; exceptio verò retentioni ad illam retardandam oppoſita provenit ab aſſerto debito ſpectante ad hæreditatem Marii
27 Sen. de Philonardis; notiſſimi autem juris eſt, quod retentio, & compenſatio non admittitur de una ad aliam hæreditatem; ulterioſque prædicta Immiſſionis actio competit æqualiter ge-

minis

minis fratribus actoribus, exceptio autem retentionis exerceri valet adverſus ſolum Scipionem, uti poſſeſſorem Locorum Montium primogenialium provenientium ex hæreditate Marii aſſerti
28 debitoris ejus fratrum, quando de jure compenſatio, & retentio locum non habet, niſi verificetur creditum, & debitum in una, eademque perſona; *Card. de Luc. de Credit.diſc.47.. n.6., Berſan. de compenſat. cap.3. quæſt.1. n.22., Rot. dec.130., n.6. & 7. poſt. Zacch. de obligat. Camer.* Hujuſmodi proinde retentionis exceptio veluti prorſus incongrua in præſenti judicio, tum ratione diverſitatis perſonarum, tum rerum, poterit magis apte promoveri in alio particulari judicio, in quo rei conventi quatenus ſer. ſer. declarentur Creditores Marii ex perſona fratrum de Philonardis, ſemper erunt cauti de ſatisfactione ſuper Locis Montium poſſeſſis a
29 Scipione, utpote ſubjectis Primogenituræ per Marium ordinatæ, quæ propterea nullo pacto diſtrahi poſſunt.

Cum itaque credita deſumpta ex juribus fratrum de Philonardis adverſus hæreditatem, & bona Marii Sen., vel nullatenus ſubſiſtant, vel ſint prorſus incerta in quantitate, quæ pendet a diſpunctione partitarum dati, & accepti facienda in judicio redditionis rationis; aut denique in eo ſuppoſito, quod verificata ſint in ſubſtantia, nullamque patiantur exceptionem in quan-
30 titate, deduci, & promoveri nequeant extra judicium concurſus, cui ſunt obnoxia; exceptio retentionis eiſdem creditis innixa, nullatenus apta cenſeri
31 potuit in hoc privilegiato judicio ad remorandam petitam Immiſſionem; Actio enim eſt undequaque clara, exceptio verò prorſus illiquida, & altiorem indaginem requirens; *Rot. coram Manzaned. dec.761. n.5., & cum aliis, dec.1278. n.15.cor. bon.mem. Molin.*

Et ita videntibus quinto, & ſexto reſponſum fuit utraque &c.

ROMANA ASSOCIATIONIS.

Lunæ 3. Decembris 1736.

ARGUMENTUM.

Hæres ſimplex non tenetur ad debita Authoris niſi pro ejus quota, modo tamen non conveniatur actione hypothecaria, quia tunc ad commodum Creditoris tenetur in ſolidum. Solutio debiti alieni non tribuit actionem hypothecariam, ſed vel merum officium Judicis, vel actionem perſonalem tantùm. Deficiente credito Aſſociationi non eſt locus.

SUMMARIUM.

1 *Quem de evictione tenet actio, eundem Agentem repellit exceptio.*
2 *Hæres ſimplex tenetur ad debita ſui authoris,*
3 *Et ex ejus perſona tenetur etiam hæres mediatus.*
4 *Deciſiones prius editæ ſunt ſupponendæ.*
5 *Hæres impugnare nequit qualitatem hæreditariam ab ejus authore approbatam:*
6 *Non tenetur tamen ad debita authoris niſi pro ejus quota:*
7 *Fallit quoties convenitur actione hypothecaria, quæ eſt individua, licet res hypothecatæ ſint dividuæ;*
8 *Quia tunc tenetur in ſolidum ad commodum creditoris.*
9 *Solutio debiti alieni non tribuit actionem hypothecariam, ſed vel merum officium Judicis, ubi omnis actio tam realis, quam perſonalis deficit;*
10 *Vel actionem de in rem verſo, quæ inter perſonales numeratur;*
11 *Vel negotiorum geſtorum, quæ pariter eſt perſonalis.*
12 *Tranſactio nomen recipit a tranſitu, qui fit ab actione.*
13 *Deficiente credito fruſtra petitur aſſociatio.*

DECISIO LXIII.

Ex Juribus quorundam Cenſuum uſque de annis 1582., 1583., & 1585. impoſitorum a Martio de Jordanis ſuper ejus Domibus poſitis è conſpectu Cloacæ S. Luciæ, quos ipſorum Emptores translative ceſſerunt bo. me. R.P.D. Marcello de Jordanis Stella hæredi ſubinde ſimplici dicti Martii, Maria Camilla, & Maria Joanna Sorores de Urſinis in vim ceſſionis ipſis factæ a Com. Virginio de Urſinis, pro recuperandis bonis, & Juribus ſpectantibus ad fideicommiſſum in quadam donatione ordina-

natum a dicto bon.mem.R.P.D.Marcel-
to, inter quæ contendebatur extitiſſe
memoratos cenſus, judicium aſſocia-
tionis inſtruxerunt adverſus prædictas
domos titulo emptionis modo detentas
a Fratribus de Ottinis.

Aſt aſſumpto examine hujus præten-
ſionis coram Rmo P.D. Albino Archie-
piſcopo Athenarum, munera tum Si-
gnaturæ Juſtitiæ Votantis, tum Summi
fœliciter regnantis Pontificis Eleemoſy-
narii omnium cum laude exercente,
tanquam Judice in hac cauſa in locum
A.C. deputato, cum prodiiſſet ſenten-
tia abſolutoria ab impetitis favore di-
ctorum Fratrum de Ottinis, hinc cau-
ſæ cognitio, ob interpoſitam appella-
tionem pro parte Sororum ſuccumben-
tium, devoluta eſt ad hoc Sac. Audi-
torium, eaque Mihi commiſſa, propo-
ſui hoc mane dubium, videlicet — *An
ſit danda aſſociatio* — Cui Domini *Nega-
tivè* reſponderunt.

Exceptio ſiquidem derivans ex fami-
gerato *Text. in leg. vindicantem ff. de*
1 *evict.* excluſiva actionis ab eo propoſi-
tæ, qui ad contemporaneam erga reum
emendationem teneretur, viſa eſt obi-
cem præbere prætenſioni dictarum So-
rorum de Urſinis: Quemadmodum
enim non controvertitur, ipſas a dicto
bon.mem. R.P.D. Marcello cauſam ha-
bere, qui, ut ſupra prænotatum eſt,
hæreditatem Martii debitoris cenſuum
adivit abſque beneficio legis, & inven-
tarii, ac proinde ſeſe obligavit pro de-
bitis ad eundem Martium ſpectantibus,
*Leg. pro hæreditariis. Cod. de hæredit.
act.*; Ita in dubium revocari nequivit,
quin eædem Sorores de Urſinis adſtrin-
3 gerentur indemnes relevare Fratres de
Ottinis reos conventos, ſi in eorum
præjudicium petita aſſociatio conceſſa
fuiſſet pro debito dictorum cenſuum
ad Martium ſpectante, prout omnino
adſtrictus fuiſſet Marcellus, cujus per-
ſonam repræſentant præfatæ Actrices,
ut pote venientes in figura Fideicom-
miſſariarum ejuſdem Marcelli, ad *Text.
in leg. cum hæredes. ff. de acquir poſſeſſ.*,
appoſite exornatum per *Gratian. diſce-
ptat. 717. num. 28.*, *Rot. in deciſ. 225.
num. 3. poſt Cenc. de cenſ.*, *& in dec. 60.
n. 14. cor. bon. mem. Anſaldo.*

Neque ad declinandam Sanctionem
præcitati *Textus in leg. vindicantem*
profuit Actricibus denegare qualitatem
hæreditariam Martii reſpectu Marcel-
li; Ultra quam quod etenim de hac
ſufficiens teſtimonium perhibet *Rota* 2
in deciſ. 33. coram Bichio, quæ de ſtylo
notorio hujus Sacri Tribunalis ſuppo-
4 nenda eſt, ut millies monuit idem Sa-
crum Tribunal, & ſignanter *in Sutri-
na, ſeu Viterbien. Dotis ſuper fructi-
bus 30. Junii 1727. §. Hiſque cor. bon.
mem. Gamaches*; In facto præterea con-
ſtat, ipſum Marcellum, cæteroſque
Filios Martii acquieviſſe dicto Judicato
Rotali, in quo fuerunt condemnati pro
fructibus alterius cenſus tanquam hæ-
redes Sebaſtiani de Jordanis per me-
dium Martii: Quamobrem in his cir-
cumſtantiis profecto multo minus du-
bitari valet de dicta qualitate hæredi-
taria Marcelli reſpectu Martii, quam
de cætero nequaquam impugnare poſ-
5 ſent Sorores de Urſinis cauſam haben-
tes ab illo, qui eandem qualitatem, Ju-
dicato Rotali acquieſcendo, approba-
vit; *Rot. in dec. 96. num. 8. cor. bon. mem.
Herrera, & in dec. 958. num. 19. coram
bon. mem. Lancetta.*

Verum circa qualitatem hanc hære-
ditariam Martii in Marcello pro parte
Sororum de Urſinis e conſpectu præ-
miſſorum manus victæ dabantur; Acri-
ter itaque contendebatur, Marcellum
fuiſſe hæredem Martii pro tertia parte
ſolummodo, ideoque in omnem caſum
exceptionem d. *Textus in leg. vindican-
tem* officere poſſe pro tertia parte tan-
tùm eidem Marcello, ejuſque Succeſſo-
ribus, eo quia non tenerentur ad ſolu-
6 tionem debitorum Martii, & conſe-
quenter pro relevatione erga Fratres de
Ottinis, niſi ad ratam, pro qua Marcel-
lus ipſe fuit hæres; *Leg. eum a Ma-
tre 14. Cod. de rei vindicat.*, *Leg. 2. Cod.
de hæredit. act.*, *Surd. conſ. 104. n. 12.*,
Andreol. controv. 209. num. 1., *Cyriac.
contr. 93. n. 1.*, *vot. 7. n. 6.*, *& ſeq. poſt
dec. Rembold.*, *Rot. in dec. 20. n. 6.*, *&
ſeq. in Mantiſſ. ad Card. de Luc. ſuper
mat. de uſur.*, *cor. Duran. dec. 68. n. 1.*,
cor. Celſo dec. 71. n. 1., *& in Sabinen.
Immiſſionis 14. Martii 1732. §. Verò cor.
R.P.D. meo Nunez.*

Et

Et quamvis admitteretur hujuſmodi legale principium recipere limitationem, videlicet quod non procedat, quotieſcunque hæres debitoris convenia-
7 tur actione hypothecaria, quæ ob ejus individuitatem, licet res hypothecatæ ſint dividuæ; *Soccin. Sen. conſil. 175. n.2. lib.1., Pedroch. in tract. de reſolut. contract. n.306., Cenc. de cenſib. qu.98. n.31., Salgad. labyrint. Creditor. par.2.*
8 *cap.11. n.6., & 7.*, operatur tamen, ut quilibet ex Hæredibus in ſolidum obligatus intelligatur in favorem Creditoris; *Leg. 1., & 2. Cod. ſi unus ex pluribus hæred. cred., Neguſan. de pignor. mem.1. par.8. n.84., Merlin. de pign. lib.2. quæſt.15. n.53., Olea de ceſſ. Jur. tit.4. qu.6. n.17., Manſ. conſul.57. n.79., Urceol. conſul.95. n.16., & 17., Card. de Luc. de dot. diſc.76. n.2., Rot. cor. Baratt. dec.673. n.3., cor. Arguell. dec.502. n.20., cor. bon. mem. Molin. deciſ.829. n.26., cor. bon. mem. Herrera dec.70. n.7., cor. clar. mem. Card. Falcon. dec.11. n.7. tit. de Fideicom., & in Crotonen. Salviani 8. Junii 1705. §. Final. cor. clar. mem. Card. Scotto.*

Nihilominus limitationem caſui nullatenus eſſe adaptabilem ſuſtinebatur: nam inter Fratres de Ottinis, & præfatum Martium nullus interceſſerat contractus, minuſque hypothecam oriri poſſe dicebatur ex ſolutione, & dimiſſione fructuum controverſorum cenſuum pro tertia parte, quatenus dimiſſio hujus debiti oriretur pro iſta tertia parte ex conceſſione aſſociationis petitæ a Sororibus de Urſinis; Hæc quip-
9 pe ſolutio debiti alieni ad ſummum importaret vel merum officium Judicis, quod imploratur, ubi omnis penitus tam realis, quam perſonalis deficit actio, ut docent — *Antonius Faber de errorib. Pragmatic. decad.80. error.7., & 8., Neguſan. de pign. mem.1. par.8. n.48., Theſaur. lib.2. quæſt. forenſ.85. num.4.*, vel actionem de in rem verſo, quam
10 inter actiones perſonales numerari ajunt — *Myſinger. in Inſtit. lib.4. tit.6. de action. §. Actiones n.27., & ſeqq., Rot. dec.6. tit. de reb. credit. n.13. coram clar. mem. Card. Falconer.*, vel de-
11 mum actionem negociorum geſtorum, quam pariter mere perſonalem eſſe defendunt *cit. Myſinger. ibidem n.41., & ſeqq.; Carleval. de Judic. lib.1. tit.3. diſput.35. n.8., Rot. cor. clar. mem. Card. Falcon. in cit. dec.6. n.14.*

Attamen hiſce, & aliis in idem coincidentibus argumentis minime attentis, proindeque prætermiſſis, conſiderantes Domini, quod alias anno 1660. Franciſcus alter ex Hæredibus gravatis dicti R. P. D. Marcelli, & venditor dictarum domorum, poſtquam egit adverſus Paulum, & Camillum cæteros cohæredes Martii una cum ſæpedicto R.P.D. Marcello, ad ſolemnem devenit tranſactionem cum Laurentio Cianti cauſam habente ab iiſdem Paulo, & Camillo, in qua, recepta ſumma ſcutorum mille, abſolvit dictum Laurentium a quacunque prætenſione, quam inpoſterum excitare poſſet etiam ex cauſa dictorum cenſuum; Inde compertum eſt, eoſdem cenſus extinctos manſiſſe pro duabus ex tribus ratis, pro quibus Marcellus nec fuit hæres Martii, juxta indolem, & naturam tranſactionis, quæ porrò appellatur *Tranſactio*
12 ob tranſitum, qui fit ab actione, ſecundum *Bartolum in leg. Sive. ff. de Tranſaction.*, conſequenterque non dubitarunt, quin deneganda eſſet aſſociatio etiam pro his duabus ex tribus par-
13 tibus, & quidem ex defectu crediti, ſine quo fruſtra aſſociatio petitur; *Rot. in dec.31. n.6. poſt Cenc. de Cenſ., in deciſ.675. n.7. cor. bon. mem. Herrera, & in Neapolitana Cenſus 31. Janu. 1729. §. Fin. cor. R. P. D. meo Nunez, & in confirmatoria 20. Junii ejuſdem anni §. De cujus. cor. Illmo Domino Corio Almæ Urbis Gubernatore.*

Et ita utraque &c.

PISTORIEN. BENEFICII.

Veneris 7. Decembris 1736.

ARGUMENTUM.

Declaratio renuntiationis habet locum, ſi hæc ſit dubia, non quando eſt clara. Ad jura renuntiata non datur regreſſus. Patronus exhibendo Ordinario nominationem a Compatronis de ipſo factam, ſe præſentare non dicitur. Cætera habes in argumento Dec.XLVIII.

SUM-

SVMMARIVM.

1 *Proœmium renuntiationis oſtendit intentionem Renuntiantis.*

2 *Sub renuntiatione bonorum temporalium, ac jurium non comprehenditur Juſpatronatus.*

3 *Declaratio cadit ſuper re dubia, non ſuper clara.*

4 *Ad Jura renuntiata non datur regreſſus.*

5 *Magis factorum habetur ratio, quam declarationum præſertim pendente lite expiſcatarum, ſi inter ſe repugnent.*

6 *Literæ Apoſtolicæ pro præſentato cum derogatione medietatis vocum juſtificatæ ſunt exequendæ.*

7 *Aliud eſt adhærere præſentationi de ſe factæ, aliud præſentare alterum, ejuſve præſentationi conſentire.*

8 *Ut ex uno actu non dicatur præſtitus conſenſus alteri actui, ſufficit poſſibilitas in contrarium.*

9 *Patronus exhibendo Ordinario præſentationem a Compatronis de ipſo factam, ſe præſentare non dicitur.*

10 *Qui propriæ præſentationi adhæret, nihil agit in commodum compræſentati.*

DECISIO LXIV.

PErſtiterunt Domini in Deciſis coram Me ſub die 4. Maii Anni currentis 1736. Quia etſi è numero illorum, qui præſentarunt Dominicum, dematur Vox Monachi, prout eſſe demendam convincunt rationes expenſæ in Deciſione, quæ revidetur §. *Admiſerunt uſque ad* §. *Sed his quoque*, quas iidem Domini in hac nova Propoſitione approbarunt, & exiſtimarunt non everti ex quadam declaratione recenſiti Monachi nunc exhibita, quod nempe ipſe in renuntiatione emiſſa occaſione ingreſſus in Religionem, de qua late fit mentio in dicta præterita Deciſione, intellexerit includere Jura patronatus, ſive Familiaria, ſive Gentilitia, eo ipſo, quod literalia ſunt ver-
1 ba proœmialia ejuſdem renuntiationis unice renuntiandi Bonis temporalibus; ibi -- *Spogliarſi di tutti gli ſuoi Beni, ed effetti temporali &c.* — quæ cum claram nimis demonſtrent intentionem reſtrictivè renuntiandi Bonis temporalibus, ſub quorum cathegoria, ac ju-
2 rium non venit Juſpatronatus connumeratum inter Jura honorifica, & ſpiritualia, in quantum eſt annexum ſpiritualitati, & ordinatum ad ſpiritualia, ut firmatur in eadem Deciſione §. *Quoniam cum ſequen.*; ita non admittunt in contrarium ullam declarationem in
3 deſtructionem dictæ claræ voluntatis; cum declaratio cadat in re dubia, non autem in re clara; *Caſtren. in Leg. hæredes palam* §. *Si quid n.4. in fine ff. de Teſtamen.*, *& conſil.22. verſ. præterea lib.1.*, *Dec. conſil.114. n.5. verſ. Et dicis*, *Rot. cor. Coccin. dec.1332. n.1.*, *& in recen. dec.41. n.16. part.16.*

Præſertim cum eidem declarationi repugnet ipſummet factum prædicti Religioſi, qui poſt renuntiationem una cum aliis devenit ad præſentationem Dominici, quamvis inutiliter, ut pariter probatur in eadem præterita Deciſione §. *Quæ veritas cum ſequen.*; quod utique idem non feciſſet, quatenus, ut nunc ſupponitur, juxta enun-
4 tiatam ejus declarationem præcedenter ſe ſe expoliaſſet dicto Jurepatronatus, dum ad Jura renuntiata non datur regreſſus, *Leg. quæritur* §. *Si Venditor ff. de Ædil. Edict.*, *Leg. hærenius in princ. ff. de evict.*, *Rot. dec.4. de renuntiat. in Antiq.*, *& cor. Coccin. dec.1471. n.7.*, *& cor. bon. mem. Molines dec.1241. n.22.*; Et conſequenter
5 concurrente dicto facto, ejuſque repugnantia, eo magis eadem declaratio ad præſens, & poſt emanatam præcedentem Deciſionem expiſcata, parvi facienda eſt; In his namque terminis magis facta, quam ſimiles declarationes attenduntur; *Leg. quædam ſunt ff. de reb.*, *Leg. item ſi Filius Familias* §. *Proinde ſi acceperit ff. ad Senat. Conſult. Macedon.*, *Cap. dilecti 52. verbo facto de appellat.*, *Rot. coram Mantic. dec.313. n.7.*, *& cor. cl. me. Card. Falconer. Tit. de empt. dec.4. n.17.*

Attamen cum, dempta etiam ſupramemorata Voce, Dominicus habeat pro ſe medietatem Vocum, nempe ſex, & alias ſex Voces habeat Antonius alter præſentatus, videlicet *Franchini Creſcentii*, *Lamberti Patris*, *Raphaelis*, *Al-*

Digitized by Google

Alberti, *Octavii*, *& ſuam propriam*, firmum remanet, Literas Apoſtolicas
5 pro Præſentato cum derogatione medietatis Vocum a Dominico obtentas eſſe omnino uti verificatas exequendas, ex Juribus cumulatis in dicta præterita mea Deciſione §. *Quia conſtitit*.

Non ſubſiſtente iterum inſinuato ſuppoſito, quod Antonius præſentatus etiam fuerit a Bartholomæo Fratre, proptereaque ipſe numeret ad ſui favorem ſeptem Voces; Quia de præſentatione hujuſmodi nunquam doctum fuit; non juvante reſponſione, quod Bartholomæus conſenſerit præſentationi Antonii factæ ab aliis Patronis, qui conſenſus habendus eſt loco præſentationis, cum qui conſentit præſentationi ab aliis factæ, præſentare dicatur.

Quandoquidem nec minus de tali expreſſo, ac literali conſenſu doctum fuit, & tacitus, ac præſumptus, quidquid ſit, an ſufficiat ad hunc effectum inducendi diſpoſitionem, ſive præſentationem, viſus fuit Dominis non apparere ex illo Inſtrumento celebrato *die* 21. *Decembris anni* 1732., in quo tam Bartholomæus, quam Antonius, habita notitia, ſe ſe fuiſſe præſentatos a Patronis primo, & ſecundo loco, acceptarunt talem præſentationem in eorum perſonam factam, & in ipſius ſequelam uti Compatroni eidem præſentationi adhæſerunt; eo quia cum ſit compatibile, quod quilibet ex illis acceptaverit quidem propriam, ac diſtinctam præſentationem, eique adhæſerit, & nihilominus nil ulterius explere voluerit, nec ullo modo cogitaverit per talem actum velle præſentare alterum acceptantem, & adhærentem, cum
7 aliud ſit acceptare, & adhærere præſentationi de propria perſona factæ, & aliud velle præſentare ad Beneficium aliam Perſonam, eique ad hunc præciſum finem conſentire; ut bene animadvertitur in Deciſione, quæ revidetur §. *Urget enim*, & firmat *Text. in Cap. ubi periculum* §. *Cæterum de elect. in 6.*, *Paſſerin. de elect. cap.2. num.5.*, *Lotter. de re Benefic. lib.3. quæſt.17. n.7.*, aliique congeſti per *Piton. de Contr. Patron. alleg.60. num.3.*; ideo nullo modo affirmari valet, quod ex actu ſupradicto non reſpiciente unicum, ac individuum commodum agentium, ſed quidem eorum utilitatem, & favorem diſtinctum, & ſeparatum, Bartholomæus voluerit tacite præſentare etiam Antonium Fratrem, ſive ejus præſentationi ab illis factæ conſentire; itaut hic præſumptus conſenſus æquipolleat veræ, & effectivæ præſentationi, cum regula ſit indubitata,
8 quod ex actu compatibili, & qui fieri valuit abſque eo quod factum præcedens approbatum remanſerit, nunquam dicatur præſtitus conſenſus, & ad conſenſum hujuſmodi excludendum ſufficit ſola dubietas, ac poſſibilitas in contrarium; *Bartol. in L.1. §. Hoc interdicto de itiner.*, *actuq. privat.*, *Surd. conſil.126. in fine n.32. lib.1.*, *Becc. conſil.106. num.46.*, *Gratian. diſcept. for. cap.356. n.36.*, *& cap.485. n.16.*, *Maſcard. de probat. concl.1255. n.51.*,
9 & in proximis terminis nominati, quod exhibendo nominationem Ordinario, licet Patronus non dicatur per talem actum præſentare ſe ipſum, tenent, *Lap. conſil.75.*, *Lambertin. de Jurepatr. lib.2. part.2. quæſt.4. artic.2. n.2.*, & firmavit *Rota in Melevitana Beneficiorum* 10. *Junii* 1712. §. *Et hinc ceſſat cor. Emo Card. Aldrovando*.

Quinimo, inſpecto tempore ſupradicti Inſtrumenti acceptationis, conſtat, & excluſum remanet, Bartholomęum voluiſſe tacite præſentare ad Beneficium Antonium Fratrem, tum quia uterque ex illis diſtincte, & ſeparate, licet in unico Inſtrumento, acceptat propriam præſentationem, atque huic propriæ præſentationi adhæret; tum
10 etiam quia eo ipſo, quod Bartholomęus adhęret proprię pręſentationi, ex hoc ſequitur nimis evidenter, voluiſſe propriam accommodare vocem ad ſui commodum, quod excludit, una ſimul illius utilitatem, ſeu Beneficium voluiſſe conferre in favorem Antonii Fratris, ut late firmatum fuit in pręterita Deciſione §. *Hinc deducitur cum ſequen.*

Et ita Domini approbando in reliquis deducta in eadem Deciſione, ſteterunt *In Deciſis*.

INTERAMNEN. CENSUS.

Ven. 7. Decembris 1736.

ARGUMENTUM.

Donatio facta intuitu certi, & determinati matrimonii, eo non ſecuto, reſolvitur.

SUMMARIUM.

1 *Donatio facta contemplatione certi, & determinati Matrimonii, eo non ſecuto, reſolvitur.*

2 *Facta potentiora ſunt verbis.*

3 *Donatio facta ſub conditione Matrimonii contrahendi cum certa perſona, dicitur facta contemplatione certi, & determinati Matrimonii.*

4 *Ex quo, non ſecuto primo Matrimonio occaſione alterius ſit altera Donatio, infertur primam factam fuiſſe contemplatione certi, & determinati Matrimonii.*

5 *Stantibus actibus cum Donatione non conciliabilibus, ea reſoluta dici debet.*

DECISIO LXV.

CONfirmandam hodie Domini cenſuerunt Sententiam Rotalem editam favore Ferdinandi Sciamanna ceſſionarii Hieronymi Gubernarii a Rmo P.D. Decano, prævia deciſione ab eodem evulgata ſub die 9. Maii labentis anni, quia adhuc conſtitit ex Inſtrumento die 7. Julii anni 1703. celebrato inter Conjuges Mariam Margaritam Medices, & Petrum Baldelli, utriuſque conſenſu remiſſum viciſſim fuiſſe quartum Dotale; proindeque probatum plene remanſit, dictum Hieronymum Gubernari Donatarium dictæ Mariæ Margaritæ Medices erroneè proceſſiſſe in compenſanda ſumma ſcutor. 600. Dominico Setti auctori illorum de Gerardis reorum conventorum, dum occaſione contrapoſitionis crediti, & debiti factæ inter ipſos Hieronymum Gubernari, & Dominicum Setti, idem Hieronymus ex cauſa dicti quarti Dotalis remiſit præfatam ſummam ſc. 600. Dominico Setti ejuſdem quantitatis debitori ratione cujuſdam cenſus uſque ab anno 1695. ab eo impoſiti ad favorem dictæ Mariæ Margaritæ Medices, ut latius probat *Deciſ. præcedentis Inſtantiæ per tot.*

Neque admiſſio ad cauſam nuper reportata per Angelam Roſam de Gubernariis, tanquam Filiam præcitati Hieronymi, ipſiuſque Donatariam uſque de anno 1729. quidquam proficere potuit reis conventis, cum quibus ipſa Angela Roſa tranſigendo ſuper enuntiato cenſu promiſit eoſdem indemnes relevare a quacunque moleſtia. Donatio etenim, quam proponit eadem Angela Roſa, quantumvis prior in tempore ceſſioni d. cenſus per Ferdinandum obtentæ, attamen nullum jus eidem Angelæ Roſæ circa eundem cenſum tribuere hodie valet; cautum quippe in jure eſt donationem factam intui-
1 tu certi, & determinati matrimonii, eo effectum non habente, prout effectum non habuit illud, cujus contemplatione facta fuit hæc oppoſita donatio, ſuapte natura reſolvi, & evaneſcere; juxta notata per *Cravet.conſ.461. n.39. lib.3., Altograd. conſ.7. n.19., & 20., Gratian.diſcept.273. n.23., & diſcept.498. n.42., Bottilier. de ſucceſſ. ab inteſt cap.2. Theorem.104. num.5., Manſ. conſult.2. n.13., & conſult.5. n.44., & ſeq. lib.11., Gob. conſult.15. n.5., Hodiern. ad Surd.deciſ.322. n.37., Maſtrill. deciſ.211. n 14., & 15., Rot. cor. Arguell. dec.67. n.66., cor.Coccin. dec.636. n.6;, & in rec. dec.331. n.10., & 11. part.4. tom.2.*

Et ſane dubitari minime poteſt, quin prænarrata donatio ab Angela Roſa obtenta facta fuerit intuitu certi, & determinati matrimonii; Id enim aperte ſuadent tum verba Inſtrumenti ejuſdem donationis, tum facta Donantis, & donatariæ, quæ etiam potentio-
2 ra eſſe verbis opportune ad caſum conſiderant. *Andreol. controv.20. num.10., Rot. coram bon. mem. Herrera dec.119. n.12., & coram bon. mem. Lancetta deciſ.462. ſub n.8., & in Piſtorien. Beneficii hac eadem die §. Præſertim cor. Me.* Ex verbis ſiquidem Inſtrumenti illud certum eſt, quod eatenus Hieronymus, cæterique donantes ad actum donationis devenerunt, quatenus præciſe fuerat ſtabilitum matrimonium inter prædictam Angelam Roſam, & Mar-

Marcum Antonium Caſtelli, ut pandunt proœmialia dicti Inſtrumenti verba, quibus jungi poſſunt alia etiam partis diſpoſitivæ ejuſdem Inſtrumenti, quę ſemper, & ad ſemper ſe referunt ad intuitum, & contemplationem habitam
3 ad dictum matrimonium. His vero in circumſtantiis, cum matrimonium non in genere, ſed cum certa, & determinata perſona contrahendum dicatur cauſa finalis donationis, ſatis ſuperque patet, donationem factam fuiſſe intuitu ſimpliciter ejuſdem matrimonii; ex bene notatis *per Fontanell. de Pact. nupt. clauſ. 8. gloſſ. 1. n. 16., Bottilier. de Succeſſ. ab inteſtat. cap. 2. Theorem. 104. n. 6., Rot. in rec. dec. 127. n. 12., & ſeq. par. 6., cor. bon. mem. Anſald. dec. 42. n. 30., & in Spoletana Donationis 17. Jan. 1727. §. Nec relevat, cor. Emo D. Card. Cincio.*

Ex factis verò ipſorummet Hieronymi, & Angelæ Roſæ idem porro colligitur; quandoquidem aſſumpto novo tractatu matrimonii de anno 1734. inter dictam Angelam Roſam, & Angelum Montani, quod ſubinde nec effectum habuit, ipſe Hieronymus nulla habita ratione præcedentis donationis de anno 1729. expletæ, alteram donationem univerſalem exaravit favore dictæ Angelæ Roſæ intuitu iſtius matri-
4 monii. Si autem ſimilis præcedens donatio facta non fuiſſet intuitu alterius matrimonii, quo non ſecuto reſoluta remanſiſſet, ſupervacanea, & inutilis omnino fuiſſet nova donatio, conſequenterque fateri oportet Hieronymum hanc veritatem agnoviſſe; quemadmodum ad rem obſervat *Rot. cor. Celſo deciſ. 269. n. 5., cor. Emerix Jun. dec. 843. n. 8., cor. Benincaſ. deciſ. 226. n. 5., & in Romana Fructuum dotalium 27. Martii 1719. §. Neve ullam cor. Illmo P. D. Corio Almæ Urbis Gubernatore.*

Præterea non ſolum Angela Roſa paternam adiit hæreditatem, & ad coæqualem ſucceſſionem admiſit Annam Franciſcam Sororem, quamvis & ipſa de dicto anno 1729. occaſione præcitati matrimonii donationem univerſalem ejus favore expleviſſet, ſed etiam occaſione tranſactionis initæ inter ipſam, ac illos de Gerardis eadem Anna Roſa reſtituit re ipſa ſcut. 600. Sigiſmundæ Matri ad computum ejus dotis, quando de cætero Sigiſmunda omnia ſua bona una cum Hieronymo Viro donavit in ſæpedicta donatione anni 1729. Quamobrem cum hujus gene-
5 ris actus compatibiles non ſint cum donatione, perneceſſe concludendum eſt Annam Roſam quoque agnoviſſe ſuperius enuntiatam donationem factam fuiſſe intuitu certi, & determinati matrimonii, proindeque eo non effectuato reſolutam fuiſſe, ut expendendo hujuſmodi ſucceſſivos actus, qui cum donatione conciliari nequeunt, firmant *Caren. reſol. 169. n. 18., Card. de Luc. de donat. diſc. 48. n. 13., & diſc. 49. n. 5., Rot. in rec. dec. 228. n. 11. par. 10., cor. Zarat. dec. 98. n. 2., & cor. bon. mem. Lancetta dec. 563. n. 13., & 16.*

Et ita &c. unica &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE RHODIANIS.

Lunæ 10. Decembris 1736.

Argumentum habes in Deciſione LI.

SUMMARIUM.

1 *Caſu vocationis non purificato fruſtra petitur ſucceſſio.*
2 *Prælatio maſculorum expreſſa in parte diſpoſitiva cenſetur repetita in conditionali, ubi agitur de iiſdem perſonis;* & num. ſeq.
4 *Ex onere dotandi fœminas omnium deſcendentium, impoſito maſculis, eruitur prælatio eorundem maſculorum.*
5 *Quando in parte diſpoſitiva per modum regulæ injungitur prælatio maſculorum, hæc pro inducenda ejus repetitione in conditionali loquente de iiſdem perſonis, non eſt ſimplex conjectura, ſed clara voluntas:*
6 *Quod ſi de diverſis perſonis agatur, tunc defectus verborum relativorum influit in excluſionem repetitionis.*
7 *Ubi militat eadem ratio, & affectio Teſtatoris, eadem vigere debet diſpoſitio.*
8 *In primo autem caſu identitatis perſonarum nihil obſtat repetitioni prælationis, quod onus quoque dotandi fœminas repetitum non fuerit.*
9 *Quoties inſtitutio, & ſubſtitutiones continuative una poſt aliam ordinatæ ſunt,*

ſunt, totus contextus habetur pro unica oratione, licet ejus partes proprium, & particularem ſenſum contineant.

10 *Quæ dicta ſunt de repetitione prælationis maſculorum, habent locum etiamſi fideicommiſſum non ſit agnatitium.*

11 *Deſcendentes a communi ſtipite non efformant diverſas lineas.*

12 *Volita per Teſtatorem prælatione maſculorum in tota deſcendentia tam maſculina, quam fœminina, fit tranſitus ad diverſas lineas non habita ratione fœminarum.*

DECISIO LXVI.

PRævaluerunt apud DD. in hac cauſa hodie per Me repropoſita rationum momenta poſtremæ deciſionis coram Me editę ſub die 14. Maji anni currentis 1736. & ſic reſponſum fuit -- *Standum eſſe in ſecundo loco deciſis.*

Retento ſiquidem eo principio deprompto ex teſtamentaria diſpoſitione Cæſaris de Rhodianis, quod nempe iſte in deſcendentia tam maſculina, quam fœminina Jacobi Antonii ejus Pronepotis, ac hæredis univerſalis voluerit ſemper deſcendentes maſculos eſſe in concurſu præferendos fœminis; iſtaſque non eſſe admittendas ad ſucceſſionem, niſi in defectum maſculorum, ut quoad deſcendentiam maſculinam literalia ſunt verba illius teſtamenti, ibi -- *Al quale Giacomo Antonio ſoſtituiſco li ſuoi figli maſchj, ed altri diſcendenti maſchj legittimi, e naturali, che naſceranno da lui in infinitum, ed in perpetuo di legittimo matrimonio con peſo di dotare di dote conveniente le figlie femmine, che naſceranno di eſſo Giacomo Antonio, e tutti li diſcendenti maſchj &c.* --; quo ad deſcendentiam verò fœmininam, ibi -- *E caſo, che detto Giacomo Antonio veniſſe a morte ſenza figli maſchj nati di legittimo matrimonio, in tal caſo nella ſua eredità ſuccedano, ſiccome adeſſo ſoſtituiſco, le figlie femmine nate d'eſſo Giacomo Antonio mio Erede legittime, e naturali, e tutti altri loro diſcendenti maſchj legittimi, e naturali, ed in caſo di mancamento de' maſchj le femmine in infinito.*

Sequitur perneceſſe, quod cum Comes Hieronymus a Porta ſit deſcendens maſculus a recenſito Jacobo Antonio per medium tamen fœminæ, iſti omnino debeatur ſucceſſio in bonis fideicommiſſariis dicti teſtatoris in omnimodam excluſionem Com. Mariæ Eleonoræ, & Lauræ ab eodem pariter de-
1 ſcendentium, quæ propter exiſtentiam dicti Com. Hieronymi nil prætendere valent, dum non fuit purificatus caſus vocationis; ut firmavit *Rota cor. bon. mem. Lancetta dec. 3371. n. 3., & cor. clar. mem. Card. Falconer. de fideicomm. dec. 13. n. 1., & in rec. dec. 114. n. 10. par. 13., & in Cavallicen. fideicommiſſi 13. Aprilis 1736. §. Et jure quidem coram Me.*

Haud attento repetito objecto, quod juxta aliàs firmata in hoc Sac. Auditorio, & ſuper hoc *fideicommiſſo in deciſ. 499. cor. bon. mem. Dunozett. Jun.*, dd. Collitigantes, eorumque authores vocationem deſumpſerint non ex dd. duobus enuntiatis caſibus diſpoſitivis, ſed ex parte conditionali dicti Teſtamenti, in qua cum non legatur adjecta ſupradicta prælatio maſculorum ibi -- *E caſo che detto Giacomo Antonio moriſſe ſenza figli legittimi, e naturali ovvero li ſuoi diſcendenti in qualſivoglia tempo moriſſero ſenza figli legittimi, e naturali &c. ed in tal caſo ſoſtituiſco in detta mia eredità per la metà la Compagnia della Santiſſima Annunziata della Chieſa della Minerva di Roma, e per l'altra metà l'Oſpedale di S. Giacomo dell' Incurabili di Roma* -- per conſequens illa operari nequeat in hoc caſu, cum non cenſeatur a Teſtatore conſultò omiſſa.

Quoniam placuit reſponſio, quod cum idem Teſtator perpetuum fideicommiſſum expleverit favore omnium deſcendentium tam maſculorum, quam fœminarum Jacobi Antonii cum prælatione tamen maſculorum in concurſu fœminarum, ut ex ſupra relatis verbis ejus teſtamenti, & deſcendentes ejuſmodi ſint tam illi vocati in parte diſpoſitiva, quam alii vocati in parte conditionali, quoad hos omnes propterea
2 procedere debeat eadem prælatio adeo enixe a Teſtatore exoptata, & dicatur ta-

tacite repetita in dicta parte conditionali, in qua deficit repetitio expreſſa, ut firmatur in deciſione. quæ revidetur §. *Et profectò cor. Me*.

Abſque eo quod ratio hæc everti valuerit ex deductis a Sororibus reis conventis, quod videlicet in deſcendentia maſculina Jacobi Antonii non fuerit demandata d. prælatio maſculorum, ſed ſolum in ſecundo caſu, quo illa defecta tranſiiſſet ad deſcendentiam fœmininam, quodque inſuper non ſubſiſtat, illaſmet perſonas vocatas in partibus diſpoſitivis fuiſſe etiam in conditione poſitas; & ulterius, quod ubi etiam concurreret perſonarum identitas, non ſit vera propoſitio, quod illa qualitas Prælationis maſculorum exoptata in parte diſpoſitiva intelligatur etiam volita in parte conditionali, & denique quod in omnem caſum hæc ſit ſimplex, ac unica conjectura undique inſufficiens ad inducendam, ac ſuadendam enuntiatam repetitionem prælationis maſculorum.

Etenim quidquid ſit quoad ſuppoſitam diverſitatem perſonarum, quam non ſubſiſtere oſtenſum fuit in ultima deciſione §. *Quod autem cum ſeqq.*; Nec non etiam quoad illam propoſitionem, quod eadem identitate concurrente, ſemper prælatio maſculorum volita in
3 parte diſpoſitiva cenſeatur etiam repetita in parte conditionali, quæ vera eſt, & ſemper amplexa fuit ab hoc Sac. Auditorio ex juribus, & deciſionibus allegatis in eadem deciſione §. *Et profectò cum ſeqq.*, ubi redditur ratio illius, & ſignanter *deciſ.* 28., *& deciſ.* 29. *lib.* 10. *in Mantiſſ. ad Card. de Luc.*; Prò eo, quod attinet ad prælationem maſculorum, quod illa volita fuerit etiam in deſcendentia agnatitia Jacobi Anto-
4 nii clare apparebat, eo ipſo, quod, maſculis exiſtentibus, demandatum fuit onus — *Di dotare di dote conveniente le figlie femmine, che naſceranno da eſſo Giacomo Antonio, e tutti li diſcendenti maſchj* — quod importare literalem prælationem maſculorum eſt de per ſe nimis clarum, & tradunt *Soccin. conſ.* 63. *ſub n.* 15. *lib.* 3., *& conſ.* 73. *col.* 1. *lib.* 4., *Curt. Sen. conſ.* 52. *n.* 29., *Menoch. conſ.* 315. *n.* 70., *Peregrin. de fideicomm. art.* 25. *n.* 45.; Reſpectu verò identitatis perſonarum, quod iſta dicatur unica, & ſimplex conjectura pro inducenda repetitione maſculinitatis, viſum fuit non applicari huic caſui, in quo Teſtator per viam regu-
5 læ in vocatione deſcendentium agnatorum, & cognatorum ordinavit prælationem ſemper maſculorum ſupra fœminas; quo caſu identitas perſonarum non eſt ſimplex conjectura repetitionis qualitatis, ſed ipſamet clara voluntas Teſtatoris, cujus ratio, & finis tangit omnes deſcendentes agnatos, & cognatos, & quoad omnes dicitur idem; dum nulla ratio diverſa, quare potius id voluerit in uno deſcendente, quam in alio, conſiderari valet; ut appoſite notat *Cardin. de Luc. de fideicom. diſc.* 233. *num.* 8. *in fin.*, *& ſeq.*

Conjecturæ verò, quæ a fœminis prædictis deducebantur ad excludendam maſculorum prælationem nunc pariter dijudicatæ fuere levioris ponderis; nam illæ, quod ubi Teſtator voluit prælationem maſculorum eam expreſſit; quodque in parte conditionali, ubi talis expreſſio deficit, nulla adſit clauſula relativa ad ſuperiorem partem diſpoſitivam, ubi habetur dicta expreſſa prælatio maſculorum, eſſent
6 alicujus momenti, ubi ageretur de repetenda qualitate maſculinitais, ſive prælationis inter diverſas perſonas, quarum reſpectu urgere poteſt ratio diverſa, ſive affectio Teſtatoris: Diverſimode verò recipiendum eſt in concreto hujus caſus, ubi res eſt de eiſdem perſonis vocatis tam in parte diſpoſitiva, quam poſitis in conditione, qua-
7 rum reſpectu ſicuti militat eadem ratio, & affectio Teſtatoris, ita eadem voluntas, ac diſpoſitio vigere debet quoad illos omnes, ut animadvertitur in dicta poſtrema mea deciſione, *quæ revidetur §. Etenim.*

Alia deſumpta, ex quo in hac parte conditionali non fuerit repetitum onus dotandi fœminas injunctum in parte
8 diſpoſitiva, eſt penitus irrelevans; quia dum hoc onus dotandi omnes fœminas deſcendentes fuit injunctum in priori parte, non erat neceſſarium illud ex-

primere in eadem parte conditionali, ut perpendit præfata deciſio §. *Ejuſdemque levitatis*.

Parvi quoque facienda eſt altera, quod in præſenti agatur de repetenda qualitate maſculinitatis in caſibus vocationis expreſſis in orationibus ſeparatis, & disjunctis; nam cum Teſta-
9 tor inſtitutionem ſui hæredis univerſalis, & reſpective ſubſtitutiones continuative ordinaverit unam poſt aliam, hic totus contextus haberi debet pro unica oratione, licet ejus partes regantur a proprio, & particulari ſenſu; ex authoritatibus adductis *in poſtrema deciſione* §. *Reliquæ verò & ſeq.*, & tradunt *Rebuff.*, *in leg. conjunctionem* 29. *verſ.*7.*ff. de verb. ſignific, juxta leg.*, *& quia ff. de juriſd. omn. Judic.*, *Ancaran. conſ.*361. *n.*2., *Rot. dec.*453. *n.*8. *par.* 2. *tom.*1. *rec.*; Prout pariter ultima, quod ſupradicta repetitio qualitatis maſculinæ dari nequeat, niſi in fideicom-
10 miſſo agnatitio; Cum parum interſit, an agatur de fideicommiſſo agnatitio, nec ne, eo ipſo, quod ex ſupra firmatis apparet Teſtatorem deſideraſſe quoad totam deſcendentiam Jacobi Antonii hæredis inſtituti prælationem maſculorum in concurſu fœminarum; ex firmatis in puncto per *Torr. de Primog. par.*1. *cap.*25. *n.*155., *& ſeqq.*, *Rota in Mantiſſ. ad Card. de Luc. dec.*28. *n.*4. *lib.*10. *vol.*2;, cum aliis relatis *in deciſione*, *quæ revidetur* §. *Parique inſubſiſtentia*.

Hiſce conſtabilitis quoad prælationem maſculorum, fruſtra Defenſores Sororum Pupillarum recurrebant ad aliam objectionem, quod nempe etiam illa admiſſa, adhuc intelligenda eſſet diſcretive in qualibet linea, & propterea cum ex perſona Lauræ Aviæ portio bonorum fideicommiſſariorum diviſa fuerit in binos illius filios, ideſt Innocentium Patrem dd. Sororum, & Hieronymum Actorem, nequeat iſte utpote de alia linea, & Columnello, licet maſculus, adſpirare ad ſucceſſionem portionis memorati Innocentii, exiſtentibus de medio dd. Sororibus ejus filiabus; fruſtra, inquam, ad hujuſmodi objectionem recurrebant, non
11 ſolum quia recenſita diverſitas linearum nullam habet ſubſiſtentiam; dum tam Innocentius ſupradictus, quam Com. Hieronymus Actor deſcendunt a prædicta Laura filia Jacobi Antonii, & communi ſtipite; ut probatur in dicta poſtrema mea *Deciſione* §. *Ex his porro procedentes*: probantque etiam *Berous conſ.*111. *num.*1. *lib.*1., *Gabr. conſ.*70. *num.*1., *& ſeq.*, *& per tot.*, *lib.*20., *Peregrin. de fideicomm. art.*27. *num.*13., auctoritates verò a Sororibus, eorumque Defenſoribus allegatæ præciſe loquuntur in caſibus duarum linearum diverſarum, ideſt ſuum initium ſumentibus a diverſis ſtipitibus; Verum etiam ex quo, dum ex ſupra de-
12 ductis apparet, voluntatem Teſtatoris fuiſſe in tota deſcendentia tam agnatitia, quam cognatitia ſupra recenſiti Jacobi Antonii hæredis ſemper præferri maſculos fœminis; hoc ſufficit, ne violetur voluntas Teſtatoris, ut fideicommiſſum, prætermiſſis fœminis illius lineæ, in quam fuit ingreſſum, tranſire debeat ad alteram lineam, in qua maſculi exiſtunt, ut concludit d. deciſio, quæ revidetur §. *Tum inſuper*.

Et ita reliquis omiſſis, quibus ſatisfacit ſæpedicta præterita deciſio, pariter ſuffragantibus quinto, & ſexto reſponſum fuit utraque &c.

ROMANA, SEU TYBURTINA IMMISSIONIS.

Lunæ 10. *Decembris* 1736.

Argumentum habes in Deciſione LXII.

SUMMARIUM.

1 *Credita turbida, & illiquida non retardant Immiſſionem*; & n.5. 9., & 10.

2 *Frater in communi vivens, ac detrahens aliquam ratam bonorum communium præſumitur de jure eam recipere in propriam portionem.*

3 *Succeſſor impugnare factum nequit, cui author acquievit.*

4 *Mobilium amplius non exiſtentium peritia fieri poteſt, modo diligenter, & individue in Inventario deſcripta fuerint.*

6 *Ante redditionem rationis Adminiſtrator neque debitor, neque creditor conſtitui valet.*

7 *Ubi*

Digitized by Google

7 *Ubi concurrit clara confeſſio debiti Adminiſtratoris, locus non eſt redditioni rationis.*
8 *Debitum Adminiſtratoris non ſolum pendet a partitis accepti, ſed etiam a partitis dati.*
11 *Efformato Creditorum concurſu, nullum creditum extra ejuſdem concurſus Judicium allegari poteſt.*
12 *Debitor Creditori poſteriori ſolvens non liberatur ab iterata ſolutione Creditoribus anterioribus.*
13 *Immiſſio nequit denegari ob exceptionem retentionis, quæ Creditori competit adverſus alterum tantum ex immittendis.*

DECISIO LXVII.

Adeo firma & inconcuſſa recognoverunt Domini fundamenta reſolutionis captæ coram Me *ſub die* 2. *Julii labentis anni*; ut in hodierna colluctatione, nullatenus hæſitarint eam roborare novo confirmationis munimine reſcribendo *in deciſis*.

Cauſæ quippe momentum ſtetit iterum in eo, an duo prætenſa Credita Cæſaris, Alexandri, aliorumque de Philonardis adverſus Archiepiſcopum Marium eorum fratrem, quæ allegantur ab Oliveriis reis conventis ad effectum retinendi controverſam Tenutam *degl'Archi*, ſint nitida, & clara, vel potius careant aſſiſtentia facti, aut ſaltem aliquam involvant dubietatem: Si enim quoquo modo turbida ſint in
1 ſubſtantia, ſive illiquida in quantitate, explorati juris eſt, quod apta cenſeri nequeant ad retardandam claram, & expeditam actionem, qua pollent *vigore l. f. C. de Ædict. Div. Had. toll.* Pupilli de Philonardis Actores, pro reportanda Immiſſione ad dictam Tenutam dubio procul fideicommiſſariam, ut latius animadvertit *Deciſio, quæ revidetur* §. *Non enim. cum duobus ſeqq.*

Inani autem conatu Defenſores fratrum de Oliveriis in hodierno conflictu declinare ſatagebant præſidia rationum, quibus comprobata fuit incertitudo, & turbiditas utriuſque crediti deducti per eoſdem fratres ad effectum fruendi beneficio retentionis: Si enim loquamur de mobilibus, & argentis Domus Philonardæ per Marium traductis Avenionem, & dein Romam ad patrios lares fideliter reportatis; ejuſmodi ſane aſſertum debitum Marii conſiſtens in prætenſa reſtitutione dictorum ſupellectilium, magis turbidum, & illiquidum eſſe nequit: Et ſi enim ultro admittatur, quod præfata mobilia, & argenta in ſui primæva origine pro majori parte fuerint patrimonialia Domus Philonardæ, & ex illis, quæ ab Avitis hæreditatibus ad omnes fratres perventa fuerant, prout liquet ex ingenua confeſſione per eundem Marium emiſſa, prius in Inventario confecto de anno 1624., & poſtea in ejus teſtamento ſubſequenter condito; ac ulterius patet ex uniformi declaratione edita per fratres de Philonardis anno 1644., de qua conſtat in actis ſubinde repetitis per Scipionem alterum ex hodiernis Actoribus in Judicio camerali recenter inſtructo.

Inde tamen infertur quidem qualitas patrimonialis, & originaria provenientia dictorum mobilium, & argentorum a patrimonio communi fratrum de Philonardis; Sed non etiam eruitur recte *pertinentia* eorundem mobilium ad alios fratres Marii, ita quidem ut ſubducta quarta parte, Marius dicendus ſit liquidus debitor ejus fratrum pro pretio aliarum trium portionum: Stat enim bene ſimul, quod controverſa mobilia proceſſerint ex communi bonorum acervo, quodque deinde tranſierint penes Marium in vim tacitæ diviſionis, & aſſignationis in propriam portionem factæ eidem Mario de conſenſu aliorum fratrum; Quæ ſane tacita diviſio, & reſpectivè aſſignatio elicitur nedum ex ſimplici
2 Juris præſumptione, juxta quam frater in communione vivens, ac detrahens aliquam ratam bonorum communium cenſetur eam recepiſſe in propriam portionem; Sed ulterius reſurgit literaliter ab ipſiſmet viſceribus confeſſionis Marii, ex quibus, ſi per Oliverios reos conventos probatur *origo, & provenientia* dictorum mobilium, non eſt, cur eodem jure deſumi nequeat per Philonardos Actores etiam *perti-nen-*

nentia eorundem, quam idem Marius ſibimet adſcripſit, tum in Inventario ad ſui, & fratrum inſtantiam facto, in quo, medio juramento, expreſſe declaravit, ſæpedicta mobilia *eſſe ſua propria, & ad ipſum ſpectare, & pertinere*; tum etiam in ejus poſtremis tabulis, in quibus *tanquam de re propria* diſpoſuit de controverſis mobilibus, & argentis favore ſolius Epiſcopi Aquinatenſis, cæteris Fratribus, & Nepotibus prorſus excluſis: Profectò enim ſi Fratres, & Nepotes Marii probe ſcientes tam de tempore confecti Inventarii, quam de alio conditi teſtamenti quid erat omnibus commune, quid verò peculiare Marii, ultro acquieve-
3 runt deſcriptioni factæ in Inventario per Marium, & ſubſequenti ejus diſpoſitioni palam præſeferentibus pertinentiam hujuſmodi mobilium favore ſæpedicti Marii; nullo ſane pacto datum erit Oliveriis jus ſuum metientibus a præfatis Marii fratribus, impugnare dictam pertinentiam, eamque adſcribere patrimonio communi omnium fratrum, prout ponderat *præterita Deciſio* §.5. *cum pluribus ſeqq.*

Frmata ſic *pertinentia* controverſorũ mobilium favore Archiepiſcopi Marii, nil prorſus urgere viſum fuit, quod portio dd. ſuppellectilium per eum avulſa ex communi acervo, utpote inſignis pretii longe nimis exceſſerit ratam ſibi de jure debitam: Si enim diſtinctim, ùt par eſt, conſideretur univerſa dives, & opulenta ſupellex, quæ tunc temporis coaluerat in Familia Philonarda, aſcendens ad ſc.30000. circiter; & è converſo ponderetur rata mobilium per Marium ſelecta, ceſſat illico prætenſus exceſſus portionis per eum habitæ aſcendentis ad ſolam ſummam ſcutor.3440.
4 juxta Peritorum æſtimationem, quæ rite, recteque fieri potuit pro inſtructione animi, quantumvis hodie prædicta mobilia non amplius exiſtant in rerum natura, quoties, ut in hypotheſi, adeſt in inventario anni 1624. diligens, & individua eorundem mobilium deſcriptio, cui valide potuit inniti judicium Peritorum; ad tradita per *Ridolph. in prax. part.3. cap.2. ſub n.*180. *verſ. valor vero, Rota dec.*13. *n.*4. *cor. Ninot,*

Nil mirum itaque, ſi fratres Marii libenter acquieſcentes tacitæ diviſioni, nunquam conqueſti fuerint de hoc ſomniato exceſſu portionis per Marium avulſæ ex acervo bonorum communium, bene conſcii, quod, ea de medio ſublata, ſi Marius ad effectum peragendi novam diviſionem, teneretur conferre favore fratrum mobilia, & argenta Avenionem traducta, tenerentur & ipſi eodem jure exhibere favore Marii illam aliam conſpicuam ſupellectilem penes ipſos relictam, & ab eis pro majori parte alienatam: Fateri proinde oportet, quod aut Marius portionem mobilium longe minorem rata ſibi tangente receperit, juxta dictam Peritorum æſtimationem; Aut hac etiam æſtimatione poſthabita, quod hìc & nunc divinari nequeat quota excedens in portione Marii, comparative ad reliqua mobilia penes fratres ejuſdem relicta; Quæ ſane incertitudo ſat eſt, ad
5 hoc, ut inefficax evadat retentionis exceptio, minuſque apta ad retardandam Immiſſionem ex actione clariſſima competentem, ut optime comprobat *Deciſio, quæ revidetur* §.10. *cum ſeq.*

Hactenus de primo aſſerto debito Archiepiſcopi Marii erga illius fratres deſumpto ex prætenſa reſtitutione mobilium, & argentorum, quæ ſecum Avenionem traduxit; Mox vero ſermone converſo ad aliud debitum profluens ex adminiſtratione bonorum communium, qua mediante Marius declaravit, ſe comparaſſe Loca Montium 307., Domini iterum ſecernentes pura ab impuris, authumarunt, quod declaratio Marii præſeferens acquiſitionem dictorum Locorum Montium ex adminiſtratione bonorum communium, nullatenus percutiat illam generalem bonorum omnium Domus Philonardæ; cum in excluſionem hujuſce univerſalis adminiſtrationis concurrant tot Inſtrumenta locationum, acquiſitionum, aliorumque contractuum celebrata per Cinthium fratrem majorem Marii, & uxoratum, Cæſarem, alioſque de Philonardis, unà cum conſtitutione Procuratoris facta per Marium abſentem ab Urbe, ad effectum adminiſtrandi bona dumtaxat ad ſe privati-

ve

ve ſpectantia , nulla facta mentione bonorum communium , nec non ultronea, & ſeria repudiatione hæreditatis Cæſaris emiſſa per eundem Marium de anno 1630., ea ſpeciali ratione , quia non minus ipſe Cæſar, quam alii ejus fratres adminiſtraverant integrum patrimonium Familiæ de Philonardis , nulla unquam reddita ratione eorum adminiſtrationis; Quibus ſaue perpenſis, irritus videbatur quicunque labor, & conatus ſemper inutiliter impenſus, ad effectum impingendi Mario eam univerſalem bonorum omnium adminiſtrationem , quæ concludenter docetur exercita per alios illius fratres; quemadmodum late comprobat *Deciſio præcedens* §. 13.

Verius itaque viſum fuit, quod acquiſitio Locorum Montium 307. mediante adminiſtratione bonorum communium deſumpta ex præfata declaratione Marii, tum attenta ejus litera, tum etiam perpenſis aliis probationibus , omnino referenda ſit ad peculiarem adminiſtrationem hæreditatis Cardinalis Philippi, & Pauli Æmilii Archiepiſcopi Amalphiæ, nec non bonorum Romæ , & Tyburis , cujus reſpectu , ſepoſitis bonis Romæ , & Tyburis , tanquam aſſignatis pro manutentione Prælaturæ Marii, & ſic propriis ejuſdem ; quoad alia hæreditaria Card. Philippi , & Archiepiſcopi Amalphiæ brevi temporis intervallo per Marium adminiſtrata , iterum placuit ea ineluctabilis reſponſio, quod aut Marius rationem reddidit hujuſce peculiaris adminiſtrationis , ut recte deſumitur ex partitis per eum ſolutis in cauſam reliliquatus , & extractis ex libris publicis Rationis Bancariæ Roberti Primi ; & hoc caſu per ſolidationem computorum ceſſat penitus quodcunque debitum Marii mutuatum ex adminiſtratione bonorum communium: aut verò ſufficiens redditio rationis reputari nequit illa reſurgens ex præfatis documentis , & in hoc altero nulla alia competit actio, quam adigendi hæreditatem Marii adminiſtratoris ad diſpunctionem dati,
6 & accepti : ſine qua , repugnat omnibus juris noſtri regulis , & principiis , quod Adminiſtrator conſtitui valeat debitor, aut Creditor adminiſtrationis ; ut firmant authoritates relatæ *in præterita deciſione* §.14., & 15.

Non officiente , quod ejuſmodi redditio rationis omnino ſuperflua cenſeri debeat in ſubjecta hypotheſi, in qua ſæpedicta Marii declaratio eundem palam conſtituit debitorem jam geſtæ adminiſtrationis: Quamvis enim declaratio Marii non proceſſerit ex cauſa ſe conſtituendi debitorem ejus fratrum , ſed unice ad effectum demonſtrandi provenientiam acquiſitionum *ex propriis bonis patrimonialibus , & emolumentis officiorum*, earumque exemptionem a Spolio , ut recte tuebantur in Tribunali Cameræ Defenſores Pupillorum de Philonardis , & cohærenter etiam firmavit Votum R. P. D. Maggi : Adhuc data materiali veritate ejuſdem declarationis in omni ſui parte, & prout literaliter jacet; Objectio tunc, & eo caſu urgeret , ubi ex eadem declaratione reſurgeret clara , & indubitata con-
7 feſſio debiti erga fratres Marii ex capite adminiſtrationis per eum exercitæ, in quibus terminis locus certe non foret ulteriori redditioni rationis; ad tradita per *Rot. dec.2. n.8. de reb. Credit. cor. Card. Falcon., & in Romana Redditionis Rationis 29.Februar.1731. cor. R.mo P.D. meo Calcagnino Decano*.

Secus verò procedit in hypotheſi, in qua ex tenore ſæpedictæ declarationis nil aliud deſumitur , quam quod Marius in emptione Locorum Mont. 307. erogaverit pecuniam retractam ex peculiari adminiſtratione dictorum bonorum communium , de qua nullam unquam reddiderat rationem : Hoc autem operatur quidem , quod in generali diſpunctione rationum facienda inter Marium , & fratres , hæc partita pretii communis erogati in acquirendis dictis Locis Montium calculanda ſit ad debitum ejuſdem Marii ; Sed non efficit etiam , quod idem Marius hic , & nunc intuitu dictæ partitæ dici mereatur liquidus debitor ejus fratrum , antequam inter eos , & Marium ſequatur ea redditio rationis , quæ juxta tenorem præfatæ declarationis nunquam facta fuit , quæque de jure eſt omnino neceſſaria , ad effectum eruendi creditum,

vel

vel debitum Adminiſtratoris, quod
8 pendet non ſolum a partitis accepti, ſive debiti, ſed etiam a partitis dati, ſive crediti, ut plenius firmat *Decisio, quæ revidetur* §.22.

Donec itaque non diſpungantur, & contraponantur omnes partitæ tam dati, quam accepti, illa unica deſumpta a Locis Montium comparatis ex pecunia communi non probat favore fratrum debitum Marii, nec in ſubſtantia, nec in quantitate; Non quidem in ſubſtantia, quis enim auſit dicere, quod eadem partita accepti nequeat abſorberi ab aliis partitis dati, ſive crediti per Marium deducendis in redditione rationis? quando præſertim illæ jam deductæ, & pro majori parte liquidatæ per Peritum aſcendunt ad ſcut. 12000. Minuſque debitum Marii probatur in quantitate, quia conſtat ex ipſàmet declaratione, quod Loca Montium comparata fuere partim ex adminiſtratione bonorum hæreditariorum Card. Philippi, & Pauli Æmilii Epiſcopi Amalphiæ, partim ex fructibus eorundem Locorum Montium, partim verò ex propriis lucris, & reditibus ad Marium privative ſpectantibus; Incertum itaque remanet, quot ſint Loca Montium acquiſita ex pecuniis adminiſtratis, quot vero ex aliis propriis, & peculiaribus proventibus: qua ſtante incertitudine debiti, tam reſpectu ſubſtantiæ, quam reſpectu quantitatis, quæ non aliter liquidari poteſt, quam mediante redditione rationis; Creditum hujuſmodi proveniens ex acquiſitione locorum Montium cum pecunia
9 communi, ut pote turbidum, & prorſus illiquidum, opponi nequit ad retardandam petitam Immiſſionem; ex firmatis per *Rot. dec.* 1278. *n.* 15. *cor. Molines*, & cum aliis *Decisio, quæ revidetur* §. 23.

Nec diluitur talis turbiditas, & incertitudo, recurrendo ad tranſactionem poſt judicium camerale initam a Principe Pamphilio cum Scipione altero ex Pupillis Actoribus, cujus vi idem Scipio pro credito Locorum Montium acquiſitorum ab Archiepiſcopo Mario recepit ſcut 20000. ſuper quibus inficiari nequit, quia aliis fratribus ejuſdem Marii competat portio, quæ etſi non fuerit hactenus liquidata, ſemper tamen excedet ſummam ſc.5000., quæ ſufficiunt pro compenſando pretio controverſi latifundii poſſeſſi per reos conventos: Si enim ex dictis ſc.20000. per Scipionem recuperatis mediante tranſactione, deducatur primo loco rata ſpectans præfato Mario pro mobilibus, & argentis, quorum etiam intuitu ſoluta fuerunt dicta ſcut.20000., & deinde alia rata eidem debita pro Locis Montium comparatis ex propriis lucris, & emolumentis officiorum, ac tertio alia pariter rata competens dicto Mario tanquam uni ex fratribus ſuper illis Locis Montium, quæ fuerunt acquiſita ex pecunia communi; Quis tuto affirmare poterit, quod deductis deducendis, ſumma reſidua, quæ adjudicanda eſt cæteris fratribus Marii, non abſorbeatur a creditis ejuſdem adverſus fratres excedentibus ſummam ſcutor. 12000. Quid igitur incertius hoc credito deſumpto ex Locis Montium comparatis per Marium ex pecunia
10 communi? ac per conſequens quid minus aptum ad repellendam Immiſſionem mediante beneficio retentionis, quæ requirit creditum adeo clarum, & liquidum tam reſpectu ſubſtantiæ, quam reſpectu quantitatis, ut nullo velamine queat obnubilari; quemadmodum late firmat *Decisio præterita* §.4. *cum ſeqq.*

Patet igitur ex his, quam ſit inefficax ad retardandam claram, & expeditam actionem Immiſſionis exceptio turbida retentionis innixa utrique præfato credito fratrum de Philonardis adverſus Archiepiſcopum Marium; Sed quatenus etiam per falſam hypotheſim credita dictorum fratrum nullam in ſubſtantia paterentur turbiditatem, & æque liquida forent in quantitate; adhuc eadem exceptio retentionis prorſus incongrua viſa fuit in præſenti judicio; Tum quia pluribus ab hinc an-
11 nis adeſt concurſus Creditorum efformatus ſuper bonis hæreditariis dictorum fratrum, quo ſtante credita eorundem adverſus Marium nequeunt extra dictum judicium concurſus allegari ab Oliveriis, ſive a Buratto eorum

rum Authore non adhuc graduato , &
12 aliis Creditoribus fortaſſe poſteriore, cui proinde quatenus debitor ſolvat, non liberatur ab iterata ſolutione favore aliorum Creditorum anteriorum : tum etiam quia actio Immiſſionis ad
13 controverſum latifundium promota per Philonardos competit æqualiter geminis fratribus actoribus uti vocatis ad fideicommiſſum ordinatum a Paulo Æmilio , & Sylvio de Philonardis; exceptio verò retentionis oppoſita per Oliverios reos conventos exerceri valet adverſus ſolum Scipionem uti poſſeſſorem bonorum primogenialium provenientium ab Archiepiſcopo Mario ; Proindeque credita prætenſa adverſus Marium , ſive Scipionem ejus unicum Succeſſorem poterunt magis congrue promoveri in alio judicio concurſus Creditorum jam inſtructo , in quo quatenus rei conventi Creditores Marii ex perſona fratrum de Philonardis cæteris aliis anteriores , tuti ſemper erunt de ſatisfactione ſuper bonis provenientibus a Mario debitore poſſeſſis a Scipione utpote obnoxiis Primogenituræ per eundem ordinatę, quę per conſequens nec diſperdi, nec alienari poſſunt ; ut ſolide concludit *Deciſio , quæ revidetur* §.25. *cum ſeqq.*

Et ita , utraque parte jura ſua viriliter deducente ; Videntibus Quinto, & Sexto reſponſum fuit &c.

SENOGALLIEN. PECUNIARIA.

Lunæ 21. *Januarii* 1737.

ARGUMENTUM.

Debitor liberatur per depoſitum , cui locus eſt , etiamſi dubium tantummodo adſit exiſtentiæ Creditorum anteriorum , nec illud invalidum eſt , ex quo non ſit integrum , cum remaneat actio pro reſiduo , nec debitoris refert , an deinde ex pecunia depoſitata dimittantur Creditores anteriores , vel poſteriores . Reſervatio dominii tam Creditori, quam ejus Ceſſionario anterioritatem tribuit .

SUMMARIUM.

1 *Debitor per depoſitum liberatur,* & n.11.

2 *Ex obligatione ſolvendi debitum ſtatuto tempore , & ex ſubſequente longiſſima acquieſcentia illud præſumitur extinctum .*

3 *Qui exegit creditum poſterius, præſumitur exegiſſe ab eodem Creditore creditum etiam anterius .*

4 *Creditor præſumitur recipere pecuniam in cauſam, & extinctionem ſui crediti.*

5 *Hæres impugnare nequit factum authoris .*

6 *Reſervatio dominii Creditori, ejuſque ceſſionario anterioritatem tribuit .*

7 *Quando dubium eſt, an adſint Creditores anteriores , eſt locus depoſito .*

8 *Ex obligatione conditionata, & reſolutioni obnoxia non acquiritur jus firmum ;*

9 *Nec Creditor talem obligationem pro ſe habens eſt neceſſario citandus .*

10 *Depoſitum non redditur nullum, ex quo non fuit integrum, ſed remanet dumtaxat actio contra Deponentem pro reſiduo .*

11 *Per depoſitum Creditor liberatur ; etiamſi deinde ex pecunia depoſitata non dimittantur creditores anteriores.*

12 *Quando fidejuſſor ſolidalis habet creditum anterius , licet debitum rei principalis, pro quo emiſſa fuit talis fidejuſſio , ſit poſterius , tamen hoc dimiſſo, dicitur dimiſſum creditum anterius , habita ratione crediti fidejuſſoris , qui Creditori poſteriori teneretur , deficiente Reo .*

DECISIO LXVIII.

EXiſtimarunt DD. non obſtantibus deductis pro parte Canonici Chriſtophari , & Angeli de Paſquinis Rectoris , & Patroni reſpective Ven.Cappellæ ſub invocatione Sanctiſſimi Crucifixi erectæ in Eccleſia Monialium Sanctæ Chriſtinæ Senogalliæ , & hæredis quondam Bernardini Covoni , perſiſtere *in Deciſis* coram Me ſub die 25 Junii anni præteriti 1736.

Quandoquidem , & ſi Tarquinius Cherubinus in Inſtrumento venditionis Prędii ſiti in villa S. Silveſtri , quam ipſi fecerunt die 28. Maii 1674. Paulus Antonius Covonius, & Juditta Piazzona , in ſe aſſumpſerit in partem pretii nonnulla debita , & in ſpecie binos cenſus, alterum in ſorte ſcut.200. impoſi-

tum a Bernardino Covonio Patre prædicti Pauli Antonii, a cujus hæreditate proveniebat idem Prædium S. Silveſtri favore Octavii Sebaſtiani, & alterum in ſorte ſc.100. creatum ab eodem Bernardino favore Monialis Mariæ Franciſcæ Caballæ; & promiſerit illos extinguere intra terminum unius anni, ſub obligatione liberandi Venditores a quibuſvis moleſtiis, quas pati potuiſſent ex cauſa eorundem cenſuum, eorumque fructuum decurrendorum; ut latius ex dicto Inſtrumento venditionis relato in *Summario ſupradictæ Cappellæ num.3.*

Attamen non per hoc, quod memoratos binos cenſus extinxerit dictaCappella hæres ſubſtituta a præfato Bernardino, & non ſupradictus Cherubinus Accollatarius, ulla dictæ Cappellæ actio competit pro relevatione contra hæredes Tarquinii, animadvertentibus DD., quod hujuſmodi debitorum aſſumptio non fuit pura, ſimplex, & abſoluta, ſed concepta cum pacto reſolutivo, quatenus detegerentur Creditores, vel Potiores, ibi – *Con patto eſpreſſo tra li medemi contraenti, che ſcoprendoſi mai alcun debito, o debiti anteriori, o poziori alli ſopradetti tutti, e ſingoli menzionati, ed eſpreſſi, che in tal caſo ſia lecito al medeſimo Signor Tarquinio, e ſuoi di laſciare il debito, o debiti poſteriori, ed aſſumere, ed eſtinguere l' anteriore, o anteriori, o poziori per ogni ſua cautela, e ſicurezza in ogni miglior modo &c.*

Cum itaque Tarquinius perſolutis in actu emptionis venditoribus ſc.300., ac dimiſſis tum Societate SSm̃i Roſarii Senogalliæ, tum etiam illis de Brotanis, ſive Leonardo de Leonardis, Annibale Baldaſſini, ac Fratribus Vigilinis eorundem de Brotanis conceſſionariis, omnibus ſine dubio Creditoribus anterioribus; quoad reſiduum pretii conſiſtens in ſcut.439. 30.4. ob notitiam habitam aliorum Creditorum, pro quibus ſe obligaverat, & ſic inſtetiſſet coram Judice, interpellatis eiſdem venditoribus pro depoſito dicti pretii reſidualis in Æde Sacra ad effectum dimittendi Creditores anteriores, & tale depoſitum Judex admiſiſſet, & factum fuerit

hinc deductum extitit, eundem Tar-
1 quinium omnia conventa ex parte ſua
adimpleviſſe, ac per dd.ſolutiones, at-
que depoſitum penitus remanſiſſe libe-
ratum ab omni ejus obligatione, &
conſequenter non poſſe illius hæredes
ullo modo vexari per enuntiatam Cap-
pellam ex cauſa ſupradicta; ut firma-
tum fuit in *deciſione Rm̃i Decani 3. Ju-
nii 1735. §.Pro reſtitutione vero, & in
deciſione, quæ revidetur §. Siquidem
eo ipſo.*

Nec de dictis ſolutionibus dubita-
tum fuit; dum quo ad illam ſcut.300.
conſtitit ex ipſo Inſtrumento venditio-
nis, & reſpectu Societatis SSm̃i Roſarii,
& Leonardi de Leonardis pariter con-
ſtitit *ex Summario Cappellæ*, & quoad
Fratres de Vigilinis id apparuit *ex Sum-
mario Cherubini*, & licet quoad Anni-
balem Baldaſſinum nullum a Cherubi-
no exhibitum fuerit documentum ſolu-
tionis, nihilominus iſtius ſolutio fuit a
Cappella admiſſa in antecedenti inſtan-
tia, *ut ex deciſione Rm̃i Decani §.In rei
autem veritate*, cum hoc etiam debi-
tum fuerit aſſumptum in ſæpedicto In-
2 ſtrumento venditionis ſub expreſſione,
quod fuiſſet ſolvendum menſe Martii
futuri anni 1675., & per adeo longiſ-
ſimum tempus idem Baldaſſinus, vel
ejus hæredes nunquam reclamaverint,
& factum fuerit ſupradictum depoſi-
tum, dempto tali credito, iſtud etiam
præſumitur ſolutum; ad *Text.in cap.1.
de frigid., & malefic., leg. Si quis 6. ff.
pen., Menoch.conſil.457. n.1., & 2.,
Trentacinq. conſil.64. n.10., & 11.
lib.1., Afflict.dec.13. n.21., Rot.cor.Pen,
dec.877. n.7., & in rec. dec.179. n.17.
par.11., & dec.239. n.4. par.13., &
dec.175. n.15. par.17.*

Addita præſertim ſolutione ſupradi-
cti integri crediti dd.Fratrum de Vigi-
3 linis, quod ſicuti, procedendo juxta
ordinem ceſſionum, exſolvendum erat
poſt creditum Annibalis Baldaſſini, eo
fortius omnis præſumptio urget, quod
ſi hæres ejuſdem Annibalis exegit di-
ctum integrum creditum Fratrum de
Vigilinis, & de eo exaravit apocham
de recepto, exegerit etiam d.creditum
intermedium, quod jure proprio ſpe-
ctabat ad hæreditatem ſupramemorati
An-

Digitized by Google

Annibalis Baldaſſini ejus authoris; ex adductis *per Menoch. dict. conſil.*457. *n.*6., *Mart.*, *Medic.dec.*85.*n.*10., *Afflict. d. dec.*13. *n.*18., *cum aliis apud Conſtantin. ad Statut. Urbis annot.*48. *art.*4. *n.*231. *par.*2., *Rot. in rec. dec.*117.*n.*7. *part.*19. *tom.*1.

Et tanto minus dubitatum fuit de anterioritate, & potioritate dd. creditorum, habito reſpectu ad ſupra memoratos binos cenſus Octavii Sebaſtiani, & Monialis Caballæ, pro quorum relevatione agit Cappella; Nam ſi res eſt de illis ſc.300. ſolutis venditoribus, ideſt Paulo Antonio Covonio Filio Bernardini, & Judittæ Plazzonæ; cum hæc ultima haberet uſumfructum ſuper prædio vendito, & primus conſequi deberet legitimam ex bonis d.Bernardini Patris, cenſetur uterque ex his
4 dictam ſummam recepiſſe in cauſam, & ſatisfactionem horum Creditorum, quæ impugnare non poteſt eadem Cappella Actrix in hoc Judicio, uti h æres ſubſtituta in caſum obitus enuntiati
5 Pauli Antonii ſine filiis a Bernardino Patre, ut firmatum fuit *in præd.deciſione R̃mi Decani diei* 3.*Junii* 1735.§.*Ex his autem omnibus*. Si verò ſermo eſt de recenſita Societate SS̃mi Roſarii, ac ſuprad. Ceſſionariis illorum de Brotanis, iſtorum anterioritas dijudicata fuit evidentiſſima ex eo, quia iidem de Brotanis prædium S. [illegible] agitur, vendiderunt anno 1670. memorato Bernardino Patri Pauli Antonii, qui in partem pretii in debitum ſibi adjudicavit cenſum impoſitum favore ſuprad. Societatis SS̃mi Roſarii, & reſidualem ſummam ſcut.700. monetæ Urbini promiſit ſolvere eiſdem de Brotanis in diverſis ratis; & donec fuiſſet ſecuta integralis ſatisfactio, iidem de Brotanis ſibi reſervarunt dominium ſuper dicto Prædio, & hoc creditum Brotani ceſſerunt in tres ratas ſupra memoratas Leonardo, Baldaſſino, & Fratribus de Vigilinis; quapropter cum hi omnes ſint Creditores Bernardini
6 emptoris ex cauſa prædicta, utique remanent anteriores, & potiores, ſtante præſertim dicta reſervatione dominii omnibus aliis Creditoribus dicti Bernardini; *Leg.depoſui* 38. *ff. de Ventr.inſpict.*, *Leg.Procuratores* 5. §.*Plane ff.de Tributar. action.*, *Merlin. de Pignor. lib.*2. *quæſt.*45. *n.*7., *Salgad. in Labyrint.Credit. part.*1. *cap.*11.*n.*14., *& ſequen.*, *Rot. in recent. dec.*284. *num.*1. *par.*13.

Hiſce firmatis quoad dd. ſolutiones, & dimiſſionem Creditorum, deſcendentes Domini ad ſupra recenſitum depoſitum, nullius penitus momenti eſſe crediderunt exceptiones omnes propoſitas contra legalitatem ejuſdem depoſiti: Et ſane talem exiſtimarunt primam ſuper inſubſiſtentia cauſæ faciendi depoſitum Judici expreſſæ, & fundatæ ſuper eo, quod detecti fuiſſent Creditores anteriores ſupradictis duobus cenſibus, nempe quidam Michaëlinus, & quædam Societas Officii in Alma Urbe, & denique cenſus creatus favore Fratrum de Arſiliis; quando tamen hæc debita, vel erant poſteriora, vel non erant creata a Bernardino Covonio, a cuius hæreditate proveniebat Prædium venditum, vel de illis non conſtabat, ut in ſpecie aſſeritur quoad Societatem Officii prædictam; Tum quia primum ex illis, nempe cenſus Michaëlini, uti impoſitus anno 1664., ſine dubio erat anterius; Tum etiam quia tempore petiti depoſiti emptor erat incertus; nec facile cognoſcere poterat, an debita prædicta [illegible] tius cenſus, quem in ſe aſſumpſerat, eſſent anteriora, dum iſtorum adnotatio in Inſtrumento venditionis facta fuerat ſine expreſſione diei, menſis, & anni celebrationis eorum Inſtrumen-
7 torum; & hæc dubietas a Judice admiſſa, fuit cauſa juſta, & juſtiſſima deveniendi ad enuntiatum depoſitum, nec emptor in hac dubietate pro ſui ſecuritate tenebatur partes aſſumere Judicis, ac determinare dictam anterioritatem potius uni competere, quam alteri; ut bene animadvertitur *in deciſione R̃mi Decani* §. *Reconveniri autem*, & ultra ibidem adductos, tradunt *Gratian. diſcept. forenſ. cap.*37. *n.*34., *& ſequen.*, *Sabell. reſolut.*19.*n.*6., *Magon. deciſ.Florent.*30.*n.*10., *Rot.cor.Duran. dec.*421. *n.*6.

Ejuſdem levitatis viſa fuit ſecunda exceptio, quod in dicto depoſito fue- rint

rint ſolum citati Venditores, minime vero Creditores, pro quibus Emptor ſe obligaverat; quia cum obligatio hujuſmodi, ut ſupra viſum eſt, non eſſet
8 pura, ſimplex, & abſoluta, ſed conditionata, & reſolutiva in caſum, quo detegerentur alii Creditores; utique ex illa dd. Creditores nullum jus firmum, ac ſtabile acquiſiverunt; *Leg. ſtipulationem* 22. *de Jur. Dotium*, *leg. cedere diem ff. de verb. ſignificat.*, *leg. ſi quis ſub conditione ff. Si quis omiſ. cauſ. Teſtam.*, *Surd. conſil.*91. *num.*1. *libr.*, *Gratian. Diſcept. Forenſ. cap.*542. *numer.*44., *&* 45., & conſequenter iſti
9 ad dictum actum citandi non erant, & ſuperabundabat ſola citatio Venditorum, cum quibus contractum fuerat, & agendum erat de contractus executione, atque adimplemento; *Leg. Si Filius ubique Dec. Iaſon.*, *& alii Cod. de pact.*, *leg. Filiæ ff. de ſolution.*, *Surd. conſil.*43. *n.*2., *& dec.*229. *n.*12. 17., *& ſequen.*, *Rot. dec.*174. *n.*5., *&* 9. *poſt Cenc. de Cenſ.*

Et denique validior non eſt tertia exceptio, quod videlicet ſupradictum depoſitum non eſſet integrum; quia ultra quod contrarium apparuit ex calculo exhibito a Cherubino, ubi habetur iſtum ſupra debitum ſolviſſe ſc.22., ulterius perpenſum fuit, quod poſt [illegible]tum depoſitum præviis interpellatione Venditoris, ac decreto Judicis, ac inde obſervatum mediantibus ſolutionibus factis diverſis Creditoribus, conſentientibus ipſis Venditori-
10 bus, nulla actio ad ſummum competere poſſet, quam pro ſolutione reſidui, quatenus aliquid ſupereſſet ex pretio prædii ſolvendum: minime vero condemnandi eſſent hæredes emptoris, ex quo iſti contravenerint legi in Inſtrumento Emptionis præſtitutæ, neque ſublata remaneret efficacia depoſiti inducentis ejuſdem emptionis liberationem; ex Juribus cumulatis in *dicta Deciſione Reverendiſſim. Decani* §. *Iſtoque etiam ex capite*.

Præterea in nulla habita fuerunt conſideratione deducta pro parte Cappellæ ſupradictæ, ſive illorum de Paſquinis ſuper conſignatione pecuniarum antedicti Depoſiti, quod ſcilicet illæ diſtributæ non fuerint Creditoribus anterioribus, & potioribus juxta legem ejuſdem depoſiti; Quia ultra quod hoc
11 non obſtaret Cherubino, qui poſt factum depoſitum prævio Judicis Decreto, & interpellatis, ac conſentientibus Venditoribus Prædii, ut ſupra, liberatus remanſit a quocunque alio onere exquirendi quales eſſent Creditores anteriores, potiores, ac aſſumendi diſcuſſionem juſtitiæ, vel injuſtitiæ petentis illius conſignationem; ut probatur in *ſupracitata deciſione Reverendiſſ. Decani* §. *Sicuti autem*, *& aliàs dixit Rot. cor. Seraphin. dec.*1019. *n.*2., *& in rec. dec.*190. *pariter n.*5. *part.*10.

Ad exuberantiam inſuper demonſtratum etiam fuit dimiſſos vere fuiſſe Creditores anteriores, & potiores, ex quo iidem de Paſquinis admiſerunt cenſum Michaelini impoſitum fuiſſe tum a Juditta Plazzona, tum a Fratribus de Brotanis primis Venditoribus controverſi Prædii, & Cenſum Phillidis inter alios accollatos in Inſtrumento venditionis Prædii fuiſſe impoſitum a Sanctino Plazzono Originario Patrono ejuſdem Prædii, a quo habuerunt cauſam iidem de Brotanis; & licet ex dicto depoſito appareat fuiſſe extinctum Cenſum in ſorte ſcut.50. impoſitum de anno 1673. a Paulo Antonio Covonio favore Ludovicæ Baroniæ, non per hanc viſum fuit dimiſſum fuiſſe Creditorem poſteriorem Creditoribus, pro quibus Emptor obligationem emiſerat; Nam cum iſte Cenſus fuiſſet impoſitus a dicto Paulo Antonio cum fidejuſſione, & ſolidali obligatione Judittæ Plazzonæ, quæ ſuper Prædio, ut ſupra vendito, nedum ſibi reſervaverat uſumfructum ejus vita naturali durante in actu donationis factæ favore illorum de Brotanis, qui primo loco Prædium vendiderunt Bernardino Patri ſupradicti Pauli Antonii; ſed etiam habebat alia peculiaria Jura; ideo ex his Juribus d. Judittæ Plazzonæ etiam in hac parte detectum fuit depoſitum diſtractum fuiſſe in dimiſſionem Creditorum anteriorum, & potiorum; ut pariformiter animadverſum fuit *in ſæpedicta Deciſione Reverendiſſ. Decani* 3. *Junii* 1735. §. *Sicuti autem*.

Et

Et ita, reliquis omiſſis, quibus ſatisfaciunt præcedentes Deciſiones, & ſatisfecerunt ſcribentes pro Cherubino, reſponſum fuit utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Lunæ 11. *Februarii* 1737.

ARGUMENTUM.

Debitum particulare compenſari nequit cum credito ſociali. Libri Numulariorum legaliter retenti plenè probant etiā pro ſcribente: legalitas ex quibus oriatur. Ad hæredem univerſalem ſpectat ſolvere debita defuncti.

SUMMARIUM.

1 *Debitum particulare compenſari nequit cum Credito ſociali.*

2 *Libri Numulariorum legaliter retenti plene probant etiam pro ſcribente.*

3 *Legalitas autem ex quibus oriatur*, vid. ibi.

4 *Quæque ſint adminicula comprobantia eandem legalitatem*; vid. ibi.

5 *Eorum majus oritur ex approbatione eorundem librorum per Debitorem emiſſa.*

6 *Confeſſio debitoris eſt genus probationis omnium fortiſſimum.*

7 *In claris nulla opus eſt interpretatione.*

8 *Approbare dicitur qui non improbat.*

9 *Idem eſt exprimere aliquid verbis æquipollentibus, ac in individuo.*

10 *Qui compenſare petit, ſe debitorem fatetur.*

11 *Exceptio firmat regulam in non exceptis.*

12 *A diverſis non bene fit illatio.*

13 *Inſtantanea correctio ſemper vitanda eſt.*

14 *Diſcretiva locutio diverſitatem, & ſeparationem rei demonſtrat.*

15 *Per appoſitionem clauſulæ* -- ſine præjudicio jurium -- *non cenſetur receſſum ab aliis probationibus.*

16 *Perito de re ad propriam artem ſpectante plena fides eſt adhibenda.*

17 *Reus in exceptione eſt actor, & eam concludenter probare debet.*

18 *Ad hæredem univerſalem pertinet ſolvere debita Defuncti.*

DECISIO LXIX.

Poſtquam in hoc Sacro Auditorio coram clar.mem. Cardinali Scotto Abbas Lazzarus, & alii de Bottis fratres, & hæredes Franciſci Botti olim Socii Rationis tunc in Urbe cantan. ſub nominibus *Campioni*, *Maffei*, & *Botti* deduxerant Creditum in ſumma ſcutorum 3165.72. adverſus Auguſtinum Mariam Gavottum pro inducenda compenſatione contra eundem Auguſtinum Mariam agentem pro particularibus quibuſdam ſuis Creditis, quæ cum dicto Botto contraxerat, dignoſcentes Creditores ejuſdem nunc ceſſatæ rationis compenſationem debiti particularis alterius ex Sociis admit-
1 tendam haud eſſe cum Credito Sociali; ut millies dixit hoc Sacrum Tribunal, & ſignanter occaſione hujus certaminis, ſicut patet ex Deciſione emanata coram *præcitato clar. mem. Card. Scotto ſub die 27. Junii anni 1680.*

Hinc iidem Creditores non jam excipiendo, ſed in figura Actorum petierunt ex integro coram A. C. ſatisfactionem prænarrati Crediti contra Julium Deodatum Gavottum hæredem nominati Auguſtini Mariæ; atque ideo deputato tunc temporis per A. C. Perito Ratiocinatore ad effectum expungendi partitas Crediti, & Debiti apparentes in Libris Bancariæ, illaſque juſtificandi, non dubitavit exinde præfatus Judex, quin dictus Julius condemnandus eſſet adamuſſim in memorata ſumma, in qua Peritus etiam conſtituerat illum debitorem.

Aſt devoluta Cauſa in gradu Appellationis ad hoc Sacrum Auditorium coram R. P. D. meo Peralta, reſponſum fuit *ſub die* 5. *Decembris* 1735. Mandatum ab A. C. relaxatum, ſolummodo exequendum eſſe pro ſc.508.23., ut conſtat ex *Deciſione* ab eodem R. P. D. meo Peralta ſub dd. die, & anno evulgata; Adverſus quam reſolutionem cum ad commodum utriuſque Partis juxta earum vota conceſſa fuiſſet nova Audientia; idcirco hodie, in abſentia dicti Collegæ, propoſita denuo per me Cauſa ſub conſueto Dubio, nimirum -- *An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis* -- retuli reſponſum -- *Standum eſſe in Deciſis juxta modum*, hoc eſt Mandatum alias ab A. C. relaxatum, exequendum eſſe pro

pro integra dicta ſumma ſcutor. nempe 3165. 72.

Quamvis enim in præterita propoſitione pro fundamento reſolutionis amplexum fuiſſet, eatenus non conſtare de Credito in tota enuntiata ſumma, quatenus Libris Bancariæ favore Scribentis deferendnm non eſſet: Quemadmodum tamen hodie de eorundem Librorum legalitate amplius dubitari nequivit, minuſque de concurſu plurium adminiculorum, quibus mediantibus veritas partitarum in iiſdem Libris deſcriptarum fere ad evidentiam demonſtratur; ita quælibet ſubmota eſt difficultas circa plenam probationem Crediti in præcitata ſumma, cum ea oriatur ex hujus generis Libris, qui in hac hypotheſi, nedum contra Scribentem,
2 ſed etiam ejus favore indubiam faciunt fidem; ex notatis per *bon. me. Anſald. de Commerc., & Mercat. diſc. general. n.129., Rot. in recen. dec.587. num.2. part.18., dec.347. n.12., & ſeq. par.19., & cor. Emerix Jun. dec.468. per tot.*

Et ſane de eorundem Librorum Legalitate dubitari nequivit; Etenim ſunt
3 *cartulati*; uno eodemque caractere conſcripti apparent; continent partitas dati, & accepti cum ſuis cauſis, & adnotatione diei, & anni; nullas deinde habent lituras, quinimmo ſumma cum diligentia conſpiciuntur retenti: demum non continent res diverſas a negocio, quod per Bancariam exercebatur; ac proinde in his circumſtantiis ſumma ratione dictum eſt, legales eſſe; per ea, quæ in propoſito firmant *Burſatt. conſ.39. num.28., Menoch. conſ.3. n.40., Maſcard. de probat. concluſ.362. n.18., Rot. cor. Otthobon. dec.55. n.3., cor. Cavaler. dec.552. n.1., cor. Buratt. dec. 344. n.9., cor. Seraphin. dec.600, n.1., & cor. Arguell. dec.44. n.4.*

A longe deinde perquirenda non ſunt adminicula, ex quibus veritas partitarum in eis adnotatarum comprobetur: Siquidem præter bonam famam,
4 & honeſtatem Franciſci Botti, qui Nobilis erat Januenſis, quique ſumma bona fide, & ultroneè monuit Auguſtinum de errore, qui irrepſerat in deſcriptione duarum partitarum ad debitum ejuſdem Auguſtini; itidemque præter verificationem fere omnium partitarum deſcriptarum in dd. Libris tam ad commodum, quam ad incommodum ipſius Franciſci, quæ omnia ad effectum, de quo agitur, ſemper in magno pretio habita fuerunt *a bo. mem. Anſald. de Commerc. dict. diſc. general. n.145., Caſtald. conſult.118. num.7., Campel. ad Conſtit. Ducat. Urbin. decret.95. n.443., Rot. cor. bo. me. Lancet. dec.516. n.6., & in recen. d. dec.587. part.18.*

Illud quidem accedit omnium gravius, ac fortiſſimum adminiculum, ſive potius demonſtratio; videlicet, quod hæ eædem partitæ in dd. Libris deſcriptæ, quarum alteræ controvertuntur, adamuſſim conveniunt cum tribus diſtinctis computis a Franciſco tranſmiſſis Auguſtino Januę commoranti tribus interpolatis vicibus, juxta rationem temporum; & quidem conveniunt cum tribus illis computis, quæ idem Auguſtinus per epiſtolas approbavit, exceptis dumtaxat paucis partitis, de qua exceptuatione infra ſermo habebitur;
5 Concurrente verò ipſiuſmet Debitoris approbatione, nulla profectò deſiderari poteſt fortior probatio legalitatis Librorum, & veritatis partitarum in ipſis
6 deſcriptarum; cum confeſſio debitoris longe ſuperet aliarum omnium probationum genus; *Cap. per tuas de probat., Leg. cum a Matre Cod. de rei vindicat., leg. generaliter Cod. de non numerat. pecun.*

Quin porro in dubium revocari poſſit, Auguſtinum de facto approbaſſe prædicta computa. Quippe ſi ſermo eſt de illo incipiente a die 18. Aprilis anni 1695., uſque & per totum menſem Aprilis anni 1699.; Epiſtola reſponſiva Auguſtini ſequentia præſefert verba, ibi – *Alle partite inviatemi da V.S. Illuſtriſſima non mi occorre replicare di vantaggio, tanto per il dare, quanto per l'avere &c. con che, ſalvo errore per ogni parte reſtano da me approvate.* A nemine autem ambigi valet in his facti circumſtantiis, quin revera, & & mediantibus prænarratis verbis ap-
7 probatæ remanſiſſent deſuper enuntiatæ partitæ; cum in claris, & expreſſis nulla certo certius opus ſit interpreta-

tio-

tione : *Leg. continuus* §. *Cum ita in fine*, *& ibi Gloſſ. in verb. Nullus ff. de verbor. obligat.*

Si deinde ſermo convertatur ad alterum computum incipien. a Menſe Maii anni *1699.* uſque per totam diem 4. Junii anni 1701., clara ejuſdem emergit approbatio, ex eo quod ſi in epiſtola reſpectu ejuſdem ſcripta, Auguſtinus nedum ullas rejecit partitas ex illis, quæ conſcriptæ legebantur in hoc computo; verum etiam ſe declaravit Creditorem in reſidua ſumma ſc.*2023. 39.*, atque ideo in illamet ſumma, in qua Creditor ingenue declarabatur ab ipſo Franciſco in ejus computis, ut recognovit quoque Peritus *in citata ejus Peritia*; perſpicua inde oritur ejuſdem
8 computi approbatio, cum de cætero ſimplex non improbatio approbationem inducat; approbare etenim dicitur, qui non improbat; juxta *Gloſſ.*1. *in leg. inter omnes ff. qui ſatisd. cogan.*

Approbatio denique tertii computi, nulla, vel minima intercedere poteſt dubitatio, quin æquè clara ſit, ac illa, quam emiſit Auguſtinus reſpectu ſecundi, immo reſpectu primi, quod claris verbis approbavit. Quandoquidem, poſtquam ipſe recepit hoc tertium computum ſibi tranſmiſſum, non hæſitavit reſpondere, mediante ejus epiſtola ibi— *Ricevei la Settimana paſſata le partite concernenti il Debito, e Credito, quali confrontate con quelle di già inviate dal voſtro Signor Franceſco avanti d'ora le hò ritrovate camminare bene* — Expreſ-
9 ſum quippe eodem modo dicitur id, quod verbis æquipollentibus exprimitur, ac id, quod ſpecialiter, & in individuo fuit expreſſum; *Rot. cor. bo. me. Molines dec.*883. *ſub n.*31. *to.*3. *art.*2.

Tantoque magis ſubinde comperta eſt adaugeri efficacia hujuſmodi approbationum, quia non ſolùm ſæpedictus Auguſtinus multoties obtulit Rationi Bancariæ compenſationem quorundam particularium ejus Creditorum, quæ habebat adverſus Bottum; & per con-
10 ſequens ſe confirmavit Debitorem ejuſdem Bancariæ, qui enim compenſare expoſtulat, Debitorem perneceſſe ſe confiteri debet; *Bald. in Leg. Cum Papinianus n.*9. *Cod. de Sentent.*, *& interloc. omnium Iudic.* Verùm quia in omnibus enuntiatis epiſtolis, & ſignanter in poſtrema nuper examinata ſemper conſtans fuit, expungendas eſſe a prædictis computis quaſdam tantummodo partitas conſlantes ſummam ſc.*544. 49.* Quapropter ex hac circumſtantia profectò datum ſemper erit argumentari eundem Auguſtinum continuaſſe in propoſito, videlicet, quod cæteræ partitæ ab ipſo jam approbatæ, & conſtituentes prædictam ſummam ſcut. *3165. 72.*, revera ſubſiſterent, ex ſatis vulgato juris principio, quo edocemur,
11 exceptionem firmare regulam in non exceptis, de quo Text. eſt *in Leg. Nam quod liquide ff. de pen. legat.*, *& in Leg. Quæſitum* §. *Denique in fin. ff. de fund. inſtruct.*

Quæ cum ita ſint, nullius proinde roboris detecta eſt oppoſitio Defenſorum Julii amplexa in deciſione, quæ revidetur, & ſuper qua acriter hodie etiam inſiſtebatur; ſcilicet, nullatenus ex enuntiatis literis elici poſſe approbationem dictorum Computorum, quia ſaltem ex poſtrema deſuper ponderata Auguſtinus clare ſuum pandiſſet deſiderium deveniendi videlicet ad generalem Computorum ſolidationem. Quoniam ultra quod ponderabatur longe inter ſe differre approbationem, & ſolidationem Computi, prima namque nil aliud importat, niſi confeſſionem debiti in Computo expoſiti, altera verò ejuſdem debiti extinctionem præſe-
12 fert, atque ideo hinc inferebatur, non bene a diverſis fieri illationem; *Leg. Papinianus ff. de minor.*, *Rot. poſt Poſth. de manut. dec.*41. *n.*5., *& dec.*201. *n.*9., *& cor. clar. mem. Card. Falcon. dec.*38. *n.*11. *de Miſcell.*

Animadvertentes Domini præterea, quod Franciſcus Botti in Computis habitis cum Auguſtino duplicem repræſentabat perſonam; unam propriam, & particularem, quo nomine erat debitor Auguſtini in ſumma ſcut. *5700.* pro ſorte quorundam cambii, & cenſus, alteram verò tanquam Socius Rationis Bancariæ, quæ e contra in dictis Computis erat Creditrix ipſius Auguſtini in dicta ſumma ſcut. *3165. 72.* Pariterque conſiderantes, Auguſtinum non

non aliter acquiſiviſſe generalem Computorum ſolidationem, niſi poſtquam revera approbavit præcitata Computa, quæ interceſſerant inter Ipſum, & Rationem Bancariam, & poſtquam mentionem fecit de dictis particularibus ejus creditis: Inde deductum eſt, generalem Computorum ſolidationem nullatenus referibilem eſſe ad Computa jam approbata, ſed bene ad alia Computa particulariter habita cum dicto
13 Franciſco; alias ſequeretur inſtantanea ejuſdem actus correctio, quæ ſemper vitari debet; *Rot. in rec. dec.303. n.3. par.19.*

Hujuſmodique interpretationem eo fortius admittendam eſſe viſum eſt, ponderando ea, qua par eſt, ſedulitate tenorem dictæ poſtremæ Epiſtolæ, in qua Auguſtinus requiſivit dictam generalem Computorum ſolidationem. Hanc ſiquidem petiit, nullatenus ſe referendo ad Computa, quæ habuit cum Ratione Bancaria, de qua, quando locutus fuit, uſurpavit verbum — *Voi* — ibi — *Dar principio con Voi* — & inferius, ibi — *Deſidero rimborſarmene da Voi* — Aſt expreſſe enuntiando Computa, quæ habuit cum ipſo Franciſco, ibi — *Così un ſaldo generale de' conti avuti ſino al preſente giorno col detto voſtro Signor Franceſco* — Quamobrem nemo inficias ire poterit, quin in hac hypotheſi confirmatum undique non remaneat, requiſitam Computorum ſolidationem nequaquam referibilem eſſe ad Computa Rationis Bancariæ plene per Auguſtinum approbata, cum
14 diſcretiva loquendi methodus ſemper diverſitatem, & ſeparationem rei demonſtret; *Rot. cor. bon. mem. Molinei dec.750. n.14. tom.3. part.1.*

Nec refert, ad iſtantiam Rationis Bancariæ deputatum fuiſſe Peritum pro liquidandis Computis, & A.C. præcepiſſe exhibitionem Librorum, quaſi quod hujus generis actus adverſentur approbationi Computorum huc uſque probatæ, & per Auguſtinum in dictis literis emiſſæ. Nam cum hæc omnia geſta fuiſſent tum ad magis magiſque oſtendendam librorum legalitatem, atque ad probandam liquiditatem crediti; tum ne amplius objici potuiſſet diverſitas eorundem Computorum nil propterea ex his inferri poteſt, quod fidem detrahat præcitatis approbationibus ex dictis Epiſtolis promanantibus; præſertim quia prædicta Inſtantia fuit cum clauſula *Sine præiudicio Ju-*
15 *rium* dictis Inſtantibus competentium; qua ſtante, cenſeri nequit fuiſſe receſſum ab aliis probationibus, quæ Bancariæ competebant vigore dictarum Epiſtolarum; *Mart. de Clauſul. clauſul. 157. n.1., Rota cor. Puteo dec.191. n.17. lib.1., cor. Seraphin. dec.154. n.6., & dec.419. n.3. part.1. recen.*

Ejuſdemque levitatis ulterius compertum eſt alterum Defenſorum Julii aſſumptum in eo conſiſtens nimirum, quod Computa, quæ hodie exhibentur, non ſint illa eadem, quæ approbata fuerunt ab Auguſtino: Etenim dum de identitate pluries in ejus relatione te-
16 ſtatur Peritus, cui tanquam teſtanti de re ad propriam artem ſpectante omnino credendum eſt, Item dum afferunt eaſdem ſummas reſiduas ſive crediti, ſive debiti, quæ enuntiatæ fuerunt ab Auguſtino in ſuis Epiſtolis reſponſivis, & approbatoriis; Inſuper dum partitæ in Computis deſcriptæ adamuſſim conveniunt cum partitis, quæ adſunt in libris Bancariæ; in hac facti ſpecie vel nulla major afferri poteſt identitatis probatio, vel ſaltem claris, & univocis probationibus (quæ cæte-
17 roquin deſideratur) a Julio concludenda eſſet pluralitas, & diverſitas tanquam Actore in hac ejus exceptione; *Leg. in exceptionibus, & Leg. cum de indebit. §. Si autem pro parte ff. de probat., leg.1. ff. de except.*

His verò ſic poſitis, meritò inutilis reputatus eſt labor deſcendendi ad examen ſingularum partitarum, quas Julius impugnabat, & Sacrum hoc Tribunal in præterita propoſitione demendas eſſe juſſit a prædictis tribus Computis: Conſtito enim de veritate earundem partitarum conſlantium debitum Auguſtini in ſæpe enuntiata ſumma ſcut.3165.72. tum ex libris Bancariæ legaliter tentis, tum ex dictis approbationibus Computorum aliàs Auguſtino tranſmiſſorum, & in quibus deſcriptæ erant partitæ ipſæ, quæ in dictis

ctis libris adnotatæ leguntur, nil aliud deſiderari valet pro effectu condemnandi memoratum Julium, ad quem
18 utpotè hæredem univerſalem Auguſtini, indubii Juris eſt pertinere ipſius Auguſtini debitorum ſolutionem; *Leg. hæres ff. de acquiren. hæred.*, *Leg. cum hæredes ff. de acquir. poſſeſſ.*, *Leg. hæredem 59. ff. de regul. Jur.*, *Leg. 1. Cod. ut act. ab hæred.*, *& contr. hæred.*

Mentis aciem itaque convertentes DD. ad examinandam unicam partitam ſcut. 150. tertii Computi ſolutam Muragliæ de ordine Joannæ Uxoris Auguſtini, quam contendebatur, & admiſſum fuit in *deciſione*, quæ revidetur §. *Ex tertio tandem Computo*, minuere debere dictum creditum Bancariæ, tanquam appoſitam in ſecundo, & tertio Computo, ideoque æquum non ſit, ut bis perſolvatur.

Placuit reſponſio, quod cum a Perito expuncta fuiſſet a ſecundo Computo alia partita conſimilis ſummæ ſcutor. 150. ſoluta per literas conſcriptas a Franciſco Mattono die 24. Decembris 1699., quando de cætero hujuſmodi partita expungenda non fuiſſet, quia juſtificatur in facto, prædictas literas adimpletas fuiſſe de ordine ipſius Auguſtini; Idcirco diminutum remanere nequeat in his circumſtantiis ſuperius conſtabilitum creditum Bancariæ, ex eo, quod ſi detrahatur a ſecundo Computo partita ſoluta Muragliæ, addenda in eo erit illa ſoluta Mattono, quæ indebite, & per errorem Periti ab eodem Computo expuncta fuit.

Et ita &c. utraque &c.

NULLIUS PUTINIANI PRÆEMINENTIARUM SUPER EXPENSIS.

Veneris 22. Februarii 1737.

ARGUMENTUM.

Exceſſus in taxatione expenſarum non præſumitur, ſed concludenter probandus eſt: uter vicerit, dignoſcitur a petitione, & ſubſecuto Judicato, non ab aliqua incidenti declaratione.

SUMMARIUM.

1 *Exceſſus in taxatione expenſarum non præſumitur, ſed eſt plene probandus.*
2 *Ad dignoſcendum, uter vicerit, & an collitigans partem victoriæ reportaverit, inſpicitur petitio actoris, & ſubſecutum judicatum, non verò aliqua declaratio favore rei ab actore non impugnata.*
3 *Appellare non ſolent niſi victi.*
4 *Vicarius generalis Epiſcopi regularis neceſſario intervenit in examine Teſtium;*
5 *Sicuti Notarius, & Curſor, quando cæteri de loco ſunt ſuſpecti.*

DECISIO LXX.

Commiſſa mihi cauſa in gradu appellationis interpoſitæ a Capitulo Parochialis Eccleſiæ S. Petri Terræ Putiniani adverſus taxationem expenſarum in hac cauſa factam a Rmo P. D. Decano in ſumma ſcut. 340. favore Cleri, ac Presbyterorum *S. Mariæ la Greca* ejuſdem Terræ; propoſui in dodierna Audientia ſolitum dubium — *An conſtet de exceſſiva taxatione expenſarum* — & DD. — *Negativè* reſponderunt; Quia
1 exceſſus non præſumitur, & fuiſſet plene, & concludenter probandus per dictum Capitulum S. Petri; ad paſſim firmata per *Rotam*, & in ſpecie *coram Celſo dec. 265.*, *& coram bon. mem. Anſaldo dec. 1. utrobique n. 1.*

Quin probatio hujuſmodi oriri viſa fuerit ex eo, quod idem Capitulum victoriam reportaverit quoad prærogativam unicæ Parochialitatis, & Matricitatis ſaltem propriæ, & per conſequens expenſæ taxandæ eſſent pro rata victoriæ.

Quoniam Clerus, & Presbyteri Eccleſiæ S. Mariæ unice litem introduxerunt uſque ab initio ſuper manutentione in poſſeſſione, ſeu quaſi celebrandi privative in Feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis Feſtivitatem B. Mariæ Virginis Septem Dolorum; ut ex Monitorio expedito coram A. C., & dato *in Summario Presbyterorum in propoſitione Cauſæ ſuper negocio principali habita die 23. Jannarii 1736. cor. Re-*

verendiſſimo Decano; Quapropter cum dd. Presbyteri ex Sententia R.P.D.Gaballini confirmata in hoc Sac. Auditorio coram R. P. D. meo Creſcentio, & Reverendiſſimo P. D. Decano, ſuper enuntiato puncto victores evaſerint, prævia etiam declaratione, eandem Eccleſiam Sancti Petri eſſe quidem unicam Parochialem, non autem veram, & propriam Matricem, ſequitur proinde Victores tantum fuiſſe in eo, de quo erat queſtio, eoſdem Presbyteros Sanctæ Mariæ; nullam vero partem victoriæ habuiſſe præfatum Capitulum, cui non impugnabatur dicta qualitas Parochialitatis, nec iſta in litem deducta fuit, cum ad hunc effectum cognoſcendi quiſnam vicerit in cauſa, & an

2 alter collitigans habuerit in ea partem victoriȩ, habeatur ratio petitionis actoris, & ſubſecuti judicati, rejecta prorſus aliqua declaratione favore alterius collitigantis facta, & in medium deducta occaſione diſcuſſionis, & non impugnata ab actore, quæ nullo modo infringit illius præſumptionem; ut bene declarat *Rota coram Emerix Jun. dec. 129. n.2. 3., & 7.*

Addito præſertim, quod a ſupra memoratis Sententiis, etſi continentibus declarationem prædictam unicæ Parochialitatis, appellavit ſemper Capitulum Sancti Petri, acquieſcentibus Presbyteris Sanctæ Mariæ, dum probe agnoſcebant, id eſſe extraneum ab eorum petitione; quod factum bene comprobat ſolos victores in cauſa fuiſſe

3 Presbyteros, & victum Capitulum prȩfatum, quod appellavit; ex quo a Judicatis appellare non ſolent, niſi victi, ad hoc, ut alio remedio ipſis elargito reparare valeant gravamina antecedentis inſtantiæ; *Cap.cum ſpeciali §.Porro de appellat. lib. 1. in principio Cod. cod. titul.*, & animadvertit ſupradicta *dec.1293. n.4., & 8. cor. Emerix Jun.*

In dicta autem concludenti probatione exceſſus quoad illam partitam ducatorum 200. ſolutorum a Presbyteris S. Mariæ, occaſione examinis formalis 24. Teſtium, injuncti ab A.C. delegato in Judicem Epiſcopo Motulen., defecit recenſitum Capitulum, licet ſup. poneret dictam impenſam fuiſſe ſuperfluam in majori parte; Tum ratione perſonarum in delegatione adhibitarum; Tum numeri Teſtium; Tum denique temporis 12. dierum in examine dd. Teſtium, ac confectione proceſſus conſumpti.

Nam quoad Perſonas nulla ſuperfluitas conſiderari valuit, eo ipſo, quod

4 Vicarius Generalis Epiſcopi, veluti Regularis, & ſic in hiſce materiis imperiti, intervenit tanquam ejus Aſſeſſor, & ſic Perſona undique neceſſaria ex adductis per *Card. de Luc. de Judic. diſc.4. n.4., & 5.*, & Procurator Fiſcalis nullam auxit impenſam, quia ipſe nulla emolumenta exegit; Notarius vero, & Curſor Epiſcopalis eatenus ad-

5 hibiti fuere, ad tollendam nempe, quatenus electi fuiſſent aliqui de loco, ſuſpicionem perſonarum apud Collitigantes, habentes fautores in loco pene univerſaliter commoto hinc inde ex cauſa dictæ litis, & ideo neceſſarius erat interventus dictarum Perſonarum non ſuſpectarum; ut in ſimili caſu dixit *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. dec.5. n.6., & 7. tit. de Empt.*

Quo vero ad numerum Teſtium, cum iſti examinandi eſſent ſuper tribus punctis, & inſuper oporteret ſatisfacere omnibus interrogatoriis datis pro parte Capituli Sancti Petri, inutilis non fuit adeo magnus numerus Teſtium ad hoc ut alter ſuppleret reſponſionem, quam quilibet ex ipſis forſan præbere non poterat; dum itaque opportunum judicavit eundem numerum Teſtium Judex Delegatus, & hoc Sacrum Auditorium admiſerit omnium illorum relevantiam, inallegabilis tunc videtur dicta exceptio ſuperfluitatis, quæ etiam ceſſare viſa fuit quoad tempus confectionis examinis; dum quoad iſtud conſumpti fuere novem dies, qui potius pauci ſunt pro examinandis formiter 24. Teſtibus; & reliqui fuerunt conſumpti in actis Judicialibus ob partium proteſtationes, quæ dederunt cauſam confectioni duorum proceſſuum, alterius continentis examen Teſtium, & alterius Acta Judicialia; ac inſuper in acceſſu, ac receſſu Judicis Delegati, & compoſitione, atque ordinatione Proceſſus, quæ omnia eo facilius amplexa fue-

fuere per DD., ſtante quod Presbyteri Sanctæ Mariæ non oſcitanter devenerunt ad ſolutionem ſuprarecenſitæ partitæ ducatorum 220., ſed prævia compoſitione inita cum Judice Delegato petente Emolumenta valde majora in ſumma nempe ducator.300.

Et ita utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Veneris 15. *Martii* 1737.

ARGUMENTUM.

Filiabus dotatis non competit contra voluntatem Patris coæqualis ſucceſſio in ejus bonis. Dos a Patre conſtituta de jure præſumitur congrua; ita ut pro obtinendo ſupplemento plene probanda ſit incongruitas; immo ex Statuto Urbis filiæ contentæ eſſe debent dote a Patre ipſis tradita, etiam minori legitima, & incongrua, modo tamen cum ea invenire poſſint æqualem virum: quod ſi a fratre dos conſtituatur, ea etiam ex Stat. Urb. debet eſſe congrua, & de paragio: ad decernendam autem congruitatem habetur ratio bonorum de tempore dotationis, non obitus Patris, qualitatis perſonarum, & conſuetudinis regionis, quæ circumſtantiæ ſi ita ſuadeant, dos poteſt eſſe congrua, etiamſi notabiliter ſit minor legitima. Legitima nón eſt quota hæreditatis, niſi deducto ære alieno.

SUMMARIUM.

1 *Filiabus dotatis non competit immiſſio, nec æqualis ſucceſſio ad bona Patris contra ejus voluntatem.*
2 *Cauſa teſtati ceſſare facit cauſã inteſtati.*
3 *Ille dotare dicitur, cujus nomine ſit dotatio, non vero ille, qui actum materialem dotationis peragit.*
4 *Dos a patre conſtituta de jure præſumitur congrua:*
5 *Præcipuè ſi Pater in teſtamento ejus congruentiam declaravit, & filia diu acquieverit:*
6 *Unde ad effectum obtinendi ſupplementum plene probanda eſt incongruitas.*
7 *Rota decidere non ſolet omnia incidentia.*
8 *Legitima non eſt quota hæreditatis, niſi deducto ære alieno.*
9 *Inventarium probat quantitatem bonorum, non vero quid ſuperſit deductis deducendis.*
10 *Ad dignoſcendam congruitatem dotis inſpicitur tempus dotationis non obitus Patris.*
11 *Dos minor legitima etiam in notabili quantitate eſt congrua, ſi ita ſuadeant tempus dotationis, qualitas perſonarum, & conſuetudo regionis.*
12 *Dotes in dies augentur.*
13 *Dos in majori ſumma conſtituitur, quo ampliora ſunt bona Dotantis;*
14 *Et quo matrimonium eſt decentius.*
15 *Diverſis concurrentibus circumſtantiis nequit pro congruitate unius dotis deſumi regula ab alia.*
16 *A diverſis non ſit illatio.*
17 *Statutum Urbis diſponit, ut filiæ contentæ eſſe debeant dote a Patre conſtituta, etiam minori legitima, & minus congrua, niſi talis eſſet incongruitas, & exiguitas, ut virum æqualem non invenirent.*
18 *Quando cum prohibitione legis concurrit prohibitio Patris, illa efficacior redditur.*
19 *Quod ſi dos non a patre, ſed, eo defuncto, conſtituatur a fratre, debet eſſe congrua, & de paragio, juxta ejuſdem Statuti Urb. cenſuram.*

DECISIO LXXI.

PEtiit Beatrix Sorriſia Filia Joannis Mariæ Sorriſi, ac Vidua qu. Franciſci Morara coram R.P.D. Furietto merito in ſubſelliis A. C. Jusdicente Immiſſionem in poſſeſſionem Bonorum hæreditariorum ejuſdem Joannis Mariæ detentorum a D. Franciſco Lancetta iſtius mediato hærede, & in omnem caſum ſupplementum Dotis ei conſtitutæ uſque de anno 1672. a Joanne Maria Patre in ſumma ſcut.1500., ſed denegata Immiſſione, recenſitus Judex eidem Actrici Jura ſuper conſecutione d. ſupplementi Dotis reſervavit: Devoluta vero cauſa in gradu appellationis ad Sac. noſtrum Auditorium, mihique commiſſa, propoſui hodie dubium *An ſit danda Immiſſio, ſeu potius ſit locus ſupplemento dotis* — & reſponſum fuit — *negative in omnibus.*

Facilis namque viſa fuit reſolutio negativa quoad petitam Immiſſionem ex

Teſtamentaria diſpoſitione ſupra enuntiati Joannis Mariæ, in qua relicto quodam Legato Beatrici ultra Dotem ſcutor. 1500. ei præcedenter conſtitutam, & traditam, inſtituitur hæres univerſalis Petrus illius ex Angelo Filio prædefuncto Nepos, a quo Cauſam habet memoratus Franciſcus Reus conven-
1 tus; Unde cum Beatrix habuerit ſuam Dotem, nil habet, de quo conqueri poſſit, nec ulla ei competit Immiſſio, & coæqualis ſucceſſio in bonis hæredi-
2 tariis dicti Joannis Mariæ Patris; dum Cauſa teſtati facit ceſſare Cauſam inteſtati; *l. antequam Cod. commun. de ſucceſſion., l. nec is §. final. ff. de acquirend. hæredit.*, & *dixit Rot. cor. bo. me. Lancetta dec. 556. n. 2.*, & *3.*, & *in rec. dec. 326. n. primo part. 19. tom. primo*, & alibi paſſim.

Reſpectu vero petiti ſupplementi Dotis fundamentum negativæ reſolutionis conſtitutum fuit in eo, quod Dos ſcut. 1500. Beatrici ſtabilita, ac tradita extitit a d. Jo: Maria Patre, quantumvis actus Dotationis ſub die 4. Februar. 1672. expletus fuerit per Angelum Bea-
3 tricis Fratrem, quia cum ipſe ad hoc devenerit nomine Patris abſentis, qui ſubinde id plene ratificavit, huic ultimo proinde Dotatio tribuenda eſt, & non Angelo Fratri, qui actum materialiter explevit; *l. ſi Procuratorem §. Si quis mandaverit, ubi Bartol. ff. mandati, Rot. in rec. dec. 73. num. 11.*, & *ſeq. part. 15.*, & *in Romana Aſſiſtus 23. Maii 1712. §. Ad legitimam cor. Eminentiſs.*, & *Reverendiſs. D. Card. Aldrovando*, & conſequenter eadem Dos,
4 veluti a Patre conſtituta, habet pro ſe omnem præſumptionem congruitatis, & ſufficientiæ; eo quia ſicuti nullus Amor vincit Paternum Amorem, ita nullus dicitur melius pro Filia conſilium capere, quam ipſe Pater, ut per hanc rationem tradunt *Salicet. in l. ſancimus Cod. de Nupt., Alexand. conſil. 33. n. 85. lib. primo; Rot. cor. Buratt. dec. 894. n. 2.*, & *in rec. dec. 198. n. 3. part. 15.*

Junctis præſertim tum aſſertione ip-
5 ſius Joannis Mariæ Periti ſerio emiſſa in ejus primo Teſtamento condito die 10. Martii 1673., & confirmato in hac parte in alio Teſtamento die 13. Decembris 1678. ibi — *Item laſcio a Beatrice Sorriſij mia Figlia maritata nel Sig. Franceſco Morara da me congruamente, e competentemente dotata ſecondo le mie forze &c.* — & inferius — *atteſoche, come hò detto, ſia ſtata da me congruamente, e decentemente dotata.* Tum inſuper acquieſcentia ejuſdem Beatricis per annos fere 65., ſtante conſtitutione dictæ Dotis facta, & acceptata, ut dictum eſt anno 1672., in quibus circumſtantiis augetur præſumptio congruitatis prædictæ Dotis; cum in caſu contrario nec Pater id in ſua ultima voluntate affirmaſſet, nec tandiu memorata Beatrix acquieviſſet, ut ponderant *Theſaur. quæſt. Forenſ. lib. 4. quæſt. 4. n. 16., Rot. cor. bo. me. Lancetta dec. 558. n. 10.* Unde propterea concur-
6 rentibus dicta præſumptione, ac circumſtantiis, niſi per Beatricem plene, & concludenter oſtendatur incongruitas dictæ Dotis, non eſt locus ulli illius ſupplemento; *Bartol. conſil. 17. lib. 1., Surd. conſil. 148. n. 5.*, & *ſeq., Rot. cor. Seraphin. dec. 331. n. 17.*, & *poſt Merlin. de Pignor. dec. 72. n. 13.*, & *in rec. dec. 121. n. 8.*, & *9. part. 6.*

Hanc profecto probationem nullo modo præd. Beatrix explevit, licet conaretur eam deſumere ex inventario Bonorum hæreditariorum ſupradictorum Joannis Mariæ celebrato die 9. Junii 1679., quorum quantitate inſpecta, aſſerebat, recenſitam Dotem eſſe valde minorem legitima ei competente, & ſic incongruam; non ſolum quia quædam credita, in quibus conſiſtebat major pars hæreditatis prædictæ leguntur deſcripta in eodem inventario in genere, & abſque ulla ſpecificatione eorum quantitatis, quod reddit incertum ad quid, & quantum dicta hæreditas aſcenderit, nulla habita ratione petitionis Beatricis id liquidandi, mediante juramento in litem; dum hoc reſpicit probationem faciendam; quando ad effectum, de quo quæritur, exigitur probatio prompta, & jam facta, & eſſet examinandum, an eſſet locus d. juramento ſub particulari dubio, ſine quo hoc Sa-
7 crum Auditorium non ſolet decidere ſimilia incidentia; ut teſtatur in *dec. 72. n. 25.*, & *dec. 232. n. 10. tom. 1.*, & *dec. 406*

dec. 406. *n.* 16., & 426. *n.*20. *tom.*2. *cor. Lancetta*; ſed etiam ex quo, ad oſtendendam Dotem non correſpondere legitimæ, eſt formiter firmandus ſtatus hæreditarius, ut ex ejus firmatione appareat, quid, & quantum Pater Do-
8 tans reliquerit, deductis debitis, & oneribus; cum legitima non ſit quota hæreditatis, ſed quota ejus, quod ſupereſt, deducto ære alieno, nec ſufficit ſola exhibitio inventarii, quod unice
9 probat quantitatem bonorum hæreditariorum, non autem quid ex illis ſuperſit factis eiſdem deductionibus, ut in terminis advertit *Rot. poſt Torr. de pact. futur. ſucceſſ. dec.*134. *num.*2. 3., & 4., & *cor. Buratt. dec.*456. *n.*5., & *in rec. dec.*230. *n.*10. *part.*10.

Accedente, quod ubi etiam conſtaret de controverſo ſtatu hæreditario in ea exorbitanti quantitate exagerata a Beatrice, adhuc talis probatio ei non proficeret ex duabus rationibus, quarum prima eſt, quod illa percuteret tempus obitus Patris, & non dotationis ſecutæ anno 1672., ut exigitur, cum ad effectum dignoſcendi, an Filia
10 receperit nec ne congruam dotem, inſpiciatur tempus dotationis a Patre factæ, non autem obitus ejuſdem, ſive augmentum ejus patrimonii poſt dotationem ſecutam; ut ponderant *Ruin. conſil.*56. *n.*13., & 14. *lib.*3., *Pariſ. conſ.*26. *n.*89., & *ſeq. pariter lib.*3., *Manſ. conſult.*640. *n.*6., & *ſeq.*, *Conſtantin.ad Statut. Urb. annot.*35. *art.*1. *n.*36., & 37., & *in annot.*39. *art.*3. *n.*262. *tom.*2., ubi dicit, hanc eſſe veriorem opinionem, rejiciendo contrarium tenentes; Et altera ratio eſt; quod
11 etiam dos infra legitimam, licet in notabili quantitate habita ratione ampliſſimi patrimonii Patris, dicitur congrua, quotieſcunque ſic ſuadeant tempus, qualitas perſonarum, & conſuetudo Regionis, nec ullo modo Filiæ ſic dotatæ ullam licitum eſt allegare læſionem; *Becc.conſil.*112. *n.*16., & *ſeq.*, *Torr. de pact. futur. ſucceſſion. lib.*2. *cap.*26. *n.*117. *uſque ad* 120., *Conſtantin. ad Statut. Urb. d.annot.*35. *art.*1. *n.*28., *Card. de Luc. de dote diſc.*144. *n.*4., & *ſeq.*, *Rot. cor.bon. mem. Lancetta dec.*559. *n.*3., & 4., & *in rec. dec.*179. *n.*9. *par.*17., prout ſuadere exiſtimarunt DD. in ſubjecta hypotheſi, habito reſpectu ad tempus conſtitutionis dotis, ad conſuetudinem Urbis, & ad qualitatem perſonarum civilis conditionis.

Non juvante, quod collocata in matrimonium Anna Maria Nepte ſupradicti Joannis Mariæ Sprriſii, fuerit eidem conſtituta dos in ſc.10000., ultra quod vera dos fuit in ſumma tantum ſc.8000., ut oſtendebatur a Franciſco; hoc unum eſt certum, quod dotatio ejuſmodi evenit anno 1687., & facta extitit non a Patre Beatricis, ſed eo defuncto, tam ab iſtius Executoribus teſtamentariis, quam a petro Annæ Mariæ Fratre, ac pro ineundo matrimonio cum bon. mem. Antonio Lancetta Germano Fratre, R.P.D. Cyriaci Lancettæ tunc temporis inſignis hujus Curiæ Advocati, & inde ob ejus probitatem, & doctrinam poſt laudabiliter exercitum munus Locumtenentis A. C., inter PP. hujus Sac. Auditorii adſciti, & tandem illius emeriti Decani; Quando e converſo dos Beatrici conſtituta fuit anno 1672., & quidem a Joanne Maria Patre, & pro matrimonio cum viro æquali ejus conditioni, ac ſtatui; Quapropter cum dictæ circumſtantiæ concurrentes in dotatione Annæ Mariæ, & quæ dederunt cauſam augmento dotis favore iſtius uſque ad d. ſummam ſc.8000., & quidem juſtiſ-
12 ſime, tum ratione ſucceſſivi temporis, cum dotes in dies augeantur, *Cirocch. diſcept.*46. *n.*18., *Anſald. in annot. ad*
13 *dec.*94. *n.*62., & 63.; tum ratione bonorum, dum Petrus dotans, ultra patrimonium Patris Beatricis, gaudebat etiam altero conſpicuo patrimonio Angeli ſui Patris; tum denique
14 ratione valde decentioris, & magis qualificati matrimonii, quod requirit etiam majorem dotem; *Boſſ.de dot.cap.* 13. *n.*16., *Rot. coram Dunozet. Jun. dec.*204. *n.*2., & *cor. Priol. dec.* 430. *n.*12., & *cor.bon.mem.Anſald.d.dec.*94. *n.*21., & 22., deficiant in dotatione Beatricis, & iſtius reſpectu militent aliæ, & diverſæ circumſtantiæ, de qui-
15 bus ſupra, ſequitur, quod pro firmanda congruitate dotis iſtius non ſit ullo mo-

modo ſumenda regula a dote Annæ Mariæ, cum ex diverſis non fiat illa-
16 tio; *l. inter ſtipulantem* 83. §. *Sacra verſ. ſed hæc de verb. obligat.*, *Rot. cor. Emer. Jun. dec.*1097. *n.* 14., *& cor. bon. mem. Anſald. d. dec.*94. *n.*11., *& cor. eodem bon. mem. Lancetta dec.*15. *num.*4.

Præterea DD. animadverterunt ſupplemento dotis petito per Beatricem
17 obſtare Statutum Urbis *lib.*1.*cap.*141., in quo diſponitur, filias a Patre dotatas omnino contentas eſſe debere dotibus eis traditis, & aſſignatis, nec poſſe quiddam ulterius petere, etiamſi dotes eſſent minores legitima, vel minus congruæ, quod perneceſſe ſervandum eſt, niſi incongruitas eſſet magna, ac exiguitas dotis intolerabilis, qua attenta, filia non inveniret virum condignum, quod hic non verificatur; ut late probant *Peregrin. conſ.*22. *lib.*5., *Cirocch. diſcept.*33. *n.*28., *& ſeq.*, & præciſè in terminis d. Statuti *Conſtantin. ad Statut. Urb. annot.*35. *artic.*1. *n.*34., *& pluribus ſeq. tom.*2., *Rot. in recen. dec.*45. *n.*1., *&* 2. *par.*18., *& dec.*326. *n.*9., *& ſeq. par.*19., maxime cum d. prohibitio confirmata remaneat ex diſpoſitione Teſtamentaria Joannis Mariæ Patris d. Beatricis, in qua adeſt ſimilis prohibitio aliquid aliud petendi, ibi -- *E voglio, che di eſſa dote, e legato ſia tacita, e contenta, ne poſſa domandare, o pretendere altro dalla mia eredità etiam con titolo di legittima, o ſupplemento di eſſa* -- Quando
18 enim cum prohibitione Legis concurrit quoque prohibitio Patris dotantis, efficacior redditur prohibitio; *Gloſſ. in cap. verum de condit. appoſit.*, *Jaſon. conſ.* 221. *n.*37. *lib.*1., *Rot. poſt Conſtantin. ad Statut. Urb. dec.*104. *n.*4.

Non attento alio *cap.*145. ejuſdem Statuti Urbis, in quo cavetur, quod
19 dos debeat conſtitui congrua, & de paragio, quia illud loquitur in terminis dandæ, & aſſignandæ a Fratribus eorum Sororibus, defuncto communi Parente, unde non applicatur huic caſui, in quo Dos Beatrici fuit conſtituta, ac aſſignata, ut ſæpe dictum eſt, a Joanne Maria Patre, cujus reſpectu ſemper militat ſupra recenſita diſpoſitio *cap.*141., ut late tradit *Conſtantin. ad Stat. Urb. d. annot.*35. *tit.*1. *n.*21., *&* 22., *Rot. cor. Dunoz. Sen. dec.*196. *n.*9., *&* 10., & *cor. Buratt. dec.*215. *n.*12. *in fin.*

Et ita &c. utraque &c.

INTERAMNEN. CENSUS.

Lunæ 1. *Aprilis* 1737.

ARGUMENTUM.

Donatio facta intuitu certi matrimonii, eo non ſecuto, reſolvitur ob defectum cauſæ finalis; quod ſi matrimonium incertum contemplatum fuerit, & in donatione fuerit expreſſa etiam cauſa amoris, matrimonium habetur pro cauſa tantum impulſiva; ubi verò agatur de matrimonio certo, & determinato, tunc amor, & liberalitas æque conſtituere valent cauſam finalem, ſi donatio matrimonium ſubſequatur, non ſi præcedat. Læſio locum non habet in contractibus, qui in ſua origine æque ſe habere poſſunt ad damnum, ac ad lucrum.

SUMMARIUM.

1 *Cenſus ex falſa cauſa remiſſus non remanet extinctus, ſed ut antea vigens.*
2 *Ceſſionario debentur fructus cenſus æque, ac cedenti.*
3 *Donatio facta intuitu certi, & determinati matrimonii, eo non ſecuto, evaneſcit.*
4 *Quando in donatione, præter matrimonium, expreſſa eſt cauſa amoris, illud concurrit dumtaxat tanquam cauſa impulſiva;*
5 *Quod tamen procedit, quando contemplatum fuit matrimonium in genere, non ſi cum certa perſona;*
6 *Præſertim ſi de certo matrimonio facta fuit mentio in proœmio donationis*, & num. ſeq., & 11.
7 *Ex tenuitate donationis factæ intuitu incerti matrimonii dignoſcitur, particulare fideicommiſſum contemplatum in altera pinguiori donatione, fuiſſe ejus finalem, & variam cauſam.*
8 *Prout pariter, d. particulari matrimonio ad effectum non perducto, altera donatio eorundem bonorum exarata fuit*

fuit intuitu alterius certi matrimonii;
9 *Itemque ex quo donataria actus donationi repugnantes geſſit.* & num.12.
10 *Deciſio* 861. *cor. Buratto firmans amorem, & liberalitatem æque cauſam finalem præbere donationi, ac matrimonium, locum habet, ubi donatio ſubſequatur matrimonium; ſecus ubi præcedat.*
11 *Ex parte proœmiali donationis deſumitur ejus cauſa finalis.*
12 *Obſervantia partium eſt optima interpres earum intentionis.*
13 *A diverſis non fit illatio.*
14 *Teſtibus pendente lite expiſcatis, nec formiter repetitis nulla fides habetur;*
15 *Multo magis ſi inter ſe contrarii ſint.*
16 *Læſio locum non habet in contractibus, qui in ſua origine æque ſe habere poſſunt ad lucrum, ac damnum.*

DECISIO LXXII.

POſtquam Ferdinandus Sciamanna, tum coram R. P. D. Merlino Judice ab A. C. deputato, tum in hoc Sacro Auditorio coram R̃mo P.D.Decano, ut pandit *Deciſio* ab eo edita *ſub die* 9. *Maii præterelapſi anni*, obtinuerat in vim ceſſionis reportatæ de anno 1730. a Hieronymo Gubernari ejus Socero, condemnari illos de Gerardis pro fructibus reſidualis ratæ cenſus alias a Dominico Setti impoſiti, inſurrexit Angela Roſa Filia dicti Hieronymi, ac ſub obtentu cujuſdam donationis ſibi factæ ab eodem Hieronymo de anno 1729., prævia ejus admiſſione ad cauſam, tueri curaverat jura eorundem de Gerardis, cum quibus ſuper dicto cenſu preventive tranſegerat.

Propoſita tamen cauſa coram Me *ſub die 7. Decembris anni præteriti*, reſponſum fuit pro confirmatione Sententiæ Rotalis, qua declaratum fuerat, conſtitiſſe, & conſtare de credito ſortis principalis memorati cenſus, ejuſque fructuum, juxta vota præcitati Ferdinandi, ſicuti patet ex *Deciſ. ſub dictis die, & anno* per Me evulgata; quæ quidem reſolutio, quamvis prodiiſſet, dum memorata Angela Roſa informare neglexit, nihilominus fundamenta ejuſdem reſolutionis adeo ſubſiſtere comperta ſunt in hodierna ambarum partium colluctatione, ut propoſito conſueto dubio -- *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis* -- reſponſum fuerit *in deciſis* --

In facto enim minime controvertebatur, quod Hieronymus Gubernari occaſione extinctionis memorati Cenſus, alias conſiſtentis in ſumma ſcutorum 2455., erronee remiſiſſet Dominico Setti Auctori illorum de Gerardis, dictique Cenſus debitori ſummam ſcutorum 600. pro quodam ab ipſo prætenſo Quarto dotali ſuperlucrato a Petro Baldelli ſuper bonis Mariæ Margharitæ Medices, cæteroqui utriuſque Conjugis conſenſu jam pridem hinc inde remiſſo: Quapropter dubitatum exinde non eſt, quin pro hujuſmodi rata ex falſa, ac erronea cauſa remiſſa, Cen-
1 ſus hodie etiam non vigeat, conſequenterque quin precitato Ferdinando competat actio pro fructibus ejuſdem ratæ
2 Cenſus, utpote in locum Hieronymi originarii Creditoris per obtentam ceſſionem ſubingreſſo; *Rot. cor. clar. me. Card. Falconer. dec.6. n.1. tit. de reb. creditis &c.*

Abſque eo quod hujuſmodi actionem retundere valuiſſet recenſita Angela Roſa, iterum opponendo Hieronymum de anno 1729., & ſic præventive ad dictam ceſſionem ejus jura, & bona omnia ſibi donaſſe: Hæc quippe donatio utpote non aliter facta eidem Angelæ Roſæ, quam intuitu certi, & determinati Matrimonii cum quodam Caſtello per ipſam ineundi, quod ſucceſſive effectum minime habuit, nullum jus ſuper controverſo Cenſu tri-
3 buere hodie valet dictæ Actrici; omne ſiquidem jus ex ipſa Donatione profluens cum ipſa donatione evanuit, ſtatim ac Matrimonium, quod hujuſmodi donationi cauſam dedit, optatum non habuit effectum; ad firmata *in deciſione, quæ revidetur* §. *Neque admiſſio.*

Neque ab hac regula apte recedi potuit eo ſub obtentu pro parte Angelæ Roſæ inculcato, videlicet, quod antedictum Matrimonium non fuiſſet cauſa finalis, & intrinſeca donationis; aſt
4 quia donatio ipſa facta fuit ex cauſa etiam amoris erga Donatariam, potius Matrimonium dicendum ſit cauſa impul-

pulſiva, qualis certo certius dicebatur præſumi debere in concurſu alterius expreſsæ cauſæ amoris nempe, & liberalitatis in Donatariam, vel Donatarium ad ſenſum *Mantic. de Tacit. lib. 13. tit.4. n.13.*, *Neguſan. quæſt. 501. n.14.*, *Monter. deciſ. Aragon. 10. n. 6. lib. primo*, *Surd. dec.322. n.84.*, *Rot. poſt Pich. ad Statut. Urbis dec.22. n.8.*, *& in rec. dec.20. n.7. par.5. tom.1.*

Præterquamquod etenim animadvertebatur, hujuſmodi diſcurſum pro-
5 cedere poſſe, ſi in donatione contemplatum fuiſſet Matrimonium in genere, in quibus terminis loquuntur nuper citatæ auctoritates, ſecus vero ubi Matrimonium in ſpecie, & cum certa, ac determinata perſona contrahendum contemplatum apparet; in hac enim hypotheſi, in qua porro præſens controverſia verſatur, receptior opinio eſt, quod tale Matrimonium regulariter dicatur cauſa finalis donationis, ceteræque cauſæ reputentur impulſivæ, acceſſoriæ, & a finali illa Matrimonii dependentes; præſertim quando prout
6 hic, de certo Matrimonio a Donatariis contrahendo mentio habita fuit in exordio donationis, quemadmodum teſtantur de prima propoſitione *Bottilier. de Succeſſ. ab inteſtat. cap.2. theorem. 104. n.5.*, *Rot. in rec. dec.229. n.14.*, *& 15. part.12.*, *poſt Conſtantin. ad Statut. Urb. dec.153. n.10.*, *& 11.*, *coram Cerro dec.678. n.3.*, *& in Spoletana Donationis 17. Januarii 1717. §. Nec relevat coram Eminentiſſimo D. Card. Cincio*, & de ſecunda *Gratian. diſcept. 924. n.2.*, *& ſeqq.*, *Rot. poſt Conſtantin. in cit. dec.153. n.12.*, *cor. bo. mem. Lancetta dec.827. num.7.*, *& in citata Spoletana Donationis d. §. Nec relevat.*

Quælibet deinde ſubmoveri difficultas viſa eſt ex peculiaribus facti circumſtantiis; Anno ſiquidem 1726., dum nullus adhuc ſe præſentaverat, cum quo Angela Roſa Matrimonium contraheret, id temporis Hieronymus Pater, quamvis Donationem intuitu Matrimonii in genere expleviſſet favore Filiæ, hujuſmodi tamen actum ejus liberalitatis reſtrinxit ad pauca quædam bona ſtabilia; quod profecto cum non contigerit, ſtatim ac de Anno 1729. ſe obtulit deſuper enuntiatus Marcus Antonius Caſtelli Nobilis Interamnenſis, tunc quippe idem Hieronymus ad controverſam univerſalem devenit Donatio-
7 nem, fatendum ideo eſt, cauſam finalem, & quidem unicam dictæ controverſæ donationis, ex hac diverſa agendi methodo Donantis, fuiſſe præcitatum particulare Matrimonium, in ſpecie etiam in proæmio citati Inſtrumenti donationis conſideratum; ad notata in propoſito per *citat. Bottilier. de Succeſſ. ab inteſt. cap.2. theorem. 104. n.5*, *Caſtill. dec.106. n.8.*, *& ſeq.*, *Rot. in rec. dec.127. n.15. part.6.*

Maxime præterea animadvertendo, quod diſſoluto tractatu ſuperius enuntiati Matrimonii, aſſumptoque poſtmodum novo tractatu alterius Matrimonii cum quodam Angelo Montani, quod ſubinde effectum nec habuit, hac occaſione ſæpedictus Hieronymus nulla prorſus habita ratione prænarratæ donationis de Anno 1729. expletæ favore filiæ, alteram exaravit ejuſdem favore intuitu, & contemplatione novi iſtius Matrimonii, ut patet ex Inſtrumento hic in Urbe celebrato die 27. Decembris anno 1733.; Quamobrem ſi propter ineffectuationem d. prioris
8 Matrimonii deventum fuit ad novam donationem, & præſertim ad novam Donationem eorundemmet bonorum, quæ precedenter occaſione alterius Matrimonii donata fuerunt, illud neceſſario ſequitur, quod dictum antecedens Matrimonium unica fuiſſet cauſa finalis alterius donationis, quodque proinde ob defectum iſtius Cauſæ finalis, eadem donatio jure meritoque habita fuiſſet pro reſoluta; ſicuti ponderat *deciſ. coram Me edita §. Ex factis.*

Eoque fortius denique, quia nedum Hieronymus ipſe, ut ex hucuſque dictis patet, verum etiam ipſa Angela Roſa pluries confirmavit, unicam finalem cauſam prædictæ donationis fuiſſe antedictum Matrimonium cum præfato Caſtello ineundum: Quoties namque defuncto Hieronymo, potius quam uteretur controverſa donatione pro effectu conſequendi bona Patris alias donata, paternam adiit hæreditatem ab inteſtato, Inventariumque confecit: quo-

Digitized by Google

quoties item Annam Franciſcam Sororem admiſit ad coæqualem ſucceſſionem; quoties demum Sigiſmundæ Matri reſtituit ſcuta 6000. ad computum ſuæ dotis, quando cæteroquin tam Soror, quam Mater una ſimul cum Hieronymo occaſione dicti matrimonii cum Caſtello contrahendi ipſi donaverant omnia earum bona ſub ſimplici reſervatione alimentorum; conſequens in-
9 de ſit, ut ex actibus hiſce donationi contrariis, eadem Angela Roſa agnoverit, cauſam finalem, & unicam ipſius donationis fuiſſe ſæpedictum matrimonium, per ea, quæ ultra allegatos in *dicta deciſione coram Me* §. *Fin.* bene obſervant — *Andreol. contr.*20. *n.*10., *Rot. in recen. deciſ.*467. *n.*14.*part.*18., *cor.Celſ. dec.*21. *n.*7., *cor.bon.mem.Herrera dec.*119. *n.*12., & *cor. bon. mem. Lancetta dec.*462. *ſub n.*8.

His verò ſic poſitis minus profuit memoratæ Angelæ Roſæ proponere, quod ſaltem huic donationi æque cauſam finalem dederint cæteræ ſuperius enuntiatæ cauſæ, amor videlicet Hieronymi, ejuſque liberalitas, ad terminos *deciſ.* 861. *cor. Buratto*; proindeque quatenus matrimonium cum dicto Caſtello effectum non habuerit, nihilominus donatio reſoluta non rèmanſerit; *Rot. coram Merlino deciſ.* 392. *n.*12.13., & 16. *tom.*1.: Etenim quid-
10 quid ſit in caſu, in quo donatio non præceſſiſſet matrimonium, ſed, illo jam pridem effectuato, ſubſequeretur, in quibus terminis loquitur antedicta *Deciſio cor. Buratto* — ubi tamen non ſolum donatio præcedit matrimonium, ſed cernitur dumtaxat contemplatum certum, & ſpeciale matrimonium in parte proæmiali Inſtrumenti donatio-
11 nis, tunc quemadmodum ex eadem parte proæmiali deſumitur primaria, & ultima donantis intentio, ita fateri oportet in hujuſmodi circumſtantiis, unicam cauſam finalem donationis fuiſſe idem certum, & determinatum matrimonium; *Rot. in citata Spoletana donationis* §. *Nec relevat. cor. Emo D. Card. Cincio*; abſque difficultate inſu-
12 per, quando partes ipſæ, ut in præſenti, mediantibus ſucceſſivis actibus, plene hoc idem declararunt; cum obſervantia ipſarum partium ſemper optima, & fida interpres earum intentionis reputetur; *Rot.cor. clar.mem.Card. Falcon.dec.*5. *n.*12. *tit.de donat.*

Quin hæc obſervantia obumbrata remaneat, vel ex eo, quod Angela Roſa, dicto matrimonio non effectuato, & conſentiente Patre, locaverit tanquam Domina nonnulla ex bonis ſibi donatis, vel ex eo, quod occaſione conficiendi Inventarium hæreditatis donantis ab inteſtato jam aditæ, ſibi præſervaverit jura donationis, vel demum quia Hieronymus ratificaverit donationem cum expreſſione ejus durationis, etiamſi matrimonium ſecutum non fuiſſet. Quandoquidem pro eo, quod attinet ad præcitatam locationem bonorum donatorum, nec non ad præſervationem jurium, quam ſibi procuravit dicta Angela Roſa occaſione conficiendi Inventarium; ſicuti prima facta fuit, non vigore donationis univerſalis, de qua diſceptatur, ſed vigore deſuper enuntiatæ alterius præcedentis donationis, quam ipſa intuitu matrimonii in genere, & ob dotem reportaverat de anno 1726., ſicuti item ſecunda, videlicet præſervatio jurium, habita fuit relative ad illam donationem, quam ipſa in actis produxerat, quæ profecto fuit antedicta donatio anni 1736., ita pluſquam evidens eſt ſibi
13 locum vindicare regulam, nimirum, non bene a diverſis illationem fieri; de qua *Rot.in Romana Pecuniaria* 11. *Februarii* 1737. §. *Quæ cum ita ſint. coram Me.*

Pro eo verò, quod attinet ad ſuppoſitam ratihabitionem donationis cum memorata expreſſione, ultra quam quod hujuſmodi ratihabitio non probatur, niſi mediante dicto Teſtium pen-
14 dente hac lite expiſcatorum, neque formiter repetitorum, conſequenterque nullius fidei — *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. dec.*11. *n.*9. *de probat.*,
15 compertum deinde eſt, eoſdem Teſtes inter ſe contrarios eſſe, dum alii deponunt documentum dictæ ratihabitionis oriri ex Apocha privata; alii autem aſſerunt ſuper hac eadem ratihabitione interceſſiſſe publicum, & ſolemne Inſtrumentum; atque ideo mul-

tominus de iiſdem Teſtibus rationem habendam eſſe communiter firmant *Gloſſ. in §. Item verbor. verſic. idoneos Inſtitut. de inutil. ſtipulat.*, *Rot. cor. clar. mem. Card. Falcon. dec. 5. n. 12. tit. de probat.*

Ejuſdem levitatis poſtremo detectum eſt aliud ipſius Angelæ Roſæ aſſumptum, hoc eſt prædictam cenſus ceſſionem factam ab Hieronymo favore Ferdinandi Sciamanna fuiſſe nullam, tanquam ænormiſſime læſivam: Quoniam cum creditum ceſſum non eſſet adeo indubitatum, & clarum, ut abſque modica indagiue expedita haberi poſſet illius exactio, quinimo, cum adeo graves involveret inſpectiones, ut adhuc in tertia inſtantia, poſtquam a Signatura Juſtitiæ cauſa commiſſa fuit cum clauſula — *de Appellatione* —, de ejus ſubſiſtentia contenderetur, in his terminis proinde ceſſat quelibet ſuſpicio
16 prætenſæ læſionis, quæ nunquam locum obtinet in contractibus, qui in eorum origine ad damnum æque, ac lucrum ſe habere poſſunt; *Rot. in Romana Pecuniaria 20. Junii 1707. §. Et in omnem, cor. bon. mem. Omana, & in Cæſenaten. Bonorum 31. Janu. 1729. §. Enormiſſimam, & ſeq. cor. R. P. D. Millino.*

Et ita utraque &c.

INTERAMNEN. LIBERATIONIS A MOLESTIIS,

Lunæ 1. Aprilis 1737.

Argumento non indiget ob brevitatem.

SUMMARIUM.

1 *Pacta ſervanda ſunt.*

2 *Pactum de ſervando aliquem indemnem a lite, & damnis efficit, ut, mota lite, debeatur liberatio a moleſtiis, & emendatio damnorum.*

3 *Adimpleta per unum ex contrahentibus ſua obligatione, etiam alter ſuam adimplere debet.*

4 *Nec recuſare valet, ex quo res ab altero tradita non fuerit libera; poteſt enim petere relevationem, at non recuſare implementum pacti ſine ulla reſolutiva conditione promiſſum.*

DECISIO LXXIII.

Exortis quampluribus controverſiis inter Roſauram Palenghi, alioſque de Gerardis Donatarios ipſius Roſauræ ex una, & Sigiſmundam uxorem quond. Hieronymi Gubernari, & Angelam Roſam ejus filiam ex altera parte, ad evitandas ulteriores lites, & expenſas, tandem, mediante interpoſitione communium amicorum, deventum eſt inter dictas partes ſub die 11 Septembris anni 1734., ſervatis omnibus de jure ſervandis, ad ſolemnem tranſactionem; in cujus confirmationem ſubinde præfata Roſaura Palenghi, ejuſque Donatarii, ſtatim, & cum effectu tradiderunt memoratis Sigiſmundæ, & Angelæ Roſæ duo prædia pretii ſcut. 1743. 40. monetæ juxta conventa in eadem tranſactione. Aſt quia inter cætera pacta ejuſdem tranſactionis, illud etiam conventum fuit, videlicet, quod dictæ Sigiſmunda, & Angela Roſa tenerentur indemnes ſervare dictos de Gerardis, ac in ſe ſuſcipere litem aliàs adverſus ipſos intentatam a Ferdinando Sciamanna pro conſecutione fructuum unius ratæ cenſus; cujus crediti ſubſiſtentia ad inſtantiam ipſius Ferdinandi oſtenſa eſt *in altera contemporanea deciſione ſub hac eadem die coram Me edita*; Hinc nova exardeſcere ceperunt diſſidia inter ſæpedictos de Gerardis, & prædictas mulieres de Gubernariis, in vim namque deſuper enuntiati pacti, & litis, quam proſecutus eſt antedictus Ferdinandus, curarunt illi de Gerardis mihi dirigi commiſſionem cum facultatibus A. C., ad cujus normam exinde propoſui hodie dubium, nempe -- *An ſit locus liberationi a moleſtiis in caſu*,-- cui DD. *Affirmative* reſponderunt.

Pacta enim religioſè cuſtodiri debent, nilque magis congruit humanæ
1 fidei, quam ut pacta ſerventur; *l. 1. ff. de pactis, l. non minorem Cod. de tranſact.*, poſtquam itaque prædictæ Sigiſmunda, & Angela Roſa expreſsè promiſerunt in citato tranſactionis Inſtrumento indemnes ſervare illos de Gerardis a lite, & damnis iiſdem inferendis a Ferdinando Sciamanna occaſione de-

deſuper enuntiatæ litis, quam hodie adhuc ſuſtinet idem Ferdinandus, dubium non eſt proinde, quin occaſione hujuſce litis factus ſit locus liberationi
2 a moleſtiis, & emendationi damnorum, quæ ob hanc litem ipſi de Gerardis patiuntur; *Rot. in rec. dec.387. par.17., & dec.68. par.18. rec*

Eo maxime quia ex parte eorundem de Gerardis adamuſſim adimpleta fuit
3 obligatio de tradendo adverſariis enuntiata duo prædia; quo ſtante, ut debita ſervetur æqualitas,omnis bona ratio ſuadet, quod etiam præfatæ Sigiſmunda,& Angela Roſa adimpleant propriam obligationem in eodem tranſactionis Inſtrumento emiſſam -- *Rot. in Mantiſſ. ad Card.de Luc. lib.7. dec.16., cor. Ubald. dec.186. n.1., & 2., & cor. bon. mem. Molines in dec.522, n.8. tom.2.*

Quin obſtet, quod ſuperius dicta duo prædia a Roſaura Palenghi, & a Gerardis tradita, reperta fuerint obnoxia cuidam canoni: hoc quippe operari quidem poſſe dictum eſt, ut iiſdem Sigiſmundæ, & Angelæ Roſæ competat actio ad proprium libitum promovenda pro conſecutione relevationis,
4 nequaquam vero, ut ipſæ evitare valeant adimplementum illius pacti, quod præciſive a quacunque reſolutiva conditione adimplere promiſerunt; *eap. quod ſemel de regul. in 6.*

Et ita unica &c.

ROMANA, SEU SIGNINA SALVIANI.

Veneris 5. Aprilis 1737.

ARGUMENTUM.

Ad bona, quæ tempore conſtitutæ hypothecæ reperiebantur in patrimonio conſtituentis, competit Immiſſio pro reintegratione tam pretii bonorum evictorum, quam damnorum. Mulier nulliter ſe obligat ultra medietatem dotis, non obſtante juramento, & ſolemnitatibus. Conſtitutio dotis a matre facta, exiſtente Patre, reſolvitur in ſimplicem fidejuſſionem. Cætera vide in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Ad bona, quæ tempore conſtitutæ hypothecæ reperiebantur in patrimonio conſtituentis, competit Immiſſio pro reintegratione tam pretii bonorum evictorum, quam damnorum.*
2 *Medietas dotis ſemper Mulieri illæſa manet.*
3 *Mulier obligare valet favore Creditorum viri medietatem dotis.*
4 *Pro retentione bonorum nemo allegare poteſt jura dotalia jam conſumpta.*
5 *Conſtitutio dotis facta per matrem reſolvitur in fidejuſſionem exiſtente patre primario obligato.*
6 *Et ſi lædat matrem ultra medietatem propriæ dotis, eſt nulla, cum ſit voluntaria.*
7 *Mulier poſt conſumptionem medietatis dotis nulliter ſe obligat,*
8 *Non obſtante juramento, & ſolemnitatibus.*
9 *Jura relevationis tranſlata in Creditores anteriores nequeunt amplius transferri in poſteriores,* & n. ſeq.
11 *Ex quo rei conventi non compareant ad informandum cenſentur diffidere de jure proprio.*
12 *Judex injuſtas moras præcidere, & litem ad finem perducere debet.*
13 *Creditor agere nequit contra debitorem debitoris, quando ille debitor jam ſatisfecit.*
14 *Deciſio contra Actorem favore aliorum Creditorum jam emanata, eſt contra ipſum ſupponenda favore etiam alterius Creditoris.*
15 *Fruſtra quis petit, quod jam habet.*
16 *Ceſſante damno ceſſat quælibet ſuſpicio fraudis, & colluſionis.*
17 *Qui damnum non ſentit, nequit allegare damnum tertii.*
18 *Vineæ aliquando magis damnoſæ ſunt, quam utiles.*

DECISIO LXXIV.

OB moleſtias illatas ab illis de Longhis, & Gramineis creditoribus anterioribus q. Joannis Baptiſtæ Tarolli, D. Dux Salviati paſſus fuit tam coram A.C., quam in hoc Sacro Auditorio evictionem quorundam bonorum ſitorum in Territorio Signiæ in viis nuncupatis *Pimpinara, & Colle Ferro*, & alias de anno 1665. Authoribus ejuſdem D. Ducis datorum in ſolutum a prædicto Joanne Baptiſta Tarolli,

rolli, ita quidem, ut idem Dux ad evitandam eorundem bonorum deliberationem jam petitam in vim Commiſſionis Sanctiſſimi, coactus etiam fuerit eoſdem creditores dimittere mediante ſolutione ſc.1600., & ultra, reportando ab illis ampliſſimam jurium ceſſionem.

Quapropter pro reintegratione damnorum ex dicta cauſa paſſorum idem Dux ſeſe vertit contra diverſos tertios poſſeſſores bonorum provenientium a ſupra enuntiato Joanne Baptiſta Tarolli petendo Immiſſionem in Salviano in illorum poſſeſſionem; commiſſaque cauſa in hoc Sacro Auditorio Eminentiſſimo, ac Reverendiſs. D. Cardinali Cincio tunc illius digniſſimo Auditori, quoad aliquos ex illis tanquam in prima, & quoad reliquos ob allegatam reſiſtentiam duplici rei judicatæ extra Rotam cum clauſula -- *De Cauſis*, fuit cauſa per eundem Eminentiſs. Cincium propoſita in Rota *Diei* 15. *Junii* 1733. & ad dilucidandas varias exceptiones, quæ a dd. poſſeſſoribus proponebantur, fuit demandata electio Periti Curialis.

Electo Perito, ac peritia in actis exhibita, fuit denuo cauſa propoſita per Rm̃um P. D. meum Calcaguinum Decanum ſubrogatum in locum d. Em̃i Cincii tam ſuper Salviano, quam ſuper Reſtitutione in integrum *Die* 29. *Aprilis* 1735., & capta fuit reſolutio favore Ducis quoad quamplures ex dictis Poſſeſſoribus, & in ſpecie nominatos, nempe *Hieronymum Cleti*, *Bernardum Priori*, *Annibalem*, *alioſque de Signoribus*, *Joannem Baptiſtam Colutium*, *Laurentium Vulpinum*, *Carolum Fælicem Calendam*, *Victoriam*, *aliaſque de Mazzolellis*, *Fælicem Antonium*, & *Auguſtinum de Placentinis*, *Annam Mariam Saucci*, *Stephanum Floridi*, & *Fratres de Signoribus*; Quo vero ad illos *de Lucianis* poſſeſſores duorum Prædiorum, fuit Duci Salviato conceſſa immiſſio reſpectu Prædii nuncupati *di Marano*, & denegata reſpectu Prædii nuncupati *la Mola de Santi*; Et quoad reliquos, nempe *Seminarium Signinum*, *Sorores de Porcellinis*, & *Fulviam Vincenti* fuit abſolute eidem Duci denegata immiſſio ex rationibus expenſis *in duabus Deciſionibus ejuſdem Rm̃i P. D. Decani proditis ſub d. die* 29. *Aprilis* 1735.

In Rota Memorialium *Diei* 4. *Julii* ejuſdem anni 1735. fuit hinc inde a dd. Collitigantibus petita cauſæ expeditio, & reſpective nova Audientia, & prima, ideſt cauſæ expeditio fuit demandata favore *dd. Seminarii*, *Sororum de Porcellinis*, & *Fulviæ Vincenti* contra D. Ducem, & favore iſtius fuit demandata Cauſæ expeditio quoad *Carolum Fælicem Calendam*, *Victoriam, ac alias de Mazzolellis*, *Fælicem Antonium*, & *Auguſtinum de Placentinis*, *Annam Magdalenam Saucci*, *Stephanum Floridi*, *ac Fratres de Signoribus*, & hinc inde reſpectu *Canonici Alexandri*, & *aliorum de Lucianis*; Et quoad reliquos ſuccumbentes impertita fuit nova Audientia, atque ad iſtius normam fuit per Actores Cauſa expedita.

Unde devoluta eadem Cauſa ad me in gradu appellationis, (exceptis *Seminario*, *Sororibus de Porcellinis*, *ac Fulvia Vincenti*, quorum reſpectu Dux ſatius duxit acquieſcere) etiam ſuper reſervatis quoad dd. alios Poſſeſſores, quibus indulta fuit nova Audientia adverſus memoratas Deciſiones Rm̃i Decani, propoſui hodie dubium ſuper confirmatione vel infirmatione ſupradictæ Sententiæ Rotalis, una cum altero Dubio, de quo in alia contemporanea mea Deciſione, & comparentibus dumtaxat, ac informantibus *Agatha*, & *aliis de Lucianis* Nepotibus d. Canonici pendente lite defuncti -- reſponſum fuit -- *Sententiam Rotalem eſſe confirmandam juxta modum* -- inferius exprimendum.

1 Juſtitia namque d. Sententiæ, quæ dedit cauſam illius confirmationi reſpectu illorum *de Signoribus* detinentium Prædium nuncupat. *il Caſtellone*, & *Floridi* detinentis aliud Prædium vocatum *la Mola Vecchia*, aliorumque poſſeſſorum deſcriptorum in *Deciſione Rm̃i Decani ſuper hoc puncto Salviani diei* 29. *Aprilis* 1735. §. *Præjactis*, exceptis tamen ſuprad. *Agatha*, *ac aliis de Lucianis*, de quibus ratio habebitur infra, deprompta fuit ex eo, quod hæc bona de tempore contractæ hypothecæ pro evictione bonorum vendi-

to-

torum Auctori ipſius Ducis Actoris, ideſt Anno *1665*. reperiebantur in patrimonio Joannis Baptiſtæ Tarolli venditoris, & inpoſterum fuerunt, vel ab eodem Joanne Baptiſta, vel a Joſepho ejus Filio alienata in dd. tertios poſſeſſores; Unde ſequitur, quod eidem Duci, qui paſſus fuit dd. bonorum evictionem, competat immiſſio in poſſeſſionem bonorum poſt recenſitam venditionem alienatorum, ad finem ex illorum fructibus ſeſe reintegrandi, tam de pretio bonorum evictorum, quam de damnis hac occaſione paſſis; ut ultra auctoritates relatas in ſuprad. *Deciſione Reverendiſs. Decani §. Quodque*, tradunt *Mareſcott. var. reſolut. lib.2. cap.117. n.25., de Marin. reſolut. Jur. cap.76. n.4., Rot. cor. Peutinger. dec.331. n.6., & coram Molin. deciſ.546. n.3., & cor. clar. mem. Card. Falconer. dec.31. n.4. in Miſcell.*

Nec ad impediendam eandem immiſſionem ullius relevantiæ viſa fuit exceptio retentionis ex cauſa Jurium Dotalium Catharinæ Ghetti initium ſuum deſumentium ab Anno 1642., & ſic tempore anteriori ad ſuprad. hypothecam contractam favore d. Actoris; quoniam ultra quod conſtitit, dotem ejuſdem Catharinæ ſolum conſiſtere in ſcut.4000., dum pro reliquis ſcut.200. illi in tot jocalibus promiſſis nulla fuit per Virum expleta obligatio reſtitutionis; Animadverſum ulterius fuit eandem Catharinam adhuc viventem allegaſſe contra ſui Viri Creditores beneficium *Senatus Conſ. Vellejani* ad effectum præſervandi medietatem ſuæ dotis; & quod propterea ratione beneficii hujuſmodi per ipſam Mulierem viventem allegati, medietas ejus Dotis obligata quidem remanſit ad favorem priorum Creditorum, pro quibus ipſa fidejuſſit; altera vero medietas intacta, & illæſa remanſerit penes eandem Mulierem a quacunque illius obligatione, & poſt ejus obitum tranſierit in Joſephum filium, attenta læſione ultra
2 Dotis medietatem, quæ ſemper Mulieri intacta remanere debet, ne indotata remaneat; ut firmat utraque *Deciſio Reverendiſs. Decani prima nempe ſuper Salviano §. Quod autem, & ſecunda ſuper Reſtitutione in integrum §. Reſponſionis*, & tradunt etiam *Fontanell. de pact. nupt. tom.2. clauſ.7., Gloſſ.2. part.6. n.4., & ſequen., Andreol. contr.886. n.3., & ſequen., Theſaur. deciſ.323. n.13., & Rot. cor. Seraphin. dec.1187. n.2.*

Quo ſtante, & ſermonem dirigendo ad illos tertios Poſſeſſores cauſam habentes a d.Catharina, inter quos in ſpecie enumeratur ſupra enuntiatus Floridus, profecto nulla eiſdem competere
3 valet retentio pro d. dotis medietate, quæ obligari valuit a Catharina favore viri Creditorum in excluſionem ſuprad. Actoris; nam eadem medietas dotis jam conſumpta remanſerat per eandem Catharinam uſque de anno *1661*. in obligationibus per eam emiſſis, ac translatione ſuorum Jurium dotalium favore trium Creditorum Joannis Baptiſtæ Zarolli ejus viri, ideſt *Thomaſi, Calendæ, & Sanblaſi*, quorum credita ſine ulla difficultate abſorbent quantitatem ſc.2000. medietatis d.dotis; & eo certius ſi hiſce obligationibus addatur altera alienatio facta d.anno *1661*. a d.Joanne Baptiſta cum ſolidali obligatione d. Catherinæ uxoris favore ipſius Ducis Prædii in via *Pantanello* pro pretio ſcut.730., ex quo ſequitur, quod ſi d. medietas dotis, multo prius quam d.Catharina ſeſe obligaret favore dd. poſſeſſorum, fuit conſumpta, nequeant
4 iſti pro retentione bonorum juvari præſidio enuntiatorum jurium dotalium conſumptorum in præjudicium Actoris, qui deſumit jus ſuum certiſſime poſt d. annum *1661*., quo evenit d. conſumptio, ſed tamen valde anteriori tempore, & priuſquam Catharina ſeſe obligaret favore dd. Poſſeſſorum, ne alias d. medietas dotis recipiat duplicatam reſtitutionem, ut optime expendit *Deciſio Rmi Decani ſuper reſtitut. in integrum §. In facto autem*, & firmat *Rot. poſt Conſtantin. ad Sat. Urb. dec.148. n.26., & in Mantiſſ. ad Card. de Luc. de dote dec.54. n.2., & dec.55. n.1., & in rec. dec.397. n.13. par.18.*

Nil juvante, quod obligatio emiſſa a *d. Catharina* favore *Claræ Tarolliæ*, a qua cauſam habet Floridus ſuprad., reſpiciat conſtitutionem dotis ejuſdem Cla-

Claræ filiæ ; cujus reſpectu obligari potuerit tota , ac integra dos Catharinæ ; quia eadem dotis conſtitutio favore Claræ facta fuit per Catharinam Matrem inſimul cum Joanne Baptiſta Tarolli Patre , & ſic obligatio Matris,
5 ſicuti reſolvitur in ſimplicem fidejuſſionem , cum primario onus dotandi filias Patri incumbat ; *Roland.conſil.64. n.6. lib.1.* , *Surd.conſil.290. n.19.* , *& de aliment. tit.6. quæſt.17. n.14.* , *Paſcal. de patr. poteſt. par.2. cap.6. n.31.*, *Merlin. de legit. lib.2. tit.2. quæſt.17. n.19.*, *Gratian. diſcept. forenſ.cap.647. n.10.* , *& ſeq.* ita remanet ſemper vo-
6 luntaria, & conſequenter veluti medietatem dotis excedens læſiva , nulla , ac invalida , ut in terminis probant *Cyriac. contr.41. n.6. in fin.*, *Poſth. reſolut.39. n.38.*, *Bonden. colluct.6. n.27. cum duob.ſeq.*, *Rot. cor.Ludov.dec.233. n.3.* , *& 4.* , *& poſt Cenc.de cenſ.dec.33. n.7.* , *& cor.Priol. dec.224. n.10.*

Tantoque minus animadverſionem meretur , quod ſi ſupradictis poſſeſſoribus ob præfatam conſumptionem non competat retentio vigore dd. jurium dotalium , ſaltem competere valeat in vim relevationis d. Catharinæ ſpectantis contra virum , & initium ſumentis a d. anno 1661. , & ſic anteriori tempore hypothæcæ contractæ favore memorati Ducis , quæ initium non ſumit niſi ab anno 1665. ; Tum quia eo ipſo , quod omnes obligationes
7 per Catharinam expletæ , poſtquam jam præcedenter medietatem ſuæ dotis conſumpſerat , prorſus invalidæ de jure remanent , per conſequens nullum jus ex prædictis obligationibus acquiri valuit favore poſteriorum Creditorum, pro quibus Mulier nulliter ſeſe obligavit , ut ex vulgata *Auth.* , *ſi qua Mulier Cod.de Senat. Conſult.Vellejan.* tradunt, *Fontanell. de pact. nuptial. clauſul.7.*, *Gloſſ.1. par.6. n.19.cum plur.ſeq.*, *Larrea allegat. 35. n.29.*, *Salgad. Laberynt. credit. par.2. cap.4. n.68.*, *& ſeq.*, *Hodiern. ad Surd. dec.86. n.19.* , & in præciſis terminis hujus dotis Catharinæ aliàs firmavit , *Rot.in Romana , ſeu Signina evictionis 29.Junii 1732. §.3.cor. R.P.D. meo Rezzonico* , non obſtante
8 quocunque juramento , ac qualibet ſolemnitate in eiſdem obligationibus adhibitis , ex quo enormiſſima læſio, quæ conſideratur in Muliere ſe obligante poſt jam conſumptam medietatem dotis , omnem removet conſenſum ab actu , & præſumere facit juramentum vi , & fraude extortum; ex adductis per *Pariſ. conſ.71. n.13. lib.3.* , *Bero. conſ.48. n.13. lib.1.* , *Cancer. var.reſol. par.3. cap.1. n.105.*, *& cap.15.n.110.*, *Gratian.cap.23. n.11.* , *Pich.ad Statut. Urb.* , *Gloſſ.7. n.286.* , *Hodier.ad Surd. d. dec.86. n.17.* , *Rot. poſt Cenc. de cenſ. deciſ.33. n.5.*

Tum inſuper , quia ubi etiam ex d. Catharinę obligatione tranſire potuiſſent favore Creditorum Jura ſupradictę relevationis contra bona Viri ; attamen cum illa translata extitiſſent in plures
9 intermedios alios poſſeſſores , in quos interim Catharina una cum Viro explevit quamplures alienationes bonorum longe excedentes menſuram d. relevationis, & qui ſuper bonis ab ipſis poſſeſſis in preſenti cauſa non ſunt comprehenſi , per conſequens transferri non potuiſſent in dd. Poſſeſſores conventos a laudato Duce pro immiſſione , & poſteriores ; ut probat *Deciſio Reverendiſſ. Decani ſuper reſtitut.in integrum §.Pro reſolutione* .

Hæc concernunt poſſeſſores habentes cauſam a ſupradicta Catharina ; quo verò ad alios habentes cauſam a Joſepho Tarollio ejus filio , & in quem tranſmiſſa fuit altera medietas dotis , indubitatum eſt in facto , quod in vim Jurium Dotalium d. alterius medietatis reten-
10 tionem fuere aſſecuti Poſſeſſores illi , qui obligationem Joſephi obtinuerunt uſque ad annum 1685. , itaut idem Joſeph tam ex iſtis , quam ex aliis deductis in *deciſ. Reverendiſſ. Decani ſuper Salviano §. Quod autem* , pariter conſumpſerit d. alteram medietatem dotis, & propterea non poſſunt dd. alii poſſeſſores in hac cauſa exiſtentes , qui poſteriori tempore hoc eſt annis 1691. & 1708. habent obligatum d. Joſephum , ſeſe cum iuribus d. alterius medietatis Dotis tueri ob rationem ſuperius expreſſam *§. Quo ſtante* .

Horum autem omnium veritatem benè agnoſcunt prædd. poſſeſſores rei con-

11 conventi, dum hodie comparere, ac informare non curarunt, aut quidquam contra ſupradictam ſententiam Rotalem auſi fuere opponere, ex quo optimum deſumitur argumentum, quod ipſi in hac cauſa de ſuo jure diffidant; *ad Text. in Cap. nullus, ibique Gloſſ. in verb. ſubterfugit, de præſumt., & dixit Rot. cor. cl. mem. Card. Falconer. dec. 5. n. 2. de ſolution.*, quod eo maxime procedit quoad *Stephanum Floridi, & de Signoribus* dilationem petentes ſub prętextu parandi defenſionem; nam cum ipſi ad hunc effectum habuerint biennium effluxum a die ſuprad. præteritæ reſolutionis Rotalis, præſumuntur non ex aliqua juſtitia cauſę, ſed ut ſeſe magis confoveant in indebita poſſeſſione bonorum in pręjudicium D. Ducis Actoris, inſiſtere pro eadem dilatione, quam proinde DD. iure optimo denegarunt;
12 cum officium boni Judicis ſit moras injuſtè interpoſitas pręcidere, & ad exitum litis properare; *Cap. finem litibus de dol. & contumac., l. properandum Cod. de Judic., l. 1. in fin., & l. 4. Cod. de dilat., Rot in Recen. deciſ. 223. n. 2. par. 16.*

Deveniendo modo ad *Agatham*, *ac alios de Lucianis*, exiſtimarunt iidem DD. quo ad iſtos nedum eſſe confirmandam d. Sententiam Rotalem in ea parte, in qua denegata extitit Actori Immiſſio ad Prædium in vocabulo -- *La Mola de' Santi*: ſed etiam eandem ſententiam eſſe reformandam reſpectu alterius Prædii, ſive Caſtaneti nuncupati -- *di Marano* --, & ne quoad iſtud quidem competere Immiſſionem eidem Duci, excepta tamen rata ſcutor. 40., ponderantes, quod mox enunciata duo Prædia proveniunt ab hæreditate quondam Sulpitii Papi, & non alio titulo detenta fuiſſe a Joanne Baptiſta Tarollio debitore Ducis, ac Joſepho ejuſdem Joannis Baptiſtæ filio, qnam titulo Salviani interdicti, in cujus vim Caſſandra Vindicti illorum Auctrix uſque de anno 1641. apprehendit poſſeſſionem tam dd. duorum Prædiorum, quam etiam aliorum decem pariter provenientium ab hæreditate antedicti Sulpitii Papi, ad effectum ſeſe ſatisfaciendi de fructibus duorum cenſuum, alterius nempe in ſorte principali ſcut. 200. ab eodem Sulpitio creati die 11. Martii 1578., & alterius in ſorte principali ſcut. 500. creati die 30. Decembris 1595., ut latius *ex deciſionibus* editis in d. Judicio Salviani per eandem Caſſandram introducto *coram Carillo la 90. 100. 120., & 150.*

Cum autem de dd. creditis ex fructibus ſupra enuntiatorum duodecim Prædiorum ſatisfacti remanſiſſent Joannes Baptiſta, & Joſeph Tarollius debitores Ducis, immo plus credito exegiſſent, & e converſo ſuprad. Agatha, ac alii de Lucianis eſſent Creditores hæreditatis ſuprad. Sulpitii Papi ex cauſa fructuum decurſorum uſque ad an. 1693. alterius cenſus in ſorte principali ſcutor. 100. alias, & ſub die 10. Februarii 1569. impoſiti ab eodem Sulpitio Papi favore Euſtachii de Lucianis Auctoris d. Agathæ; hinc eodem an. 1693. ſuprad. Joſeph Tarollius tunc dd. Prædiorum detentor per viam concordiæ illa retroceſſit, ac dimiſit favore dd. de Lucianis, ut inter partes non controvertebatur.

Si itaque memorati de Tarollis debitoresDucis ſunt ſatisfacti de ſuprad. creditis Caſſandræ eorum Authricis, deſcendit in conſequentiam neceſſariam, quod Dux, qui reſpectu controverſorum duorum Prædiorum, veluti alterius, quam ſui debitoris, non poteſt venire niſi ex juribus dd. de Tarollis
13 ſuorum debitorum, non poſſit ullo modo ab illis de Lucianis immediatis Creditoribus Snlpitii avocare ſuprad. duo Prædia, quia, ut dictum eſt, Tarolli ſunt ſatisfacti de enuntiatis eorum creditis; *Rot. in recen. dec. 315. n. 20. par. 9., & dec. 54. n. 10., & 11. par. 19.*, & reſpondit hoc Sac. Tribunal contra ipſum Ducem *cor. clar. mem. Card. Caprara dec. 494. n. 9.*

Quod antem ſubſiſtat in facto ſupra enuntiata ſatisfactio dd. creditorum conſtat *ex d. dec. 494. cor. cl. mem. Card. Caprara*, in qua firmatum fuit fructus dd. duorum cenſunm Caſſandræ decurſos uſque ad annum 1698. aſcendere ad ſcut. 4052. 50., & tamen tam Caſſandram, quam Tarollios ejus ſucceſſores ex fructibus quinque Prædiorum dumtaxat a die conceſſæ Immiſſionis recepiſſe

piſſe ſcut.5814. ultra receptionem an-
nuorum ſcut.90.ex aliis ſeptem prædiis,
ac etiam aliorum ſcut.1550., pro qui-
bus a Tarollis eadem ſeptem Prædia
vendita fuere; quæ omnia valde ſupe-
rant credita Caſſandræ, & *d.deciſio* ve-
14 luti emanata contra Ducem detinen-
tem alterum Prædium Sulpitii, & ad
favorem aliorum iſtius Creditorum
omnino eſt attendenda, & præſuppo-
nenda, ut ſæpius dixit *Rota*, præſer-
tim *cor. Emerix. Jun. dec.1249. n.2.,*
& cor. clar.mem. Card. Falconer. dec.1.
n.24.tit. de Sal. interd., & dec.5. n.11.
de ſent., & in rec.dec.34. n.2.par.17.

Addito ulterius, quod etiamſi Ta-
rolli ſucceſſores Caſſandræ non eſſent
integraliter ſatisfacti, ut oſtenſum fuit;
attamen ipſi non eſſent anteriores cenſu
illorum de Lucianis niſi quoad cenſum
in ſorte ſcut. 200. impoſitum die 11.
Martii 1578., & quoad alterum cen-
ſum creatum a Sulpitio in ſorte princi-
pali ſcut.500. die 30. Decembr.1596.
eſſent poſteriores d. alio cenſu illorum
de Lucianis, veluti creato die 10. Fe-
bruarii ejuſdem anni 1596., ut antea
dictum fuit; in quibus terminis, cum
demptis pro fructibus hujus cenſus Lu-
ciani ſæpedictis duobus Prædiis -- *La*
Mola de' Santi, e di Marano -- retro-
ceſſis, ſeu dimiſſis, ut ſupra, remaneant
penes Tarollios alia decem Prædia, ad
quæ Caſſandra immiſſa fuit juxta *d. de-*
ciſ.494.Card. Caprara; iſtorum fructus
eſſent undique exuberantes pro ſatisfa-
ctione fructuum dicti unici cenſus an-
ni 1578., & per conſequens nullo mo-
do avocari poſſent a Lucianis per Du-
cem Salviati, utendo juribus illorum
de Tarollis ſuorum debitorum, dd. duo
mox memorata Prædia, reſiſtente vul-
15 gata regula, quod fruſtra petitur,
quod quis jam habet, de qua *Rota cor.*
Celſo dec.240. n.11., & coram Emerix.
Jun. dec.464. n.1., & coram Falconer.
dec.8. n.2. de Salu. interdic.

Hiſce vero ſtantibus funditus ceſſat
objectum per defenſores Ducis excita-
tum, quod recenſita retroceſſio, ſeu di-
miſſio dd. duorum Prædiorum facta a
Joſepho Tarollio favore illorum de
Lucianis fuerit colluſiva, & facta in
fraudem ſuorum Creditorum; quia
eo ipſo, quod Tarollius ſatisfactus re-
manſit, ut ſupra demonſtratum eſt, &
in omnem caſum retinet alia decem
Prædia, ſive eorum pretium, nulla in
ſuprad. retroceſſione, ſeu dimiſſione
conſiderari poteſt fraus, ſive colluſio
reſpectu Creditorum, quibus ex actu
ſuprad. nihil damni infertur; & ceſſan-
16 te tali damno, ceſſat per conſequens
quælibet ſuſpicio fraudis, & colluſionis;
Adden. ad Gregor. dec.157. n.27., Rot.
cor. Buratt. dec.365. n.3., & in recen.
dec.336. n.12. par.13.

Haud attento, quod Authores Aga-
thæ de Lucianis uſque de anno 1631.,
fuerint immiſſi in poſſeſſionem Præ-
dii -- *li ſacconi delli Maeſi* --, ex cujus
fructibus perceptis uſque ad an.1693.,
quo facta extitit dimiſſio, præſumi de-
beant ſatisfacti de omnibus fructibus
ſuprad. cenſus anni 1596., cujus cauſa
evenit eadem retroceſſio, ſeu dimiſſio
dd. duorum Prædiorum -- *La Mola de'*
Santi, e di Marano --, ultra quod de-
17 ficiente, ut dictum eſt, qualibet um-
bra damni ex d. retroceſſione reſpectu
Creditorum, non eſt per iſtos allega-
bilis hæc objectio intereſſe aliorum re-
ſpiciens; *L. loci corpus §. competit ff. ſi*
ſervit. vindicet., Bartol. in leg.2. §. De
except., Surd. conſ.1. n.51., Rot. co-
ram Bich. dec.698. num.21.; illud re-
movetur ex ipſo facto; dum d. Præ-
dium -- *Li ſacconi de' Maeſi* -- erat an-
nui reditus ſc.3. juxta Teſtes occaſione
reportatæ retroceſſionis in Judicio de-
ſuper promoto inductos ab illis de Lu-
cianis; qui quidem annuus reditus im-
par erat pro ſatisfaciendis fructibus de-
curſis in ſcut.80., uſque ad an. 1631.
reportatæ Immiſſionis, & inpoſterum
annuatim decurrentibus in ſumma ſcu-
tor.9., nam facto calculo, fructus ex d.
Prædio percepti per ſuprad. tempus non
aſcendunt niſi ad ſcut.186., quando e
converſo fructus cenſus decurſi tam an-
te d. immiſſionem, quam ex poſt con-
flant ſummam ſc.638.

Minime ſuffragante reſponſione, quod
idem Prędium tempore dimiſſionis erat
etiam invineatum, & tempore retro-
ceſſionis prędictę, juxta ea, quæ depo-
nunt ſupradicti Teſtes, fuerit reper-
tum arativum, & prativum, ac propte-
rea

rea omne damnum, quod ex hac mutatione fundi ſucceſſit, adſcribendum ſit dd. de Lucianis, qui retento Prædio in ſtatu vineæ potuiſſent percipere majores fructus; Quandoquidem omnis præſumptio militat pro legalitate d. retroceſſionis, ac veritate eorum omnium in illa expreſſorum; & ideo cum in illa admiſſum fuerit juxta depoſitionem dd. Teſtium Lucianos non valuiſſe percipere niſi fructus per eos expreſſos in d. quantitate annuorum ſcut.3., dicendum eſt gratia uberioris fructus d. Prædium e vineato redactum fuiſſe ad arativum,
18 & prativum, cum aliquando vineæ ſint potius damnoſæ, quam utiles propter majora infortunia, quibus ſubjacent, & quæ recenſentur a *Zaul. ad Stat. Faveni. lib.5. rub.39. n.14. tom.2.*

Pro rata tamen ſcut.40. crediderunt DD. competere Immiſſionem laudato Duci ad Prædium, ſive Caſtanetum -- *di Marano* --; quia Luciani in ſæped. retroceſſione, ſeu dimiſſione manualiter, & libere perſolverunt Joſepho Tarollio retrocedenti in complementum pactionatæ ſummæ ſcut.335. ſcut.40., quæ cum non ceſſerint in cauſam fructuum ſuprad. cenſus anni 1596., qui non excedebant ſc.295., non valet proinde pro hac rata impediri d. Immiſſio eidem Duci Salviato habenti hypothecata alia jura, quæ d. Tarollio ſuper eiſdem bonis competebant.

Et ita juxta hunc modum, & informantibus tantum illis de Lucianis, reliquis poſſeſſoribus non comparentibus, & aliquibus ex illis dilationem petentibus, ut ſupra narratum eſt, reſponſum fuit &c.

ROMANA, SEU SIGNINA SALVIANI SUPER RESERVATIS.

Ven. 5. Aprilis 1737.

ARGUMENTUM.

Hæres adeundo quaſi contrahit, & ſe obligat Creditoribus hæreditariis. Moderna poſſeſſio eſt alterum ex requiſitis Salviani; quæ tamen non bene probatur ex lite ſuſtentata ob aliam cauſam, quam poſſidendi. Cætera habes in argumento ſuperioris deciſionis.

SUMMARIUM.

1 *Qui non comparet ad impugnandam deciſionem, ejus firmitatem agnoſcit.*
2 *Inventarium probat pertinentiam bonorum deſcriptorum ad defunctum, donec contrarium oſtendatur.*
3 *Mulier poſt conſumptam medietatem dotis nulliter ſe obligat.*
4 *Jura conſumpta transferri nequeunt in Creditores poſteriores.*
5 *Deciſione ſolemniter acceptata per renuntiationem litis, nequeunt impugnari, quæ in ea firmantur.*
6 *Hæres adeundo quaſi contrahit, & ſe obligat Creditoribus hæreditariis;*
7 *Quibus proinde competit Immiſſio in Salviano ad bona vel hæreditaria, vel propria hæredis.*
8 *Moderna poſſeſſio eſt alterum ex requiſitis Salviani;*
9 *Quæ tamen non bene probatur ex lite ſuſtentata ob aliam cauſam, quam poſſidendi, & eum proteſtatione prætenſi Poſſeſſoris, quod nihil eum actore agere habebat.*
10 *Reo convento ſufficit reddere dubiam petitionem, ac intentionem actoris.*

DECISIO LXXV.

Conceſſa, ut dixi in mea contemporanea deciſione, aliquibus ex reis conventis per D. Ducem Salviati nova audientia adverſus deciſiones favore illius editas coram Rmo P. D. meo Decano in Rota Memorialium diei 4. Julii 1735., & devoluta ad me etiam quoad præd. cauſa, propoſui hodie hoc alterum dubium -- *An eſſet ſtandum; vel recedendum a deciſis* -- & DD. quoad *Hieronymum Cleti, Annibalem, & alios de Signoribus, Laurentium Vulpini, & Federicum Martucci* non comparentes, nec informantes *ſteterunt in deciſis*, ſufficiente ad demonſtrandam
1 firmitatem, & ſubſiſtentiam fundamentorum dd. deciſionum reſpectu ipſorum hac eorum contumacia, & negligentia; ex deductis in d. mea contemporanea deciſione §. *Et iſtorum omnium*.

Addentibus tamen DD. quoad *d. Laurentium Vulpini* poſſeſſorem quorundam bonorum in Voc. *Farneto, & Turrita*, quod non obſtant bina objecta

per eum excitata; non in præterita inſtantia, in qua ne comparuit quidem, nec jura ſua deduxit, ſed ſolum occaſione, qua in d. Rota Memorialium expoſtulavit novam audientiam; alterum nempe, quod pro parte Actoris probata non fuerit identitas, ſive potius quod d. bona tempore contractæ obligationis favore Auctorum ipſius Actoris non reperirentur in patrimonio Joannis Baptiſtæ Tarolli communis debitoris; & alterum, quod data etiam tali probatione, eidem Vulpino, uti cauſam habenti ab illis de Mannis, quorum favore uſque de anno 1682. ſeſe obligaverat Catharina Ghetti uxor d. Joannis Baptiſtæ ſuper evictione Prædii del *Sorbo* jam ſecuta, competat retentio, ſi non in vim jurium dotalium ejuſdem Catharinæ pro medietate longe ante d. annum 1682. conſumptorum, ut firmatur in *contemporanea deciſione* §. *Quo ſtante*; ſaltem in vim relevationis eidem Catharinæ competentis in bonis ſui viri pro reintegratione d. medietatis dotis uſque ab anno 1661., quo evenit recenſita conſumptio.

Quandoquidem primum objectum ceſſare viſum fuit ex eo, quod dd. duo corpora bonorum *Farneto*, & *Torrita* fuerunt deſcripta in Inventario bonorum hæreditariorum ſupradicti Joannis Baptiſtæ Tarolli, & inde ad inſtantiam Claræ ejus filiæ fuerunt ſubhaſtata, & deliberata pro reſiduo ejus dotis; unde hiſce concurrentibus innegabile remanet, dd. bona fuiſſe in patrimonio d.
2 Joannis Baptiſtæ; cum Inventarium bene probet, quod bona inibi deſcripta ſint, & pertineant ad defunctum; donec, & quouſque contrarium plene non probetur; *L. fin. in principio Cod. de arbitrio Tutor.*, *Rot. cor. clar. mem. Card. Falcon. dec. 8. n. 6. de ſociet.*, *& in Illerden. hæreditatis de Gomar. 9. Decembris* 1712. §. *Quantitas, coram bon. mem. Anſaldo.*

Et ſecundum recognitum fuit nullius penitus efficaciæ, ſive quia quæcunque
3 obligatio a Muliere facta poſt jam conſumptam medietatem ſuæ dotis remanet nulla, ac invalida; ita ut ex illa Creditoribus nullum jus efficax acquiratur; ut firmatur *in d. mea contemporanea deciſione* §. *Tantoque minus*; ſive etiam, quia dicta Catharina, antequam de anno 1682. ſeſe obligaret favore ſuprad. de Mannis Auctorum Vulpini, ex aliis præcedentibus obligationibus conſum-
4 pſerat etiam hæc jura præd. relevationis, ac propterea illa non potuiſſent transferri in dd. de Mannis Creditores poſteriores; ut ſimili modo firmatur *in eadem contemporanea deciſione* §. *Tum inſuper*; & præciſè contra dd. de Mannis alias firmatum fuit occaſione evictionis recenſiti Prędii del *Sorbo* ab hoc Sac. Tribunali coram R.P.D. Rezzonico, *ut ex deciſ. Romana*, *ſeu Signina Evictionis* 30. *Julii* 1732. §. 5., *&* 7. *cor. eodem*, quæ quidem deciſio cum fuerit
5 ab eiſdem de Mannis ſolemniter acceptata, mediante renuntiatione litis, non poſſunt amplius ea, quæ in ipſa firmatata fuere, in diſcrimen revocari; *Rot. cor. R.mo Criſpo deciſ.* 487. *n.* 4., *& in Romana Aſſociationis* 23. *Junii* 1713. §. *Minime cor. Em.o Aldrovando*, *& in Romana Hæreditatis Principiſſæ de Butero ſuper reverſione* 14. *Martii* 1735. §. *Quod autem. coram Me.*

Quo vero ad *Federicum Martucci* alterum Poſſeſſorem nonnullarum Manſionum cum Horto, & Puteo in via *S. Stefano* Civitatis Signinæ, licet non ſpecialiter, ſed tamen generaliter comprehenſum in præterita reſolutione, *ut ex dec. R.mi Decani ſuper Salviano* §. *Præjactis*, ſimili modo nullius efficaciæ recognita fuit objectio per eum excitata occaſione recenſitæ novæ audientiæ, quod nempe dd. bona non provenirent ex hæreditate Joannis Baptiſtæ Tarolli; quia cum anno 1705. illa empta fuerint a Joſepho Tarolli filio, & hærede ejuſdem Ioannis Baptiſtæ, vel præſumi debent iſtius hæreditaria, vel quatenus fuiſſent propria dicti Joſephi, ſemper remanſiſſent obnoxia hypothecæ jam contractæ favore Actoris per d. Joannem Baptiſtam ejus Patrem; cum hæres adeundo dicatur quaſi contrahe-
6 re, ac ſeſe obligare favore Creditorum hæreditariorum; *Leg. apud Julianum* 3. §. *Finali ff. quibus ex cauſis in poſſeſſione eatur*, *leg. Si quis abſentis* §. *Hæres quoque ff. de obligat.*, *& action.*, *Rot. coram Priol. dec.* 30. *n.* 26., & ſic etiam in

in hoc caſu locus eſſet Immiſſioni exSal-
7 viano in poſſeſſionem dictorum bonorum expoſtulatæ per Actorem; ad tradita per *Riminald.Jun. conſ.*190. *n.*35., *Rota cor. Celſo dec.*108. *n.*2., *& cor. Bich. dec.*161. *n.*1., *& cor. Molines dec.*551. *n.*4.

Quin obſtaret exceptio retentionis ex cauſa alterius medietatis dotis ſupradictæ Catharinæ Ghetti libere tranſmiſſæ in d.Joſephum ejus filium, & Auctorem d. Martucci; quia hæc etiam medietas conſumpta remanſit ex aliis obligationibus, ac diſtractionibus bonorum hæreditariorum ſuprad. Joannis Baptiſtæ Tarolli viri d. Catharinæ, & reſpective debitoris d.dotis per eundem Joſephum ejus filium emiſſis, ac factis ante d. annum 1705., quo d.bona vendita fuere Martuccio, ut concluditur *in dicta mea contemporanea deciſione §. Hæc*.

Quo verò ad *Joannem Baptiſtam Colutium* prætenſum detentorem unius Manſionis poſitæ in Civitate Signiæ,
8 DD. receſſerunt *a deciſis* ob non probatam ab Actore modernam poſſeſſionem d. Manſionis penes recenſitum Colutium; quod eſt alterum ex requiſitis neceſſariis judicii Salviani; *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. dec.*7. *n.*1. *tit. de Salvian. interdict.*, *& in rec. dec.*124. *n.*1.*part.*18.

Nec ad probandum tale requiſitum ſuffragari viſa fuit ſola ſuſtentatio litis ex parte Colutii per defenſores ipſius Actoris allegata; quia hoc evenit, ex quo Dux,non obſtante quod Colutius in judicium vocatus die 2. Aprilis 1734. proteſtatus fuiſſet, nihil habere agere cum eodem Duce, & nil poſſidere de bonis provenientibus a quond. Joanne Baptiſta Tarollio ſuo debitore, adhuc
9 non ceſſabat a moleſtando eundem Colutium; & propterea cum d.ſuſtentatio litis ſuccedat ex alia cauſa, quam illa poſſidendi, non eſt apta concludere d. aſſumptum, quod jam poſitive excluditur ob d. declarationem, ſive proteſtationem, ut declarat *Pacific. de Salvian. interdict. inſp.*1. *cap.*6. *n.*7., *Ridolphin. in prax. part.*2.*cap.*6. *n.*85., & cæterum ceſſabat in hac parte quælibet umbra difficultatis ex depoſitione duorum Teſtium deponentium, d. Colutium nullo modo poſſidere ſuprad. manſionem, omnino attendenda; cum reo
10 convento ſufficiat etiam dubiam reddere petitionem, ac intentionem Actoris; *cap. in præſentia de probat.*, *Rot. cor. Emerix. Jun. dec.*24. *n.*7., *& in rec. dec.*229. *n.*34. *par.*6.

Et in reliquis denique, ideſt quoad *Bernardum Priori* cum DD. non fuerint concordes, injunctum fuit, quod cauſa *iterum proponatur*.

Et ita &c, Informantibus tantum dictis Colutio, & Priori, reliquis verò non comparentibus reſolutum fuit.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE RHODIANIS.

Lunæ 8. *Aprilis* 1737.

ARGUMENTUM.

In fideicommiſſo progreſſivo vocatio alicujus, ejuſque deſcendentium intelligitur facta ordine ſucceſſivo; præſertim concurrente clauſula — *di grado in grado ordine ſucceſſivo*. In vocatione filiorum tot dicuntur conſtitutæ lineæ, quot ſunt filii, ubi ſtipes fuit unicus, deindeque diviſus fuerit in plures columnellos, tranſitus de uno ad alium columnellum non continet odium fideicommiſſi ſaltuarii. Quoties in deſcendentia fœminina diſtincta fuit linea maſculina a fœminina, & prima fuit prælata, prærogativa ſexus vincit prærogativam lineæ. Proximioritatis ratio habetur inter perſonas ejuſdem generis, & qualitatis, non inter diverſas. Quando fœminæ promiſcue vocantur cum maſculis, quibus deinde datur prælatio, iſti excludunt fœminas ejuſdem gradus, non vero proximiores; ubi vero maſculi ſemper vocantur excluſive ad fœminas, & ſeparata fuit deſcendentia maſculina, & fœminina, ac primæ data prælatio cum verbis perpetuitatem denotantibus, tunc maſculi, licet remotiores, & diverſæ lineæ excludunt fœminas proximiores. Cætera habes in Dec. LI.

SUMMARIUM.

1 *Fœminæ vocatæ in defectum omnium maſculorum ſuccedere nequeunt, quouſque aliquis maſculus ſuperſit.*

2 *Idem*

2 *Idem eſt prælationem expreſſe maſculis tribuere, ac vocare fœminas dumtaxat, ubi deficiant maſculi.*
3 *In fideicommiſſo progreſſivo vocatio alicujus, ejuſque deſcendentium intelligitur facta non ſimultaneè, ſed ordine ſucceſſivo.*
4 *Præſertim addita clauſula* -- di grado in grado ordine ſucceſſivo, -- *quæ convincit vocationem ſucceſſivam, & rejicit ſimultaneam.*
5 *Durum eſt, ut maſculi remotiores præferantur fœminis ultimo poſſeſſori proximioribus:*
6 *Præcipue concurrente d. clauſula* — di grado in grado ordine ſucceſſivo — *quæ præfefert prærogativam gradus, ac prælationem proximiorum*, & n. 11.
7 *Teſtator vocando filias, tot conſtituit lineas, quot ſunt filiæ.*
8 *Quando ab initio unicus eſt ſtipes, licet ejus deſcendentia dividatur, dicuntur efformari plures columnelli, non plures lineæ.*
9 *Et in hoc caſu, licet maſculi remotiores præferantur fœminis ultimo gravato proximioribus, ceſſat aſperitas fideicommiſſi ſaltuarii.*
10 *Ubi in deſcendentia fœminina diſtincta fuit linea, vel deſcendentia maſculina a fœminina, & prima fuit prælata, prærogativa ſexus vincit prærogativam lineæ.*
11 *Clauſula* — di grado in grado ordine ſucceſſivo — *inducit ordinem ſuccedendi, non prælationem proximioris:*
12 *Ad differentiam alterius clauſulæ*— ſalva gradus prærogativa.
13 *Proximioritatis ratio habetur inter perſonas ejuſdem generis, non diverſi & poſtpoſiti.*
14 *Quando vocantur certę perſonę qualificatę puta maſculi, ingreſſus in unam lineam fit revocabiliter, donec adſint tales perſonæ; quibus deficientibus eæ quæruntur in aliis lineis.*
15 *Quando fœminæ prius promiſcue vocantur cum maſculis, quibus deinde datur prælatio, iſti excludunt fœminas ejuſdem gradus, non vero proximiores.*
16 *Sub appellatione* deſcendentium *comprehenduntur tam maſculi, quam fœminæ, & vocantur*. & n. 18.
17 *Ubi verò vocantur maſculi excluſive ad fœminas ſemper, & in perpetuum, & ſeparatur deſcendentia maſculina a fœminina, primaque præfertur cum verbis perpetuitatem denotantibus, tunc maſculi licet remotiores, & diverſæ lineæ excludunt fœminas proximiores.*
18 *Nomine filiorum, & deſcendentium veniunt maſculi, & fœminæ.*
19 *Conditiones appoſitæ in diſpoſitiva repetitæ cenſentur in conditionali, quæ cum illa unam quodammodo diſpoſitionem efficit.*

DECISIO LXXVI.

Recedendo a deciſis ſub die 20. Junii anni 1735. cenſuerunt DD. in duabus ſucceſſivis Cauſæ hujus propoſitionibus ſecutis die 14. Maii, & 10. Decembris 1736., Com. Hieronymo a Porta Actori competere Immiſſionem in poſſeſſionem ratæ bonorum Fideicommiſſariorum Cæſaris de Rhodianis obventę Innocentio ejuſdem Com. Fratri, & poſſeſſæ a Com. Maria Eleonora, & Laura Roſalia iſtius filiabus, ex fundamentis deductis in duabus Deciſionibus ſub dd. diebus 14. Maii, & 10. Decembris coram Me proditis. Conceſſaque iterum eiſdem Sororibus adverſus dd. poſtremas reſolutiones nova Audientia, & denuo etiam revocatis hodie ad trutinam ſupradd. inter ſe pugnantibus Deciſionibus, non hæſitarunt iidem Domini perſiſtere *in ultimo loco deciſis*.

Subſiſtere namque, non obſtantibus deductis, ſeu potius repetitis pro parte dd. Sororum, recognitum fuit fundamentum poſtremæ reſolutionis in eo repoſitum, quod videlicet memoratus Cæſar Teſtator in Deſcendentia tam Maſculina, quam Fœminina Jacobi ejus Pronepotis, atque hæredis univerſalis voluerit ſemper Deſcendentes maſculos eſſe in concurſu præferendos fœminis, iſtaſque non eſſe admittendas ad ſucceſſionem, niſi in defectum maſculorum; & quod per conſequens, cum propter ceſſatam Deſcendentiam maſculinam, & ſic jam devolutum Fideicommiſſum ad d. deſcendentiam fœmininam, in iſta non reperiatur alter

ma-

maſculus, quam præcitatus Com. Hieronymus, huic omnino debeatur ſucceſſio in omnimodam excluſionem dd.
1 Sororum, quarum vocationis caſus, utpote reſtrictus ad deficientiam omnium maſculorum, non adhuc evenit, eo ipſo quod etiam nunc maſculi exiſtunt, ex Juribus allegatis in poſtrema Deciſione *dici* 10. *Decembris Superioris Anni* §. *Sequitur perneceſſe*, quibus adduntur *Fuſar. Conſil.* 10. *n.*3., & 4., *Gratian diſcept. Forenſ. cap.*272. *n.*29., & 30., *Rot. coram Zarat. dec.*15. *n.*3., & *in Recent. dec.*28. *num.*4. *part.*19.

Quod autem ſupra enuntiatus Teſtator exoptaverit, ac voluerit, maſculos ſemper præferri fœminis in utraque ex dd. Deſcendentiis, literaliter conſtat ex ejus Teſtamento, in quo ille præoculis habendo primam deſcendentiam maſculinam, defuncto Jacobo Antonio ejus Pronepote, atque hærede univerſali, ei ſubſtituit in infinitum omnes illius filios maſculos cum onere dotandi fœminas; & inde cogitando defectum horum Deſcendentium maſculorum, voluit, quod in hoc caſu ſuccederent Filiæ fœminæ Jacobi Antonii hæredis, & ulterius ſe ſe revolvendo ad progreſſum hujus Deſcendentiæ, ordinavit, quod eiſdem fœminis ſuccederent omnes earum Deſcendentes maſculi; & denique conſiderando iſtorum defectum, in hoc caſu vocavit fœminas, ut ex verbis d. Teſtamenti hic non inutiliter repetendis ibi — *Al quale Giacomo Antonio ſoſtituiſco li ſuoi Figli Maſchj, ed altri Diſcendenti Maſchj, legittimi, e naturali, che da lui naſceranno in infinitum, ed in perpetuo di legittimo Matrimonio, con peſo di dotare di dote conveniente le Figlie Femmine, che naſceranno da eſſo Giacomo Antonio, e tutti li Diſcendenti Maſchj &c., e caſo, che d. Giacomo Antonio veniſſe a Morte, ſenza Figli Maſchj nati di legittimo Matrimonio, in tal caſo nella ſua Eredità ſuccedano, ſiccome adeſſo ſoſtituiſco le Figlie Femmine nate da eſſo Giacomo Antonio mio Erede legittime, e naturali, e tutti altri loro Diſcendenti Maſchj legittimi, e naturali, ed in caſo di mancamento de' Maſchj le Femmine in infinito*.

Ideoque ſi dict. Cæſar de Rhodianis Teſtator ſeparavit utramque Deſcendentiam; ſi inſuper defecta deſcendentia maſculina vocavit deſcendentiam fœmininam, ideſt dd. filias fœminas, ac iſtarum omnes deſcendentes maſculos; et ſi tandem in iſtorum maſculorum defectum vocavit fœminas in infinitum, remanet pluſquam evidens, ipſum Teſtatorem in utraque deſcendentia voluiſſe perpetuam maſculorum prælationem ſupra fœminas, licet de hac prælatione non fiat expreſſis verbis mentio in dicto Teſtamento. Cum idem ſit dicere; quod maſculi præfe-
2 rantur fœminis, ac jubere, ut fœminę ſuccedere debeant dumtaxat, quotieſcunque deficiant maſculi, in quo unicè conſiſtit ſubſtantia ejuſdem pręlationis; *ad Text. in leg. Teſtamento ff. de hæred. Inſtituen.*, *Surd. conſil.*403. *n.*10., *Altograd. conſil.*60. *n.* 105., & *conſ.*97. *n.*45., *Rot. in Recen. dec* 593. *n.*1., & *ſeq. part.*2., & *dec.*133. *per tot. part.*9., & *d. dec.*28. *n.*2. *part.*19., & *in Bononien. Fideicommiſſi de Beninis* 8. *Maii* 1711. §. *Hiſque demonſtratis cor. bon. mem. Anſaldo*.

Quæ cum apertiſſima ſint, nullam profecto dubitandi rationem admittunt ex illa ponderatione pro parte Sororum facta, quod Teſtator in defectum Deſcendentiæ maſculinæ Jacobi Antonii ſubſtituendo — *le Figlie Femmine nate da eſſo Giacomo Antonio mio Erede legittime, e naturali, e tutti altri loro Diſcendenti Maſchj*, ſimultanee, ac promiſcue invitaverit ad ſucceſſionem maſculos, & fœminas attenta dicta dictione copulativa *E*, quę videtur excludere ſaltem in dicto caſu d. prælationem ſuapte natura reſpuentem promiſcuam ſucceſſionem maſculorum,
3 & fœminarum; quia cum hic agatur de Fideicommiſſo progreſſivo, vocatio Filiarum Jacobi Antonii, ac omnium earum Deſcendentium maſculorum intelligitur facta ordine ſucceſſivo, itaut Filii ſuccedant poſt obitum eorum Matrum, non autem ſimultanee, & promiſcue una cum illis; ut cohęrenter ad *Text. in l. eum ita* §. *In Fideicommiſſo ff. de legat. tradunt Fuſar. de ſubſtitut. quæſt.*358. *a n.*1., *Mantic. de conject.* ulti-

*ultimar. volunt. lib.*8. *tit.*12. *num.*3., *Rocc. diſput.Jur. ſelect.cap.*29. *n.*5., *&* *ſeq.*, *Fattinell. reſponſ.*70. *n.*5., *Rot. cor. bon. mem. Molines dec.*719. *n.*9., *&* *in Rec. dec.*97. *n.*10., *&* *dec.*574. *n.*7.*part.*4., *&* *dec.*127.*n.*18., *&* *ſequen.part.*6., *&* *in Piſana Juriſpatronatus* 26. *Junii* 1709. §. *Taliſque cum ſeq. cor. clar. mc. Card. Priolo*. Potiſſimum dum idem Teſtator d. vocationem fœminarum, & earum deſcenden-
4 tium maſculorum complevit verbis — *di grado in grado ordine ſucceſſivo* — quæ clariſſime convincunt ſeriem, & ordinem ſucceſſivum, & directe rejiciunt quamcunq. ſucceſſionem ſimultaneam; *Mart. de ſucceſſ. legal. par.*4. *quæſt.*21. *art.*3. *n.*28., *&* *ſeq.*, *Rot. cor. Caprar. dec.*47. *n.*10., *&* *cor. Emerix Jun. dec.* 1116. *n.*4., *&* *in rec. dec.*465.*n.*12., *&* 13. *par.*12., *&* *in Balneoregien.Fideicommiſſi* 6. *Febr.*1708. §. *Contrariis cor. clar. mem.Card. Scotto*.

Non refragante repetita objectione, quod prælatio maſculorum ſupra fœminas intelligenda veniat demandata diſcretive in qualibet linea, ideſt quod tunc præferantur maſculi, quando iſti una cum fœminis reperiantur in una, eademque linea, minime vero, quando maſculi exiſtant in una linea, & in alia exiſtant fœminæ dumtaxat, & ſic de linea ad lineam, cum hoc videatur
5 nimis durum, & contrarium juri naturali, quod maſculus remotior præferatur fœminis in gradu proximioribus ultimo poſſeſſori fideicommiſſi ſignanter in hoc caſu, in quo, ut mox dictum eſt, Teſtator deſignavit ſucceſſionem —
6 *di grado in grado ordine ſucceſſivo* — & ſic videtur deſideraſſe, ac exoptaſſe prærogativam gradus, ac prælationem proximiorum in concurſu remotiorum; juxta *dec. in Romana Fideicommiſſi de Maffiolis* 22.*Martii* 1694. *cor.cl. mem. Card.Priolo impreſſ.in Mantiſſ.ad Card. de Luc. dec.*22. *lib.*10. *vol.*2., *&* *alteram dec. in eadem cauſa cor. Emerix, Jun. la* 1262., *&* *cor.bon. mem. Lancetta in Aſten.Prioratus ſuper pertinentia dec.*424. allegatas pro parte Sororum; & conſequenter cum Com. Hieronymus Actor reperiatur in linea diverſa ab illa, in qua exiſtunt dd.Sorores, & in qua ingreſſum fuit fideicommiſſum, & ſit remotior in gradu ultimo defuncto, nullo modo præferendus veniat in ſucceſſione eiſdem Sororibus diverſæ lineæ, & in gradu proximioribus.

Siquidem iterum per DD. animadverſum fuit, hujuſmodi diſcurſum non ſubſiſtere nec in antecedenti ſuper ſuppoſito diverſitatis linearum, nec in conſequenti; & agendo de primo, certum, & indubitatum eſt in facto, quod ſupra enuntiatus Teſtator poſt vocatos omnes filios maſculos, ac deſcendentes maſculos Jacobi Antonii primi hæ-
7 redis, in eorum defectum ſubſtituit — *le figlie femmine nate da eſſo Giacomo Antonio &c. e tutti altri loro diſcendenti maſchj legittimi, e naturali* —, & ita in hac deſcendentia a fœminis incipiente tot lineas conſtituit, quot fuiſſent fœminæ, quæ ſucceſſiſſent in d. caſu; Qua propter cum ex memorato Jacobo Antonio ortæ fuerint duæ tantum fœminæ, nempe Virginia, quæ nupta fuit in domo Raſpona, & Laura nupta Franciſco a Porta: & ex hac ultima ortus fuerit Carolus, & ex iſto Com. Hieronymus Actor, & Innocentius Pater ſupradictarum Sororum; conſtat evidenter
8 tam eundem Hieronymum, quam eaſdem Sorores procedere ex una, eademque linea, quę incepit, ac efformata fuit a d.Laura, licet talis linea ſubdiviſa remanſerit in Hieronymum, & Innocentium Fratres: quia hæc ſubdiviſio inducit quidem duos columnellos, non autem deſtruit unicitatem lineæ, nec conſtituit lineas diverſas; ut firmatum fuit in utraque præterita deciſione, in prima nempe diei 14. Maii 1736. §. *Et ex his*, *&* *in ultima diei* 10. *Decembris ejuſdem anni* §.*Hiſce conſtabilitis*, & ultra ibidem adductos tradunt, *Gratian, diſcept. forenſ. cap.*813. *n.*31., *&* 32., *Artman. Piſtor. quæſt. Jur. lib.*2. *q.*35. *n.*20.*in fine verſic.certum eſt*, *&* *n.*21., *Card. de Luc.de Jurepatr. diſc.*33. *n.*4., *Rot.in Mantiſſ.ad Card.de Luc. dec.*86. *n.*20. *lib.*10. *tom.*2., & conſequenter ceſſante ſuppoſito diverſitatis linearum,
9 cum agatur de tranſitu bonorum non de linea ad lineam, ſed de columnello ad alterum columnellum ejuſdem lineæ,

neæ, ceſſat etiam quæcunque aſperitas fideicommiſſi ſaltuarii conſiderata per Sorores, & firmum remanet, iſtas non eſſe admittendas ad ſucceſſionem in Comitis Hieronymi maſculi ejuſdem lineæ excluſionem; ex probatis per *bon. mem. Anſald. in diſſert.16. ſub n.8. verſ. neque cum ſeq. apud Paulut.*, *& firmavit Rot. in Bononien. fideicommiſſi de Urſis 26. Martii* 1708. *§. Non obſtante cum ſeq. cor. bon. mem. Molines.*

Prętereа perſpectum fuit, dd. Sororum ratiocinationem corruere etiam in conſequenti, ideſt etiam in caſu, quo d. ſubdiviſio in duos columnellos induceret veram, ac formalem diviſionem unicę lineę efformatę a recenſita Laura communi ſtipite in duas partes, ideſt in alteras duas lineas; Nam Teſtator in caſu, quo, ceſſata deſcendentia maſculina, fideicommiſſum fuiſſet ingreſſum in fœminas ex Jacobo Antonio hęrede inſtituto, iſtis ſubſtituit omnes earum deſcendentes maſculos in perpetuum, & in illorum omnium defectum
10 tantum vocavit fœminas in iufinitum ibi -- *e tutti altri loro diſcendenti maſchj, ed in caſo di mancamento de' maſchj le femmine in infinito* -- & ſic in hacmet deſcendentia fœminina conſideravit, ac ſeparavit lineam maſculinam a fœminina, anteferendo primam huic ultimę, proindeque cum niſi admittatur ſubſtitutio reciproca de linea ad lineam favore omnium prędictorum maſculorum deſcendentium, non ſit verificabilis eorum omnium perpetua ſucceſſio in fideicommiſſo in excluſionem omnium fœminarum, & reſpective iſtarum perpetua admiſſio in illum unicum caſum defectus omnium maſculorum, hinc ſequitur in conſequens neceſſarium, quod ad ſalvandum effectum hujus clarę voluntatis Teſtatoris, dicendum omnino ſit, illum voluiſſe, quod quando in quacunque linea adeſſent maſculi, vel maſculus, iſti omnino pręferrentur fœminis exiſtentibus in aliis lineis, & ſic quod pręrogativa illa qualitatis maſculinę vinceret pręrogativam lineæ; ut pariter firmatum fuit in utraque deciſione, in prima nempe *§. Tum inſuper*, & in ſecunda *d. §. Hiſce conſtabilitis*, & ultra ibidem relatos tradunt *de Luc. de lin. leg. tit.12. n.27., & ſeqq., Caren. reſolut.128. n.13., & 14., Rocc. diſp. jur. ſelect. cap.190. n.33., & 34.*, ubi plures alios colligit, *Rot. cor. Zarat. ſuprad. dec.13. n.4., & in rec. dec.183. n.11., & 12. par.10., & in Oppiden. Beneficii 7. Maii* 1703. *§. Haud relevante cor. bon. mem. Muto, & in Romana, ſeu Interamnen. Fideicommiſſi 2. Martii* 1706. *§. Verum quia coram bon. mem. Cerro, & in Peruſina laudi ſuper Fideicommiſſo 26. Januarii* 1731. *§. Et quidem cor. Rmo P. D. meo Calcagnino Decano.*

Abſque eo quod in hoc caſu animadverſionem aliquam mereantur nec proximioritas Sororum reſpectu gravati, ſive ultimi poſſeſſoris fideicommiſſi, quę ſupponitur pręſervata in ſuprad. verbis -- *di grado in grado, ordine ſucceſſivo* --, nec ęquitas circa pręrogativam lineę admiſſę, ubi fideicommiſſum fecit primum ingreſſum; quia in ordine ad proximioritatem, ultra quod dd. ver-
11 ba -- *di grado in grado, ordine ſucceſſivo* -- ut ſupra dictum eſt, non inducunt niſi ordinem ſuccedendi, minime verò involvunt ullam prędationem proximioris ex authoritatibus allegatis ſuperius *§. Quæ cum apertiſſima*, & in ſpecie
12 diſtinguendo d. clauſulam ab altera -- *ſalva gradus prærogativa* -- dixit -- *Rota in ſuprad. Balneoregien. Fideicommiſſi 6. Februarii* 1708. *§. Contrariis procedentibus cor. clar. mem. Card. Scotto*; Eo ipſo, quod Teſtator voluit omnes maſculos in perpetuum ſuccedere in excluſionem fœminarum, quodque iſtę non admittantur, niſi in caſu, quo
13 iſti omnes defecerint, d. proximitas unice attendenda eſt, ubi durat deſcendentia maſculina inter ipſos maſculos ſuccedere contendentes, vel inter ipſas fœminas pariter ſuccedere contendentes, ubi omnes maſculi defeciſſent; non autem, quando, ut in caſu, adſunt maſculus, ac fœmina, & hęc ultima uti proximior contendit excludere maſculum remotiorem, quia cum reſpectu ipſius, durantibus maſculis, deficiat ſubſtantia vocationis, remanet inefficax quęcunque proximioritas, veluti concurrens in perſona exiſtente extra genus vocatum primo loco, & cum prę-
latio-

latione ſupra ipſam; *ad Text. in cap.1. de eo, qui ſibi, vel hæredibus ſuis in uſib. feud., Bald. conſ.137. n.1. in fin. lib.2., Rocc. diſp. Jur.cap. 3. n.23., & 26., Molin. de Primogenit. Hyſpan. lib.3. cap.8. n.7., & ſeq., Caſtill. controv. Jur. lib.5. cap.93., Torr. var. Jur. quæſt. tit.2. quæſt.20. n.29., & quæſt. 21. n.7.*

Tantoque minus ullam animadver-
ſionem meretur æquitas circa prærroga-
tivam lineæ admiſſæ ex mox d. ratione,
quod,quando vocatio eſt directa ad cer-
14 tas perſonas qualificatas, nempe ma-
ſculos, ingreſſus in aliquam lineam di-
citur fieri revocabiliter, donec nempe
in illa extent maſculi, quibus extinctis
fideicommiſſum, excluſa illa perſona,
quæ non habet qualitatem maſculini-
tatis, ut eſt fœmina, tranſit ad aliam
lineam, ubi reperiuntur qualificati,ſeu
maſculi; ut explicant; *Gratian.diſcept.
forenſ. cap.218. n.73., Rocc. diſp. Jur.
d. cap.3. n.23., Rot cor. Dunozet. ſen.
dec.315. n.4., & cor. Priol. dec.7. n.3.
verſic. vel quia.*

Quibus non adverſantur auctorita-
tes allegatæ pro parte Sororum in
contrarium, & in ſpecie ſupradd. *De-
ciſiones in Romana Fideicommiſſi de
Maſſiolis 22. Martii 1694. cor. clar.
mem. Card. Priolo impreſſ. in Mantiſſ.
ad Card. de Luc. lib.10. dec.22. tom.2.,
& ſub die 10. Junii 1695. cor. Emerix
Jun. inter illius impreſſ. dec.1262.* fir-
mantes prælationem Maſculorum in
concurſu fœminarum intelligendam eſ-
ſe reſpectu illarum fœminarum in eo-
dem gradu exiſtentium, in quo maſculi
15 exiſtunt, non vero ſi iſti ſint remo-
tiores; quia loquuntur in terminis, in
quibus hæredi inſtituto promiſcue, ac
æqualiter ſubſtituti fuere ejus filii, &
deſcendentes, & ſic tam maſculi, quam
fœminę comprehenſæ ſub illo collecti-
vo nomine — *diſcendenti* — & inde da-
16 ta prælatio maſculis ſupra fœminas;
unde non applicantur ſubjectæ hypo-
theſi, in qua, ut ſupra viſum eſt, nun-
17 quam fœminæ promiſcue vocatæ le-
guntur una cum maſculis, ſed ſemper
iſti vocati ſunt excluſive ad ipſas fœmi-
nas, & quidem ſemper, & in perpe-
tuum, prævia ſeparatione deſcenden-
tiæ maſculinæ ab altera deſcendentia
fœminina, & primam præferendo ſe-
cundæ, quæ admitti noluit, niſi in de-
fectum omnium maſculorum; in qui-
bus circumſtantiis potius ſuprad. deci-
ſiones favent intentioni Comitis Hie-
ronymi, ajendo, quod, quando eſt ſe-
parata linea maſculina a fœminina, &
ipſamet vocatio maſculorum ſupra fœ-
minas eſt munita verbis perpetuitatem
denotantibus, ut hic, ſemper maſculi li-
cet remotiores præferantur fœminis, &
ſic proximioribus; *ut ex d. dec.22. n.11.,
& 12. in Mantiſſ. ad Card. de Luc. lib.
10. tom.2., & cor. Emerix. Jun. d. de-
ciſ.1262. n.4., & ſeqq.*

Denique nullius pariter momenti
conſiderata fuit alia repetita objectio,
quod Cęſar de Rhodianis Teſtator,
quando ſe convertit ad ſubſidiariam
ſubſtitutionem Locorum Piorum, po-
18 fuerit in conditione defectum Filio-
rum tam Jacobi Antonii, quam ejus
deſcendentium illis verbis, *e caſo, che
d. Giacomo Antonio moriſſe ſenza figli,
ò vero li ſuoi Diſcendenti in qualſivo-
glia tempo moriſſero ſenza figli, ed in
tal caſo ſoſtituiſco in d. mia Eredità per
la metà la Compagnia &c.* Et ſic ęque
Maſculos, ac Fœminas, ut deciſum
fuit *cor. Dunozzett. Jun. dec.499.*

Etenim idem Teſtator id non egit ad efficiendam novam, & ſeparatam vocationem Perſonarum diverſi generis, ſed quia nolebat eadem Loca Pia ſuccedere debere, niſi in eo peremptorio caſu, quo nullus alius exiſteret in deſcendentia tam Maſculina, quam Fœminina ſępedicti Jacobi Antonii; cum namque d. Teſtator in illa prius vocaſſet deſcendentes Maſculos, & in defectum Maſculorum Fœminas, omnis ratio exigebat, ut volens dare ſubſtitutos extraneos, ubi non adeſſent nec Maſculi, nec Fœminę, poſtremam ſubſtitutionem inciperet ſub dd. verbis conditionalibus, ac complexivis Maſculorum, etiam ſuperexiſtentia Fœminę eſſet impedimenti, ne hęreditas devolveretur ad Loca Pia; at non tollit illum ordinem ſuccedendi pręſtitutum in partibus antecedentibus, ac in toto Teſtamento prius favore Maſculorum, & deinde favore Fœminarum, & rurſus

ſus

ſus erga illarum Maſculos cum reſer-
vatione ſucceſſionis erga fœminas, quo-
tieſcunque nullus exiſteret Maſculus ;
Idque ex ea indeclinabili connexione,
quam habent inter ſe pars conditiona-
lis, & diſpoſitiva, ita ut omnes condi-
19 tiones appoſitæ in diſpoſitiva intelli-
gendæ quoque ſint in parte conditio-
nali, & ex utraque una quodammodo
efficiatur diſpoſitio ; & licet Laura, a
qua collitigantes deſcendunt, una cum
Virginia Sorore juxta d.partem condi-
tionalem admiſſæ fuerint ad ſucceſſio-
nem, *ut ex d.dec.499. cor.Dunoz.Jun.*,
attamen hoc evenit, quia tunc nullus
aderat Maſculus, qui poſſet contende-
re de prælatione, & cum d. objecto
late ſatisfaciant poſtremæ *deciſiones co-
ram Me*, ſatius putarunt DD. ad fir-
mata in eiſdem in hac parte remiſſive
ſe habere.

Et ita videntibus etiam quinto, & ſexto ex DD.reſponſum fuit utraque parte jura ſua ſtrenue deducente &c.

ROMANA ASSOCIATIONIS,

Lunæ 8. *Aprilis* 1737.

A R G U M E N T U M.

Hæres etiam mediatus tenetur proportionabiliter ad debita Authoris : ob adjudicationem fundi cenſiti ex juribus anterioribus extinguitur cenſus ; qui conſiſtere nequit ſuper melioramentis, ſi ad debitorem cenſus non pertineant. Debitor cenſus fideicommiſſarii non liberatur illum extinguendo libere in maribus gravati, ſi ille emptus in origine fuit pecuniis fideicommiſſariis, & in impoſitione adjecta fuit lex reinveſtiendi eveniente reſtitutione ; ſecus ſi emptus fuit ante conſtitutionem fideicommiſſi, & ſine d.pacto.

S V M M A R I V M.

1 *Deciſiones incidenter examinandæ non ſunt, ſed ſupponendæ.*
2 *Hæres etiam mediatus tenetur proportionabiliter ad debita Authoris.*
3 *Deficiente credito ceſſat fundamentum aſſociationis.*
4 *Ob adjudicationem fundi cenſiti ex juribus anterioribus extinguitur cenſus.* & ſub n.13.
5 *Creditum extinctum impedire nequit factum adjudicationis ex credito anteriori.*
6 *Cenſus conſiſtere nequit ſuper melioramentis, quæ ad debitorem cenſus non pertinent.*
7 *Sortis ſolutio extinguit cenſum.*
8 *Debitor non liberatur per liberam extinctionem cenſus fideicommiſſarii in manibus hæredis gravati ; ſed deponere tenetur ſortem apud Ædem Sacram ad effectum inveſtiendi :*
9 *Quod procedit, quoties cenſus in origine emptus fuiſſet pecuniis fideicommiſſariis, & in impoſitione fuiſſet adjecta lex ſuper reſtitutione facienda ;*
10 *Secus, ſi cenſus impoſitus fuiſſet ante conſtitutionem fideicommiſſi ſine præcepto reinveſtiendi eveniente reſtitutione.*
11 *Ubi actus eſt publice, & ſolemniter geſtus, & abeſt cauſa ſimulandi, ſimulatus dici nequit.*
12 *Dolus plene probandus eſt.*
13 *Enuntiativæ aſſerti Creditoris circa qualitatem hæreditariam alicujus nihil probant.*
14 *Cenſu extincto fruſtra reſervantur jura pro illius conſecutione.*

D E C I S I O L X X V I I.

Cum beneficio novæ audientiæ adverſus *deciſionem per Me evulgatam ſub die 3.Decembris anni præter elapſi*, iterum Mariæ Camillæ, & Mariæ Joannæ Sororibus de Urſinis, tanquam hæredibus fideicommiſſaris bon. mem. R.P.D. Marcelli Stella, datum fuiſſet proponere, eis debitam eſſe aſſociationem de cætero *in d. deciſione* denegatam ſuper domibus poſitis e conſpectu Cloacæ S.Luciæ, nunc titulo emptionis poſſeſſis a Fratribus de Ottinis, quæque a præfatis Actricibus contendebantur obnoxiæ quibuſdam cenſibus fideicommiſſo ſuppoſitis a d.bon.mem. R.P.D.Marcello Stella ; Idcirco conſuetum hoc mane propoſui dubium, videlicet — *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis* — de quo tamen diverſa forte certatum non eſt, dum reſponſum habui pro perſiſtentia *in deciſis*.

Nedum enim placuit denuo, aſſociationem denegandam eſſe, quia licet

d. bon.mem. R.P.D. Marcellus transla-
tive acquiſiviſſet præcitatos cenſus ab
eorum Creditoribus, nihilominus cum
1 ex deductis *in dec.33. cor.Bichio* hodie
ſupponenda, fuiſſet hæres ſimplex Mar-
tii de Jordanis eorundem cenſuum de-
bitoris, ideo tum eidem R. P. D. Mar-
cello, cum prædictis Actricibus ſemper
obſtaret pro portione, in qua ipſe
R. P. D. Marcellus fuit hæres debitoris,
2 diſpoſitio *Textus in leg. Vindicantem ff.
de evict. ion.*, Verum etiam arriſit, eoſ-
dem cenſus in ſorte ſcut.900. jam jam
extinctos fuiſſe; propptereaque dubita-
tum non eſt, quin aſſociatio foret de-
neganda pro portionibus etiam, pro
quibus R. P. D. Marcellus non fuit hæ-
3 res debitoris; Deficiente ſiquidem cre-
dito, ceſſat quoque hujus Judicii fun-
damentum; ut ponderat *dec. quæ revi-
detur §. Finali*.

Et ſane de extinctione dictorum cen-
ſuum ambigi nequit, ponderando, quod
ſi præfatæ domus adjudicatæ fuerunt de
anno 1588. Portiæ Sorori Martii cen-
ſuum Impoſitoris, ac Aviæ Franciſci
Stella earundem domorum venditoris,
in ſatisfactionem crediti dotalis ipſius
Portiæ jam pridem a Sebaſtiano com-
muni Patre debiti, vigore ſtipulatæ pro-
miſſionis dotis; perſpicuum inde fit, con-
4 troverſos cenſus uſque de d. tempore
extinctos remanſiſſe; juxta deducta in
puncto per *Rot. cor. Ludoviſ. in dec.88.
n.4., & 6.*, conſequenterque haud am-
plius proponibiles eſſe ad impediendum
5 effectum prædictæ adjudicationis ex cre-
dito anteriori effectuatæ; *Rot. in Roma-
na Cenſus 30. Aprilis 1702. §. Final.
cor. bon. mem. Omanna*; *In Callien. li-
berationis a moleſtiis 14. Januar. 1709.
§. Abſque cor. Emo, & Rmo D. Card.
Aldrovando, & in Romana Immiſſio-
nis 2. Decembr. 1726. cor. Rmo Decano*.

Quin obſtet, quod pretium domo-
rum aſcenderet ad ſcut.3600. juxta em-
ptionem factam ab Andrea de Ottinis,
proindeque controverſi cenſus adhuc
durent, per hoc quod ſuſtineri potue-
runt pro ſumma pretii earundem do-
morum ſuperante dictam Portiæ do-
tem; Etenim dum in actu adjudicatio-
nis Portiæ factæ uſque de d. anno 1588.
conſtat præcitatas domos, mediante pu-
blici periti jurata æſtimatione de eo
tempore exarata, non aſcendiſſe, niſi
ad pretium ſcut.1585.20.; Inde fit ne-
ceſſario poſt tanti temporis lapſum di-
cendum eſſe augmentum pretii ipſarum
domorum contigiſſe ex meliorationi-
bus factis, vel a Portia, vel a Franci-
ſco Stella Auctore Fratrum de Ottinis,
ſuper quibus melioramentis profectò
6 inane eſt contendere, d. cenſus vivos
remanſiſſe, utpote quæ in bonis debi-
toris cenſus computari nequaquam da-
tum eſt; *Cenc. de Cenſib. quæſt.25. ſub
n.10. §. Cæterum in fin.*

Eoque magis inſubſiſtentia aſſumpti
detegitur, perlegendo Iuſtrumentum
Tranſactionis de anno 1660. celebra-
tum inter præcitatum Franciſcum, a
quo cauſam habent Fratres de Ottinis,
& Laurentium Cianti hæredem Pauli,
& Camilli Fratrum dicti R.P.D. Mar-
celli, aliorumque Cenſuum debitorum;
ex eo ſiquidem apparet, eundem Fran-
ciſcum recepiſſe ſummam ſcutor.1000.
pro reſiduo, & finali ſolutioue ſor-
tium, & fructuum omnium prædicto-
rum Cenſuum; Quapropter eo minus
ſuſtineri poteſt, præcitatos Cenſus ad-
huc vigere ſuper dictis Domibus pro
ſumma pretii excedente Portiæ dotem;
cum omnimoda de dicto anno 1660.
dici debeat inducta præfatorum Cen-
7 ſuum extinctio; Vulgatum quippe eſt,
ex ſortis ſolutione Cenſum extingui;
Felician. de Cenſib. lib.3. in fin., *Rot.
poſt Cenc. de Cenſib. in dec.531. n.11.*,
*& in Romana Cenſus 4. Februar. 1705.
cor. bon. mem. Omanna*.

Neque adverſus hæc quidquam pro-
fuit Actricibus proponere, quod hic
ageretur de Cenſibus Fideicommiſſo
ſubmiſſis a ſæpedicto R.P.D. Marcello,
quodque præfatus Franciſcus nullam
aliam gerere potuiſſet figuram in reci-
pienda finali ſolutione ſortis dictorum
Cenſuum, quam illam hæredis gravati,
8 atque ideo hujuſmodi extinctio in ma-
nibus ipſius facta nullam Debitori li-
berationem parere valuiſſet, cum in
facultate Debitoris non ſit Cenſus Fi-
deicommiſſarios libere extinguere in
manibus hæredis gravati, qui hoc pa-
cto fideicommiſſum impune evertere
potuiſſet, ſed ſortes Cenſus idem Debi-
tor

tor tenebatur in Æde Sacra deponere, pro effectu illa inveſtiendi ad commodum Fideicommiſſariorum, juxta fusè probata per *Rot.coram clar.mem. Card. Falconer. dec.3. n.4. titul. de Cenſib., in Romana Cenſus* 18. *Januarii* 1702. *§. Nec relevat. coram bo.me. dell'Olmo, & in Romana Salviani* 2. *Julii* 1728. *§. Et quamvis. coram bon.mem.R.P.D. Cornelio*.

Siquidem quidquid ſit, ubi Cenſus in eorum origine ex pecuniis fideicom-
9 miſſariis empti fuiſſent, & in Inſtrumento eorum impoſitionis adjecta fuiſſet lex, juxta quam reſtitutio facienda eſſet, qua ſubinde neglecta Debitor extinxiſſet eoſdem Cenſus, in quibus terminis loquuntur nuper *allegatæ Auctoritates*; Diverſimodè tamen res procedit in caſu, in quo Cenſus jam ante
10 ordinationem Fideicommiſſi reperirentur creati, prout in hypotheſi, nullaque in Inſtrumento impoſitionis adjecta fuiſſet lex reinveſtimentum præcipiens de tempore, quo Debitor voluiſſet extinguere Cenſum; hoc nanque in caſu idem Debitor plenariam conſequitur liberationem, ſolvendo etiam in manibus hæredis gravati, utpote nullum aliud habens onus, quam proprium perſolvendi debitum; ut ad caſum optime diſtinguunt *Cenc.de Cenſib. quæſt.*109. *num.*59., *Fontanell. de pact. nupt. clauſ.*4. *gloſ.*18. *part.*5. *num.*9., *Card. de Luc. diſc.*23. *de Cenſib. n.*25. *verſic. attamen, Sicul. deciſ. Sicil.*79. *n.*16, *& ſeqq.*, *& Rot. cor. Remboldo in dec.*569. *n.*11.

Nec inapplicabilitatem hujus regulę ſuadere potuit oppoſita ſimulatio, aut dolus, cum quibus proceſſiſſe dicebantur memorati Laurentius, & Franciſcus, dum devenerunt ad prænarratam finalem dictorum Cenſuum extinctionem: Quandoquidem ſolutio ſcut.1000. facta in omnimodam eorundem Cen-
11 ſuum extinctionem, exarata apparet mediante deſuper enuntiato publico ſolemni tranſactionis Inſtrumento poſt formalem litis conteſtationem celebrato; proculque abeſt cauſa ſimulandi, quæ nec per umbram aſſignatur pro parte dictarum Sororum; Merito itaque concludi poteſt terminos ſimulationis longe abeſſe; *Rota in Reatina Manutentionis* 18.*Martii* 1713. *§. Deſcendere cor. clar. mem. Card. Scotto, & in Peruſina Pecuniaria* 30. *Januarii* 1736. *§. Advertendo. coram R.P.D. meo Rezzonico*; Quemadmodum dicen-
12 dum eſt de aſſerto dolo, ſimpliciter quippe allegabatur, quando de cætero concludentibus probationibus ſemper probari debet; *Rot. cor. bo.mem. Molines in dec.*692. *num*4., *&* 5. *tom.*3. *part.*1., *& in Recineten. Salviani* 24. *Martii §. Spreta coram R. P. D. meo Nunez*.

Minus denique ſuffragari valuit objicere, quod ſicut Franciſcus in actu prænarratæ totalis Cenſuum extinctionis de anno 1660. in ipſius manibus factæ, ſibi reſervavit jura conſequendi ratas eorundem Cenſuum tangen. aliis ex tribus filiis Martii, Lelio ſcilicet, Scipioni, & Sebaſtiano, ita innegabilis ſit duratio eorundem Cenſuum, ſaltem pro his tribus portionibus; Ultraquamquod enim nullibi conſtat, dictos alios tres Filios Martii fuiſſe illius hæredes, ipſiſque certè hæc qualitas impingi nequit, ex eo quod enuntiati fuiſſent hæredes ejuſdem Martii a dicto Franciſco, tum occaſione præcitatæ reſervationis, tum in quadam comparitione ejus nomine in actis facta de an.1659.; hujuſmodi namque enuntiative ſimpliciter proficiſcentes ab illo, qui ſe Cre-
13 ditorem jactat adverſus alterum, nemo eſt qui ignoret, nullius roboris eſſe; ad tradita in propoſito per *Rot. in Monopolitana Pecuniaria* 2.*Julii* 1726. *§. Et ſane cor. Eminentiſſimo Card. Aldrovando*.

Difficultas deinde ſubmovetur ex eo, quod ſi Domus, de quibus agitur, liberatæ fuerunt a dictis Cenſibus, quibus ſubjectæ erant, tum propter ſupradictam adjudicationem Portiæ factam ex Juribus longe anterioribus iiſdem Cenſibus; tum propter enuntiatam ſolutionem ſcutorum 1000.; Quinimo, ſi eædem Domus liberatæ fuerunt a pacto redimendi, cui itidem ſubmittebantur, & ſervato in actu dictæ adjudicationis Portiæ factæ, prout revera, mediante præcitato Inſtrumento de anno 1660. celebrato, exemptæ fuerunt; Hinc pro-

culdubio ſequitur, inutilem dicendam
14 eſſe quamlibet reſervationem a Franciſco procuratam pro effectu ſaltem, ut adhuc ſuper dictis Domibus continuent omnia prædicta onera, & conſequenter controverſi Cenſus pro ratis alias tangentibus dictis Lelio, Scipioni, & Sebaſtiano; ideoque ſuſtineri tantummodo poteſt, dictam reſervationem operativam eſſe adverſus bona Martii Debitoris, vel dictorum Fratrum prædefunctorum, ſi quæ reperta fuiſſent, ſuper quibus de facto ceciderat dicta reſervatio, juxta expreſſam Partium conventionem clarè explicatam in dicto Inſtrumento anni 1660., quemadmodum oſtendunt verba ejuſdem Inſtrumenti, de quibus *Summar. Fratrum de Ottinis*.

Et ita utraque &c.

ROMANA CAMBII.

Veneris 10. Maii 1737.

ARGUMENTUM.

Hæredi ſimplici non competit beneficium retentionis. Niſi Creditum ſit liquidum, & ceſſum in Tranſactione; vel niſi agatur ad effectum retinendi, non vero agendi: nemo ceſſione crediti uti poteſt ultra ſummam vere perſolutam. Creditor hypothecata habens omnia bona Debitoris, eligere poteſt, quæ perſequatur. Pro expenſis tam judicialibus, quam extrajudicialibus competit, proportionabiliter tamen, ſuper bonis defenſis prælatio adverſus quoſcunque Creditores anteriores.

SUMMARIUM.

1 *Inſtrumentum pleniſſime probat.*

2 *Aſſumptio Cambii in debitum proprium ab Emptore facta evaneſcit, ubi Creditores anteriores compareant.*

3 *Actio ſine obligatione non datur.*

4 *Sententia emanata ad favorem inſtantis, & ab eo ſolemniter acceptata, ſemper ei obſtat, donec revocetur.*

5 *Hæredi ſimplici non competit beneficium retentionis.*

6 *Nemo uti nequit ceſſione Crediti ultra ſummam vere perſolutam,*

7 *Niſi Creditum eſſet liquidum, & ceſſum in Tranſactione,*

8 *Et niſi ceſſione utatur non ad effectum cogendi, ſed retinendi.*

9 *Creditor hypothecata habens omnia bona debitoris eligere poteſt, quæ perſequatur:*

10 *Præſertim ad effectum retinendi quæ jam poſſidet.*

11 *Melius eſt incumbere rei, quam actioni.*

12 *Pro expenſis tam judicialibus, quam extrajudicialibus competit ſuper bonis defenſis prælatio adverſus quoſcunque anteriores creditores.*

13 *Ita tamen ut hæc prælatio afficiat proportionabiliter omnia bona ſub lite cadentia, non vero quodcunque corpus in ſolidum.*

DECISIO LXXVIII.

Judicio Immiſſionis in Salviano coram A.C. intentato Anno 1717. a Petro Antonio de Amadeis Creditore Bartholomæi Rubimarca, & Cleriæ Gattinara Conjugum ex cauſa Cambii in ſorte ſcutorum 450, ejuſque fructuum decurſorum, ab eiſdem Conjugibus creati anno 1704. contra Jacobum Sinibaldi, qui de anno 1712. emerat a dd. Conjugibus quædam bona ſita in Territorio Faræ pro pretio in totum ſcut.3100., & rejecta per eundem A.C. pro rata ſcut.1000. per memoratum Emptorem erogatorum in dimiſſionem tot Creditorum anteriorum venditoribus, & in reliquis admiſſa, finem impoſuit tranſactio inita anno 1718., in qua Jacobus emptor ſibi in debitum adſcripſit dictum Cambium, & fructus conſtantes in totum ſummam ſcut.715. factaque ſolutione ſcut.30. in cauſam expenſarum, & dictorum fructuum, reſiduum ſolvere promiſit ad rationem ſcut.60. quolibet anno.

Vix ſequuta tranſactione hujuſmodi, necnon etiam obitu D. Jacobi, inſurrexerunt Monachi Benedictini Sanctæ Mariæ Farfen., qui tanquam Creditores anteriores immiſſionem in Salviano poſtularunt ad eademmet bona per ſupradictum Jacobum empta adverſus Marium illiuſque filium, & hæredem; contra quem, cum pendente hoc Judicio egiſſent etiam anno 1724. Fratres de Amadeis memorati Petri Antonii inte-

Digitized by Google

interim defuncti filii, & hæredes, ac mandatum executivum reportaſſent in vim ſupradictæ adſcriptionis in debitum tam ſortis, quam fructuum recenſiti Cambii; Hinc præfatus Marius poſt diuturnum litigium devenit anno 1728. ad novam Tranſactionem cum eiſdem Fratribus de Amadeis; in qua primo loco conventum fuit, quod pro expenſis in cauſa factis perſolverentur ad computum ſcut. 10. cum obligatione illas in totum reficiendi, poſtquam liquidatæ fuiſſent; ac ſecundo, quod dictus Marius perſolvere deberet ad computum dicti Crediti Cambialis de proprio ſcut.250. ratione fructuum ab ipſo perceptorum ex bonis controverſis, antequam dd. Monachi Farfenſes primam ſententiam Immiſſionis reportaſſent; & tertio denique quod pro reſiduali ſumma dicti Crediti Cambialis citra ullam obligationem de proprio, firma remaneret, prout de Jure, favore Fratrum de Amadeis ſupra recenſita adſcriptio in debitum a Jacobo facta in antedicta alia tranſactione anni 1718.

In executionem hujus poſtremæ tranſactionis perſolvit Marius Sinibaldi ſcuta 220., proindeque cum in illius totale adimplementum adhuc ſolvenda remanerent ſc.30., nec non refundendæ eſſent expenſæ litis; Ideo tam pro iſtis in ſequelam d.poſtremæ tranſactionis, quam pro tota reliqua ſumma cambii, ac fructuum in ſequelam ſupra enuntiatæ adſcriptionis factæ an.1718, inſteterunt Fratres de Amadeis pro relaxatione mandatorum coram A.C. Furietto, qui ſolummodo eorum favore mandatum executivum decrevit pro ſcut.30. reſidualibus recenſitæ ſummæ ſcut.250., ac alterum pro ſcut.52. 29. pro expenſis interim liquidatis, & aſcendentibus, compenſatis ſupradd. ſc.10., ad d.ſummam ſc.52. 29., & in reliquis abſolvit Marium Sinibaldi mediante ſententia diffinitiva: Interpoſita verò appellatione ab hoc Judicato, cauſaque mihi commiſſa, interrogavi hodie DD. — *An conſtet de credito, & pro qua ſumma ſit relaxandum mandatum* —, & reſponſum accepi — *Affirmative juxta modum, nempe pro ſumma ſcut.82., & obul.29. debitorum a Mario pro rata ſcut.30. in totale complementum illorum ſcut.270., quæ ille in ſecunda tranſactione ſecuta anno 1728. de proprio ſolvere promiſit Amadeis, & pro reliqua rata ſcut.52.29, debitorum, compenſatis ſcut.10. jam ſolutis pro integra ſatisfactione expenſarun in cauſa, ſuper qua fuit tranſactum factarum* —, cum clara ſit ejuſdem Marii obligatio ſolvendi d. ſummam, uti oriens ex publico Inſtru-
1 mento d. tranſactionis faciente probationem probatam; *Rot. poſt Zacch. de obligat. cam. dec.59. num.1. cum aliis ubique*.

Quo verò ad reliquam ſummam ſcutor.778., & ob.75. provenientium ex ſorte, ac fructibus ſupra recenſiti cambii creati a Bartholomeo Rubimarca, & ſucceſſive *die 18.Julii 1718.* aſſumpti a Jacobo Sinibaldi Patre Marii reſponderunt DD. — *non conſtare de credito, nec ullum mandatum eſſe relaxandum* —, quia cum integrum pretium bonorum per Jacobum emptorum perſolutum, abſorptum remanſerit a Creditoribus anterioribus, & potioribus venditorum, eadem aſſumptio in debitum proprium
2 cambii Fratrum de Amadeis, quę non aliter facta dicitur, quam ſub ea tacita conditione, quatenus alii Creditores anteriores, & potiores non comparuiſſent, evanuit, ac reſoluta extitit eo ipſo, quod Creditores anteriores ſupervenerunt, & totum pretium avocarunt; *Card.de Luc. de empt. diſc.23. n.2.*, magiſtraliter *Rot. cor. Molin. dec.291. per tot.*, & ultra illam *cor.Coecin. dec.822. n.3.*, & *cor. clar. mem. Card. Falcon. dec.4. n.1. de appellat.*, & *cor.bon.mem. Lancett. dec. 1093. n.4.*, & *in Romana Dotis*, & *Cenſuum cor. bon. mem. Cerro*, & *in Senogallien Pecuniaria hac eadem die, & anno §.Unde coram Me*; & conſequenter ceſſante oligatione Jacobi deſumpta ex d. aſſumptione, ceſſat etiam quæcunque actio penes illos de Amadeis Creditores poſteriores pulſandi pro ſolutione eorum crediti D. Jacobum, ſive Marium ejus filium, & hæredem; cum actio ſine obligatione non
3 detur; *§. Primo inſtit. de verb. obligat. Gloſſ. in verb. ſupra inſtit. de action. in princip., leg. quoties §.Qui temporali ff. de adminiſtrat. Tutor.*

Aſſum-

Digitized by Google

Aſſumptum verò prædictum recognitum fuit firmum, ac undique ſubſiſtens in facto; ſiquidem primo loco Jacobus mediante ſolutione ſcut.1000. dimiſit Creditores venditorum, quos ſibi aſcripſerat in Inſtrumento emptionis, quorum anterioritas, veluti approbata a ſententia A. C., in qua pro d. ſumma conceſſa fuit Jacobo retentio, non valet impugnari ab Amadeis ex eo, quia,
4 cum præfata ſententia emanaverit ad eorum inſtantiam, & etiam ad favorem quoad ratam bonorum ſuperexcedentium d. ſummam, & fuerit ab ipſis acceptata in ſucceſſivo Inſtrumento tranſactionis celebrato anno 1718. cum d. Jacobo, ſemper eiſdem obſtat, donec non fuerit revocata; *Rot. coram Cerro dec.309. n.5., & cor. clar. mem. Card. Falcon. dec.14. n.1. de cenſ., & in rec. dec.160. n.6. par.18., & in Mindonien. Beneficii 7. Junii 1734. §.14. cor. R.P.D. meo Millino, & in Aurien. Parochialis de Riuela 6. Februarii 1736. §. Excluſa. coram Me.*

Non attento, quod retentio alterius ex dd.creditis aſſumptis, ut ſupra, nempe cenſus ſortis ſc.500. favore Conſervatorii S. Euphemiæ Urbis, petita a Mario contra ſupra enuntiatos Monachos Benedictinos Farfæ pariter agentes pro immiſſione ſuper bonis emptis, fuerit rejecta ab hoc Sacro Auditorio in *deciſ. Farfen. Immiſſionis 23. Julii 1727. §. Veruntamen cor. R.P.D. meo Creſcentio*; Tum quia hoc evenit, ex quo authores Marii erant *hæredes abſque be-*
5 *neficio legis, & inventarii debitoris* eorundem Monachorum, & ſic propter jurium confuſionem ceſſabat in Mario repræſentante perſonas dd. ejus authorum beneficium retentionis, ut firmatur *in d. deciſ. Farfen. Immiſſionis coram eodem R.P.D. meo Creſcentio*; quod nil penitus concludit pro fratribus de Amadeis, quorum onus eſſet oſtendere eorum creditum eſſe anterius, vel potius d. cenſui Conſervatorii S. Euphemiæ; tum etiam quia ſemper recurrit, quod in quocunque caſu eiſdem reſiſtit dicta ſententia A.C. firmans anterioritatem, & potioritatem enuntiati cenſus ex ſupra allegatis.

Præterea Marius in d. cauſa habita cum eiſdem Monachis Benedictinis Farfæ prævia traſactione cum ipſis facta *die 10. Martii 1732.* acquiſivit illorum creditum ſuper bonis emptis, conſiſtens in ſc.2914. ſine ulla controverſia anterius cambio Fratrum de Amadeis.

Quin obſiſtat, quod Marius ex cauſa concordię prędict. perſolverit Monachis ſcut.1500. duntaxat, dando eiſdem in
6 ſolutum ratam bonorum emptorum, & propterea juxta terminos *Text. in l. per diverſas, & l. ab Anaſtaſio C. mandati* nequeat ille uti ceſſione d.crediti, niſi pro ſumma ſcut.1500. vere ſoluta; Non ſolum quia creditum Monachorum ex pluribus Judicatis, etiam in hoc Sacro
7 Auditorio emanatis, erat liquidum, & clarum in ſupra memorata ſumma ſcutor.2014., & ceſſum fuit Mario per viam tranſactionis celebratæ poſt diuturnum litigium, in quibus terminis funditus ceſſat ratio, ac cenſura dd. legum, & abſolutiſſimum eſt Ceſſionarium uti poſſe ceſſione etiam pro integro credito ceſſo, quamvis minus ſolverit; ut quoad primam propoſitionem liquiditatis crediti ceſſi, tradunt *Salgad. Laber. credit. par.1. cap.13. §.2. n.22., & ſeq., Andreol. contr.262. n33., Cancer. var. reſol. lib.3. cap.1. n.163., & ſeq., Olea de ceſſ. Jur. tit.6. quæſt.10. n.57., Rot. in rec. dec.147. n.32. par.11., & dec. 228. n.10. par.13.*, & quoad ſecundam ceſſionis factæ in tranſactione *Rot. poſt d. Oleam de ceſſ. Jur. dec.46. n.3., & cor. Ubag. dec.56. n.6., & 7., & in rec. d. dec.228. n.8. par.13.*

Verum etiam, ex quo Marius utitur d. ceſſione, non per viam actionis, ſed
8 per viam retentionis, & ad effectum ſeſe tuendi in poſſeſſione bonorum emptorum; & ſic etiam ex hoc capite eidem ceſſio prædicta ſuffragari debet pro integro credito ad repellendas moleſtias aliorum creditorum, ita permittente cenſura ſupradicti *Text. in d. leg. ab Anaſtaſio, & l. per diverſas Cod. mandati*, ibi — *Vel Creditor, vel ii, qui alienas res poſſident pro debito, ſeu rerum apud ſe conſtitutarum munimine, & tuitione* — & alias firmavit *Rot.* etiam referendo hæc verba *Text. apud Conſtantin. ad Statut. Urbis dec.21. n.18., & 19., & in rec. dec.96. n.8., & 9.*

cum

cum ſeq., & *dec.699. n.5.*, & *6.par.18.*

Minuſque obeſt, quod Sinibaldus, pro conſecutione ratæ ſupradicti crediti ſibi a Monachis Farfæ ceſſi, agere poſſit contra Corradinos detentores aliorum bonorum, ut ſupponitur, obligatorum pro eodem credito: quia cum pro iſto ſint etiam obligata, & hypothecata bona a Sinibaldo detenta, & empta, ut ſupra, a Rubimarca, licitum eſt eidem Sinibaldo ceſſionario retinere potius iſta ex cauſa dicti crediti; ex quo
9 Creditor, qui habet hypothecata omnia bona debitoris, poteſt ex illis in ſui ſatisfactionem eligere bona ſibi benevifa, nec tenetur potius unum corpus bonorum, quam alterum proſequi; *leg. Creditoris ff. de diſtract. pignor.*, *leg. qui generaliter ff. qui potior. in pignor. hab.*, *Surd. dec.44. n.6.*, *Rot. poſt Zacch. de oblig. camer. dec.176. n.9.*, & *dec.258.*
10 *n.19.* Potiſſimum dum Sinibaldus bona ſupradd. poſſidet, atque agit de retentione, & ſic eo facilius iſta ejus favore admittenda venit, cum melius ſit incumbere rei, quam actioni; per *Text.*
11 *in l. plus cautionis 26.*, & *l. minus 205. ff. de reg. Jur.*, *Orland. conſ.68.*, *Rot. coram clar. mem. Card. Falcon. de Jurepatron. dec.54. n.5.*, & *de ſolut. dec.2. n.6.*

Poſtremo ſupra recenſitus Marius in lite illa peracta cum Monachis Farfenſibus ſuper defenſione bonorum emptorum pro expenſis judicialibus, atque extrajudicialibus Procuratoris, & Amanuenſium erogavit ſcut.760., quæ licet
12 ſint poſteriores, adhuc tamen pro illarum recuperatione ſemper competit illi, qui eas de proprio explevit, ſuper bonis defenſis prælatio adverſus quoſcunque Creditores anteriores, ad tradita per *Gratian. cap.257. n.26.*, & *ſeq.*, *Antonell. de temp. leg. lib.4. cap. final. n.119.*, *Merlin. de Pignor. lib.3. tit.1. quæſt.5. n.32.*, & *ſeq.*, *Zacch. de Salar. quæſt.99. n.8.*, *Conſtantin. ad Statut. Urbis annot.30. artic.3. n.270.*, & *271. vol.1.*, *Rot. poſt Zacch. de Salar. dec.81.*, & fere *per tot.*, & *coram Duran. dec.53. n.6.*; Verum quia inter bona cadentia ſub d. lite, ultra illa em-
13 pta a Rubimarca controverſa, comprehenſa fuerunt etiam alia bona a Sinibaldo acquiſita ab aliis perſonis, ita ut dictæ expenſæ etiam ceſſerint in defenſionem horum bonorum: Ideo DD. hæc conſiderando, nec non pretium tam bonorum Rubimarcæ, quam aliorum, exiſtimarunt d. partitam reducere pro effectu, de quo agitur, ad ſola ſc.545.

Conſtabilitis itaque ex ſupra firmatis dd. tribus creditis favore Sinibaldi, illiſque vindicatis ab omnibus contrariis objectionibus, cum ſimul unita conſlent ſummam ſcut.3559., in aperto remanet firmitas recenſiti aſſumpti, quod videlicet integrum pretium bonorum per eundem Sinibaldum emptorum a Rubimarca abſorptum remanſerat a Creditoribus anterioribus; cum idem pretium, comprehenſo etiam pretio domus ſcut.90. una cum penſionibus in ſcut.40. a Sinibaldo recuperatæ a Communitate Faræ, non excedat ſc.3219.

Quibus ſtantibus non officit, quod etiam admiſſo favore Sinibaldi antedicto aſſumpto, adhuc ille non poſſit evitare ſolutionem controverſi Cambii ex alia ratione per Fratres de Amadeis exagerata, ac in eo conſiſtente, quod Sinibaldus retineat ex bonis illorum de Rubimarca venditorum, ultra bona empta, & ſupradictam Domum recuperatam a Communitate Faræ una cum penſionibus, alia quoque bona, idest ſcut.550. a ſe ipſo ex pretio eorundem bonorum emptorum detenta, & in futurum detinenda pro ſecuritate emptionis, cum obligatione ſolvendi Rubimarcæ fructus recompenſativos; item alia ſcut.250. ſimili modo, & pro dicta ſecuritate ab eodem Sinibaldo ſuppoſita Cenſui favore dicti Rubimarcæ; & denique quinque Loca Montium, & Centeſima 57. provenientia ex pretio cujuſdam Domus a Sinibaldo in ſolutum datæ Rubimarcæ in partem pretii enuntiatorum bonorum, & inde retractæ a Monaſterio Sanctæ Rufinæ Urbis, ſub conditione, quod eadem Loca Montium ſtare debeant pro evictione ejuſdem Domus, & attento tali vinculo aſcendentia ad pretium ſcut.340., quæ omnia valde ſuperant dd. credita Sinibaldi, dum facto calculo aſcendunt ad ſcut.4370., non comprehenſis fructibus ab eodem Sinibaldo perceptis de dd. partitis ſcut.250., necnon Locorum Mon-

Montium, & multo magis iſtis quoque in calculo poſitis, quando è converſo eadem credita Sinibaldi, ut viſum eſt, non conſiſtunt, niſi in ſc.3559.

Etenim recognoverunt DD. hoc eſſe manifeſtum æquivocum, dum in dicto calculo ponitur per Fratres de Amadeis ad debitum Sinibaldi integrum pretium ſcut. 3100. bonorum emptorum, quaſi quod ea omnia ille apud ſe detineat, & tamen ab illo detrahenda ſunt bona empta, quæ pro pretio ſcut. 1500. a Sinibaldo data fuerunt in ſolutum Monachis Benedictinis Farfen., ut ſupra narratum eſt, qua detractione facta, & omnino facienda ex cauſa evictionis paſſæ;non remanent in manibus Sinibaldi, juxta alterum calculum, niſi bona pretii ſcut.3000., & ſic valde inferiora dicto ejus credito jam firmato in ſcut.3559.; Rejecta penitus prætenſione Creditum hujuſmodi diminuendi ex dd. fructibus recompenſativis, & fructibus Cenſus, cum iſti uſque ad diem 9.Februarii 1717.fuerint a Sinibaldo ſoluti Rubimarcæ; Alii vero, qui deinceps uſque ad evictionem maturarunt, ceſſerunt in reintegrationem fructuum bonorum emptorum, nimirum illorum ſcut.250., quæ ex illorum cauſa Sinibaldus ſeſe obligavit ſolvere de proprio, ſicuti de facto pro majori parte ſolvit ipſis Fratribus de Amadeis in illa tranſactione ſequuta die 25.Septembris anni 1728.

Et ita omiſſis aliis duobus creditis a Sinibaldo petitis, altero nempe ſc.221., & altero ſcut. 237. 40., ſuper quibus DD. non fuerunt concordes, reſponſum fuit utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Veneris 17. *Maii* 1737.

ARGUMENTUM.

Ex morte Scribentis, & veritate, ac ſubſiſtentia partitarum majoris ſummæ præſumuntur veræ, ac ſubſiſtentes etiam aliæ minoris. Inter diverſas perſonas non eſt locus compenſationi. Cætera habes in Argumento Deciſ.LXIX.

SUMMARIUM.

1 *Ex libris Mercatorum legaliter retentis, & ex approbatione debitoris plene probatur creditum.* & num.8.
2 *Ex privatis libris debitum non probatur.*
3 *Qui errat in una partita, ſuſpicari licet eum in aliis etiam erraſſe.*
4 *Ad probandas partitas fuiſſe ſolutas de mandato alicujus, proferri oportet ipſum mandatum.*
5 *Ad Peritum pertinet rationes dati, & accepti diſpungere, non computos ſemel approbatos revidere.*
6 *Libri dicuntur legaliter retenti, quando uno, eodemque caractere ſcripti ſunt ſine ulla liſura, cum adnotatione cauſæ, diei, & anni, & pro negociis ſolius negocii.*
7 *Ex morte Scribentis, & veritate, ac ſubſiſtentia partitarum magnæ ſummæ, præſumuntur ſubſiſtentes, ac veræ aliæ etiam minores partitæ.*
8 *Libri mercatorum legales plene probant pro ſcribente junctis adminiculis.*
9 *Nullum vero majus adminiculum dari poteſt, quam approbatio Debitoris.*
10 *Reus in exceptione fit actor, & exceptionem ſuam plene probare debet.*
11 *Inter diverſas perſonas non eſt locus compenſationi.*
12 *Approbatio computi efficit, ut omnia ibi ſcripta pro veris juſtificatis habeantur.*

DECISIO LXXIX.

Hodierna die placuit Dominis, ex geminis deciſionibus, altera edita *coram R.P.D.Peralta* 5.*Decemb.*1735., & altera *coram Me* 11. *Februarii proxime præteriti*, poſtremam hanc confirmare reſcribentibus -- *In ſecundo loco deciſis*.

Quandoquidem Creditores rationis Bancariæ olim inſtitutæ ſub nominibus *Campioni*, *Maffei*, *e Botti* rite creditum deduxere in ſcut.3165. 72. contra hæredes Auguſtini Gavotti ex cauſa geſtæ adminiſtrationis a Franciſco Botto altero ex Sociis præfatæ Bancariæ: Eo quod in hac eademmet ſumma judicialis peritus creditum agnovit ex Libris ejuſdem menſæ undequaque legaliter retentis, & ex tribus Computis interpolatim tranſmiſſis Auguſtino Januæ commoranti, qui juxta temporum rationem per literas approbaverat.Quamo-

mobrem, ut æque A. C. pro enuntiata ſumma ſcut.3165. 72. relaxavit mandatum, ita & recte non ſolum pro ſcutis 508:25. juxta *deciſionem R.P.D.Peralta*, ſed pro integra ſumma illud exequendum decrevit *mea Deciſio*, quia
1 creditum promanans ex Libris Mercatorum legaliter retentis, & ex Computis a debitore approbatis, undique certum, & liquidum remanet, plenamque expoſcit luitionem; ad firmata in *poſtrema cauſæ deciſione* §.*Quamvis cor.Me*.

Irrito autem conatu rei conventi denuo excipiebant, pernicioſum eſſe, ut
2 privatis Mercatorum Libris credatur, dum nemini licet ſuis adnotationibus alterum ſibi debitorem conſtituere, ac debiti probationem inde præbere. *L. exemplo 7.C.de probat.*; Tum præſertim
3 quia, cum ipſemet Franciſcus Bottus faſſus fuerit quaſdam partitas erroneè in debitum Gavotti inibi retuliſſe, quoad cæteras quoque id ipſum ſuſpicari licet; Tum quia, cum plurimæ partitæ per-
4 ſolutæ legantur de mandato Gavotti, proferri oporteret, juxta *Auth. ſi quis in aliquo C.de edend.*, atque de mandato aliunde docendum eſſet, ad tradita per *Gratian. diſcept. for.727. n.2.*

Ex computis verò per epiſtolas tranſmiſſis nec majorem erui probationem ſubjungebant iidem rei conventi, ſive quia clara ex illis non promanat approbatio: ſive quia de eorundem identitate minime conſtat: ſive magis quia idem Gavottus in poſtrema epiſtola exoptavit -- *Un ſaldo generale de'conti avuti ſino al preſente giorno* --, quod præſupponit, nunquam antea fuiſſe rationes perfecte diſpunctas: adeo ut ipſe anno 1704. coram A. C., & in *Sac. Rota* pluries illos impugnavit, illoſque Judex
5 rejecit; & in præſenti denique Judicio oportuit peritum eligi, cujus eſt rationes dati, & accepti diſpungere, non autem ſemel approbatos Computos revidere; quibus rationibus adhæſit quoque *Deciſio R. P. D. Peralta* §. *Pro reſponſione eum tribus ſeqq.*

Solidiora nihilominus apparuere poſtremæ deciſionis fundamenta: quia
6 Computi nedum extracti ſunt ex Libris Bancariæ legaliter retentis, ex quo uno, eodemque caractere, & ſine ulla litura, ſed cum adnotatione cauſæ, diei, & anni, pro negociis ſolius menſæ conſcripti fuere a nobili, cordatoque viro Franciſco Botto, qui morum integritate præditus cum primum agnovit geminas partitas inconſultò per errorem ad debitum Auguſtini retuliſſe, ſtatim errata corrigens, ultronee ipſum monuit; quod profectò non ſuſpicionem in cæteris, ſed magis earundem confirmat ſub-
7 ſiſtentiam, quæ itidem ex morte Scribentis, & ex verificatione fere omnium partitarum longe majoris ſummæ recte præſumitur pro reliquis minoris ponderis; juxta authoritates in *mea deciſione* §. *Et ſane*, *& ſeq.*

Verum etiam per epiſtolas approbati fuere ab Auguſtino tribus interpolatis vicibus, nec oſcitanter, dum quaſdam partitas expungendas reſcripſit, & pro reliquis conſtantibus ſc.3165. 72. compenſationem propoſuit cum ſuis creditis ex cauſa cenſus, & cambii. Quamobrem æquum non eſt, hos rejicere Computos deſumptos ex Libris menſæ legaliter retentis, & a debitore approbatos, nam propter publicam commercii utilitatem, & ex generali totius Italiæ con-
8 ſuetudine legales Mercatorum Libros junctis adminiculis plene probare pro ipſomet Scribente, receptum eſt; *L. Inſtrumento C. de probat.*, *late Adden. ad dec.345. n.45.*, *& ſeq. par.9. recen. tom.2.*, *Rot. cor. Pen. dec.945. n.4.*, *& par.18. rec. tom.2. dec.588. n.14.*, *& 15.* At quod majus adminiculum, præter ſervatam Scripturæ regulam, & verificationem aliarum longe majoris ſummæ partitarum, & perſpectam Scriben-
9 tis famam, dari poterat, quam perfecta probatio dimanans ex ore debitoris Computos ipſos per literas approbantis; ut ſolide firmat poſtrema *Deciſio* §. *Quamvis eum trib. ſeqq. cor. Me*.

Perperam vero clara, & nitida eorundem trium Computorum denegatur approbatio: Nam primus hiſce perſpicuis verbis approbatus legitur in Epiſtola Gavotti die 18. Septem.1699. *Alle partite inviatemi da V.S. Illuſtriſſima non mi occorre replicare di vantaggio tanto per il dare, quanto per l'avere &c. Onde dette partite aſcendono a ſcudi 514. 14. ſi paſſino a conto* nuo-

nuovo in mio credito, con che, ſalvo errore, per ogni parte reſtano da me approvate –; Secundus vero Computus pariter approbatus remanſit in altera Epiſtola diei 2. Julii 1702., ibi – *Reſto del Conto corrente ſcudi* 2023. 39. – Quid porro unquam clarius exprimi potuit, dum enim Auguſtinus initis, diſpunctiſque rationibus accepti, & expenſi reliquationes ſubduxit, quas a *conto nuovo* referri præcepit, ut ad unguem relatæ fuerunt, hoc profecto conſtituit nitidam approbationem, perfectamque ſolidationem, quæ nihil aliud eſt, quam Calculo diſpuncto reſiduas debiti, vel crediti ſummas in unum contrahere, & reliqua omnia expungere. Non obſtante præſervativa illa – *ſalvo errore*, quæ vel rectius de ſimplici Calculi errore intelligenda foret, vel ubi ad quamlibet aliam cauſam protrahatur, tunc onus eſſet ipſius Auguſtini errorem ſuæ approbationis demonſtrare,
10 in quo Actoris partibus fungens exceptionem ipſam velut intentionem ſuam implere oportet; *l. exceptionibus 19. de probat., & l. 1. ff. de except.*

Tertius denique Computus poſt obitum Franciſci Botti tranſmiſſus a ſuperſtitibus ejuſdem Bancariæ Sociis æque dilucide per Epiſtolam approbatus remanſit, ibi – *Ricevei la ſettimana paſſata le partite concernenti il debito, e credito, quali confrontate con quelle già inviate dal voſtro Sig. Franceſco avanti d'ora, le ho ritrovate camminar bene*; Nec in minimo lædunt ſubſequentia verba, quibus Gavottus exoptavit – *un ſaldo generale de' Conti avuti ſino al preſente giorno*; Quia, ut recte in poſtrema *Deciſione §. Quæ cum ita* pro remotione hujuſce principalis objecti expenſum eſt, Auguſtinus ex particulari titulo Cenſus, & Cambii erat Creditor Franciſci Botti pro ſorte, & fructibus, cumque compenſare voluiſſet præfatum particulare debitum Franciſci cum credito Bancariæ, ut pluries expreſſit, pro hac propemodum cauſa generalem exoptabat ſolidationem, ut nempe ad unum Calculum referrentur tam dictæ partitæ approbatæ, quæ reſpiciebant negocia geſta inter Gavottum, & Bottum uti Socium menſæ nummulariæ, quam aliæ partitæ ſuper negociis ſpectantibus ad Bottum, uti privatam perſonam. Vel probabilius eſt, generalem exoptaſſe ſolidationem non quidem Computorum, qui cum ratione bancaria interceſſerant, utpote quos in eadem Epiſtola jam paulo ante approbaverat; ſed illorum, qui pro fructibus Cenſus, & Cambii diſpungendi erant particulariter contra Franciſcum, ex quo diſcriminatim de ipſo tantum, & non generaliter de omnibus Sociis, ut inibi pro negociis Bancariæ exprimere ſcivit, loquutus eſt, ſicuti evincunt poſteriora verba ejuſdem Epiſtolæ ibi – *Così un ſaldo generale de' Conti avuti ſino al preſente giorno col detto voſtro Signor Franceſco*, ut late proſequitur *mea Deciſio §. Animadvertentes.*

Tandemque facili negocio cæteræ ſubmoventur exceptiones, *Tum* illa ſuper impugnata identitate Computorum, quia hi conſonant cum partitis a Perito extractis è Libris menſæ nummulariæ, & cum reliquatu inſcripto ab Auguſtino in ſuis Literis reſponſivis, & a Franciſco in ſubſequentibus Computis relato, *Tum* altera ſuper impugnatione, & eorundem rejectione *cor. A.C., & in Sacra Rota coram bon. me. Scotto*, quia id contigit in diſſito judicio allegatæ compenſationis ab hæredibus Franciſci Botti cum præſenti credito Bancario, cujus Socii tunc reclamabant; ac propterea merito nulla
11 erat inter diſſitas perſonas admittenda compenſatio. *Tum* denique poſtrema ſuper nupera Periti deputatione, quia a Creditoribus Bancariæ petita, & a Judice demandata fuit ad facilius veritatem eruendam, & ſub ſalutari Clauſula *ſine præjudicio* jurium, ut hiſce omnibus reſpondit *poſtrema Deciſio §. Nec refert., & ſeq. cor. Me.*

Improbus hinc labor eſt ſingularum partitarum examen aggredi, quia ſat eſt, ut ipſæ ex Libris tranſcriptæ ſint in Computis per Epiſtolas approbatis,
12 id enim præſtat approbatio, ut omnia inibi expreſſa pro veris, & juſtificatis habeantur; uti cenſuit mea Deciſio §. *His vero ſic poſitis*. Silentio tamen præteriri non debet inſignis partita ſcutorum mille, quæ acriter impugnata fue-

fuerat ex defectu non probatæ ſolutionis, ſeu extinctionis Literæ cambialis a Reſponſore Dominico Maria de Mari favore dicti Auguſtini, ut in *Deciſione cor. R.P.D. Peralta* §. *Ab eodem*, in præſens tamen verificata remanet ex partita publici Banci S. Georgii Civitatis Jauuæ, qua conſtat, Dominicum de Mari pro extinctione præfatæ literæ depoſuiſſe ſcuta 1000. ad creditum d. Auguſtini, qui ſolvenda mandavit cuidam Graſſi de Savona. Ex hac autem magni ponderis circumſtantia cuique datum eſt arguere; an cæteræ longe minoris ſummæ partitæ ſemel approbatæ, rite nunc valeant impugnari ex aſſerto juſtificationis defectu.

Fruſtra denique contra firmata *in* §. *Final. meæ deciſionis* quoad unicam partitam ſcut. 150. tertii Computi excipiebatur in præſens, quod peritus per errorem expunxerit partitam ſcut. 150. tractam a Franciſco Mattono e ſecundo Computo, cum expungere deberet alteram tractam ab Antonio Moraglia; ſed expunctio d. partitæ Franciſci Mattoni facta fuit in iiſdem Bancariæ Libris, quæ dum pluribus ex cauſis ex mutuo partium conſenſu potuit contingere, non debet referri ad errorem expunctio unius vice alterius partitæ; quandoquidem error non in Libris, ſed ſolius Periti fuit, qui oſcitanter retulit in Libro *Maſtro* fuiſſe expunctam e ſecundo Computo partitam ſcut. 150. tractam a Franciſco Mattono, cum cæteroquin ex *Summ. Menſæ* appareat, revera expunctam fuiſſe alteram tractam ab Antonio Moraglia, quæ propterea citra duplicationis vitium debuit in tertio Computo referri ob ſuperventum novum mandatum Auguſtini Gavotti conſentientis, ut hæc partita antea reprobata, uti ſoluta de ſimplici mandato ſuæ uxoris, in ſui debitum inde referretur, ideo recte hunc Periti errorem noluit inemendatum relinquere *poſtrema mea Deciſio* §. *Final.*, ad quam in reliquis Domini relative ſe habuerunt.

Et ita utraque &c.

SENOGALLIEN. PECUNIARIA.

Veneris 17. Maii 1737.

ARGUMENTUM.

In venditionibus voluntarie a debitore factis pro dimittendis ſuis Creditoribus, non tenentur iidem Creditores præſtare cautionem de reſtituendo prior., & potior. favore emptoris; qui tamen, quotieſcunque illa ei competit, eligere poteſt vel illam, vel depoſitum. Pura, & ſimplex aſſumptio debiti ad dimittendum continet tacitam conditionem, quatenus Creditores anter., vel potior. non detegantur, ſed ſi ſit expreſſa majorem vim habet. Reliqua habes in argumento Deciſ. LXVIII.

SUMMARIUM.

1 *Emptor dubitans de anterioritate, & potioritate Creditorum detectorum bene agit, deponendo pretium apud ædem ſacram, & per hoc liberatur ab omni obligatione*;

2 *Cum non ad emptores pertineat decernere anterioritatem, & potioritatem, ſed ad Judices*.

3 *In venditionibus voluntarie a debitore factis pro dimittendis ſuis Creditoribus, non tenentur Creditores præſtare favore emptoris cautionem de reſtituendo prior., & potior.*

4 *Quoties verò emptori competit beneficium d. cautionis, tunc ipſe eligere poteſt vel illam, vel depoſitum*;

5 *Nec in actu deponendi tenetur citare Creditores, quoties deponit ad ſatiſfaciendum obligationi eum ſolo venditore ſuſceptæ*;

6 *Quod tamen ſecus eſt, ſi Notarius ſtipulatus fuerit pro Creditoribus abſentibus, vel adſit in Inſtrumento obligatio Cameralis*.

7 *Aſſumptio alicujus debiti ad dimittendum cum pacto, ut detectis Creditoribus anterioribus, vel potioribus liceat aſſumenti illud relinquere, & extinguere potiora, iis ſupervenientis aſſumptio quidem inutilis remanet*;

8 *Non obſtantibus d. ſtipulatione Notarii, & obligatione Camerali, quæ ſunt famulativæ diſpoſitioni principali, ita ut efficacius quidem, ſed non in plus obligent*.

Digitized by Google

9 *etiam pura, & ſimplex aſſumptio debiti ad dimittendum continet tacitam conditionem, quatenus Creditores anteriores, vel potiores non detegantur;*

10 *Sed major eſt vis conventionis expreſſæ, quam tacitæ.*

11 *Ut quis citari debeat, copulativè requiritur, ut interſit principaliter, & contradicere poſſit.* & num. 13.

12 *Ex depoſito facto conditione conſignandi potioribus, non læduntur Creditores aſſumpti ad dimittendum.*

14 *Mora trium menſium in faciendo depoſito eſt breviſſima.*

15 *Facto depoſito ad effectum conſignandi anter., vel potior., nihil damni accidit deponenti, ſi conſignentur poſterioribus.*

DECISIO LXXX.

Bis cor. Me, nempe die 25. Jun. 1736., & die 21. Januarii anni currentis reſponderunt DD. conſtare de credito Cappellæ ſub invocatione SSmi Crucifixi erectæ in Eccleſia Monialium Sanctæ Chriſtinæ Senogalliæ contra hæredes Tarquinii Cherubini, & in hoc eodem ſenſu perſtiterunt etiam hodie, reſpondentes conſueto dubio per me propoſito — *In deciſis* — Nam iterum animadverterunt, eundem Tarquinium in Inſtrumento emptionis Prædii ſiti in Villa *S. Silveſtri* ſibi aſſumpſiſſe in partem pretii præ cæteris illos binos cenſus *Octavii Sebaſtiani, & Monialis Mariæ Franciſcæ Caballæ*, ſub pacto reſolutivo, quatenus detegerentur alii Creditores anteriores, & potiores; proptereaque cum hoc verificato idem Tarquinius dubitans de anterioritate potius Creditorum detectorum, quam in ſe aſſumptorum, propriæ conſulens indemnitati, prævio Decreto Judicis, ac interpellatione facta venditoribus, depoſuerit in Æde Sacra pretium reſiduale ſuprad. Prædii conditione adjecta, quod ſolveretur Creditoribus anterioribus, & potioribus, utique liberatus remanſit ab omni obligatione, & promiſſione, ita ut nullo modo ejus hæredes vexari valeant per d. Cappellam ceſſionariam dd. duorum cenſuum; ut firmatum fuit in utraque *Deciſione in prima videlicet §. Siquidem eo ipſo, & in ſecunda §. Cum ipſo.*

Haud faceſſente, quod ſupra enunciata dubietas, & incertitudo anterioritatis, & potioritatis Creditorum non ſubſiſtat, eo ipſo quod Tarquinius comparando tempora creationum debitorum facile cognoſcere poterat, quiſnam ex illis eſſet anterior: quia prætermiſſis ex Creditoribus in ſe aſſumptis a Tarquinio Societate SSmi Roſarii Senogalliæ, ac illis de Brotanis, ſive Leonardo de Leonardis, Annibale Baldaſſini, ac Fratribus Vigiliis eorundem de Brotanis conceſſionariis, omnibus ſine dubio Creditoribus anterioribus, quorum reſpectu non cadit ſuprad. de-
1 poſitum pretii reſidualis, dum fuere præcedenter ſatisfacti, ut late dictum fuit in ultima *Deciſione §. Nec de dictis eum ſeq.*, profectò quoad dd. cenſus controverſos *Octavii Sebaſtiani, & Monialis Franciſcæ Mariæ Caballæ*, impoſſibilis erat d. comparatio temporum propter deſcriptionem in Inſtrumento aſſumptionis cenſuum factam abſque die, menſe, anno, ac nomine Notarii rogati de Inſtrumentis eorum creationis quoad cenſum Monialis de Caballis, & reſpectu cenſus Octavii abſque indicatione diei, & menſis, quo ille impoſitus fuerat; ut animadvertitur in poſtrema *Deciſione §. Hiſce firmatis.*

Cæterum hoc unum DD. exiſtimarunt indubitatum, quod Tarquinius non tenebatur aſſumere in hac re partes Judicis, & cognoſcere, examinare, & determinare anterioritatem, vel potioritatem potius uni, quam alteri ex Creditoribus competere; quando etiam anterioritas, vel potioritas oriri poterat ex aliis cauſis, quam ex tempore creationis; unde ſufficit, ad hoc, ut d. depoſitum eſſet admittendum, quod ſupervenerint alii Creditores præter eos,
2 quos ipſe ſibi aſſumpſerat dimittendos, relicta determinatione d. anterioritatis, ac etiam conſignatione pecuniarum in arbitrium Judicis, cujus partes tale quid reſpicit, & ad quem finem d. onere eximuntur emptores, illudque in Judices transfunditur, ut firmant auctoritates allegatæ in *deciſion. Rmi Decani*

cani §. *Reconveniri autem*, & *in alia ultima cor. Mc* §. *Hiſce firmatis*.

Nequaquam obſtante, quod Tarquinius pro ſui ſecuritate loco dicti depoſiti poſſet dimittere Creditores ſibi adſcriptos reportando ab ipſis cautionem de reſtituendo aliis Creditoribus anterioribus, & potioribus; quia ultra quod
3 in venditionibus voluntarie factis a debitore, ut hic, pro dimittendis ſuis Creditoribus, non vindicat ſibi locum dicta cautio, nec Creditores tenentur illam præſtare favore emptoris; *Merlin. de Pignor. lib.* 4. *quæſt.* 34. *n.* 97., *Card. de Luc. de credit.*, & *debit. diſc.* 53. *n.* 15. *Rot. in rec. dec.* 118. *n.* 14. *par.* 10., in omnem caſum fuiſſet arbitrarium Tar-
4 quinio, vel inſiſtere apud Judicem pro d. cautione, vel pro d. depoſito, uti tutiori, & ſic cum hoc ultimum elegerit, de nihilo eſſet redarguendus, ſi primum remedium omiſit; ad tradita per *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 37. *n.* 41., & *ſeq.*, *Sabell. reſolut.* 19. *n.* 61., *Rot. dec.* 421. *n.* 6., & 7. *cor. Duran.*, & *dec.* 1131. *ſub n.* 9. *cor. Coccino*.

Minuſque obeſt, quod ſupradictum depoſitum factum fuerit citatis dumtaxat venditoribus a Tarquinio aſſumptis, & in ſpecie ſupra enuntiatis *Octavio Sebaſtiani*, & *Moniali Caballia*: Quoniam memoratus Tarquinius emptor mediante d. depoſito intelligebat exequi ſuam promiſſionem, & obliga-
5 tionem emiſſam in contractu emptionis, quod nempe dimitterentur Creditores anteriores; Ideoque cum hæc promiſſio unice ſtipulata remanſerit inter ipſum, & venditores, iſtis acquiſita ſolummodo fuit actio cogendi Tarquinium ad adimplendum promiſſa; ad *Text. in leg. cum rei filio tuo* 22. *Cod. de donation. ibique Gloſſ. in figuratione caſus*, *leg. Stipulatio iſta* 38. §. *Si ſtipulatur*, *leg. Liber homo* §. *Fin. ubi pariter Gloſſ. in verbo incerti ff. de verbor. obligat.*, *Rot. poſt Merlin. de Pignor. dec.* 117. *n.* 10.

Quin ſuffragari viſa fuerit replicatio, quod tam ex ſtipulatione explicita No-
6 tarii pro Creditoribus abſentibus, quam ex altera implicita contenta in obligatione camerali quæſitum eſſet ex d. Inſtrumento aſſumptionis cenſuum a Tarquinio ſuſceptæ jus irrevocabile Creditoribus aſſumptis agendi vigore illius contra d. Tarquinium; ita ut iſte habendus ſit, ac ſi directe, & immediate contraxiſſet cum iiſdem Creditoribus, & per conſequens omnino etiam iſti pro validitate d. depoſiti citandi, ac interpellandi forent; juxta *dec.* 1345. *n.* 13. *cor. Coccin.*, & *cor. bon. mem. Molines dec.* 444. *n.* 3., & *in rec. dec.* 192. *n.* 31. *par.* 9.

Siquidem denuo animadverſum fuit, quod d. aſſumptio non fuit ſimplex, ac abſoluta, ſed ita qualificata -- *Con patto eſpreſſo tra li medemi contraenti, che ſcoprendoſi mai alcun debito, o debiti anteriori, o poziori alli ſopradetti tutti, e ſingoli menzionati, & eſpreſſi, che in tal caſo ſia lecito al medemo Sig. Tarquinio, e ſuoi di laſciare il debito, o debiti poſteriori, & aſſumere, & eſtinguere l'anteriore, o anteriori, poziori per ogni ſua cautela, e ſicurezza in ogni miglior modo* -- & propterea, quemadmodum hac conditione, ſive pacto reſo-
7 lutivo concurrente, d. aſſumptio, ſuperventis aliis Creditoribus, remanebat nullius efficaciæ; *leg. hoc jure ff. de verb. obligat.*, *Rocc. diſput. Jur. ſelect. cap.* 110. *n.* 6., *Rot. cor. Bich. dec.* 487. *n.* 10., & *cor. Peutinger. dec.* 382. *n.* 5., & *cor. clar. mem. Card. Falconer. deciſ.* 13. *n.* 10. *de reb. credit.*; ſic illam efficacem, ac irrevocabilem reddere
8 non poterant d. ſtipulatio Notarii, ac obligatio Cameralis, quæ ſunt famulativæ ad diſpoſitionem principalem, & intra illius ſphæram reſtringuntur, & licet obligent efficacius, non tamen obligant in plus, quam partes voluerunt; *Bart. in leg. hi qui acceſſionis n.* 11. *ff. de fidejuſſ.*, *Grat. diſcept.* 723. *num.* 4., & 5., *Rot. cor. Ubald. dec.* 335. *n.* 3., & 4., & *cor. Peutinger. dec.* 157. *n.* 7., & 8., & *cor. Benincaſ. dec.* 62. *n.* 3., & 4., & in puncto aſſumptionis debiti *cor. bon. mem. Lancetta dec.* 591. *n.* 2., & *ſequen.*

Unde non applicantur caſui *ſupradicta dec.* 1345. *cor. Coccin.*, *ac aliæ ſupra allegatæ* a Defenſoribus Cappellæ, quia in illis agebatur de aſſumptione pura, ſimplici, & abſoluta, atque non continente in ſeſe ullam conditionem, vel

vel pactum reſolutivum, ut eſt hic; &
9 licet etiam pura, ac ſimplex aſſumptio ſubintelligatur facta ſub ea conditione, quatenus Creditores anteriores non detegantur; ſecundum *Rotam cor. Molines dec.291. n.2. 3., & 5., & coram Cerro dec.668. n.1., & 2., & cor. bon. mem. Kaunitz. deciſ.218. pariter n.2.*; Nihilominus ſemper eſt certum, quod
10 major eſt efficacia expreſſi pacti, & conventionis, quam taciti; *Paul. de Caſtro conſil.280. in princip. lib.1., Tuſc. litt. T. concluſ.9. n.12., Rot. coram clar. mem. Card. Falconer. dec.69. num.6. de Fideicommiſſ.*

Accedente, quod ut quis citari de-
11 beat in aliquo actu, duo copulative regulariter requiruntur, quod nempe interſit principaliter, & poſſit contradicere; *Felin. in cap. cum olim n.11. de re judicat., Vant. de nullitat. ex defec. citat. n.19., & 20., Ubert. de cit. cap.14. n.129. 130., & ſequen.*, quoad controverſum vero depoſitum, utrumque pro eo, quod reſpicit Creditores aſſumptos, deficit; & ſane primum, quia cum depoſitum factum remanſerit
12 ſub conditione pecunias conſignandi Creditoribus anterioribus, & potioribus venditorum, nil intererat eorundem Creditorum, quod idem depoſitum fieret, dum per d. conditionem, quæ ſecum ferebat pecunias non eſſe aliter conſignandas, quam Creditoribus anterioribus, & quidem omnibus Creditoribus citatis, & ad hoc ut Judex de eorum anterioritate cognoſcere poſſet, omne jus Creditorum aſſumptorum per d. depoſitum ſic conceptum ſalvum relinquebatur, & ne in minimo quidem lædebatur; *Alex. conſ.49. n.2., Mantic. de Tacit. lib.11. tit.28. n.5., Rot. deciſ.249. n.3. cor. Ottobon., dec.117. n.8. par.1., dec.137. num.1. part.2. Recent.*, & deficit etiam ſecundum, dum Creditores aſſumpti nullo modo poterant contradicere dicto depoſito, ac petere liberam ſolutionem eo ipſo, quod eorum aſſumptio ab emptore ſuſcepta fuerat ſub dicto expreſſo pacto reſolutivo, & hoc jam fuerat verificatum, ſolumque examinandum remanebat apud Judicem, quis ex illis eſſet anterior, & cuinam eſſet facienda conſignatio pecuniarum, ut ſupra firmatum fuit, ac etiam in præcedentibus deciſionibus; Unde propterea ſi Creditores aſſumpti nullum habebant intereſſe quoad depoſitum faciendum ſaltem principale, nec valebant illud impedire, eo melius di-
13 judicatum fuit illud ſuſtineri, non obſtante defectu illorum citationis, quæ, ceſſante principali pertinentia, ac damno, nunquam annullat actum ſine illa factum; *leg. de unoquoque ff. de re judicat., Card. de Luc. de emption., & vendit. diſc.19. n.7., & diſc.29. n.6., & 7., Rot. cor. Cavaler. dec.328. n.2.*

Denique non officit, quod recenſitum depoſitum non fuerit factum intra annum, & ſic intra tempus conventum, quia fuit per Tarquinium Emptorem facta promiſſio Creditores aſſumptos intra annum dimittendi, quatenus tamen non detecti fuiſſent alii Creditores; ideoque cum iſtis detectis depoſitum factum remanſerit poſt tres menſes a die terminationis d. anni, de nulla mora, ac negligentia notari valet emptor prædictus; Tum quia non fuit probatum, Creditores non aſſumptos intra dictum annum detectos fuiſſe, & non ex poſt, imo e contra probatum dignoſcebatur ex parte Cherubini, illos detectos fuiſſe intra annnum; Tum etiam quia memoratæ dilationis cauſam dederunt ipſimet Venditores, qui tacuerunt alios adeſſe Creditores præter aſſumptos, & proinde illa nocere
14 non debet emptori, potiſſimum dum mora trium menſium eſt breviſſima; ad late firmata per *Rot. in rec. dec.22. per tot. part.4. tom.2.*

Oſtenſa ex his validitate ſupradicti depoſiti, fruſtra per Cappellam recurrebatur ad objectionem, quod pecuniæ depoſitatæ non fuerint conſignatæ Creditoribus anterioribus, & potioribus venditorum juxta legem depoſiti, ſive quia hoc non ſubſiſtebat in facto, ut demonſtratum fuit *in ultima Deciſione §. Ad exuberantiam*; ſive etiam quia ſi quid mali eveniſſet in hac re, vel ex quo non fuiſſent citati in conſignatione omnes Creditores tam aſſumpti, quam non aſſumpti, vel ex quo pecuniæ diſtributæ fuiſſent etiam Creditoribus poſterioribus, tota culpa tribuenda eſſet

aut

aut Judici, aut Venditoribus, qui fuerant interpellati in actu depoſiti, aut illis, qui conſignationem obtinuerunt; nunquam autem Cherubino Emptori,
15 qui ex præcitato depoſito liberatus remanſit ab omni obligatione, nec tenebatur eſſe ſollicitus de præmiſſis, cum hæc ſpectarent ad Judicem, vel ad Venditores controverſi Prædii, necnon etiam ad Creditores concurrentes pro conſignatione, ut firmatur *in omnibus præcedentibus Deciſionibus*, *& ſignanter in ultima §. Præterea*.

Et ita in reliquis DD. remiſſive ſeſe habentes ad eaſdem præteritas Deciſiones, reſponderunt utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Veneris 14. Junii 1737.

ARGUMENTUM.

Certa qualitas expreſſa, ubi etiam deficiant verba reſtrictiva, oſtendit diſpoſitionem eſſe taxativam, non demonſtrativam. Quando Pontifex ad alterius petitionem de re Creditoris diſponit, gratia intelligitur *prout de jure* ſalva inter Creditores tam expreſſos, quam non, tam cognitos, quam incognitos anterioritate, & potioritate; ſecus quando de re proria, & ex motu proprio diſponit favore Creditorum alicujus, quia tunc gratia reſtringitur ad ſolos expreſſos, repulſis etiam anterioribus, & potioribus.

SUMMARIUM.

1 *Principis beneficium ad eos extendi nequit, quibus Chirographi diſpoſitio non convenit.*

2 *Deficiente hypotheca non eſt locus immiſſioni ex Salviano.*

3 *Verba in proœmio poſita totam diſpoſitionem informant, finalem cauſam præſeferunt, & diſponentis voluntatem declarant.*

4 *Verba repetitiva indicant, diſpoſitionem loqui de eodem genere perſonarum ſupra expoſito:*

5 *Nec eadem diſpoſitio ad alios extendi debet.*

6 *Quando præter perſonas ſupra expreſſas, aliæ quoque augmentative a Diſponente nominantur, oſtenditur eum ſupra demonſtrative locutum fuiſſe.*

7 *Certa qualitas expreſſa, etiam deficientibus reſtrictivis, oſtendit diſpoſitionem eſſe taxativam, non demonſtrativam;*

8 *Maxime ſi d. qualitas repetita fuerit.*

9 *Ubi Pontifex diſponit favore Creditorum in genere; aut ubi eorum ſatisfactio committitur arbitrio Debitoris, vel Judicis; aut ubi Princeps nihil de proprio concedit, ſed ad petitionem alicujus vel indulget derogationem, vel confirmat contractum initum ſub ſtipulatione dimittendi Creditores; tunc gratia interpretatur* prout de jure *ſalva inter omnes Creditores tam expreſſos, quam non, tam cognitos, quam incognitos anterioritate, & potioritate:*

10 *Secus quando Princeps ex motu proprio, ac ſuper re ſua diſponit favore Creditorum alicujus, quia tunc gratia reſtringitur ad expreſſos, repulſis etiam anterioribus.* & n. 14.

11 *Verba* – Detti *&* Loro – *ſunt perſonalia, & repetitiva perſonarum dumtaxat antea expreſſarum.*

12 *Verbum* benchè *relatum ad perſonas ſupra expreſſas, de eodem perſonarum genere intelligendum eſt.*

13 *Pars executiva tanquam acceſſoria intelligi debet juxta proœmialem, & diſpoſitivam.*

15 *Judicium non egreditur terminos quæſtionis in eo agitatæ.*

DECISIO LXXXI.

Cum primum ſa. me. Innocentius XII. pro ſummo Reipublicæ bono, atque juſtis de cauſis jam perſpectis in particulari Congregatione Emorum Cardinalium demandaverit, Theatrum Turris nonæ, quod Comes Jacobus Aliberti conſtruxerat anno 1695. in loco pro hujuſmodi effectu in emphytheuſim ſuſcepto ab Archiconfraternitate S. Hieronymi Charitatis de Urbe, omnino eſſe demoliendum, pari inde æquitate, ac juſtitia motus alteri deputatæ Congregationi præcepit, ut pro veritate conſuleret, utrum Camera Apoſtolica propter demolitionem hanc in aliquo teneretur erga Loca Pia, ad quæ directum loci dominium ſpectabat, & erga – *altri Intereſſati in qualſivoglia modo a cauſa della fabbrica di detto Teatro* –;

Et

motu proprio ſa. me. Innocentii XII., qui ex ſibi beneviſis cauſis jam prius per Cardinalium Congregation. examinatis, demoliendum eſſe præceperat Theatrum, quique ſubinde conſulta Congregatione Prælatorum audiverat, ejus Cameram Apoſtolicam ex demolitionis cauſa in nihilo de jure teneri, præterquam ad cœmentorum reſtitutionem, voluit adhuc, & in ſuperextantibus cœmentis, & in ſitu demoliti Theatri per viam gratiæ, & liberalitatis providere certis tantummodo deſignatis Creditoribus, ſcilicet illis *ex cauſa direƈti dominii, & ex cauſa fabricæ*: Cum itaque Actores ex titulo dotis Victoriæ Cinciæ agentes nullum jus habeant ex cauſa directi dominii, vel conſtructi Theatri, nequit ad ipſos principio be-
1 neficium extendi, quibus ſpecifica d. Chirographi diſpoſitio minime convenit; ad *Text. in cap. ſane de privil., Bald. in cap. eandem n.13. de reſcript., Alex. conſ.171. n.5. lib.2., Rot. dec.163. n.3. cor. Mantic., & dec.235. n.8. cor. Cerro*; Ac propterea ſuper controverſo ſi-
2 tu deficit hypotheca, ſine qua nemini licet ex Salviano interdicto immiſſionem efflagitare; *Rot. dec.50. n.2. cor. Coccin., & Romana Salviani 26. Aprilis 1731. §. Porro, cor. R.mo Ratto, & in Ferrarien. Salviani 28. Novemb. 1735. §. Duplici cor. R.mo Decano*.

Et ſane ſedulò expenſo integro Chirographi tenore, ſtatim ipſamet litera edocebat, Pontificiam largitatem unice reſpexiſſe duas haſce Creditorum ſpecies ex cauſa nempe directi dominii, & conſtructæ fabricæ: Enim verò in parte proœmiali Papa enarravit particularem Prælatorum Congregationem deputaſſe, ut rite conſuleret ſuper eo, utrum Principis ærarium ex demolitione præd. ad quidquam præſtandum teneretur -- *Verſo i Luoghi Pii, ed altri Intereſſati in qualſivoglia modo a cauſa della fabbrica di detto Teatro, e caſe adjacenti* --, conſultumque fuiſſe, in nihilo pluris teneri, præterquam ad cœmentorum dimiſſionem, & ſolum ex gratia, & liberalitate poſſe aliquid elargiri -- *A commodo de' medeſimi Intereſſati, avuta in ciò ragione della ſpeſa dentro il Teatro* --; Hiſce enim ver-

bis ſatis evincitur, Pontificem ex æquitate, & gratia voluiſſe ſolum proſpicere indemnitati Locorum Piorum, & præfatorum Creditorum *a cauſa della fabbrica*, dum quo ad iſtos tantum dubitandi exorta ratio ſubjecta fuit particulari Prælatorum examini, & quoad iſtos quoque reſtricta fuit reddita conſultatio aliquam exercendi largitatem *avuta ragione della ſpeſa dentro il Teatro*; atque demum quoad iſtos Princeps ſeſe munificentiſſimum præbere declaravit: quamobrem hujuſmodi verba in parte proœmiali poſita to-
3 tam informant diſpoſitionem, finalem cauſam præſeferunt, atque diſponentis voluntatem declarant; *Manſ. conſ.105. n.2., & ſeq., Palma nep. alleg.340. n.4., Rot. dec.205. n.4. par.16. recen. dec.799. n.2. cor. Emer. Jun., dec.8. n.18. cor. Kaunitz., & dec.75. n.8. in Miſcell. cor. clar. mem. Card. Falcon.*

Relative præterea ad partem hanc proœmialem ſubſequentia reſpondent verba, dum paulò poſt SS.mus ille Pontifex remittere dixit Archiconfraternitati Charitatis annua ſcut.600., quæ debita erant Cameræ Apoſtolicæ ratione Locorum Montium Salis, ad hoc ut ipſa correſpective dimitteret ſitus, & ædificia *a beneficio de pred. Intereſſati*, ad effectum nempe, ut -- *Li detti Intereſſati poſſino ſopra li predetti ſiti &c., ed edifizj, e loro membri, e pertinenze così affrancati dal detto canone, e ſopra gli altri edifizj &c. ſoddisfarſi* --, indeque præcepit -- *Che dentro il vaſo di Tordinona i medeſimi Intereſſati debbano farvi edifizj ad altro uſo che di Teatro* -- Sub pœna regreſſus Archiconfraternitatis ad jura Canonum, quos tunc exigendos voluit *da tutti li ſuddetti Intereſſati*, quia ſine tali conditione minime diſpoſuiſſet, *come ſopra a commodo, e beneficio de' detti Intereſſati*; Poſtremo denique demandavit, ut cœmenta, & materialia *ſi conſegnino, e laſciano a detti Intereſſati*, in illos refundens expenſas demolitionis, *obbligando però li medemi a pagare interamente tutte le ſpeſe di detta demolizione*.

Hæc omnia repetitiva verba in quali-
4 bet parte conſtanter adhibita, ſive Princeps pro eorum beneficio diſpo-

ſuerit, ſive onera, & conditiones cor-
reſpective impoſuerit, quemadmodum
demonſtrant Summum Pontificem de
illis tantum intereſſe habentibus locu-
tum fuiſſe, quos antea in exordio ex-
preſſerat, *Rot. dec.36. n.3. par.5., dec.
118. n.55. par.17. rec.,* & *dec.895.
n.7., cor. bon. mem. Molinei.* Ita iis
5 tantum, & non aliis diverſi generis
Creditoribus gratificandi ipſius adfuit
voluntas, nec ultra ſic expreſſos pro-
trahi debet eadem diſpoſitio; *Rot. dec.5.
n.1. de Offic. Ordin.,* & *dec.75. ſub n.9.
in Miſcell. cor. cl. me. Card. Falcon.*

E quorum omnium conſpectu mino-
ris ponderis apparuere contraria argu-
menta, quibus adhæſit utraque deciſio
R. P. D. mei Creſcentii; quod ſcilicet
deſignatio ſpecialium Creditorum ex
cauſa fabricæ, deficientibus taxativis
dictionibus intelligi debeat facta a
Pontifice *demonſtrativè*; ſive quod ne
damnum irrogetur prioribus, ac po-
tioribus Creditoribus ita præſumi de-
bet de jure, quod in Creditorum ſa-
tisfactione idem Pontifex ſervandum
præcepit verbis illis -- *Secondo ſarà di
ragione* --, ſive quod Papa expreſſe no-
minavit Collegium Romanum, licet
Creditor non eſſet ex cauſa fabricæ; ſi-
ve demum, quod, dum conſulere di-
xit indemnitati Creditorum cujuſcun-
que generis, & ſpeciei, inde augmen-
tative locutus eſt -- *benchè foſſero arti-
ſti, mercenarj, e perſone privilegiate* --
quibus verbis demonſtrans Creditores
6 ex alia cauſa, quam fabricæ, ſatis in-
telligendum præſtat, de aliis quoque,
quam ex cauſa fabricæ prius ſenſiſſe, ut
late diſſerit *prima deciſ. 11. Maii a
§. Quamvis ad finem,* & *altera 3. De-
cembris elapſi anni a §. Licet enim ad
ſequen. cor. R. P. D. meo Creſcentio.*

Hiſce tamen omnibus ſolida reddi-
ta eſt reſponſio, quippe quia Summus
Pontifex in ejus motu proprio clare
expreſſit, ſuam velle munificentiam
exercere inter perſonas certas haben-
tes qualitates, ſive qui Domini directi
forent, ſive qui Creditores eſſent ex
cauſa fabricæ: ubi verò certa qualitas
7 expreſſa eſt, hoc ipſum oſtendit ſine
aliis reſtrictivis dictionibus, neuti-
quam demonſtrativam, ſed taxativam
quidem eſſe diſpoſitionem; ad *Text. in
cap. mandatum de reſcript.,* & *cap. ex
multiplici 3. ubi Gloſſ. verb. intentionis,
Rot. dec.6. n.22. de penſion. cor. clar.
mem. Card. Falcon.* Potiſſimum quoties
8 eadem qualitas conſtanter volita, ac
repetita videtur in eadem diſpoſitione,
quia repetitio ipſa minime ſinit, ut pro
demonſtrative appoſita interpretetur.
*Menoch. conſ.215. n.58., Gratian. di-
ſcept.629. n.15., Urceol. dec. floren.4.
n.35., Rot. dec.7. n.11. de fidcicommiſ.
cor. clar. mem. Card. Falcon.*

Atque hinc conticeſcere oportebat
juris diſpoſitionem, dum ſibi locum
tantum vindicaret, ubi Pontifex diſpo-
9 ſuiſſet de ſitu demoliti Theatri favore
Creditorum *in genere*, aut ubi ſatisfa-
ctio Creditorum commiſſa fuiſſet *arbi-
trio Jacobi de Alibert Debitoris, vel
Judicis executoris*, aut etiam ubi Prin-
ceps nil de proprio concedendo ad al-
terius tamen ſupplicationem, vel in-
dulget derogationem alicui vinculo ad
effectum vendendi bona, & pretium
erogandi in æris alieni luitionem, vel
confirmat aliquem contractum inter
partes initum ſub ſtipulatione dimit-
tendi Creditores: in hiſce profectò ſpe-
ciebus congruit regula, quod gratia
foret interpretanda *prout de Jure*, ſal-
va ſcilicet inter Creditores, ſive expreſ-
ſos, ſive non expreſſos, & inter cogni-
tos, ſive incognitos anterioritate, &
potioritate, ut nempe iſti præferri ſem-
per deberent poſterioribus, minuſque
privilegiatis ex præfata ſubintellecta
juris diſpoſitione, quæ privatorum
æque contractum, ac Principis diſpo-
ſitionem moderatur, & in hiſce termi-
nis loquuntur auctoritates omnes in
utraque præcedenti *deciſion. cor. R. P. D.
meo Creſcentio* relatæ, nempe *in prima
§. Quamvis,* & *in altera §. Ea præ-
ſertim.*

Diverſo tamen jure definiendum eſt,
10 quoties Supremus Princeps non ad
partis ſupplicationem, neque pro con-
tractus confirmatione, minuſque ſuper
re debitoris, ſed de plenitudine ſuæ po-
teſtatis, ac motu proprio, atque ſuper
re, quam acquiſivit pecuniis ſui æra-
rii (prout in caſu propter condonatio-
nem annuorum ſcut.600. Cameræ Apo-
ſto-

ſtolicæ debitorum) expreſſe providere voluit certo Creditorum generi, qui propriis pecuniis, & operis conſtruxerant Theatrum juſſu ſuo demolitum, quaſque unice expreſſit in ejus motu proprio: in hiſce enim aliis circumſtantiis gratia omnino intelligenda venit de ſui natura reſtrictive facta favore illorum tantum expreſſorum, quibus Papa providere voluit per eandem acquiſitionem factam non ære debitoris, ſed proprio, ita ut aliis utcunque anterioribus Principis gratia non ſuffragetur, ut optime diſtinguit *Rot. in Reatina Salviani 16. Junii 1704. §. Neque hac, & 10. Junii 1705. §. Inutiliter cor. bon. mem. Oman.*

Neque contrarium ſuadebant verba illa, quibus Papa uſus fuit -- *ſecondo farà di ragione* -- quia non leguntur appoſita indefinite ad hoc ut nempe omnes, ſi qui eſſent Creditores, Principis munificentia fruerentur, ſed, ut evincunt Chirographi verba -- *ad effetto che li detti Intereſſati poſſino ſopra li detti ſiti, ed edifizj ſoddisfarſi, eziandio riſpetto al canone competente al detto Collegio, ſecondo farà di ragione, ovvero frà loro potranno convenire d'accordo* --, unde illa ſtant quidem reſtrictive ad ipſos, quos expreſſerat, Creditores ex cauſa directi dominii, & conſtructæ fabricæ, volens inter ipſos pro conſequenda ſatisfactione ſervari juris di-

11 ſpoſitionem, juxta dictiones illa *Detti; Loro*, quæ ſunt perſonales, quæque ſunt repetitivæ Creditorum tantum antea expreſſorum; *Cephal. conſil. 140. n. 10. lib. 1., Rot. dec. 291. n. 6. par. 8. rec., & dec. 283. pariter n. 8. cor. clar. mem. Card. Caprara.*

Ex eadem Chirographi litera corruebat altera exceptio deprompta ex demandata ſatisfactione Collegii Romani, licet iſtius creditum minime proveniret ex cauſa fabricæ; Enimvero ideo mentio habita fuit de Collegio Romano, quia eodem modo, quo Archiconfraternitas Charitatis erat æque Dominus directus ſitus adjacentis, & deſtructo Theatro inſervientis, ibi -- *Avendo poi fatto eſaminare &c. ſe per detta demolizione foſſe la noſtra Camera Apoſtolica tenuta a coſa alcuna verſo i Luoghi Pii, ed altri Intereſſati in qualſivoglia modo a cauſa della fabbrica di detto Teatro, ed alle caſe adjacenti concedute in enfiteuſi, o locazione al Conte Giacomo Alibert dall' Archiconfraternità di S. Girolamo della Carità, e riſpettivamente dal Collegio Romano* -- Et paulo poſt -- *Eziandio riſpetto al canone competente al detto Collegio* -- Cum itaque Pontifex Creditoribus ex cauſa fabricæ, & dominii directi ſitus Theatri, & adjacentium domorum proſpicere voluerit; jure optimo ejuſdem Collegii tanquam Domini directi ratio haberi debuit.

Eodemque modo perperam in ſenſum demonſtrativum detorquebatur dictio illa *benchè*, in clauſulis executivis poſita, ubi Pontifex expreſſum haberi voluit -- *Il tenore delle conceſſioni, e di tutti gli altri contratti ſeguiti con qualſivoglia Intereſſato, benchè foſſero Artiſti, e Mercenarj, e perſone privilegiate*, ac ſi dictio iſthæc tanquam augmentativa reſpective ad artifices præſupponat, includatque alios etiam creditores cujuſvis generi, quam ex cauſſa Fabricæ, *ut in prima Deciſione cor. R. P. D. Creſcentio §. Attenta*, & in altera §. *Licet enim*: Quandoquidem in ſolo genere Creditorum ex cauſa Fabricæ conſulto Pontifex præcognovit, alios adeſſe ratione contractus propter concreditas pecunias ſub expreſſa ſtipulata pactione erogandi in fabricam, alioſque adeſſe ob præſtita Cæmenta, & materialia, alioſque demum propter proprias locatas operas: Ideoque ſi Pontifex Artifices, & Mercenarios conſideravit tanquam privilegiatas perſonas, atque aliqua dignos potioritate, illoſque augmentative expreſſit ſub enuntiata dictione, *benchè*, non proinde terminos exceſſit illius generis creditorum, quorum credita promanarent reſtrictive a cauſa Fabricæ, & quibus in tota ſerie ſuæ diſpoſitionis proſpicere velle declaravit, quia etiam præfata Artificum, & Mercenariorum credita erant ejuſdem generis, ejuſdemque cauſæ, tanquam provenientia a conſtructione demoliti

12 Theatri, & de eodem creditorum genere dictio illa intelligi debet; *juxta Gloſſ.*

Gloſs. in cap. Porro verſ. quamvis de privil., *ibique Panormit. n.2.*, *& in cap. quamvis de offic. ordin. in 6.*, *& in Clement. 1. de For. compet. cum aliis per Barboſ. dict. 304. n. 1.* Secus enim deflecteret a parte proœmiali, & diſpoſitiva,
13 quibus Partem executivam tanquam mere acceſſoriam, concordem eſſe decet; *Rot. dec. 666. n. 8. part. 1.*, *dec. 569. n. 6. part. 2.*, *dec. 385. n. 24. part. 19. recent.*, *& dec. 24. n. 7. tit. de Fideicommiſ. cor. clar. mem. Card. Falconer.*

Poſtremo animadverterunt Domini in nihilo obſtare, quod in *Deciſionibus 57.*, *& 87. cor. bon. mem. Herrera* definitum fuerit, idem Creditum pro dote, & augmento dotis Victoriæ Cinciæ tanquam prius tempore, & potius Jure comparative ad hoc ipſum Creditum Fabrimurarii, eſſe omnino præferendum: Quoniam præterquamquod a Sententia deſuper prolata appellatio fuit interpoſita, adhuc clarum dignoſcitur diſcrimen utriuſque propoſiti Judicii; In illo enim cor. bon. mem. Herrera quæſtio definienda erat ad ſimplices *Juris communis* terminos ſuper bonis debitoris omnino indifferentibus: In præſens vero ad tramites *Pontificii Chirographi*, tunc penitus ignoti, ac minime deducti, quo mediante cum Princeps, ut hactenus expenſum eſt, ſuper ſolo ſitu demoliti Theatri, & adjacentibus domibus conſulere voluerit certis deſignatis creditoribus ex cauſa Fabricæ, cæteri Creditores mi-
14 nime comprehenſi, utcunque potiores, ac priores ſint, nec rite, nec jure ſuper eodem ſitu adverſus illos propugnare valent ſub clypeo anteacti Ju-
15 dicii non egredientis terminos tunc agitatæ quæſtionis; *Rota dec. 1104. n. 6, cor. bon. mem. Molines.*

Et ita utraque &c.

FIRMANA DONATIONIS,

Lunæ 17. Junii 1737.

ARGUMENTUM.

Scriptura privata ſufficienter non recognita, nec in totum ſcripta, ac ſubſcripta a Donante, inutilis eſt; nec ſola recognitio ſubſcriptionis per notam manum facta a Teſtibus etiam omni exceptione majoribus ſuffragatur, in materia præſertim donationis, quando Teſtes præſentes non fuerunt confectioni Schedulæ; niſi concurrant fortiſſima admiuicula. Ex quo autem donatio exarata fuerit in medio folio, ejuſque ratificatio in octava parte folii, convincitur de falſitate, quæ inſuper oriri poteſt ex aliis circumſtantiis, quas vide in *Deciſione*, ubi etiam plura de Teſtibus, quando fidem non mereantur.

SUMMARIUM.

1 *Schedula privata non recognita, nec in totum ſcripta, ac ſubſcripta a donante inutilis eſt.*

2 *Teſti etiam Sacerdoti, qui fuerit ob delicta convictus, & condemnatus, nulla habetur fides*; & num. 28.

3 *Cum Teſtes in qualibet materia debeant eſſe omni exceptione majores:*

4 *Ita ut ſola etiam ſuſpicio criminis fidem iis adimat;*

5 *Licet ſententia deinde in gradu appellationis fuerit moderata quoad pœnam, quia hoc non tollit delicta, nec malam famam.*

6 *Recognitio per notam manum eſt valde periculoſa,*

7 *Et decipere ſolet etiam Peritos expertos:*

8 *Unde Teſti deponenti, ſe errare non poſſe in recognitione ſubſcriptionis, non creditur propter animoſitatem in deponendo.*

9 *Teſtis ſibi contrarius, ex quo aliquando tuto deponat, aliquando dubitative, fidem non meretur,*

10 *Retractatio ab examine, Teſti fidem minuit.*

11 *Quando Teſtes etiam omni exceptione majores præſentes non fuerunt confectioni Schedulæ, & agitur de recognitione non totius Schedulæ, ſed meræ ſubſcriptionis; tunc in materia præſertim Donationis recognitio per notam manum, ob periculum errandi, non ſuffragatur, niſi concurrant urgentiſſima adminicula.*

12 *In Civilibus ſola ſuſpicio falſitatis bene fundata habetur pro falſitate.*

13 *Ex quo Donatio exarata reperiatur in medio folio, ejuſque ratificatio in octava parte folii, convincitur de falſitate;*

.14 *Prout*

14 *Prout pariter ex quo contendatur ſecreto facta, & deinde ſcripta appareat alia manu, quam Donantis:*

15 *Cum omnia inveriſimilia præbeant ſuſpicionem falſitatis.*

16 *Item ſuſpecta de falſitate redditur apocha Donationis, ſi habeat duas ſubſcriptiones ita poſitas, ut folio in duas partes ſciſſo, quælibet pars ſubſcripta remaneat.*

17 *Suſpecta quoque redditur ex quo inuſitato modo facta fuerit, cum regulariter non muniatur niſi unica ſubſcriptione.*

18 *Pariterque, ſi ſubſcriptio non ſit facta per verbum* Dono, *veluti fieri ſolet.*

19 *Ex quo Apocha ſit conſcripta diverſo atramento in ſubſcriptione, ac in corpore, quod inſuper recentius ſcriptum appareat, in principio ſit anguſtum in medio largius, in fine ſtrictius, cujuſque ultima linea ſuprapoſita ſubſcriptioni ſit curva, & gibboſa, oritur ſuſpicio falſitatis:*

20 *Maxime ſi prætenſus Donans tradere ſolitus fuerit aſſerto Donatario paginas albas ſubſcriptione munitas;*

21 *Et inſtituerit in teſtamento proprios nepotes, quos inſuper probetur, ſemper animum habuiſſe inſtituendi;*

22 *Præſertim cum inveriſimile ſit, eos ita inſtituturum fuiſſe, ſi prius donaſſet;*

23 *Cum præcipue inter ratificationem donationis, & teſtamentum non interceſſerint niſi quatuor anni, unde excluſa remanet oblivio.*

24 *Falſitas Scripturæ probatur indiciis, & conjecturis,*

25 *Etiamſi duæ tantum numero ſint.*

26 *Qui recognovit inſubſiſtentiam Donationis, nequit eam amplius in diſcrimen revocare.*

27 *Conjecturæ ſemper cedere debent veritati.*

29 *Teſti famulo, data opera paulo ante examen a ſervitio dimiſſo fides non adhibetur.*

30 *Inveriſimile eſt, quod qui celatam, ac ſecretam tenere vult Donationem, eam famulo communicet cum omnibus minutiſſimis circumſtantiis,*

31 *Et quod idem famulus de iis omnibus recordetur, & licet idiota, optime omnes explicet.*

32 *Teſtes inveriſimilia, ac incredibilia deponentes ſunt ſuſpecti de falſitate.*

33 *Atteſtatio extrajudicialis, & pendente lite expiſcata nihil probat,*

34 *Maximè ſi ſero nimis producatur, poſt nempe triennalem diſcuſſionem, & poſt examen aliorum teſtium, & non in prima, ſed in altera Inſtantia;*

35 *Prout ſi producatur poſt didicita teſtificata.*

DECISIO LXXXII.

NOn conſtare de Donatione Prædii in vocabulo *di Monſone*, quam præviis duabus Scripturis privatis, ſive pagellis contendebant Fratres de Stabilibus confeciſſe favore Joſephi de Stabilibus eorum Patris die 10. Jul. 1694. ac ratificaſſe die 16. Junii 1728. quondam Thomam Sempronii Sacerdotem Oratorii S. Philippi Nerii Civitatis Firmi, qui in ejus teſtamento condito die 15. Septembris 1732. inſtituerat quoad Prædium in vocabulo *il Montone* — hæredes Nicolaum, ac alios de Sempronìis ejus ex Fratribus Nepotes, illum nempe, qui primo nuptias contraxiſſet; nec ullum *Mandatum ſive de aſſociando, ſive de immittendo* per dd. Fratres de Stabilibus petitum *eſſe relaxandum*, hodie interrogati a me DD. reſponderunt.

Huic reſolutioni duplex ratio cauſam dedit; Et prima in eo reſedit, quod ſupradictæ Schedulæ non fuere ſufficienter recognitæ, concludenterque probatum, quod illæ in totum fuerint ſcriptæ, & ſubſcriptæ a recenſi-
1 to Patre Sempronio prætenſo Donante, & propterea nil probant, nec ullam merentur executionem; *Rot. cor. Coccin. dec.758. n.2., cor. Bich. dec.85. n.5., & cor. Anſald. dec.47. n.4.; & dec.87. n.18., & cor. bon.mem. Molines dec.455. n.2., & in rec. dec.142. num.3. par.2., dec.498. n.59. part.19. tom.2.*

Quin dicta recognitio concludi valuerit ex duobus Teſtibus formiter examinatis pro parte Actorum, ſive Fratrum de Stabilibus, nempe *Sacerdote Alberto Marcantonii, & Franciſco Xaverio Antimiani*; Quia primus ex
2 illis, ideſt Sacerdos Albertus fuit de

va-

variis criminibus accuſatus, convictus, & condemnatus in Curia Archiepiſcopali Firmana, propter quod nulla eidem præſtari debet fides; ad *Text. in cap. ſuper eo il primo de Teſtibus, ubi Abbas, cæterique Scribentes eod. Tit., leg.3. §.leg. Julia ff. de Teſtib., Rot.cor. Buratt. dec.341. n.5., & in Recent. dec.171. n.19. part.17.*; Cum Teſtes
3 in omni materia debeant eſſe habiles, idonei, & omni exceptione majores; *Bald. in cap. Cum cauſam n.9. de Teſtib., Burſat. conſil.190. num.61., & ſequen., Alexand. conſil. 237. lib.6., Farinacc. de Teſtib. quæſt.62.num.20., Rot. cor. Cavaler. dec.603. n.6., & 7., & cor. Roxas dec.58. n.1.*; ita ut etiam
4 ſola, & ſimplex ſuſpicio exuberet, ut Teſti ſuſpecto de crimine credi non debeat; *Farinac. dict. quæſt.62. in prælud. n.5., Rot. in Recent. dec.2. n.6., & dec.69. n.28. part.18.*; Non obſtante, quod ſupradicta Sententia in gradu
5 appellationis fuerit modificata in ordine ad pœnam in Tribunali Criminali A.C., quia hoc non tollit delicta, nec malam famam dicti Sacerdotis, ex qua repellendus eſt a teſtificando; & de facto ipſe etiam nunc remanet ſuſpenſus a Diviuis, ut juſtificabatur ex parte Fratrum de Semproniis.

Et ſi eidem Teſti fides dari non debet propter enuntiatas exceptiones perſonales, tanto minus ei credendum eſt propter animoſitatem in deponendo, dum auſus eſt aſſerere, quod in recognitione manus ſupradicti Patris Sempronii ſuper ſimplici illius ſubſcriptione, nunquam errare potuerit, quando de cætero hæc materia recognitio-
6 nis per notam manum eſt valde periculoſa; ad *Text. in leg. comparatio Cod. de fid. Inſtrum., Rot. cor. bo. me. Lancetta dec. 1349. n. 17.*, & decipere ſolet
7 etiam Peritos expertos, qui aliquando judicarunt characterem verum pro falſo, & falſum pro vero, ut teſtantur *Pariſ.conſil.19. n.44. in fin. lib.3., Riminald. Jun. conſil.236. n.19., & ſequ. lib.3., Theſaur. lib.1. quæſt.24. n.7.; Cyriac. controv. 444. n.88., Gratian. diſcept. forenſ. cap.235.n.23., bon.mem. Anſaid. in addit. ad dec.8. num.34.*; &
8 Teſti ſic animoſe deponenti non eſſe præſtandam fidem, docent *Ludovic. Morott. reſponſ.69. n. 30., Cyriac. controv.407. n.2., Oſaſch. dec.128. n.10., Cenſal. deciſ. Lucen.59. num.13., Rot. coram bon. mem. Anſaid. di Et. deciſ.8. n.5., & 6.*

Alter vero Teſtis, nempe *Franciſcus Xaverius Antimianus* pariter at-
9 tendendus non eſt, ſive quia eſt ſibimet ipſi contrarius, dum in Interrogatoriis deponit habere notam manum recenſiti Patris Sempronii, & in articulis deponit dubitative per illud verbum *mi pare* —; ideoque nullum gradum probationis conſtituit; *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. dec.1. num.6. de Penſion., & in recent. dec. 297. n.15. par.19.*; ſive etiam, quia vix completo examine cum conſilio ejus Patris Spiritualis per actum publicum coram Notario, & Teſtibus, & medio jura-
10 mento ſe ſe retractavit a ſupradicto examine, quod Teſti minuit fidem; *Rot. coram Cerr. dec.725. n.4., & cor. bon.mem.Molin. dec.1021. n.6., & in rec. dec.131. n.18. par.4. tom.2.*

Fortius cum dd. duo Teſtes non fuerint præſentes confectioni enuntiata-
11 rum ſchedularum, & agatur de recognitione non totius corporis ſchedularum, quod admittitur non eſſe de manu Patris Sempronii, ſed de ſola illius ſubſcriptione, & quod magis eſt de re graviſſima donationis, in quibus circumſtantiis etiamſi memorati Teſtes non paterentur recenſitas exceptiones, & perfecte concluderent propter ſupra enuntiatum periculum errandi, recognitio hujuſmodi per notam manum facta nullo modo ſuffragaretur fratribus de Stabilibus, niſi pro veritate dd. ſchedularum concurrerent urgentiſſima adminicula, & conjecturæ; ut communiter tradunt *Gait. de credit. cap.2. tit.5. n.2746., Caren. reſol.120. n.13., Rocc. diſput. Jur. ſelect.cap.126. n.14., & 15., Card. de Luc. de Teſtam.diſc.6. n.6. cum ſeqq., Conſtantin. ad Statut. Urb. annot.13. art.1. n.112., & ſeqq., Ludovic. deciſ. Peruſ.7. a n.15. ad 18., Rot. cor. Dunozett. Sen., dec.7. n.6., & 10., & in Civitatis Vetulæ Pecuniaria 22. Aprilis 1709. §.Minuſque cor. Em. D. Card. Aldrovando, & in Romana Donatio-*

nationis 17.Aprilis 1711. §.14. *cor.bon. mem. Anſaldo*, & *in Romana Pecuniaria 11. Decembris 1724.*, §.*Et ob hanc rationem cor.R.mo Corduben.*

Tantum autem abeſt, ut hic adſint conjecturæ, & adminicula ſuadentia veritatem dd. ſchedularum, ut potius e converſo (& hæc fuit altera ratio DD.) concurrat nimis evidens ſuſpicio earum falſitatis, quæ ſola ſufficit, ut eiſdem ſchedulis non debeat dari exe-
12 cutio, cum in civilibus ſola ſuſpicio falſitatis bene de cætero fundata habeatur pro falſitate; *Theſaur. quæſt. foren. lib.1. quæſt.47. n.7., Rot. cor. Anſaldo dec.16. n.1., & 6., & cor. Lancetta dec.1211. n.10., & in recen. dec.170. n.10. part.15., & dec.219. n.7., & dec.310. n.2., & ſeq. par.16., & in Romana Fideicommiſſi de Epiphaniis 19. Januarii 1733.* §.1. *coram R.P.D. meo Nunez.*

Et id DD. deſumpſerunt ex eo, quod prætenſa donatio reperitur extenſa in
13 parva cartha magnitudinis medii folii, & illius prætenſa ratificatio anni 1728. in ſimplici pagella octavi folii, quod præbet ſignum claræ falſitatis; nam eſt quidem credibile, quod ſi, quemadmodum ajebant fratres de Stabilibus, Pater Sempronius intelligebat ſecretò eorum Patri donare, hanc donationem, & reſpective ratificationem conficeret apochis, ſive ſchedulis privatis ad finem, ut hi actus occulti remanerent eo vivente; Minime verò credi poteſt, quod eandem donationem non modici momenti fidere voluerit adeo parvis pagellis faciliter ex tractu temporis diſperſioni, & conſumptioni ſubjectis; *Menoch. de præſumpt. præſumpt.2. n.15. lib.4., Rot. in rec. dec.542. n.3. par.3., & in Civitatis Vetulæ Pecuniaria 22. Aprilis 1706.* §. *Omnimodam cor. E.mo D. Card. Aldrovando, & in ſupradicta Romana Donationis 17. Aprilis 1711.* §.15. *cor. bon. mem. Anſaldo.*

In idem collimat, quod corpus utriuſque ſchedulæ ſcriptum reperitur diverſo charactere ab illo ſubſcriptionis, quæ unice contenditur ab Actoribus eſſe de charactere Patris Sempronii; & tamen dum juxta ſupra expreſſum ſuppoſitum, idem Pater intelligebat facere ſecretam
14 donationem, eſt undique inveriſimile, quod voluerit tam illius, quam ſubſecutæ prætenſæ ratificationis extenſionem aliis perſonis committere, quæ illico eandem donationem pandere poterant; quando cæteroquin dd. actus ſunt breves, & paucis verbis concepti, & ſic illos faciliter ſcribere poterat idem Sempronius, qui plura alia per ſe ipſum ſcribere conſueverat, & ſignanter ſuo proprio charactere ſcripſit Teſtamentum, & non docetur, illum uſque tunc impeditum fuiſſe, nec per ſe ipſum ſcribere poſſe; ea enim omnia, quæ ſunt
15 inveriſimilia, ſemper probant ſuſpicionem falſitatis; *Bald. in leg.1. n.16. Cod. de ſerv. fugit., Rot. cor. Pænia dec.446. ſub n.7., & in rec. dec.619. n.5., & 6. part.18.*

His accedit, quod apocha prætenſæ donationis, ſive medium folium, in quo illa ſcripta exiſtit, habet duas æquales ſubſcriptiones in fine, utraque cor-
16 reſpondens medietati ejuſdem medii folii, & ſic concepta -- *Tomaſo Sempronj mano propria* --, quæ duplicata ſubſcriptio, cum præſeferat duplicem actum, & ſic indigitet illas fuiſſe factas, ad finem, ut medium folium in duas æquales partes divideretur, & in unaquaque ex illis poneretur aliqua diſpoſitio, ſic reddit ſuſpectam de falſitate
17 d. apocham prætenſæ donationis, quæ ut etiam practicatur in aliis apochis, regulariter confirmari non ſolet, niſi univoca ſubſcriptione, ſicuti ſemper ſuſpecta redditur quælibet donatio inuſitato modo concepta; *Menoch. de præſumpt. lib.5. præſumpt.20. n.20., Rot. cor. clar. mem. Card. Falcon. tit. de Falſit. dec.3. n.8., & in recen. dec.652. n.4. par.19. & in Romana Donationis 17. Aprilis 1711.* §.22. *cor. bon. mem. Anſald.*;
18 Præſertim dum d. ſubſcriptio non ſeſe habet per illud verbum --*Dono*-- quemadmodum in his caſibus fieri ſolet ut plurimum; *Rot. in eadem Romana Donationis* §.14. *cor. bon. mem. Anſald.*

Quo verò ad aliam apocham ratificationis octavæ partis folii, ex illius oculari inſpectione conſtitit, nedum
19 characterem corporis eſſe diverſi atramenti, & recentiori tempore ſcriptum, illo

illo ſubſcriptionis; ſed etiam in principio eſſe anguſtum, in medio largiorem, & in fine ſtrictiorem, quinimmo ultima linea ſcripturæ, ſeu corporis exiſtens ſupra prætenſam ſubſcriptionem Patris Sempronii eſt gibboſa, & curva, & conſequenter cum hæ oculares circumſtantiæ demonſtrent d. folium, ſive potius ejus octavam partem fuiſſe prius ſubſcriptam in albo, & ex poſt ejus corpus repletum; ſic inſurgit ſuſpicio, quod, quidquid in illa continetur, ſit falſum; ad tradita per *Soccin. Jun. conſ.*41. *n.*7. *verſic. Tertio ſuadetur vol.*1., *Abb. conſil.*99. *num. final.*, *Mandel. conſ.*99. *in fin.*, *Farinacc. quæſt.*153. *n.*188., *Gen. de ſcript. priv. lib.*1. *quæſt.*6. *dubitat.*7. *n.*27., & 28., *Bertacchin. vot.*196. *n.*2., *Rot. cor. clar. mem. Card. Falcon. tit. de falſit. dec.*1. *n.*5., & *cor. Priol. dec.*144. *n.*12., ubi quod lineæ reſtrictæ, & adnotatæ extra ordinem aliarum linearum, ſummopere augent ſuſpicionem falſitatis, & in *rec. dec.*561. *n.*11. *par.*19.

Quæ omnia eo fortius urgere viſa fuere, & quodammodo falſitatem in claro ponere ex eo, quod Pater Sempronius pro exactione fructuum ſuorum beneficiorum utebatur opera Joſephi de Stabilibus prætenſi Donatarii,
20 cui inſuper ſolitus erat pro majori commodo exactionis conſignare conſimiles ſchedulas in albo ſubſcriptas ad finem, ut idem Joſeph in actu receptionis pecuniarum poſſet in eiſdem pagellis extendere receputas favore debitorum ſolventium, quod comprobatum remanebat ex receputa exhibita in *Summario Fratrum de Semproniis* ſubſcripta quidem a Patre Sempronio; ſed repleta charactere ipſius Joſephi Stabili, in qua inter corpus receputæ, & dictam ſubſcriptionem intercedit magnum ſpatium in albo lineis tamen interſecatum, nec non etiam ex receputa congeſta in *eodem Summario* perneceſſe præſupponente illam cum ſubſcriptione tantum Patris Sempronii fuiſſe conſignatam, eo ipſo, quod illius corpus repletum fuit falſo mandato Procuræ in perſonam ſupradicti Joſephi ſub die 15. Novembris 1731. ad effectum extinguendi quendam cenſum, quem præcedenter, & quatuor ante menſibus idem Pater Sempronius perſonaliter extinxerat.

Unde propterea hac etiam conſiderabiliſſima circumſtantia concurrente eo fortius, & ſine ulla penitus difficultate incaleſcebat ſuſpicio vehementiſſima ſupra enuntiatæ falſitatis, ut in propoſito obſervant *Menoch. de præſumpt. cap.*66. *n.*31. *verſic. Tertiam conjecturam lib.* 3., *Rot. cor. Emerix. Jun. deciſ.*1261. *n.*8.; Attento potiſſimum, quod Pater Sempronius in ſuo Teſta-
21 mento condito die 15. Septemb. 1732., & ſic paulo poſt prætenſam ratificationem aſſertæ donationis ſecutam anno 1728. ſpecifice in hoc Prædio *di Montone*, in quo conſiſtebat fere totum ejus Patrimonium, ſibi hæredes ſcripſit ſuos Nepotes ex Fratre, quemadmodum conſtabat etiam ex jurata fide Patris Calvucci, qui continuò per annos 25., & uſque ad obitum cum Patre Sempronio converſatus fuit, eundem Patrem ſemper animo habuiſſe, dd. Nepotes hæredes inſtituere; quod etiam influit in d. falſitatem, cum a recta ratione alienum ſit, quod memoratus Pater Sempronius voluiſſet privare proprios Nepotes, & perſonæ penitus extraneæ totam ſuam ſubſtantiam donare; *Cravett. conſ.*24. *n.*12., *Rot. cor. Celſ. dec.*280. *n.*3., & 4., *cor. Emerix. Jun. dec.*633. *n.*6., & *in rec. dec.*59. *n.*10. *par.*13., & *in d. Romana Donationis* 17. *Aprilis* 1711. §. 31. *cor. bon. mem. Anſald.*, & ulterius, quod qua-
22 tenus donaſſet favore Joſephi, voluiſſet inde diſponere, ut ſupra, favore Nepotum; *Mart. Medic. deciſ. Senen. exam.*20. *n.*18., *Rot. cor. Zarat. dec.*4. *n.*4. 5., & *ſeq.*, & *in rec. dec.*421. *n.*9. *par.*13.; quando hæc nova diſpoſitio
23 nec minus referri poteſt oblivioni præcedentis ſuppoſitæ donationis, dum a tempore prætenſæ ratificationis iſtius uſque ad diem confectionis Teſtamenti non interceſſit niſi breviſſimum tempus annorum quatuor; ut optime obſervat *Rot. in d. Romana Donationis* 17. *Aprilis* 1711. §. 29. *coram eodem bon. mem. Anſaldo*.

Conſpirantibus itaque pro ſuprad. falſitate tot adminiculis, conjecturis, ac univocis demonſtrationibus; ſequitur

tur exinde, quod illius ſuſpicio undique ſufficiens, ut ſupra firmatum fuit, pro deneganda executione apochis, ſive ſchedulis ſupradictis, dici debet bene
24 probata, & fundata, dum falſitas ſcripturæ ſemper probata remanet indiciis, & conjecturis; *Cravett. conſ.56. n.20.*, *Noguerol. allegat.16. n.553.*, *Rot. cor. Gregor. dec.156. n.11.*, *& cor. Emerix. Jun. dec.633. n.3.*, *& in rec. dec.180. pariter n.3. par.13.*, *& dec.296. n.5. par.15.*, *& late in ſæpedicta Romana Donationis 17. Aprilis 1711. §. 5. cor. bon.mem. Anſaldo*; Quinimmo pro illa
25 concludenda ſat ſunt duæ tantum conjecturæ; idem *Cravett. conſ.134. n.39.*, *Surd. conſ.172. n.6.*, *Decian. reſponſ. 109. n.76. vol.2.*, *Maſcard. de probat. lib.2. concl.24. n.45.*, *& 48.*, *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de falſit. dec.3. n.6.* Eo vel maxime, quia ipſimet Fratres de Stabilibus pro conſecutione prætenſi crediti contra hæreditatem Patris Sempronii exequi fecerunt mandatum ſuper Prædio controverſo *di Montone*; per quem actum bene de-
26 ducitur *ipſos Fratres agnoviſſe* inſubſiſtentiam d. prætenſæ donationis, illamque hodie non poſſe amplius in diſcrimen revocare; *Rot. in recen. dec.562. n.18. par.19.*

Non relevante, quod de veritate ſupra enuntiatæ donationis, ac reſpectivæ ratificationis conſtet ex alio formali examine duorum Teſtium, nempe ſupradicti *Sacerdotis Alberti Marcantonii*, ac Franciſci *Antonii Cardarelli* facto coram R.P.D. de Rubeis, uti Judice ab A. C. deputato, qui hanc cauſam in prima inſtantia examinavit, ſed non decidit, deponentium ſeſe audiviſſe ex proprio ore recenſiti Patris Sempronii, quod ipſe feciſſet memoratam donationem, & ratificationem; nec non etiam conſtet ex depoſitione unius Religioſi Ordinis Diſcalceatorum S. Auguſtini nomine Fr. Caroli Mariæ a Spiritu Sancto deponentis ſeſe ipſum de mandato ſuprad. Patris Sempronii ſcripſiſſe anno 1728. totum corpus ſchedulæ ratificationis controverſæ donationis, & propterea ceſſent ſupra recenſitæ exceptiones non ſufficientis recognitionis ſubſcriptionum Patris Sempronii, ac ſuſpicionis falſitatis dd. ſchedularum; quæ ſemper cedere debent
27 veritati aliunde comprobatæ, *Rot. in rec. dec.247. n.11. par.13.*, *& in Mantiſſ. ad Card. de Luc. lib.9. dec. 7. n.5. volum.1.*

Quandoquidem quoad primum Teſtem, nempe *Sacerdotem Marcantonii* ultra quamplures exceptiones, quas patitur in dicto hujus novi examinis, late recenſitas per defenſores Fratrum de
28 Sempronìis, recurrunt ſuperius firmata, quod eidem Teſti de criminibus convicto, & malæ famæ, non ſit ullo modo credendum; Sicuti nec minus credendum eſt dicto alteri Teſti *Car-*
29 *darellio*, tum quia iſte paulo ante formale examen erat addictus ſervitio Actorum, & data opera a ſervitio dimiſſus; nempe ut illi d. exceptio Famulatus opponi non poſſet, & ſic nullum gradum probationis conſtituit; *Franc. in cap. Romana n. 4. de Teſtib.*, *Farinacc. pariter de Teſtib. quæſt.60. n.29.*, *Rot. poſt conſil. Farinacc. dec.138. n.4.*, *& dec.194. n.2.*, & in ſpecie de famulo dimiſſo ante examen *Rot. cor. Bich. dec.34. n.7.*

Tum etiam, quia idem Teſtis deponit inveriſimilia, & incredibilia, quod videlicet Pater Sempronius, qui, ut ſupponitur a Fratribus de Stabilibus, ſemper cordi habuit tenere celatam,
30 ac ſecretam donationem, voluerit illam communicare vili Famulo, qualis erat dictus Teſtis, & quod notabilius eſt non in genere, ſed cum minutiſſimis qualitatibus, & circumſtantiis ab eodem Teſte narratis, ideſt donationis inter vivos, cauſæ donandi, qualitatis rei donatæ, cum nomine etiam Coloni Prædii donati *di Montone*, ratificationis ejuſdem donationis 1728., & quod iſta ratificatio ſecuta fuerat per ſcripturam privatam; Hæc namque Patrem Sempronium communicaſſe dicto vili Famulo cum dd. minutis circumſtantiis,
31 eundemque Famulum adeo exacte de illis fuiſſe recordatum, & licet perſonam idiotam adeo bene explicaſſe, eſt penitus incredibile; ut bene animadvertit *Rot. in ſæpedicta Romana Donationis 17. Aprilis 1711. §.17. cor. bon. mem. Anſaldo*, & propterea nullam

prorſus meretur fidem, cum Teſtes in-
32 veriſimilia; ac incredibilia deponentes ſint ſuſpecti de falſitate; *Abbas in cap.1. n.4. de exception.*; *Cravett. conſil.249.n.11.*, *Menoch. de Arbitr. Judic. cap.99. n.7.*, *Rot. in rec. dec.73. n.22. par.4. tom.2.*

Ejuſdemque irrelevantiæ cenſuerunt etiam DD. eſſe illam alteram atteſtationem ſupradicti Patris Caroli Mariæ a Spiritu Sancto; nam cum iſta ſit extra-
33 judicialis, & pendente lite expiſcata, nil probat in hac re gravi prætenſæ donationis, pro cujus excluſione concurrunt tot circumſtantiæ, & adminicula ſuperius ponderata; *Rot. cor. clar. mem. Card. Falcon. tit. de probat. dec.11. ſub n.9., & tit. de retinend. poſſeſſ. ſimiliter dec.11. ſub n.6.*, Signanter dum a Fratribus de Stabilibus eadem fides non
34 fuit producta in Judicio pendente coram ſupradicto R. P.D. de Rubeis, niſi poſt triennium, & poſt acerrimam triennalem diſcuſſionem, & poſtquam ipſi devenerant ad ſupra recenſita bina formalia examina aliorum Teſtium; in quo ſtatu rerum, cum etiam d. fides non careat ſuſpicione falſitatis, junctis in ſpecie aliis obſervationibus ab ipſis defenſoribus Fratrum de Semproniis factis ſuper ſubſtantia expreſſorum in illa præſeferentium improbabilitatem; ideo eo fortius in nulla conſideratione habita fuit ex firmatis in terminis ſerotinæ productionis per; *Rot. cor. Emer. Jun. dec.149. n.3.*; *& cor. bon. mem. Molin. dec.1308. pariformiter n.3.*, *& in rec. dec.18. n.27.*, *& dec.156. n.18. par.9.*, & in aliis terminis productionis poſt di-
35 dicita teſtificata; *Text. in cap. cum veniſſent de Teſtib.*, *Ridolph. in prax. par.1. cap.11. n.119.*, *Rot. cor. Ludov. dec.48. n.1.*, *& cor. Millin. dec.315. n.2.*, *& cor. Ninot. dec.41. n.5.*

Et ita utraque parte late, ſtrenueque Jura ſua deducente reſolutum fuit &c.

MUTINEN. PAROCHIALIS SEU PLEBANIÆ.

Veneris 27. Junii 1737.

ARGUMENTUM.

Parochiales, quæ cum concurſu, vel intra ſpatium ſex menſium ab Ordinario collatæ non fuerunt, Sedi Apoſtolicæ reſervantur. Juſpatronatus a perſonis potentibus rigoroſe probandum eſt, vel per exhibitionem publici Inſtrumenti fundationis, & Dotationis, vel per immemorabilem cum pluribus præſentationibus effectum ſortitis ſpatio continuato 50. annorum, & juſtificandis per publica Inſtrumenta earundem, tam ſi agatur in petitorio, quam in poſſeſſorio. Juſpatronatus ut ex augmento dotis dicatur acquiſitum ex cauſa oneroſa, augmentum debet ſaltem attingere medietatem antiquæ dotis, alias dicitur ex privilegio, & ſubjacet revocationibus, a quibus ſi præſervatum ſit, obnoxium manet reſervationibus. Per allegationem tituli invalidi enervatur vis centenariæ, & immemorabilis, nec amplius allegari poteſt in vim hujuſmodi obſervantiæ melior titulus.

SUMMARIUM.

1 *Literæ Apoſtolicæ, ubi juſtificatæ ſunt, ſtatim exequi debent*, & n.10.

2 *Februarius eſt unus ex menſibus S. Sedi reſervatis.*

3 *Parochiales, quæ cum concurſu, vel intra ſpatium ſex menſium ab ordinario collatæ non fuerunt, reſervantur Sedi Apoſtolicæ.*

4 *Identitas proviſi probari ſolet in Dataria.*

5 *Pontifex nunquam admittit abſque conſenſu Patronorum reſignationes beneficiorum de Jurepatronatus laicali, ſed Dataria ſemper apponit clauſulam* — accedente Patronorum conſenſu —.

6 *Reſignatio beneficii in manibus Papæ tanquam de libero, præſertim cum narrativa, quod Juſpatronatus per rem judicatam rejectum fuerat, firmat ultimum ſtatum favore S. Sedis.*

7 *Ignorantia reſignationis Parochialis non eſt præſumibilis, eo ipſo, quod illa tam in eadem Eccleſia Parochiali, quam in Cathedrali publicari ſolet*;

8 *Maxime verò ſi aſſerti Patroni eam præſentaverint uti vacatam per obitum reſignatarii.*

9 *Exiſtens in quaſi poſſeſſione conferendi manuteneri debet.*

10 *Literæ Apoſtolicæ præſeferunt Judicium*

Digitized by Google

cium mere executivum, & poſſeſſorium.

11 *Ultimus ſtatus attenditur tam favore Patronorum, ac inferioris Collatoris, quam Papæ;*

12 *Præſertim quando fuit contradictus, & per rem judicatam approbatus.*

13 *Subrogatio gratioſa concedi nequit injuſto, & calumnioſo litiganti;*

14 *Neque ullum alium effectum producit, quam remotionem novi collitigantis.*

15 *Proviſus Apoſtolicus, qui literas quoque ſubrogationis gratioſæ obtinuerit, dicitur acquirere beneficium in vim proviſionis, quæ ideo firmat ultimum ſtatum.*

16 *Ultimus ſtatus unice venit attendendus, rejectis aliis quibuſcunque quæſtionibus ad petitorium;*

17 *Præcipue ſi jam fuerunt rejectæ per rem judicatam afficientem, donec revocetur, tam patronos, quam præſentatos.*

18 *Juſpatronatus a perſonis potentibus, & habentibus dominium loci rigoroſe probandum eſt, vel per exhibitionem publici Inſtrumenti fundationis, & dotationis Eccleſiæ; vel per immemorabilem cum pluribus præſentationibus effectum ſortitis continuato ſpatio 50. annorum, & juſtificandis per publica Inſtrumenta earundem præſentationum, tam ſi agatur in petitorio, quam ſi in poſſeſſorio.* & n.22., & 24.

19 *Eccleſia habet aſſiſtentiam juris pro ſua libertate.*

20 *Juſpatronatus acquiſitum ob augmentum tertiæ partis dotis, dicitur ex privilegio; cum ad hoc ut acquiſitum dicatur ex cauſa oneroſa, augmentum debeat ſuperare, vel ſaltem attingere medietatem antiquæ dotis.*

21 *Juſpatronatus ex privilegio, etiamſi non caderet ſub revocationibus, adhuc remaneret ſubjectum Reſervationibus Apoſtolicis.*

22 *Immemorabilis probari debet per Teſtes deponentes cum requiſitis* Gloſſæ in cap. de præſcript. in 6., *non verò per ſcripturas.*

23 *Supradictæ præſentationes adeo probandæ ſunt per publica earundem Inſtrumenta, ut neque ſufficiant enunciativæ, neque Teſtes, neque ſententiæ, vel inſtitutiones ordinariorum, neque alia probationum genera.*

24 *Ad ſatisfaciendum formæ præſumptæ a Concilio non ſufficit unica præſentatio, ſed plures requiruntur continuatæ ſpatio 50. annorum.*

25 *Ex reſignatione, in qua Pontifex declarat, ſe providere tanquam de reſervato, nec Juſpatronatus approbare velle, niſi de eo conſtet, potius impugnatum diciturJuſpatronatus, quam admiſſum.*

26 *Ad excludendas reſervationes Apoſtolicas conſuetudo præciſe probanda eſt in vacationibus ſecutis in menſibus reſervatis;*

27 *Et quidem per præſentationes in vacationibus, per obitum non verò per conſenſus præſtitos in reſignationibus.*

28 *Ex allegatione tituli invalidi infecta remanet quælibet obſervantia ſive centenaria, ſive immemorabilis;*

29 *Nec licet amplius allegare vigore prædictæ obſervantiæ alium titulum meliorem.*

DECISIO LXXXIII.

Vacata per obitum Joannis Antonii de Blanchis ſecutum menſe Februarii præterlapſi anni 1736. S. Sedi Apoſtolicæ reſervato Eccleſia Parochiali S. Joannis Baptiſtæ Loci Maſerni Mutinen. Diœceſis, fuit de illa ab eadem S. Sede proviſus Sanctes Joſeph Jacobatius; Contendentes verò Marchiones Joſeph, aliique de Montecuccolis eandem Eccleſiam eſſe de eorum Jurepatronatus, ad illam coram Rmo Epiſcopo Mutinen. præſentarunt Sacerdotem Gaſparem Toſetti, qui fuit inde inſtitutus, atque immiſſus in poſſeſſionem ejuſdem Eccleſiæ Parochialis: Quapropter commiſſa mihi executione literarum Apoſtolicarum, interrogavi de more DD.— *An literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ in caſu &c.* — qui reſponderunt — *Literas Apoſtolicas eſſe exequendas.*

Quando etenim literæ Apoſtolicæ ſunt in omnibus juſtificatæ, ſemper ce-
1 lerem merentur executionem; *Cap. Si quando de reſcript., cap. Si Capitulo, ibique Gloſſ. verb. exequatur de conceſſ. præbend. in 6., & paſſim Rota ſignanter in Pampilonen. Rectoriæ Ruralis* 30. *Ju-*

lii 1723. §. *Conſtitit cor. Rmo Corduben.*, de qua quidem juſtificatione hic nullatenus dubitatum fuit; dum reſervatio Eccleſiæ Parochialis oritur ex duplici capite; Altero nempe ex quo illa vaca-
2 vit, ut dictum eſt, in menſe Februarii, qui eſt unus ex menſibus S. Sedi reſervatis *in Regula nona Cancellariæ*; Et altero *ex Conſtitutione S. Pii V. Bullar. nov. in ordine la 33. §. 3., & 4.*, per
3 quam proviſioni S. Sedis reſervantur Parochiales omnes, quæ cum concurſu, vel intra terminum ſex menſium a die vacationis collatæ non fuerint per Ordinarium, quemadmodum de facto collata non fuit a Rmo Epiſcopo Mutinen. d. Eccleſia Parochialis Maſerni; *Card. de Luc. de Paroch. diſc. 37. n. 1., & ſeq., & in annot. ad Concil. Trident. diſc. 32. n. 2., & 5., Rot. cor. Mantic. dec. 40, n. 8., & in recen. dec. 156. n. 4. par. 10.*; Juſtificatio verò valoris conſtitit ex Teſtibus adductis a Proviſo Apoſtolico, & iſtius idoneitas, & qualitas non valebat in dubium revocari ex iis, quæ pro il-
4 lius parte adducta fuere in Dataria Apoſtolica, ſicuti fieri ſolet in ſimilibus proviſionibus Apoſtolicis; *Rot. cor. Priol. dec. 345. n. 5., & in rec. dec. 90. n. 6. par. 17., & in Giennen. Beneficii 21. Martii 1735. §. Quoniam cor. Mc.*

Abſque eo quod ad retardandam executionem dd. literarum Apoſtolicarum attendi meruerit Juſpatronatus Laicale prætenſum a March. de Montecuccolis; Siquidem S. Sedes reperitur in poſſeſſione, ſeu quaſi conferendi hanc Eccleſiam Parochialem tanquam liberam, & ſubjectam reſervationibus Apoſtolicis, acquiſita ex penultimo, ac ultimo ſtatu, ex illo nempe anni 1671., in quo vacata eadem Eccleſia per obitum Antonii de Jacobatiis in menſe Novembris Sedi Apoſtolicæ reſervato, fuit illa a S. Sede prædicta collata Sacerdoti Joanni Baptiſtæ Maſerno, qui mediante re Judicata, *ac deciſionibus evulgatis in hoc Sac. Auditorio cor. bon. mem. Rondinino die 13. Junii, & 1. Decemb. 1687.*, ac mandato de immittendo deſuper expedito cum taxatione expenſarum, *ut ex alia dec. 311. cor. Beninceaſ.* in excluſionem Franciſci Baracani primo, & Caroli Bartolini ſecundo loco præſentatorum a DD. Marchionibus de Montecuccolis, adeptus fuit poſſeſſionem d. Eccleſiæ Parochialis, ut plene docuit Jacobatius; Necnon ex altero an. 1689., in quo d. Maſernus eandem Eccleſiam Parochialem libere reſignavit in manibus Papæ, qui illam nullo requiſito conſenſu illorum de Montecuccolis contulit Jo: Antonio de Blanchis, per cujus obitum modo vacavit Eccleſia, prævia narrativa, quod per d. Maſernum reſignantem fuerat per litem diuturnam cum ſubſecuta re judicata ad illius favorem prodita, vindicata in libertatem ab aſſerta ſervitute Juriſpatronatus de Montecuccolis.

Cum enim vigore *Regulæ 42. Can-*
5 *cellariæ* abſque Patronorum conſenſu, nunquam Papa ſoleat admittere ſimiles reſignationes beneficiorum de Jurepatronatus Laicali, ſed ſemper Dataria Apoſtolica apponat clauſulam in literis — *accedente Patronorum conſenſu*; *Pariſ. de reſignat. benefic. lib. 2. quæſt. 4. n. 4., & 15., Lotter. de re benefic. qu. 8. n. 95. lib. 2., Rot. in rec. dec. 725. n. 1. par. 18.*; citata etiam reſignatio tanquam de libero facta anno 1689. favo-
6 re ſuprad. de Blanchis, immo cum expreſſa narrativa, quod d. Juſpatronatus March. de Montecuccolis fuerat per rem judicatam rejectum, firmat ultimum ſtatum pro libertate Eccleſiæ, & reſpective quaſi poſſeſſionem favore S. Sedis, ut in puncto ſimilis reſignationis firmavit *Rot. in rec. dec. 463. n. 5. par. 19. tom. 2.*, eo magis attendendum uti ratificatum, & approbatum a Montecuccolis; nedum quia per lapſum 47. annorum, quibus de Blanchis Reſignatarius Eccleſiam poſſedit, nunquam reclamarunt, nec præſumibilis eſt ulla
7 ignorantia reſignationis, quæ juxta notoriam Conſtitutionem Gregorii XIII., tam in eadem Parochiali, quam in Cathedrali publicata fuit, & per adeo longævum tempus obſervata; *Rot. in rec. dec. 213., n. 8., & 9. par. 6., & dec. 708. n. 11. par. 18. tom. 2.*; ſed etiam
8 ex quo ipſi præſentarunt Toſetti ad Eccleſiam uti vacantem per obitum d. de Blanchis Reſignatarii; *Rot. cor. Bich. dec. 312. n. 20. verſ. Et quia, & dec. 351. n. 25., & in rec. d. dec. 708. n. 12., & 13. par. 18. tom. 2.*

Et

Et conſequenter ſi S.Sedes ex dd.duobus Statibus exiſtit in quaſi poſſeſſione
9 hanc Eccleſiam Parochialem conferendi, uti liberam, & in menſibus reſervatis, in ea venit manutenenda, & literæ Apoſtolicæ ad formam d. ultimi ſtatus ſunt exequendæ, tanquam præſeferentes judicium mere executivum,
10 & poſſeſſorium vigore celebris *Text. in cap. Conſultationibus de Jurepatron.* ex firmatis *per Rot. coram Herrer. deciſ.224. n.16., & in rec. dec.734. n.3. part.2,, & dec.13. a n.6. part.6., & dec.423. num.3., & 4. part.14., & in Barchinonen. Beneficii 25. Junii 1721. §. Junctis etiam, & §. fin. coram Illuſtriſs. D. meo Corio Almæ Urbis Gubernatore*; quia quemadmodum ulti-
11 mus ſtatus, & quaſi poſſeſſio unice attenditur favore Patronorum, vel inferioris collatoris pro ſubſtinenda, vel præſentatione, vel collatione, rejecta quacunque quæſtione pertinentiæ Patronalis ad petitorium, ita idipſum ſervandum eſt in proviſione Apoſtolica, cnm Summus Pontifex non debeat eſſe deterioris conditionis, quam ſint Patroni, vel alii Collatores inferiores; *Card. de Luc. de Paroch. diſc.15. n.4., & de Jurepatronat. diſc.7. n.12., Rot. dec.57. n.2. part.6., & dec.39. num.4., & 5. cor. Ninot., & in d. Barchinonen. Beneficii 25. Junii 1721. §. Junctis cor. eodem Illuſtriſs. D. Corio*. Potiſſimum
12 dum d. penultimus ſtatus fuit a Montecuccolis prætenſis Patronis, & a Baracano, atque a Bartolino eorum præſentatis contradictus, & per rem Judicatam approbatus; *Rot. cor. Herrera dec.169. num.14., & 15., & dec.224. num.17., & in Mediolanen. Beneficii 1. Aprilis 1707. §. Ut pariformiter cor. bo. me. Anſaldo*.

Non officiente, quod Maſernus proviſus Apoſtolicus obtinnerit alias literas ſubrogationis gratioſæ in juribus Baracani primi præſentati a Montecuccolis in d. vacatione anni 1671., & pendente lite defuncti, ita ut incertum ſit, an ille Eccleſiam Parochialem aſſecutus fuerit jure potius proviſionis Apoſtolicæ tanquam de reſervato, quam jure ſubrogationis gratioſæ,
13 & ſic nullum firmet ſtatum; Nam cum ſubrogatio gratioſa nequeat concedi injuſto, & calumnioſo litiganti; *Rebuf. ſuper Reg. de ſubrogan. clauſ.3. n.3., Rot. cor. Coccin. dec.1215. n.16., & in rec. dec.403. n.3. part.14., & dec.427. n.10. part.18., & dec.281. n.1., & ſequen. part.19.*; hinc ſemper firmat ſtatum favore Proviſi Apoſtolici, qui non alio jure dicitur habuiſſe Eccleſiam, quam vigore ſuæ proviſionis Apoſtolicæ, non operante ſubrogatione gratioſa alium effectum, quam remo-
14 tionem obſtaculi novi Collitigantis, maxime quando ſubrogatus gratioſe non obtinuit pacifice poſſeſſionem Eccleſiæ, ſed habuit alios Contradictores, & Collitigantes, ut ſucceſſit ſupradicto Maſerno, cui oportuit proſequi litem ſuper executione literarum Apoſtolicarum proviſionis tanquam de reſervato cum Carolo Bartolino novo præſentato a Montecuccolis, & obtinere ſententiam ab R. P. D. Buratto, & tandem mandatum Rotale præviis duabus Deciſionibus cor. bon. mem. Rondinino ſub diebus 13. Junii, & 1. Decembris 1687. declarantibus literas Apoſtolicas proviſionis de reſervato eſſe exequendas, & non conſtare de Jurepatronatus, licet inde ad exuberantiam ſubjunctum etiam fuerit Maſernum uti gratioſe ſubrogatum non teneri aliud probare, niſi Clericatum, & poſſeſſionem defuncti, quod non excludit primam, & eſſentialem rationem decidendi, fuiſſe Reſervationem Eccleſiæ, ac inexiſtentiam Juriſpatronatus in ſuperiori parte firmiter comproba-
15 tas, in quibus terminis nulli eſt dubium, quod præfatus Maſernus aſſecutus fuerit Parochialem in vim prioris tituli proviſionis Apoſtolicæ, & hoc firmare ſtatum excluſivum Juriſpatronatus, ut declarando auctoritates contrarium firmantes reſpondit *Rot. in Mantiſſ. ad Card. de Luc. dec.34. n.9., & dec.35. n.10., & 11. lib.13. vol.4., & dec.11. n.10. Tit. de Jurepatr. cor. clar. mem. Card. Falconer., & in Mediolanen. Prioratus 25. Junii 1700. §. Et proprius cor. bo. me. Anſaldo*.

Quæ omnia reſpicientia ultimum ſtatum, & Judicium poſſeſſorium dum-
16 taxat attendenda veniunt in præſenti

Ju-

Judicio rejectis omnibus aliis probationibus, & quæſtionibus concernentibus ſtatus antecedentes, ac d. Juſpatronatus ad ſuum Judicium petitorium pro regulandis futuris vacationibus juxta conſtantem opinionem hujus Sac. Auditorii, de qua *in dec.14. per tot. de Jurepatr. in antiquis, & dec.2. num.2. de Præbend. in novis, & cor. Priolo dec.38. num.6., & ſeq., & in recent. dec.13. n.17., & ſequen. part.6., & in Hipporegien. Beneficii 11. Febr. 1704. §. Etenim cor. bon. mem. Muto, & in Paderbonen. Beneficii 28. Junii 1734. §. Addito cor. Me*; Præſertim dum dd. probationes, ut ſupra enuntiatum fuit,
17 rejectæ fuere in Re Judicata in hoc Sac. Auditorio emanata coram bon. mem. Rondinino in penultimo ſtatu anni 1671. afficiente tam Marchiones de Montecuccolis, quam eorum præſentatos, donec prævia reſtitutione in integrum non fuerit revocata per aliam Rem Judicatam, *Rot. in Mindonien. Beneficii 7. Junii 1734. cor. R. P. D. meo Millino, & in Aurien. Parochialis de Rivela 6. Februarii 1736. §. Excluſa cor. Me.*

Eoque magis hæc DD. urgere viſa ſunt; quia etiam aſſumpto examine ex integro prætenſi Juriſpatronatus, cognitum fuit illud non ſubſiſtere, nec probari; nam cum illud prætendatur per Marchiones de Monteccucolis tunc Dominos Oppidi Maſerni, ubi ſita eſt Eccleſia Parochialis ratione præſump-
18 tæ uſurpationis militantis contra perſonas potentes, & habentes dominium temporale Loci, rigoroſe illius competentia probanda venit ad formam *Sac. Concilii Trid. cap.9. Seſs.25. de reform.* nempe, vel per exhibitionem publici Inſtrumenti originariæ fundationis, & dotationis Eccleſiæ, vel per immemorabilem conſuetudinem bene probatam cum ſuis requiſitis; & cum pluribus præſentationibus effectum ſortitis continuato ſpatio 50. annorum, & juſtificandis per publica Inſtrumenta earundem præſentationum, hocque exigitur ſive agatur in judicio petitorio, ſive poſſeſſorio; aliàs autem ſi probatio hæc deficiat in minimo, vel ſit turbida, & minus concludens nil pe-
19 nitus relevat, nec recedendum eſt ab aſſiſtentia juris, quæ favet libertati Eccleſiæ, ut ſequendo literam *Sac. Conc. Trid.* probant *Fagnan. in cap. conſultationibus n.8. de Jurepatr., Garz. de beneſic. par.3. cap.2. n.198., Gonzal. ad Reg.8. Cancellar. Gloſſ.18. n.72., & ſeq.*, & paſſim firmavit *Rot. in rec. dec. 630. n.76., & 79. cum ſeq. par.4. tom.3., & dec.247. n.4., & ſeq. par.9. tom.1., & dec.187. n.3., & 4. part.12., & dec.782. n.8., & ſeq. par.18., & dec.8. n.7. par.19., & dec.539. n.4., eadem par.19. tom.2.*, & in hac cauſa *cor. bon. mem. Rondinino 13. Junii 1687. §. Neque obſtat, & in Mediolanen. Beneficii 1. Aprilis 1707. §. Et ob id cor. bon. mem. Anſaldo.*

Neutram verò probationem concludere March. de Montecuccolis exiſtimarunt DD., & ſane non primam exhibitionis publici Inſtrumenti originariæ fundationis, vel dotationis Eccleſiæ; quippe licet ipſi exhibuerint in ſæpedicto ſtatu anni 1671., ac etiam in quibuſdam aliis antecedentibus quoddam Indultum ſan. mem. Julii II. ſub datum Bononiæ anno 1506., quo Com. Balthaxari, ſeu Cerſanino de Montecuccolis Domino temporali ſuprad. Loci Maſerni ſupplicanti, & promittenti antiquam dotem controverſæ Eccleſiæ conſiſtentem, ut ipſe aſſeruit, in florenis 50. auri de Camera, augere in tertia parte fructuum, a Papa ſeſe declarante nullam de his habere certam notitiam, concedendum Juſpatronatus committitur Executori, *ſi ita eſſet*, & poſtquam per eundem Com. Balthaxarem factum fuiſſet ſupra enuntiatum augmentum.

Nihilominus Indultum hujuſmodi non valet æquivalere veræ fundationi, & dotationi Eccleſiæ; Tum quia non docetur de dicto augmento, quod junctum cum antiqua dote conſtituiſſet annuum fructum Eccleſiæ in duc.75., immo apparuit de contrario, dum in reſignationibus annor.1516., & 1536. fuit declaratum annuos reditus Eccleſiæ non excedere annuos duc.60., Tum inſuper quia verificato etiam augmento in tertia parte idem Juſpatronatus
20 remaneret dumtaxat gratuitum, & ex

pri-

Digitized by Google

privilegio: cum ad effectum, ut Juſpatronatus ſit ex cauſa oneroſa, neceſſe ſit, quod augmentum excedat, vel ſaltem attingat medietatem antiquæ dotis, & per conſequens caderet ſub revocationibus *Adriani VI. juxta ejus Conſtitutionem editam anno* 1522., *& Sac. Conc. Trid. dicto cap.9. ſeſſ.25. de reformat.*, ut unanimiter tradunt *Cherubin. ad dicta Conſtit.3. Adriani VI. Schol.1., Card. de Luc. de Jurepatr. diſc.10. n.21., & diſc.91. n.2., Lotter. de re Benefic. quæſt.8. lib.2. n.17., Piton. diſcept. Eccleſ.22. n.23., & ſeq., Rot. cor. Coccin. dec.1056. n.37., & in rec. dec.510. n.3. par.3., & dec.630. n.71. par.4. tom.3.*, & in individuo privilegii conceſſi pro augmento tertiæ partis dotis; *Rot. cor. Seraphin. dec.1395. n.4., & cor. Coccin. dec.753. n.10., & cor. Pamphil. dec.518. n.11., & in recen. d. dec.510. n.3., & dec.147. n.11. par.4. tom.2.*, & firmant *Deciſiones in hac cauſa editæ cor. bon. mem. Rondinino prima nempè 13. Junii §. Unde cum ſeq., & ſecunda 1. Decembris 1687. §. Minus denique*; Tum demum. quia etiam ſi d. Indultum Julii II.

21 ſive Juſpatronatus ab illo conceſſum eſſet excluſum a ſuprad. revocatione, adhuc ſubjectum remaneret Reſervationibus Apoſtolicis ex ratione inſinuata *per Vivian. de Jurepatr. lib.4. cap.10. n.22., Lotter. de re Benefic. lib.2. qu.8. n.14. 65., & ſeq., Card. de Luc. de Jurepatr. diſc.65. n.26., & ſeq., & diſc.91. n.2., & proſequitur d. prima deciſio cor. bo. me. Rondinino §. Immo cum vacatio.*

Minuſque verificatur ſecunda probatio requiſita a Sac. Concilio Tridentino uti ſupra, & reſidens in conſuetudine immemorabili cum præſentationibus continuatis ſpatio 50. annorum, quia d.

22 immemorabilis probari debet per Teſtes deponentes cum notis requiſitis *Gloſſ. in cap. de præſcript. in 6.*, & non per ſcripturas, quibus mediantibus probari non poteſt, quod nihil unquam viſum, vel auditum fuerit in contrarium, in quo potiſſimum conſiſtit vis, & efficacia immemorabilis, ut in præciſis terminis firmavit *Rot. in rec. dec.126. n.20., & ſeq. par.5.*, & præſentationes probandæ veniunt per authentica Inſtrumenta earundem præſentationum juxta literalem diſpoſitionem ejuſdem *Sacr. Conc. Trid. in ſuprad. cap.9. ſeſſ.25. de reform.*, & ex illo tradunt *Garz. de Benefic. par.5. cap.9. n.100., & ſeq., Gonzal. ad Reg.8. Cancell. Gloſſ.18. n.84., & ſeq., Card. de Luc. de Jurepatr. diſc.58. n.6., Rot. cor. Buratt. dec.139. n.11., & cor. Merlin. dec.349. n.3., & cor. Bich. dec.148. n.11., & in rec. dec.782. n.8. par.18., & dec.8. n.7. par.19.*

Unde ſequitur, quod illæ proviſiones per viam reſignationis annorum 1516. 1536. 1565. exhibitæ a Montecuccolis in memorata vacatione Eccleſiæ anni 1671, in qua emanavit res judicata in hoc Sac. Auditorio favore Maſerni proviſi Apoſtolici, ut ſupra narratum eſt, & enuntiantes aſſenſum illorum de Montecuccolis, nullius ſint penitus momenti, nec pro concludenda ſupradicta immemorabili probanda per Teſtes, nec pro verificandis conſenſibus æquivalentibus præſentationi-

23 bus; cum iſtæ non probentur per ſimiles enuntiativas, immo neque per Teſtes, vel alia probationum genera; *Pariſ. de confident. quæſt.18. n.147., Gonzal. ad Reg.8. Cancellar. Gloſſ.18. n.79., & ſeq., Gratian. diſcept. forenſ. cap.168. n.21., Rot. cor. Ludov. dec.139. n.5., & 6. ibique adden. n.13., & ſeq., & cor. Merlin. dec.349. n.3., & ſeq., & dec.630. n.82.*, ubi quod ad hunc effectum nec minus ſuffragentur ſententiæ, vel inſtitutiones Ordinariorum.

Reliqui vero ſtatus annor. 1597. 1627., & 1631. in nulla habiti fuere conſideratione; quia reſpectu d. anni 1597., ſimiliter occaſione recenſitæ vacationis, & litis anni 1671. cum alio Proviſo Apoſtolico non fuit productum, niſi mandatum Procuræ Com. Herculis Montecuccoli tunc Rectoris Eccleſiæ Parochialis ad illam reſignandam in manibus Papæ; anno 1627. agitur de alia proviſione per viam reſignationis facta a ſan. mem. Urbano VIII., ſed deficiunt Bullæ Apoſtolicæ, ac documentum conſenſus illorum de Montecuccolis; & anno 1621., in qua res eſt de alia proviſione per viam reſignationis ejuſdem ſan. mem. Urbani VIII. favore Antonii Jacobatii, licet dentur literæ Apoſtolicæ, & conſtet de conſenſu præſtito a Mon-

Digitized by Google

Montecuccolis; attamen nec eſſet uni-
24 ca præſentatio, & non continuata per annos 50., dum d. Reſignatarius obiit anno 1671., in quo ſucceſſit proviſio Apoſtolica Eccleſiæ tanquam vacatæ in menſe reſervato favore ſupra enuntiati Maſerni, & per conſequens undique inſubſiſtens ad ſatisfaciendum ſummæ præſcriptæ a Sac. Concilio Tridentino, & requirenti plures præſentationes continuatas ſpatio dd. 50. annorum; *Rot. cor. Buratt. dec.* 139. *n.* 5., *& 6., & cor. Ludoviſ. dec.* 222. *n.* 2., *& 3., & in citata Mediolanen. Beneficii* 1. *April.* 1707. *d. §. Et ob id cor. bon. mem. Anſaldo.*

Et eo fortius, dum d. Status 1631., potius retorquetur, eo quia ſan. mem. Urbanus VIII. in literis Apoſtolicis reſignationis expreſſe declaravit ſeſe pro-
25 videre tanquam de reſervato, & nolle approbare Juſpatronatus, niſi de illo conſtaret per veram fundationem, & dotationem, per quam declarationem cum Marchiones de Montecuccolis coram Judice executore ad docendum de Jurepatronatus exhibuerint enuntiatum privilegium Julii II., quod ex firmatis non importat veram dotationem, potius dicitur impugnatum, & excluſum, quam admiſſum Juſpatronatus; ut de conſimili reſignatione dixit; *Rot. coram Buratt. dec.* 178. *n.* 14., *&* 17. *in fin., & coram Duran. dec.* 71. *n.* 4., *& in rec. dec.* 321. *n.* 40., *&* 41. *par.* 9.

At quatenus tandem per dd. ſtatus, qui omnes conſiſtunt in meris, ac ſimplicibus reſignationibus, comprobata remaneret dicta immemorabilis ad formam Sac. Concilii Tridentini; adhuc tamen nullius eſſet relevantiæ, non ſolum quia ad excludendas reſervationes
26 Apoſtolicas conſuetudo præciſe probari debet in vacationibus ſecutis in menſibus reſervatis; *Piton. de contr. Patron. allegat.* 100. *n.* 292., *& diſcept. Eccleſ.* 22. *n.* 32., *& in Tiraſonen. Prioratus* 29. *Aprilis* 1697. *§. Fin. coram bon. mem. Urſino*; quod dumtaxat conclu-
27 dunt præſentationes in vacationibus per obitum, non autem conſenſus præſtiti in reſignationibus; *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 18. *n.* 85., *ubi refert deciſiones in Tarviſina Plebis, & in Albanen. Prioratus cor. Orano, & deciſ.* 565. *n.* 10 *par.* 4. *diverſ.*; ſed etiam ex quo Marchiones de Montecuccolis tam in d. ſtatu 1631., quam in aliis annorum 1661., & 1678. ad docendum de Jurepatronatus produxerunt, & ipſimet, & eorum ſpecialis Procurator ſupradict. privilegium Julii II.
28 Quare cum hic titulus privilegii ſit infectus, ac invalidus, per conſequens inefficax etiam remanet quæcunque obſervantia ſive centenaria, ſive immemorabilis, veluti procedens a Radice infecta; ex adductis in his terminis per *Barboſ. ad Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 9. *n.* 16., *Panimoll. dec.* 10. *annot.* 28., *Rot. cor. Seraph. dec.* 1395. *n.* 4., *& dec.* 548. *n.* 2. *par.* 1. *diverſ.*, & bene firmatum fuit in *ſæped. deciſionibus hujus cauſæ cor. bon. mem. Rondinino, in prima nempe diei* 13. *Junii* 1687. *§. Tum ex eo, & in ſecunda* 1. *Decembris ejuſdem anni §. Quoniam prædicta*; Nec poſſent DD. de Montecuccolis ex recenſita ob-
29 ſervantia alium allegare meliorem titulum, eo ipſo, quod allegarunt illum infectum titulum Privilegii Julii II.; *Card. de Luc. de regal. diſc.* 41. *n.* 3., *& ſeq., Rot. cor. Dunozett. Jun. dec.* 809. *n.* 4., *& ſeq., & in rec. dec.* 218. *n.* 3. *par.* 6., *& dec.* 29. *n.* 4. *par.* 7.

Et ita informante tantum Jacobatio Proviſo Apoſtolico, & informare renuentibus Marchionibus de Montecuccolis, eorumque Præſentato, licet pluries intimatis, ac diu expectatis reſponſum fuit &c.

MELEVITANA HABITUS.

Merc. 26. *Junii* 1737.

ARGUMENTUM.

Petentes habitum Militum *Juſtitiæ* Religionis Hieroſolymitanæ probare tenentur, juxta conſuetudinem Italiæ, generoſam nobilitatem duorum ſæculorum in familiis Patris, Matris, Aviæ paternæ, & Aviæ maternæ: Et quomodo probetur.

SUMMARIUM.

1 *Probationes nobilitatis Petentium habitum Religionis Hieroſolymitanæ confici debent a Commiſſariis per comparationem ſcripturarum cum ſuis originalibus, non ſolum in loco nativi-*

tivitatis, ſed etiam originis quatuor Familiarum;

2 *Sed ad evitandas impenſas acceſſuum reportari ſolet Indultum Apoſtolicum, ut liceat digerere probationes nobilitatis in unico loco eoram Commiſſariis a M. Magiſtro deputatis, qui ſine neceſſitate acceſſus ad loca originis remittunt proceſſum ita confectum Melitam.*

3 *Petentes habitum probare tenentur generoſam nobilitatem quatuor Familiarum, nempe Patris, Matris, Aviæ paternæ, & Aviæ maternæ;*

4 *Eaque quoad linguam Italiæ pertingere debet in unaquaque familia tempus duorum ſæculorum:*

5 *Latus autem paternum eſt præcipuum.*

6 *Antiquis, & probatis Hiſtoricis ex profeſſo rem tractantibus, tempore non ſuſpecto, plena fides adhibenda eſt;*

7 *Præſertim aliis concurrentibus documentis, & probationibus.*

8 *Juris præſumptio non eſt elidibilis niſi a probationibus undique claris, & evidentibus.*

9 *Regeſtum Officii Regiæ Secretariæ tenet locum originalis, omnemque fidem meretur.* & num.23.

10 *Teſtis omni exceptione major bene probat legalitatem Epiſtolæ, & veritatem contentorum in ea.*

11 *Concertatio de dominio Indiarum Orientalium, & Inſularum maris Indii inter Hiſpanos, & Luſitanos vigebat tempore Philippi II.*

12 *Inveriſimilia ea ſolum dicuntur, quæ minime cohærent, nec conveniunt naturæ negotii geſti.*

13 *Ex conſpicuis muneribus Gubernatoris Inſulæ, & Pro-Regis exſurgit non mediocris, ſed clarior nobilitas.*

14 *Familia* Graffeo *eſt ex illuſtrioribus totius Regni Siciliæ.*

15 *Pares cum paribus matrimonio copulari conſueverunt.*

16 *Solæ divitiæ nobilitatem non tribuunt, non leve tamen illius adminiculum conſtituunt.*

17 *Antiqua affinitas cum nobiliſſima familia exuberat pro probanda nobilitate duorum ſæculorum.*

18 *Officia, gradus, honores, & munera nobilia dicuntur illa, quæ talia reputantur in ea Civitate, in qua exercentur;*

19 *Et ex eorum exercitio probatur nobilitas requiſita in Religione Hieroſolymitana.*

20 *Stemma priſcis temporibus non erat proprium niſi familiarum nobilium;*

21 *Proindeque inſervit probationi nobilitatis in d. Religione.*

22 *Probatio nobilitatis derivans ab ore Regis ſuperat quodcunque genus demonſtrationis.*

24 *De anno* 1600. *circiter titulus* Perilluſtris *non tribuebatur niſi viris nobilibus præſertim a perſonis potentibus.*

25 *Nobilitas ſtatim, & ictu oculi non naſcitur;*

26 *Sed ex longa majorum ſerie, ſplendore, & claritate deſcendit.*

27 *Omiſſio nominis Patris, & Patriæ non detrahit veritati, & legalitati Inſtrumenti dotalis, quando aliunde eorum notitia habetur.*

28 *Defectus formalis recognitionis abunde ſuppletur ab exhibitione penes acta publica tempore non ſuſpecto, præſertim a ſæculo;*

29 *Ex affinitatibus, & cognationibus nobilibus oſtenditur conſervatio, & augmentum nobilitatis.*

30 *Oriundus ex Regnis Hiſpaniarum, etſi petat habitum in lingua Italiæ, nobilitatem probare non tenetur niſi centum annorum juxta præſcripta linguæ Hiſpanicæ.*

31 *In Archivis reponuntur, & cuſtodiuntur ſcripturæ authenticæ, unde, quoties ibi fuerunt regiſtratæ, plenam fidem merentur.*

32 *Scripturæ aſſervatæ in Regeſto Regiæ Secretariæ tenent locum originalis, etiam ſi careant ſubſcriptione Pro-Regis.*

33 *Suſpicio involvens præſumptionem delictorum, & falſitatem probanda eſt manifeſtis demonſtrationibus.*

34 *Anno* 1500. *circiter titulus* Illuſtris *non dabatur niſi nobilibus.*

35 *Munus Vicarii Generalis in Sicilia ſemper collatum fuit nobilibus primi Ordinis, & a Religione Hieroſolymitana paſſim approbatum tanquam initium nobilitatis eximiæ.*

36 *Officium Capitanei Civitatis Suteræ habitum ſemper fuit in d. Religione uti probatio ſuperabundans nobilitatis.*

37 *Documentum reſpiciens acta civilia recte extrahi poteſt ab Archivo Inquiſitionis.*

38 *Ab exercitio munerum nobilium affinitatibus illuſtribus, & communi fama abunde comprobatur nobilitas.*

39 *Duobus ab hinc ſæculis titulus* Magnifici *deſignabat eximiam nobilitatem.*

40 *Teſtibus Magiſtratum Civitatis conſtituentibus in materia nobilitatis fides eſt adhibenda.*

41 *Ex Officio Capitanei, titulo* Nobilis, *& interventu in conſilio Civitatis in qua adeſt diſtinctio Nobilium, probatur nobilitas.*

42 *Quamvis conſilio Civitatis interſint tam Nobiles, quam Cives, tamen diſtinctio nobilium a Civibus titulus nempe* Nobilium *iis dumtaxat attributus, & Civium excluſio a muneribus, quæ ſolis Nobilibus conferuntur, conſtituit ordinem Patriciatus, ac nobilitatem generoſam præſefert requiri ſolitam in militibus Religionis.*

43 *Nobilitas deſumpta ab exercitio officiorum, quæ alias admiſſa fuerunt a Religione tanquam probantia generoſam nobilitatem, non ſubjacet ulteriori cenſuræ.*

44 *Qui more Nobilium vivens decoratur titulo* Nobilis, *ac munera nobilia exercet, conſervat nobilitatem paternam.*

45 *Diverſitas perſonarum de jure præſumi debet ad ſalvandam fidem actis publicis;*

46 *Maxime ſi in id adſint adminicula.*

47 *Annus aperitionis Teſtamenti non bene inſertur ab anno ejus confectionis.*

48 *Publici Repræſentantes Civitatis in materia nobilitatis fidem faciunt.*

49 *Teſtes ſanguine, & dignitatibus illuſtres ad probandam nobilitatem pro admiſſione ad habitum Melitenſem plurimi reputantur.*

50 *Nemo ex alterius oſcitantia, & culpa damnum ſentire debet.*

51 *Præſcripta Religionis non imponunt Candidatis onus extrahendi ſcripturas coram Commiſſariis, ſed tantummodo earum recognitionem, & comparationem.*

52 *Quoties actus fieri demandatur non tanquam fundamentum intentionis, ſed tanquam adminiculum, tunc nulla habetur ratio aliqualis defectus ſolemnitatum extrinſecarum.*

53 *Ex quo in diuturna contradictione, & oppugnatione nobilitatis alicujus nihil detectum fuit eam obumbrans, infertur nullam in ea maculam ſuſpicionis adeſſe.*

DECISIO LXXXIV.

QUamvis probationes nobilitatis recipi Cupientium inter milites Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ per Commiſſarios deputari ſolitos confici,
1 ac mediante comparatione ſcripturarum cum ſuis originalibus, diligenter perſcrutari debeant, non ſolum in loco nativitatis, verum etiam in locis originis quatuor familiarum, vulgo *Quartorum* Nobilis recipiendi *juxta literalem Ordinat. 8. tit. 2. de recept. Fratr.*; Ad evitandas tamen graves impenſas, quas ſecumfert acceſſus Commiſſariorum, plerumque ad diverſos, ac valde diſſitos Prioratus originis militis recipiendi, mos inolevit reportandi Indultum Apoſtolicum facultati, & arbitrio Emi M. Magiſtri commiſſum, quo petentibus habitum fiat poteſtas congerendi ſuæ generoſæ nobilitatis proba-
2 tiones in unico loco coram Commiſſariis a M. Magiſtro deputandis, qui ſine ulla neceſſitate ſe conferendi ad alia loca originis pro approbatione, & comparatione ſcripturarum in authentica forma exhibendarum, proceſſum ſic ab eis confectum recta via ad ſupremum militiæ Conventum remittant examinandum; prout edocent plura exempla, & omiſſis antiquioribus patet ex *Melevitana Habitus* 11. *Decembris* 1719. *cor. bon. mem. Foſcaro, &* 12. *April.* 1720. *cor. bon. mem. Herrera, & ex Neapolitana, ſeu Melevitana Habitus* 3. *Julii, &* 11. *Decembris* 1724. *cor. bon. mem. Cerro, &* 7. *Maii* 1725. *cor. bon. mem. Herrera.*

Huic itaque inhærens conſuetudini Rodericus Sala Nobilis Agrigentinus cupiens adſcribi inter milites de juſtitia Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ, impetravit a Sanctiſſimo conſuetum Apoſtolicum Indultum conficiendi probatio-

Digitized by Google

tiones ſuæ generoſæ nobilitatis in Civitate Agrigentina ejus Patria; Selectiſque ad tramites ejuſdem Indulti per M. Magiſtrum duobus Equitibus Commiſſariis, *Conſalvo Paterno*, *& Petro Creſcimanno*, confectus fuit coram eiſdem pinguis proceſſus undequaque convincens generoſam nobilitatem Prætendentis, juxta concordem, & unanimem eorundem Commiſſariorum relationem.

Antequam autem proceſſus Melitam tranſmitteretur; & exhiberetur de more linguæ Italiæ, Rodericus ſatius duxit in ſui locum ſubrogare Joſephum ejus Fratrem utrinque conjunctum, & natu minorem, qui reportata prius Apoſtolica Gratia ſatis familiari, ad hoc ut probationes contentæ in proceſſu jam condito nomine Roderici Fratris, ſibi poſſent ſuffragari, inſtetit deinde in lingua Italiæ, pro reviſione, & approbatione d. proceſſus; Ibique aſſumpto ejus examine coram aliis duobus Commiſſariis nominatis pro ſolita reviſione, alter eorum, nimirum *Eques Caballo* de illius relevantia minime dubitavit, alter verò, nempe *Eques Biſignanus*, injungendum eſſe putavit Nobili Prætendenti novum ſupplementum probationis authumans latus paternum *Sala* deficere *in annis 39*. pro integrali complemento duorum ſæculorum generoſæ nobilitatis, latus Aviæ paternæ *Salzar* deficere pariter *in annis 85*.; Et quoad alia duo latera Cutronas, & Caſtello, Matris, & Aviæ maternæ, cenſuit, probationes abſolute renovandas eſſe.

Re autem delata ad Ven. linguam, ſciſſiſque hinc inde ſuffragiis, major pars adhæſit ſententiæ Commiſſarii, injungentis novum ſupplementum probationis; cui potius, quam provocare ad Judices Superiores, voluit obſequi Nobilis Joſeph; Collectiſque aliis validiſſimis documentis removentibus quamcunque nebulam impictam probationi ſuæ nobilitatis, iterum comparuit in lingua, in qua grandis orta fuit altercatio ſuper relevantia d. novi ſupplementi; reputantibus aliis, illud in omnibus exuberare, aliis verò contrarium opinantibus, non jam quoad latus paternum *Sala*, quod nulli ulteriori cenſuræ ſubjectum apparuit, ſed quoad alia tria latera juxta relationem Commiſſariorum ſelectorum ad revidendum præfatum ſupplementum; Cumque in hoc rerum anfractu cauſa devoluta fuerit ad examen utriuſque conſilii ordinarii, & completi Sac. Religionis, ibidem ad tramites voti editi per alios Commiſſarios, quos nuncupant *Nobilitatis*, *& Puritatis*, prævaluit ſententia injungens Joſepho aliud ulterius ſupplementum, non jam quoad alia tria latera tantum, ut putaverat lingua, ſed quod notabilius eſt etiam quoad latus paternum *Sala*, & ſic quoad omnes quatuor familias *Prætendentis*,

Quo circa Nobilis Joſeph, agnoſcens tandem ſeſe oleum, & operam perdidiſſe in coadiuvanda ea probatione nobilitatis, quam uſque ab initio plenam, & exuberantem retulerant primi Commiſſarii electi ad conficiendum proceſſum; remque eo deveniſſe, ut declinari non poſſet ea judicialis contentio, quam totis viribus evitare ſtuduerat, non ſine notabili temporis diſpendio, interpoſuit appellationem ad S. Sedem, ſpecialique commiſſione manu Sanctiſſimi de more ſignata, mihique directa, ſubſcribi curavit dubium — *An Nobilis Joſeph Sala ſit recipiendus inter milites juſtitiæ Sac. Religionis Hieroſolymitanæ*.

Etſi autem attentis conſuetis, ſed prorſus injuſtis declamationibus hodie repetitis adverſus indulgentiam noſtri Sac. Auditorii in admittendis ad habitum Nobilibus contradictis, Domini ſemel, iterum, & tertio, dilata dubii reſolutione, rigidiori cenſuræ ſubjecerint probationes Nobilis *Prætendentis*; Hodie tamen poſt demandatam ad ſuperabundantiam novam jurium extractionem citata parte, eamque libenter, & adamuſſim completam una cum ulteriori augmento probationum alias exhibitarum in Conventu Melitenſi, iterum interrogavi Dominos — *An Nobilis Joſeph Sala ſit recipiendus inter Milites Juſtitiæ Sac. Religionis Hieroſolymitanæ* — cui reſponderunt — *Affirmative*.

Præmiſſo enim, quod exoptantes decorari cingulo, & inſigniis hujus inclyti Or-

Ordinis juxta legem generalem ſanci-
3 tam *in Stat.17. de recept. Fratrum*, te-
nentur probare generoſam nobilitatem
reſpectu quatuor Familiarum, ſeu La-
terum, Patris videlicet, Matris, Aviæ
paternæ, & Aviæ maternæ; quemad-
modum conſentanee ad Statuta tradunt
*Card. de Luc. diſc.34. n.20. de Præbe-
min., Rot. cor. Buratt. dec.357. n.3., cor.
Merlin. dec.164. n.3.* Eaque nobilitas,
4 quoad linguam Italiæ, in unoquoque
ex his lateribus per duo ſæcula efflu-
xiſſe debet, juxta *Ordinat.19. eodem
tit. de recept. Fratr.*, de qua *Prior Ca-
ravit. ad Conſtitut. ejuſdem Relig. tit.3.
par.3. del Ricevimenio de' Fratelli cap.3.
§. La terza prerogativa, Eṁus Petra ad
Conſtitut. Apoſt. tom.2. fol.57. n.30., &
fol.60. n.41., Rot. dec.123. n.1. par.13.,
& in Aſſiſcn. Habitus 28. Martii 1718.
§. Firmata - coram bon. mem. Foſcaro.*

Singillatim examinantes DD. unum-
quodque ex hiſce lateribus Nobilis *Præ-
tendentis*, initium fecerunt ab illo pa-
5 terno *Sala*, quod eſt præcipuum, ut
animadvertit *Rot. dec.152. n.18. cor.
Priol., & dec.504. n.12. part.1., &
dec.203. n.14. par.13. rec.* Cujus ſane
lateris vetuſta nobilitas exordiri viſa
fuit ab anno 1519., quo *Don Garzias
Sala* origine Barchinonenſis fuit ele-
ctus in Gubernatorem Malacæ, & dein
anno 1548. in Prætorem, ſive Pro-Re-
gem Indiarum Orientalium, juxta ir-
refragabile teſtimonium, de quo *Pa-
ter Maffei in Hiſtoria Indiar. lib.14.*,
ubi facta mentione de d. Garzia *Domi
pariter, & militiæ claro* affirmat, eun-
dem ad relata conſpicua munera fuiſſe
promotum; Et luculentius *Franciſcus
Baronius in ſuo Tractatu de Majeſta-
te Panormitana in lucem edito de an-
no 1630.*, ubi poſt librum tertium in
Elencho Familiarum Nobilium *verb.
D. Jaimus Sala*, recenſet inter illuſtres
Familias Siculas illam *de Sala* origine
Barchinonenſem, ac deſcendentem per
rectam lineam a Don Garzia inſignito
de anno 1519. munere Gubernatoris
Malacæ, & de anno 1548. Pro-Regis
Indiarum Orientalium: quibus ſane
probatiſſimis, & antiquis Hiſtoricis ex
6 profeſſo tractantibus, tum de rebus In-
dicis, tum de Familiis Nobilibus Sicu-
lis, & quidem tempore non ſuſpecto,
plena fides adhibenda venit, potiſſime
in iis, quæ duorum ſæculorum metam
excedunt, & aliter nonniſi difficillime
verificari poſſent; ad tradita per *Ma-
ſcard. de probat. concl.287. n.1. par.1.,
Rot. in rec. dec.535. n.21. part.5., &
dec.213. n.4. par.13., & coram Royas
dec.129. n.10., & dec.784. n.12. cor.
Molines.*

Eoque certius, quia in comproba-
tionem eorum, quæ ſcripſerunt me-
morati duo Hiſtorici, concurrunt plu-
ra monumenta idipſum præclare de-
monſtrantia: Volente quippe Michaele
Sala Nepote dicti Garziæ circa An-
num 1560. ſe ſe conferre Panormum,
Philippus II. Hiſpaniarum Rex in ejus
commendationem ſcripſit Epiſtolam
Duci de Medina Cœli tunc temporis
Pro-Regi Siciliæ, ibi = *Avendo conſi-
derazione alle qualità, e molti ſervizj,
che mi preſtò Don Garzia Sala natura-
le di Barcellona, così negl' impieghi di
Pretore nell' India mia, e in quello di
Governatore di Malaga; come in altri
particolari, e quelli, che hanno conti-
nuato D. Iaimo Sala ſuo figlio, e Don
Michele Sala ſuo Nipote, hò ſtimato
bene moſtrarle la mia gratitudine, fa-
cendo grazia al menzionato ſervizio di
cento onze pagabili con gl' Effetti, che
troverete più liberi, affinche più s'impe-
gni in ſervirmi.*

In cujus quidem Regiæ Epiſtolæ exe-
cutionem plura convocata fueruntCon-
cilia eodem Anno 1560., pro adinve-
niendo modo ſolvendi d. uncias cen-
tum aſſignatas a Rege d. Michaeli Sala,
quæ ſane publica Concilia univoce lo-
quuntur de præfato Michaele tanquam
legitime deſcendente a D. Garzia de an-
no 1919. Gubernatore Malaçæ, & dein-
de Indiarum Prætore; Cum quibus con-
cordat alterum ſubſequens Teſtimo-
nium Marchionis de Villhena Pro-Re-
gis Siciliæ anno 1607., qui in epiſtola
commendatitia data ad Regem Catho-
licum favore Joſephi Sala Filii Michae-
lis, adnumerat una cum multis Joſephi
benemerentiis illius legitimam deſcen-
dentiam a *Don Garzia* Gubernatore
Malacæ, & Prætore Indiarum; Perpen-
7 ſis autem tot documentis in unum con-
fluen-

fluentibus, ineluctabiliſis redditur probatio munerum illuſtrium per Garziam exercitorum, de quibus fidem perhibent præfati duo Hiſtorici; ad ea, quæ in debilioribus terminis notant *Gabr. conſ.169. n.9., & ſeq., Surd.conſ.132. n.20., & ſeq., Rot. dec.14. n.20.par.9. rec., & cor.Duran. dec.207.n.13.*

Nullaque juſta ratione inſurgi poſſe viſum fuit adverſus legitimitatem prędictę Regię epiſtolę Philippi II.ſub obtentu, quod ſit commentitia, & poſt conceptum in animo *Prætendentis* Votum de Cingulo Militari Hieroſolymitano ſtudioſe introducta in Regium Archivum Secretarię Status, & belli Regni Sicilię, ubi non adeſt niſi copia informis in judicio nullatenus attendenda; Potiſſime quia plura continet, & comprehendit inveriſimilia: Si enim in ſequelam, & executionem ejuſdem epiſtolę de d. anno 1560. Civitas Agrigentina duo convocavit Concilia ad effectum ſubminiſtrandi Michaeli Sala uncias centum, de quibus illi Rex Catholicus gratificari voluerat ob benemerentias ſuas, & potiſſime Garzię ejus Avi; Ac rurſus ſi de anno 1607. Marchio de Villhena in alia epiſtola data ad Regem Catholicum pro Joſepho Sala Filio Michaelis, de qua uſque ab anno 1630. teſtatur Baronius, expreſſit eadem merita Garzię, relata iu alia precedenti Philippi II.; Patens exinde reſurgit veritas ejuſdem epiſtolę uſque a d. anno 1560. executioni demandatę; prorſuſque inanis detegitur aſſerta recens introductio in Regium Archivum, cui cęteroquin, utpote pręſeferenti exceptionem objectivam, & injurioſam integritati tum *Prætendentis*, tum Miniſtrorum, quorum curę, & vigilantię commiſſa eſt cuſtodia Regii Archivi,
8 reſiſtit contraria juris pręſumptio non aliter elidibilis, quam probationibus undequaque claris, & evidentię metam attingentibus; ad tradita per *Innocent. in cap. ſuper literis n.10. de accuſat., Oldrad. conſ.209.n.10., Bellamer. dec.528. n.1., Mohgelan. dec.130. n.1., Rot. dec.277. n.4., & dec.930. n.19. par.2. tom.3. cor. bo.me. Molines.*

Neque urget alia pars exceptionis in eo conſtituta, quod ſpedicta Epiſtola Regia Philippi II. habenda ſit pro ſumpto ex altero ſumpto nullam fidem faciente, eo quia apparet extracta ſub ea expreſſione *es Copia d'otra*: Cum enim originalia Epiſtolarum Regiarum, & aliorum conſimilium documentorum verificantium nobilitatem alicujus familiæ juxta communem uſum retineantur ab iis, qui dictas epiſtolas impetrarunt, ad hoc ut penes ſe habeant Teſtimonium claritatis ſui ſanguinis, & regiſtrari ſoleant vel in actis publicis alicujus Notarii, aut in Regia Secretaria Supremi Principis, ne, data deperditione dictorum originalium ex aliquo caſu fortuito, pereat etiam legitima probatio nobilitatis deſcendens ab eiſdem, ſicuti paſſim ſervari in Secretariis Panormitana, & Agrigentina teſtantur Regii Notarii, tam pręteriti, quam pręſentis gubernii; Inde palam reſurgit, quod extractio pręfatę epiſtolę conceptę per d. verba: *es Copia d' otra* minime pręferat extractionem a copia informi, ſed ex regeſtis originalibus Regię Secretarię; Prout ad removendam omnem ambiguitatem eadem epiſtola fuit nuperrime extracta ſub ea clara expreſſione, quod exemplata fuit ex Regeſto Officii Regię Se-
9 cretarię, quod ſane tenet locum originalis, omnemque in judicio ſibi fidem adſciſcit; ad ea, quę firmant *Adden.ad Burats. dec.667. n.8., & ſeqq., Rot. cor. Gregor. dec.3. n.1., cor. Cavaler. dec.641. n.2., & dec.112. n.26. cor. Herrera.*

Omniſque in hoc propoſito ceſſare viſa fuit amaritudo, perpenſa alia recentiori Epiſtola Comitis de Saſtago noviſſimi Pro-Regis Siciliæ ſcripta Auguſtiſſimo Imperatori *die* 22. *Maii* 1732. in commendationem Garziæ Sala Jun. Fratris Germani Nobilis, ibi – *Il Signor Don Garzia Sala è Salazar naturale della Città di Girgenti in queſto Regno hà la ſua origine da Spagna, e li di lui Aſcendenti ſi ſegnalarono nelli particolari ſervizj, che preſtarono alli Monarchi Auſtriaci glorioſi Predeceſſori di Voſtra Maeſtà, avendo fatto coſtare l'uno, e l'altro con le ſcritture originali, che ſi conſervano nell' Archivio di queſta Regia Segretaria, dalle quali ap-*

Digitized by Google

apparisce, che Don Garzia Sala loro primo Aſcendente per linea Paterna fù Governatore di Malaga l'anno 1519., e conſecutivamente Pretore dell'Indie, il quale immitarono li di lui Diſcendenti nella continuazione di diverſi Impieghi Nobili, eſſendo il primo che paſsò a domiciliarſi queſto Regno l'Anno 1560. Don Michele Sala Barone di Dieſi.

Poſito autem hoc inſigni, & perſpicuo
10 teſtimonio omni exceptione majori, nullus amplius ſupereſt locus dubitandi de legalitate ejuſdem Epiſtolæ Regiæ Philippi II., ac veritate contentorum in eadem; *Bellon. conſil.36. num.7., Spad. conſ. 173. num.15. lib.3., Rot. deciſ.14. num.10. tit. de Penſ. coram clar. mem. Card. Falconerio.*

Minuſque promeruit attendi poſtrema pars objecti percutiens iu veroſimilia, quæ comprehenduntur in ſæpedicta Epiſtola Philippi II., ex eo deſumpta, quod Servitia Don Garziæ Sala in Gubernio Malacæ, & in Indiis Orientalibus, non poterant per Philippum II. Regem Hiſpaniarum recognoſci tanquam ſibi, & in ſuo Dominio præſtita. Siquidem cum diu digladiatum fuerit, tum armis, tum ſcripturis inter
11 Hiſpanos, & Luſitanos de Dominio Indiarum Orientalium, inſularumque in mari indico poſitarum, iſtaque concertatio potiſſime vigeret ſub Dominatione Philippi II., *Teſte Carros decad.2. lib.2. cap.7. pag.134., & decad.3.lib.5. cap.8., Semelli in ejus Opere intitulato Giro del Mondo tom.5.cap.8.*, Nil mirum ſi Philippus II.in præfata ejus Epiſtola nuncupaverit Indias *ſuas* propter plures, quas Corona Hiſpanica habebat prętenſiones; prout in dies videmus, Reges, & Monarchas ſibi in titulis aſſerentes Regna, & Regiones, quantumvis ab aliis pleno Jure, & pacifice poſſeſſas; Proindeque ex pręfata expreſſione Supremis Principibus conſueta, nulla deſumi valet inveroſimilitudo, aut diſſonantia ad effectum arguendi falſitatem ſępedictę Epiſtolę Regię Phi-
12 lippi II.; Inveroſimilia enim ea ſolum dicuntur, quę nullatenus cohærent, & conveniunt naturę Negotii geſti, ex ponderatis per *Rot. dec.715.n.18. cor. Cocc.,& dec.829.n.11.cor.bo.me.Molin.*

Firmata ſic, & a contrariis exceptionibus vindicata claritate Sanguinis Don Garzię *Sala* reſurgente ab exercitio dictorum illuſtrium munerum Gubernatoris Malacę, & Pro-Regis Indiarum Orientalium; Profecto Arbor hujus Lateris paterni *Sala* magis per-
13 ſpicua nequit eſſe, cum oſtendat ejus principium non a teſſeris mediocris, ſed clarioris nobilitatis reſurgentis ex dictis conſpicuis muneribus; ad tradita per *Otter. de Offic. civil. part.1. cap.10. num.1., Rot. deciſ.185. num.3. cor. Dunozett. Sen., & dec.68. per tot. coram Cavaler., & in Malevitana Habitus 11. Decembris 1719. §. Verum cum ſeqq. coram bon. mem. Foſcaro, & 12. Aprilis 1720. §. A vetuſtioribus coram bon. mem. Herrera.*

Quemadmodum vero conſtitit de claritate Sanguinis primi ſtipitis hujus Lateris *Sala*; Ita docebatur, nobilitatem ab eodem acceptam, fuiſſe per ejus deſcendentes amplificatam, & illuſtratam; Ex *Jaimo* quippe filio *Garziæ*, de cujus qualitate, & meritis legitur honorifica mentio in ſæpedicta Epiſtola Regis Catholici Philippi II., ortus eſt *Michael*, qui de Anno 1569., novem vix elapſis annis ab ejus adventu in Siciliam, nobile contraxit Matrimonium cum ſpectatiſſima Fœmina Eleonora *Graffeo*, ex Baronibus tunc, modo Principibus Partannæ, ut conſtat ex Inſtrumento hujuſmodi nuptiarum, ſervatis ſervandis extracto, & exhibito; Cum autem revocari nequeat in diſcri-
14 men, quin dicta Familia *Graffeo* ſit altera ex illuſtrioribus totius Regni Siciliæ, *Teſte Equite Minutulo in ſuo Tractatu delle memorie del gran Priorato di Meſſina fol.193.*, Concludens exinde derivat probatio nobilitatis, qua præcedenter effulgebat Michael Sala; Non enim præſumi poteſt, quod Nobilis Familia Graffeo tot titulis illuſtris fæminam de ſuo ſanguine nuptui tradere voluerit Hiſpano nullius nominis, & longe diſparis conditionis; Pares enim cum paribus Matrimonio copulari con-
15 ſueverunt; *Tiraquell. de Nobilitat. cap.18. n.26., & ſeq.; Capyc.Latr. conſult.128. n.fin., Manfrell. ad eundem dec.183. num.35., Prior Caravita del Ri-*

Digitized by Google

Riceuimento de Fratelli cap.13. §. fin., *Rota coram Cavaler. dec.*440. *num.*4., *coram Buratt. deciſ.*358. *num.*7., *cor. Priol. dec.*132. *num.*5., *coram Herrera deciſ.*112. *num.*15., & 16., *& in Melevitana*, *ſeu Crotonen. Habitus* 16. *Maii* 1729. §. *Potiſſimum*. *coram Eminentiſſimo Cincio*.

Certius in caſu, quia idem Michael de Anno 1575. acquiſivit nobile Feudum nuncupatum *di Dieſi*, *e Sparacia*. Quamvis enim ſolæ divitiæ per ſe ſpe-
16 ctatæ nobilitatem non tribuant, Virumque nobilem non efficiant; tuto tamen affirmari poteſt, quod non leve ſint illius adminiculum, utpote quæ maximum præbent adjumentum ad conſervandam, amplificandamque nobilitatem, quæ ſine divitiis imminui, atque ſordeſcere dicitur; *Tiraquell. de Nobilit. cap.*3. *per tot.*, & ſignanter *numer.*14., *Michallef. in ſum.Verb.Nobilitas n.*11., *Caravita dei Riceviment de' Fratelli cap.* 13. *n.fin.*, *Chriſt. dec.Belgic. lib.*1. *deciſ.*226. *n.*6., *Rot. dec.*504. *n.*9. *par.*1. *rec.*

Ex d. illuſtri Matrimonio Michaelis Sala cum Eleonora Graffeo contracto
17 de anno 1569., quod ſolum exuberat ad probandam nobilitatem duorum ſæculorum in hoc latere paterno *Sala*, ortum habuit *Joſeph primus* Vir Portiæ Bucculandro, qui veluti Baro Feudorum *di Dieſi*, *e Sparacia* de anno 1600. præſtitit juramentum fidelitatis, & de anno 1607., ac 1622. fuit electus Capitaneus Armorum Civitatis Agrigentinæ; ac demum attentis propriis meritis, & potiſſimum Garziæ ejus aſcendentis, ſpecialem reportavit commendationem ad Regem Catholicum a Marchione de Villhena Pro-Rege Siciliæ, occaſione, qua de anno 1607. ſe tranſtulit in Hiſpanias. Ab hoc autem Joſepho natus eſt Rodericus, qui de anno 1629. fuit Dux Cohortis Militum, & de anno 1657. obtinuit aliud Officium Secreti, & de anno 1656. fuit Capitaneus Juſtitiæ Civitatis Agrigentinæ.

Ex Roderico verò prodiit in lucem *Joſeph Secundus*, qui Matrimonium contraxit cum Donna Suſanna Nobilis Familiæ *Salazar*, pluraque diverſis vicibus exercuit nobilia munera Civitatis Agrigentinæ, cujus veſtigia ſecutus alter Michael ejus Filius Vir Annæ Cutronas, & Pater Nobilis *Prætendentis* per quatuor vices ſumma cum laude functus eſt Officio Jurati Civitatis Agrigentinæ ejus Patriæ: Cum autem offi-
18 cia, gradus, honores, & munera nobilia dicantur illa, quæ talia reputantur in ea Civitate, in qua illa exercentur; Dubium non eſt, quin ab exercitio dd. munerum nobilium quovis tempore exercitorum ab omnibus aſcen-
19 dentibus Nobilis Joſephi de Sala, perfectum, completumque dici debeat præcipuum illud genus probationis nobilitatis, quo Sac. Religio Hieroſolymitana in receptione Fratrum uti conſuevit; ex firmatis per *Tiraquell. de Nobilit. cap.*16. *n.*21., *Emus Petra ad Conſt. Apoſt. tom.*2. *fol.*56. *n.*31., *Rot. in rec. dec.*494. *n.*9. *part.*1., & *dec.*266. *per tot. cor. Ceſ.*, & paſſim alibi.

His ita ſe habentibus, nullius momenti apparuit ſuppoſita diverſitas ſtemmatis gentilitii *Sala* inſerti proceſſui probationum Nobilis *Prætendentis* ab eo, quod apparet impreſſum in opere Baronii de Majeſtate Panormitana; Siquidem animadverſum fuit, quod Baronius ſcripſit eo tempore, quo vivebat adhuc Joſeph Sala Filius Michaelis, & Donnæ Eleonoræ Graffeo, qua de re ad patefaciendam illius nobilitatem conjunxit inſimul inſignia utriuſque lateris Sala, & Graffeo; Proceſſui verò Nobilis Joſephi præpoſitum extitit ſolum ſtemma *Sala* ſine mixtura alterius, quod ſane, ſecluſis inſigniis Graffeo, concordat in omnibus cum illo per Baronium; Inanis proinde remanet exceptio deſumpta ab excogitata diverſitate ſtemmatis *Sala*; cujus uſus utpote
20 priſcis temporibus in Nobilium tantummodo Familiarum diſtinctionem compertus *juxta Teſtimonium Franciſci Mexebier in ejus opuſculo inſcripto Parte del Blaſone*, *quem refert Antonius Chartar. in ſuo Prodomo Gentilitio, o vero Trattato delle Armi delle Famiglie lib.*1. *cap.*3. §. *A queſti s'oppongono*: opportune ad convincendam nobi-
21 litatem pro effectu receptionis inter Milites de Juſtitia Sac. Religionis Hiero-

rololymitanę perpenditur a *Caravit. Tit de Recept. Frat. cap.12. §. Il primo Requiſito*, *Card. de Luc. de prehemin. diſc.32. n.21.*, *Rot. dec.358. n.3. cor. Buratt.*, *& dec.614. n.18. cum ſeqq. cor. Merlin.*, *& in Melevitana Habitus 12. Aprilis 1720. §.Satisfactum cor. bon. mem. Herrera*.

Hactenus de Latere paterno *Sala*; Mox verò ſermone converſo ad Latus Aviç paternç *Salazar*, deſumitur Nobilitas hujus Lateris ex qualitate, & meritis comparatis in Hiſpaniarum Regnis uſque ab Anno 1609. *a Hieronymo Salazar*, *& a Gaſpare ejus filio*, de quibus perenne Teſtimonium emergit ab altera Epiſtola Regia Philippi II. ſcripta de Anno 1588. Pro-Regi Siciliç occaſione, qua alter Hieronymus Salazar Jun. ſe tranſtulit ad Inſulam Siciliç, ibi – *In attenzione delle qualità, e ſervigi di Don Girolamo Salazar, e quelli, che eſeguirono li di lui Anteceſſori nell' eſtirpazione de Saraceni, come parimente delli meriti fattiſi da Don Girolamo Jaime Salazar ſuo Avo l' Anno 1509.. e di quelli di ſuo Padre Don Gaſpare, hò voluto diſtintamente raccommandarvi il detto D. Girolamo Salazar, ordinandovi, e comandandovi, che gl' abbiate particolar riguardo in cotesto Regno per onorarlo, ed impiegarlo nelli Poſti, che corriſponderanno alla ſua qualità, & abilità, del che mi darò per ben ſervito*; ex qua ſane Epiſtola, ejuſque tenore indubitata reſurgit probatio Nobilitatis, meritorumque

22 d. Hieronymi Salazar uſque ab Anno 1509., quç utpote derivans ab ore Regis ſuperat in ſubjecta materia quodcunque genus melioris demonſtrationis, ut obſervant, *Caravlt. in Tit. de Recept. Fratr. cap.12. n.7.*, *Eſcobar. de purit.*, *& nobilit. par.2. quæſt.25 §.3. num.50.*, *& ſeqq.*, *Rot. dec.213. n.3. par.13. recent.*, *& in Melevitana*, *ſeu Crotonen. Habitus 16. Maii 1729. §. Nam uſque cor. Emo Cincio*.

Neque vero profuit adverſus iſtam Epiſtolam repetere eam inanem, futilem exceptionem ſuſpicionis informitatis, & ſimplicis ſumpti de ſumpto; Quç ſicuti plene rejecta fuit, ubi ſupra fuit habitus ſermo de alia Epiſtola ejuſdem Philippi II. percutiente latus paternum *Sala*, ita fuit per Dominos penitus contempta reſpectu hujus alterius Epiſtolæ reſpicientis latus Aviç paternç *Salazar*; Nedum quia hçc, & altera Epiſtola om-

23 ni carent ſuſpicione, utpote extractç *ex Regeſto Officii Regiæ Secretariæ*, quod habetur pro Originali ad quoſcunque Juris effectus, ut prçter authoritates relatas in ſuperiori §. *Neque urget*, animadvertit, *Rot. coram Molines dec.45. n.3.*, *& in Melevitana Habitus 11. Decembris 1719. §. Nullaque cor. bon. mem. Foſcaro*.

Sed indubitantius, qnia occurrunt validiſſima adminicula,comprobantia veritatem prçfatç Epiſtolç Regiç; Conſtat enim quod Hieronymus Jun. Salazar Nepos alterius Hieronymi Sen., de cujus meritis, & nobilitate teſtatur ſçpedicta epiſtola, de anno 1584.ſeſe tranſtulit in Siciliam, & de anno 1615.contraxit nobile Matrimonium cum Donna Anna Alimena Nepte Duciſſç Bisbonç eo tempore Uxoris Ducis Montalti Pro-Regis Siciliç: cum itaque Hieronymus Salazar Jun. de anno 1515.deſponſaverit Neptem Pro-Reginç Siciliç; ac rurſus in Inſtrumento dotali deſuper ſtipulato, qualificatus conſpiciatur tanquam *unus ex Magnatibus*, & a Duciſſa Bisbonç Pro-Regina in ejus

24 epiſtola decoratus fuerit titulo *Perilluſtris* temporibus illis congruente tantum PerſonisNobilibus in ore ſignanter Potentium; *Card. de Luc. de præhemin. diſc.30. n.17.*; Ac demum de eodem anno 1615. a Duce Montalti Pro-Rege doceatur ſelectus in Vicesgerentem ſuum pro Statibus, quos poſſidebat in Regno Siciliç; Jam de ſe patet, & evidens redditur, quod nobilitas Hieronymi ab altioribus, & antiquioribus primordiis ſuam traheret originem; ut advertendo ad ſimiles circumſtantias notant *Decian. conſ.7. n.20. verſ. Non obſtat.*, *Caſſan. Catalog. glor. Mundi lib.3. par.8. conſid.19.*, *Rota cor. Cavaler. dec.113. n.1.*, *& in rec. dec.551. n.4. par.4. tom.1.* Nobilitas enim ſta-

25 tim, & ictu oculi non naſcitur, ut ex *Textu in leg. ſtemmata ff. de Stabilib.* firmant collecti per *Tancredin. conſ.4.*

26 *n.53.*, ſed ex longa Majorum ſerie, ſplen-

ſplendore, & claritate deſcendit; *Tancredin. conſ.4. n.53., Pagaı de Ordinat. Reg. Portugall. tom.3. lib.1. tit.24. num.9., & 10., Rota dec.478. n.7. cor. Cerro, & dec.217. n.2. par.13. rec.*

Parvipenſis exceptionibus cumulatis ad effectum detrahendi, minuendique fidem documentis præfatis coadjuvantibus veritatem, & legalitatem epiſtolæ Regiæ Philippi II.ſcriptæ in commendationem meritorum Hieronymi de *Salazar*, eorumque aſcendentium fragilis ſiquidem viſa eſt illa in eo conſtituta, quod Inſtrumentum dotale d. Hieronymi cum D. Anna Alimena Nepte Pro-Reginæ ſit ſuſpectum de falſo, cum in eodem nec Pater, nec Patria dicti D. Hieronymi legatur expreſſa; dum enim aliunde conſtat, tum ex
27 prædicta Regia Epiſtola Philippi II., tum ex mandato Juratorum Civitatis Bisbonæ edito de anno 1614. quòd præfatus Hieronymus erat Filius Gaſparis, & Nepos alterius Hieronymi, Hiſpanus Natione, & Patria Matritenſis; utique negligentia Notarii non exprimentis in d. Inſtrumento dotali Patrem, & Patriam Hieronymi, fortaſſe quia ſatis erat comperta, & cognita, nil prorſus detrahit veritati, & legalitati præfati Inſtrumenti dotalis; ut in propoſito conſiderant *Pacion. allegat. Civil.182, n.6., Rota cor. Buratto dec.932. n.2., & cor. Otthobon. dec.251. n.53., coram Dunozett. Jun. deciſ.761. n.14., & coram Bich. dec.243. n.7.*

Minoriſque relevantiæ reputata fuit altera exceptio reſpiciens epiſtolam Duciſſæ Bisbonæ, quæ tanquam non recognita, habenda dicebatur pro cartula informi nullam in judicio fidem promerente: ea quippe fuit uſque ab
28 anno 1615. ſolemniter regiſtrata in Archivo publico Civitatis Caltaniſſettæ; proindeque defectus formalis recognitionis abunde ſuppletus remanet ex d. exhibitione penes acta publica tempore non ſuſpecto, & quidem a ſæculo, & ultra; quemadmodum firmant *Gratian. diſcept. forenſ. cap.551. n.1., Carol. Anton. de Luc. ad eundem ibidem n.2., Rot. cor. Lancetta dec.796. n.5. tom.3.*

Fruſtra verò ad enervandam probationem deſumptam ex relatis documentis, oppoſitum fuit, quod tota fides eorundem ſtet in d. *Joſepho Abbate*, qui tanquam Archiviſta illa prius exemplavit, & deinde extractionem a ſe factam legalizavit, & authenticam reddidit: cum enim doceatur, quod d. Joſeph fuerit uno, & eodem tempore, ac contextu Archiviſta, & Magiſter Notarius univerſitatis, documentis exemplatis, & extractis legalitatem ſuperaddidit, quæ ſolummodo conſiſtit in appoſitione ſigilli univerſitatis, quod conſervatur penes eundem Magiſtrum Notarium; Nec aliter fieri poterat juxta conſuetudinem inveteratam d. Civitatis Bisbonæ, de qua deponunt Jurati, ſeu publici Repræſentantes ejuſdem Civitatis.

Patet igitur ex prædictis; quod nobilitas hujus lateris *Salazar* ſuam trahens originem uſque ab anno 1509. a Hieronymo Seniore, & Gaſpare Filio Hiſpanis, continuavit in Inſula Siciliæ eodem ſervato ſplendore ſanguinis in Hieronymo Jun., qui contraxit d. nobile Matrimonium cum d. Alimena Nepte Ducis Montalti Pro-Regis Siciliæ, ex quo ortus eſt Antonius Pater Suſannæ Aviæ paternæ Nobilis *Prætendentis*; qui quidem Antonius anno 1636. duxit in uxorem D. Annam de Nobili Familia *Petruſo* pluries recepta, & admiſſa in Sac. Religione Hieroſolymitana, prout teſtatur Eques Minutulus *in citato Tractatu fol.46. 48. 50. 41. 310.* Cum itaque ex his omnibus liquido conſtet hanc Familiam *Salazar*, poſtquam tranſiit in Inſulam Siciliæ, affi-
29 nitates, & cognitiones contraxiſſe cum clarioribus Regni Siciliæ Familiis; maximum inde ad rem noſtram conſurgit argumentum demonſtrans conſervationem, & augmentum nobilitatis ejuſdem Familiæ, prout unanimiter docent *Capyc. Latr. conſult.128. in fin., Card. de Luc. de præbemin. diſc. 12. n.22., Rot. dec.248. n.1. poſt.2. volum. Farinacc.*

Cæterum hæc omnia palam comprobantia nobilitatem hujus lateris *Salazar*, per metam duorum ſæculorum, & ultra, non erant omnino neceſſaria; Cum enim ejuſmodi Familia ſit origine

ne Hiſpana, etiamſi ejus generoſa nobilitas aliud ſibi certum principium aſſerere nequeat, quam ab illuſtri Matrimonio contracto de anno 1615. in Regno Siciliæ cum Nepte Pro-Regis, hoc ſane ſuperabundaret; ea ratione,
30 quia nobilitas Familiæ oriundæ ex Regnis Hiſpaniarum, verificanda non eſt a *Prætendentibus* de lingua Italiæ per metam duplicis ſæculi requiſitam ab eadem lingua in ſuis Familiis, ſed per centum dumtaxat annos, juxta præſcripta, quæ ex conſuetudine Sac. Religionis ſervantur in lingua Hiſpaniæ, unde dictæ Familiæ originem trahunt; prout relatis pluribus Judicatis Sac. Religionis Hieroſolymitanæ refert in puncto *Prior Caravit. tit. de recept. Fratr. cap.9. §. Se il Pretendente naſce ne' limiti d'una lingua, mà tira la ſua origine da altra lingua &c.*

Non diſſimili pariter firmitate probata apparuit generoſa Nobilitas lateris Materni *Cutronas*, de cujus initio præclarum adminiſtrat Teſtimonium deputatio *Hieronymi Cutronas* facta de Anno 1502. in Vicarium Generalem Regni Siciliæ, de qua ſane liquet tum ex Mandato tunc temporis facto per dictum Don Hieronymum *uti Vicarium Generalem* directo Juratis Civitatis Bisbonæ, tum ex edicto contemporanee publicato ab eiſdem Juratis de Ordine *Illuſtris D. Hieronymi Cutronas Vicarii Generalis Excellentiſſimi Pro Regis* ſuper prohibita extractione, & venditione frumenti, ſub pœnis in eodem edicto comminatis, & executis; Tum, & evidentius ab Epiſtola extracta ex Regeſto Regiæ Secretariæ, quam eodem Anno 1502. ProRex Siciliæ ſcripſit Regi Catholico, ubi narrat, quod ad occurrendum periculis Annonæ penuria imminentibus, deputaverat duos Vicarios Generales pro impedienda extractione frumenti, quorum alter, nempe *Don Girolamo Cutronas Cavaliere naturale di Calabria nel Regno di Napoli, & abitante in queſto, ha dato Saggio del ſuo amore, e zelo a Voſtra Maeſtà adempiendo intieramente all' obbligazione corriſpondente al ſuo ſangue.*

Nullatenus ſubſiſtente ſolito diffugio, quod dicta documenta exiſtentia in Archivo Civitatis Bisbonæ, nec legalia ſunt, nec authentica, quinimo ſuſpecta de falſo, cum non probetur ea fuiſſe antiquitus repoſita in memorato Archivo a Perſonis non ſuſpectis, & in forma valida, ac legali. Exceptio enim iſthæc etiam quoad alia documenta ſuperius expenſa toties repetita, prorſus inanis, & vana dijudicata fuit; Eatenus enim prædictæ Scripturæ exiſtentes in Archivo Civitatis Bisbonæ fuerunt extractæ, & legalizatæ ab una, eademque Perſona, nempe *Joſepho Abbate*, quia dictus Joſeph erat contemporanee Archiviſta, & Magiſter Notarius. Nec de cætero ad effectum tribuendi fidem eiſdem Documentis neceſſe eſt, quod Archiviſta deponat, ea fuiſſe antiquitus repoſita in eodem Archivo ſub forma legali, & authentica; Cum res
31 notoria ſit, quod in publicis Archivis reponuntur, & cuſtodiuntur ſcripturæ authenticæ, & per conſequens quoties ibidem fuerunt regiſtratæ, plena fides eiſdem præſtanda venit; *Adden. ad Buratt. dec.667. n.15., Rot. cor. Merlin. dec.364. n.3., & in rec. dec.340. n.24. par.16., & cor. Benincaſ. dec.214. n.2., & dec.400. n.3. cor. Card. Caprara.*

Tantoque magis in caſu ſubjecto, quia conſtat de antiquitate memorati mandati directi Juratis Bisbonæ *a Don Hieronymo Cutronas uti Vicario Generali de anno* 1502., & dubitari nequit, cum illud legatur ſubſcriptum *a Joanne de Itali Pro-Magiſtro Notario illius temporis*, & apparet executum a Juratis, nec non regiſtratum inter acta publica Civitatis Bisbonæ anni 1502. Ac ulterius quod attinet ad Epiſtolam Pro-Regis, ea docetur extracta *ex Regeſto Regiæ Secretariæ*, ubi aſſervantur aliæ
32 plures, quæ quantumvis deſtitutæ ſubſcriptione Pro-Regis, adhuc tenent locum Originalis ab eadem Secretaria cuſtoditi. Quibus ſtantibus, ceſſat qualibet ſuſpicio illegalitatis præfatorum documentorum, & aſſertæ recentis repoſitionis eorundem in Archivo; quæ de cætero ſi poſſet ad libitum cujuſcunque Contradictoris proponi, actum eſſet de publicis Archivis, & de fide illis debita, nam quilibet placito ſuo poſſet excita-

citare ſuſpicionem de recenti ſcripturarum immiſſione in Archiva publica; quæ tamen ſuſpicio utpote involvens
33 præſumptionem plurium delictorum, & falſitatum, requirit ad ſui probationem demonſtrationes manifeſtas, & non vanas, aut chimericas ratiocinationes; *Rota dec.276. n.38.*; *& 39. par.4. tom.2. rec.*, *& dec.31. n.10. tit. de Jurepatr. cor. Card. Falcon.*

Vindicata ſic generoſa nobilitate D. Hieronymi Cutronas, patens eſt, quod arbor hujus lateris deſumit initium ſatis conſpicuum nobilitatis ab eodem D. Hieronymo, qui uſque ab
34 Anno 1500. docetur decoratus a Juratis Civitatis Bisbonæ titulo *Illuſtris* tunc temporis conveniente Perſonis primariæ nobilitatis, & de anno 1502.
35 promotus fuit ad d. Officium *Vicarii Generalis*, quod ſemper collatum fuit Nobilibus primi Ordinis Regni Siciliæ, & paſſim Sacra Religio Hieroſolymitana approbavit pro certo initio nobilitatis eximię, ut videre eſt apud Minutulum *fol.214.*, *& fol.306.*

Continuatio autem nobilitatis dicti Hieronymi in altero *Hieronymo Juniore ejus Nepote* evidentius comprobatur ex conſpicuo Matrimonio per eundem contracto cum Nobili Puella *de Stephano*, juxta Capitula matrimonialia ſemel, & iterum ab ipſomet originali extracta. Ex hoc autem pręclaro conjugio progenitus fuit *Antonius*, & ab eo alter *Hieronymus hujus nominis tertius*, qui de anno 1659. deputatus fuit in *Capitaneum Civitatis Sutere*,
36 quod ſane officium ſemper fuit in Sac. Religione Hieroſolymitana ſpecialiter conſideratum, uti probatio ſuperlativa nobilitatis pro effectiva admiſſione ad habitum, & ulterius idem Hieronymus fuit admiſſus inter Officiales SSmæ Inquiſitionis, qua occaſione Jurati Civitatis *Bisbonæ* requiſiti de moribus, & nobilitate reſponderunt, *che per quello ſi tratta della qualità del medemo, li diciamo, che campa con commodità, avendolo laſciato ricco ſuo Padre Don Pietro Antonio Cutronas, quale ſi manteneva da Nobile, e con faſto delle ſue entrate, ſenza aver mai decaduto, e colla ſteſſa maniera di ſuo Padre campa Don Girolamo, e ſi mantiene da Nobile &c.*, ut latius legitur in epiſtola Juratorum, quæ utpote reſpi-
37 ciens acta civilia rite potuit extrahi ab Archivo SSmæ Inquiſitionis: ex dicto autem Hieronymo ortum duxit Felix, qui contractis nuptiis cum Gratia Caſtelli genuit D. Annam Cutronas Matrem Joſephi *Prætendentis*; Per has autem probationes convincentes mu-
38 nia nobilia exercita per illos de Familia *Cutronas*, Matrimonia inita cum Feminis illuſtribus, communem famam, & exiſtimationem; remanet eminenter comprobata nobilitas hujus lateris; quemadmodum pluribus collectis firmat *Rota in Aſſiſien. Habitus 20. Junii 1717. §. Neque ulla cor. bon. mem. Foſcaro, & in Neapolitana, ſeu Melevitana Habitus 7. Maii 1725. §. Exordium cum ſeqq. cor. R.P.D. Nunez.*

Nec relevat, quod deſcendentibus d. D. Hieronymi nunquam attributi fuerint in pluribus actibus publicis tituli nobiliores *Illuſtris*, *& Illuſtriſſimi*, ſed nulli, vel ad Summum *Magnifici*: non enim temporibus illis, quibus prodierunt d. actus, invaluerat in Civitate *Bisbonæ* faſtidioſus luxus titulorum, quibus diſtinguebantur perſonæ primariæ nobilitatis. Sed potius duobus re-
39 tro ſæculis, & præſertim in locis illis, in quibus titulorum luxuria plauſum adhuc non obtinuerat, titulus Magnifici deſignativus erat eximiæ, & perilluſtris nobilitatis, prout unicuique notum eſt, & advertunt *Tiraquell. de nobilit. cap.8. n.15.*, *Maſtrill. de Magiſt. tom.2. lib.5. cap.3. n.11.*, *Card. de Luc. de præhemin. diſc.38. n.18. verſ. titulus autem Magnifici.*

Eoque minus ſubſiſtit, quod Familia iſta nunquam habita fuerit pro Nobili, eo quod ſemper vixit in terra Bisbonæ loco humili, & baronali; Siquidem in rei veritate Familia *Cutronas* omni tempore habita fuit pro una ex illuſtribus Regni Siciliæ, prout concludunt plures Teſtes Nobiles, & Sacerdotes examinati uſque ab anno 1570., & ulterius comprobat ampliſſima fides quatuor Juratorum Civitatis *Bisbonæ*, qui nedum teſtantur de domiciliis, & habitatione, quam ibi perpetuò retinuerunt

runt plures Familiæ Illuſtriſſimæ , ſi-
gnanter *Perollu* , *Zavateri* , *e Napoli*,
aliæque paſſim admiſſæ in Sac,Religio-
ne Hieroſolymitana, ut liquet *ex Tra-
ctatu Minutuli fol.*47. ,*fol.*46: , *&* 45.,
*fol.*44 , ſed etiam deponunt , quod Fa-
milia *Cutronas* originaria ex Civitate
Tropeæ in Provincia Calabriæ , & nu-
per extincta *in D. Anna Matre Nobi-
lis Prætendentis* reputata fuit per *pub-
blica voce , e fama per una delle quali-
ficate diſtintiſſime Famiglie in queſto Re-
gno di Sicilia* ; Hiſce autem Teſtibus
40 Magiſtratum Civitatis conſtituentibus
in ſubjecta materia deferendum eſſe fir-
mat in ſpecie *Rot. dec.*358. *n.*7. *coram
Buratt.* , *&* *dec.*317. *n.*9. *cor. Emer.
Jun.* , *&* *dec.*615. *n.*3. *cor. Lancetta* ,
& *dec.*108. , *n.*14. *cor. Rmo Criſpo* .

Accedit ad hæc quartum , & ulti-
mum latus Aviæ maternæ *lo Caſtello* ,
reſpectu cujus deſumitur expedita pro-
batio nobilitatis uſque ab anno 1502.
ex Decrèto Juratorum Civitatis *Biſ-
bonæ* , quo mediante docetur , quod
D. Philippus lo Caſtello de d. anno exer-
cuit de mandato Secretariæ Regiæ no-
41 bile officium Capitanei *Suteræ* , deco-
ratuſque fuit titulo *Nobilis* , ac ulterius
de anno 1505. interfuit tanquam No-
bilis publico Concilio ejuſdem Civita-
tis , ſtante diſtinctione inibi vigente
inter Nobiles , & Plebejos ; ex quibus
ſane documentis plena reſurgit proba-
tio nobilitatis ; *Emus Petra dicta Conſt.
Apoſt. tom.*2. *fol.*56. , *Miccaleſ. in Sum-
ma verb. nobilitas n.*6. , *Rota in Mele-
vitana Habitus* 11. *Decembris* 1719.
§. Verum cum ſeq. cor. bon. mem. Foſcaro.

Non urgente , quod in dictis publicis
Conciliis interveniant , & admittantur
tam Nobiles , quam Populares , & Ple-
bei . Quamvis enim non inficietur ,
quod publicis Conciliis interſint tam
42 veri Nobiles , quam ſimplices Cives;
Ea tamen occurrit diſtinctio , quod illi,
qui tanquam Nobiles interveniunt ve-
re tales ſunt , & reputantur apti , ac
idonei ad exercenda nobilia Officia
Jurati , & Capitanei ; & e converſo ſim-
plices Cives , nec decorantur titulo *No-
bilium* , nec exercere poſſunt nobilia
Officia , prout deponunt Jurati Civita-
tis . Hujuſmodi autem formalis diſtin-
ctio Nobilium a Civibus , iſtorumque
excluſio a muniis , quæ conferuntur ſo-
lis Nobilibus , ſicuti Ordinem Patri-
tium componit , ita eam generoſam
nobilitatem importat , quæ in milita-
ribus Religionibus requiri ſolet , ut
paſſim firmavit *Rota* , & ſignanter *de-
ciſ.*494. *n.*9. *par.* 1. , & latius *in Mele-
vitana Habitus* 15. *Junii* 1685. *cor. clar.
mem. Card. Caccia* .

Verum Nobilitas generoſa D. Philip-
pi lo Caſtello evidentius comprobata
remanet ab altero publico Concilio an-
ni 1520., cui interfuit tanquam Nobilis
Juratus , & *Locumtenens Regii Capita-
nei Suteræ* ; Proindeque titulus primor-
43 dialis generoſæ Nobilitatis hujus La-
teris *Caſtello* nulli ſubjacet ulteriori cen-
ſuræ , cum deſumatur ex præfatis Offi-
ciis Jurati , & Capitanei exercitis in Ci-
vitate Suteræ , quæ perpetuo fuerunt
admiſſa a Sacra Religione Hieroſolymi-
tana veluti probantia generoſam nobi-
litatem illius , qui eadem Officia exer-
cuit , ut pluribus adductis exemplis de-
ponunt Jurati , ac etiam deſumitur ex
Tractatu ſæpedicti Minutuli .

A dicto D. Philippo natus eſt *D. An-
tonius Sen.* , qui more nobilium viven-
44 do titulo *Nobilis* decoratus apparet
in pluribus actibus publicis , & ſignan-
ter in duobus Mandatis anni 1538. ,
& 1572. , ac de anno 1584. inſignitus
conſpicitur Officio Jurati ; Proindeque
dubium non eſt , quod Paternam no-
bilitatem in eum transfuſam conſerva-
vit ; juxta *Textum in Leg. Si Senator
Cod. de Dignit.* , *Tiraquell. de Nobil.
cap.*15. , *n.*1. , *Grat. Diſcep. Forenſ.
cap.*590. *n.*15. , *&* *ſeqq.* , *Rot. dec.*572.
*num.*9. *coram Pich.* , *&* *deciſ.*207. *n.*2.
*part.*13. *rec.*

Quin ſubſiſtat falſitas impicta man-
dato reportato de anno 1572. *a D. An-
tonio Caſtello Sen.* filio D. Philippi , eo
ſub obtentu , quod mandatum iſtud re-
laxatum fuit a Petro *lo Caſtello* filio
Antonii Jun. , qui de anno 1604. con-
ſtitutus erat in ætate annorum 17. , &
ſic natus non erat de anno 1572. , atque
dictus D. Antonius Sen. jam vita fun-
ctus erat ; ſicque dictum Mandatum re-
portatum de anno 1562. nec dirigi po-
tuit ad Don Antonium Seniorem mor-
tuum,

tunm, nec relaxari D. Petro non adhuc nato.

Objectum enim ſubnixum apparuit equivoco facti; *Petrus* enim lo Caſtello, qui de anno 1582. relaxavit Mandatum favore D. Antonii Sen. Filii Philippi, non eſt ille Petrus *lo Caſtello* Filius Antonii Jun., qui de anno 1572. nondum erat natus, ſed erat diverſus
45 Petrus; ſic dictante juris preſumptione ad ſalvandam fidem debitam Actis publicis; *Rot. dec.*548. *n.*7., *& ſeqq. par.*5. *tom.*2. *rec.* Stante potiſſimum pluralitate familiarum hujus cognominis Caſtello exiſtentium eodem tempore in Civitate Suterę, ex quibus derivare potuerunt duo diſtincti *Petri*, unus antiquior, & alter recentior, eoque fortius accedente Teſtimonio Cancellarii Societatis Animarum Purgantium Civitatis Suterę, quod probat extitiſſe uno, eodemque anno 1608. *duos Petros lo Caſtello*; Cumque temporis injuria defecerint Libri Baptiſmales Eccleſię Matricis ante an. 1585., ut teſtatus eſt Archipresbyter Suteræ, ita quidem ut haberi non potuerit probatio nativitatis, & filiationis dictorum geminorum Pe-
46 trorum; Utique in defectum dictæ melioris probationis admiſſa fuit probatio ſuppletiva ad effectum demonſtrandi palmarem diverſitatem dictorum Petrorum contemporance viventium, quam ſatis comprobant acta publica tot adminiculis circumſepta; ad *Text. in leg. Inſtrumenta Cod. de Probat.*, *Guidopap. dec.*441., *Achill. dec.*1. *de Confeſſ.*, *Rot. deciſ.*385. *n.*8. *part.*1. *diverſ.*, *& deciſ.*201. *num.*11. *part.*5. *tom.*1., *& deciſ.*47. *n.*15. *part.*6., *& dec.*285. *n.*12. *part.*13. *recent.*

Æque fragilis erat altera pars objecti in eo repoſita, quod de anno 1572. dictus *D. Antonius Sen.* jam vita functus erat, dum ipſius Teſtamentum fuit apertum de anno 1556. Quamvis enim
47 Antonius ſuum ſcripſerit Teſtamentum de dicto anno 1556.; non inde tamen reſurgit probatio aperitionis ejuſdem Teſtamenti de dicto anno; quin imo ea prorſus excluſa remanet; quia poſt annum 1556. plures adhuc supervixit annos Antonius, plnraque exercuit munera, & officia, & ſignanter de anno 1594. functus eſt Officio Jurati, ut comprobant Documenta ſuperius relata §. *Quin ſubſiſtat*. Nec ſane novum eſt, ſed ſæpe contingere videmus etiam infirmos in ſummo vitæ diſcrimine conſtitutos diſponere, prout par eſt, Domui ſuæ, & ſubinde reconvaleſcere, diuque ſupervivere; prout in puncto reſpondens huic met objecto conſiderat *Rota in Neapolitana, ſeu Melevitana Habitus* 11. *Decembris* 1724. §. *Immunis cor. bon. mem. Cerro*.

A dicto D. Antonio Sen. filio Philippi natus eſt *D. Antonius Jun.*, qui de anno 1603., & 1604. fuit unus ex Juratis Civitatis *Suteræ*, atque ex iſto Petrus, & Joſeph ejus Filii, qui adnumerati fuerunt inter fundatores Societatis Animarum Purgantium, quæ Societas admittit, & recipit perſonas dumtaxat Nobiles ſine ulla mixtura popularium, ut teſtatur Cancellarius, ex Petro vero prodiit in Lucem *Franciſcus* Pater Gratiæ Caſtello Aviæ Maternæ Nobilis *Pretendentis*, qui omnes Paternam, & Avitam nobilitatem conſervarunt, & retinnerunt, ut patet ex præclaro Teſtimonio Juratorum Civitatis Suteræ fidem faciente, quod Familia *Caſtello* omni tempore fuit, & eſt *una delle principali Famiglie Nobili della Città di Sutera*; Cum autem nemini melius proſpecta ſit Nobilitas pro-
48 priorum Concivium, quam publicis in Civitate Repræſentantibus, illorum depoſitio in ſubjecta Materia dubio procul attendenda venit; *Tiraquell. de Nobil. cap.*10. *n.*8., *Eſcobar. de Purit. Sang. quæſt.*4. §.5. *n.*4., *Rot. dec.*68. *n.*1. *cor. Cavaler.*, *dec.*358. *n. fin. coram Buratt.*, *& dec.*1170. *num.*20. *tom.*5. *cor. Molines*.

His omnibus accedit quoad omnia quatuor Latera Nobilis *Pretendentis* ſolemne Teſtimonium plurium teſtium tum ſanguine, tum dignitatibns illuſtrium, qui examinati de more coram primis duobus Commiſſariis deputatis ad conficiendum Proceſſum, uno ore, & de certa ſcientia depoſuerunt de antiqua generoſa nobilitate omnlum dictorum quatuor Laterum, a quibus deſcendit Nobilis *Pretendens*; De quibus ſane Teſtibus magna ſemper habita fuit

49 ra-

Digitized by Google

49 ratio in confirmationem probationis Nobilitatis pro hoc præciſo effectu admiſſionis ad Habitum Hieroſolymitanum; prout perpetuo dixit *Rota*, & ſignanter *cor. Celſ.dec.266. n.1., coram Emerix. Jun. dec.530. num.2., dec.167. n.1., & 2. part.7., & deciſ.213. n.2. part.13., & deciſ.229. num.1., & ſeq. part.16. rec.*

Reliquum nunc erat agere de nullitatibus impictis recognitioni, & approbationi documentorum factæ per Judicem a noſtro Sacro Auditorio ſubdelegatum; ſed in hoc parum ſane immorandum fuit; Quamvis enim validitas Proceſſus Remiſſorialis impugnaretur eo ſub obtentu, quod poſt præſentationem Decreti per Me alias editi, non fuerit expectatus lapſus termini quadraginta dierum in eodem Decreto præſcripti, & recognitio documentorum peracta fuerit ante præſentationem ejuſdem decreti una cum Regio exequatur; Placuit tamen reſponſio, quod terminus quadraginta dierum unice præſcriptus fuit, ad hoc ut Commiſſariis Puritatis commorantibus Melitæ commodum temporis ſpatium daretur conſtituendi Procuratorem in Civitate *Agrigentina*; Cum autem ipſi loco deputandi Procuratorem Agrigenti, conſtituerint eundem Panormi, ubi conſumptus fuit curſus ſeptem Menſium ad effectum reportandi Regium Exequatur, non ſine gravi ſuſpicione, quod id evenerit ex impedimentis præſtitis a Procuratore eorundem Commiſſariorum; In hiſce profecto circumſtantiis, excuſandus videbatur Joſeph, ſi poſt obtentum Regium exequatur, vidente, ac ſciente eodem Procuratore, putaverit expectandos non eſſe alios quadraginta dies pro facienda præfata ſcripturarum recognitione; ſibique imputare debent Commiſſarii, quod in tam diuturno temporis ſpatio neglexerint deputationem Procuratoris in Civitate *Agrigentina*; Æqui enim bonique ratio non patitur, ut Joſephus ex alterius oſcitantia, & culpa damnum,
50 & præjudicium ſentire debeat; ad regulam *Text. in leg. ex hoc Edicto. §. Planè ff. de eo per quem fact. erit, Rot. cor. Carillo dec.8, n.6., & in Melevit. Antianitatis 15. Februarii 1700. §. Et ſi enim cor. bo. me. dell'Olmo, & in ejus confirmatoria cor. Molin. dec.806. n.41.*

Allegatus vero defectus extractionis facile contemni promeruit, dum eam abunde ſupplet recognitio, & approbatio Documentorum facta per perſonas deputatas non authoritate privata, ſed a Judice ſubdelegato, de cujus fide, & religione nullatenus eſt ambigendum; Potiſſime quia mens noſtri Sacri Tribunalis vere, & realiter fuit requirendi ſimplicem recognitionem ad unicum effectum tollendi, ſi poſſibile erat, tot querelas, quot congerebant ſine ullo colore Commiſſarii ſuper ſuſpicione falſitatis dictorum Documentorum; Cum cæteroquin formalis extractio ſcriptu-
51 rarum nequidem requiratur ab ipſis Statutis, & Ordinationibus Sac. Religionis, quæ petentibus Habitum non imponunt onus materialis extractionis Jurium coram Commiſſariis, ſed tantummodo recognitionem, & comparationem ſcripturarum, quemadmodum conſentanee ad *Ordinat,8. tit.2. de Recept. Fratr.* tradit, & explicat *Prior Caravit. in ſuo Tract. eod. tit.2. de Recept. Frat. cap.15.*

Cæterum quatenus etiam in confectione dicti Proceſſus Remiſſorialis concurreret aliqualis defectus quoad extrinſecas ſolemnitates, adhuc Dominis viſum fuit, non eſſe ex hoc capite adeo rigide procedendum cum Joſepho, tum quia libenti animo, atque hilari fronte ſubivit onus recognitionis, ſeu comparationis ſcripturarum, a qua dubio procul fuerat diſpenſatus in Brevi Pontificio reſpectu trium Laterum *Salazar*, *Cutronas*, & *Caſtello*, Tum & efficacius, quia nova Jurium recognitio demandata non fuit, ut funda-
52 mentum eſſentiale faciendæ probationis, ſed potius ad quandam ſuperabundantiam, & adminiculative ad probationes jam factas, quæ per ſe jam erant ſufficientes pro verificanda generoſa Nobilitate Joſephi *Prætendentis*; In quibus ſane terminis attendi non meretur aliqualis defectus ſolemnitatum extrinſecarum; prout in durioribus terminis docet *Prior Caravit. in ſuo Tractat. d. tit.2. de Recept. Frat. cap.19. quæſt.3,*

Ha-

Habita potiſſimum præ oculis ea ſatis gravi, & urgenti ponderatione, quod in hac contradictione adverſus Nobilem Joſephum aſſumpta per Commiſſarios nobilitatis, & puritatis, & per plurium annorum ſpatium protracta,
53 nec unus unquam apex, vel umbra obſtaculi opponi potuit, quæ quatuor Familiarum de quibus agitur, ſplendorem obumbraret, ſed tota contradictio ſemper ſtetit in criticis, & inanibus cavillationibus adverſus probationes per eundem Joſephum confectas, quas a toto genere, apocriphas, informes, & ſuſpectas eſſe ſemper oppoſuerunt, ſed nunquam probarunt. Ex hac autem notabili circumſtantia, grande Domini deſumebant argumentum comprobans, quod vere ab hiſce Familiis Nobilis Joſephi omnis exulet maculæ ſuſpicio. Si enim ulla ſubſtantialis nota, aut defectus adeſſet, utique in tanta, & tam diuturna contradictione, omiſſis levioribus oppoſitionibus, in lucem prodiiſſet; ut in propoſito bene ponderat *Rota in Melevitana Habitus* 11. *Decembris* 1719. §. *Et quidem cor. bon. mem. Foſcaro*, *& in confirmatoria* 10. *Maii* 1720. §. *Efficacius cor. bon. mem. Herrera*.

Et ita utraque parte viriliter jura ſua deducente, & ad ſatietatem audita, poſt multiplicem cauſæ propoſitionem reſponſum fuit.

TRICARICEN. DECIMARUM.

Merc. 26. Junii 1737.

ARGUMENTUM.

Poſt diviſionem Parochiarum jus decimandi translatum fuit in Parochos; ſolumque pro quarta decimarum aſſiſtit Epiſcopo juris diſpoſitio, niſi tamen in diviſione, & erectione expreſſe omnes in Parochos translatæ fuerint: immo eadem juris diſpoſitio non ſufficit ad adjudicandam Epiſcopo d. quartam, niſi concurrat conſuetudo. Decimæ novales pertinent ad originarium Decimatorem, nec comprehenduntur ſub antecedenti locatione, conventione, aut qualibet alia conceſſione.

SUMMARIUM.

1 *Poſt diviſionem Parochiarum Epiſcopus non habet quidem jus ad omnes decimas; ſed illud tamen habet ad quartam partem, niſi in diviſione, & erectione expreſſe translatę omnes fuerint in Parochos:*

2 *Quæ tamen juris aſſiſtentia non ſufficit ad eidem adjudicandam dictam quartam partem, niſi concurrat conſuetudo eam exigendi.*

3 *Libri Capituli plene probant contra idem Capitulum, & Clerum.*

4 *Teſtes informes, ac lite pendente expiſcati, conſanguinei, affines, & de gremio Capituli, & Cleri, nihil eorum favore probant, maxime ſi mendacii convincantur.*

5 *Ex quo in Inſtrumentis venditionum Prædiorum enuntietur, illa eſſe obnoxia decimis, eruitur decimas prædiales eſſe in uſu.*

6 *Documenta nequeunt ab exhibente impugnari.*

7 *Immemorabilis deſtruitur a ſimplici contrario rumore.*

8 *Adverſus Eccleſiam vacantem non currit præſcriptio.*

9 *Quadragenaria, ad diſcrimen centenariæ, lædere nequit diſpoſitionem juris, niſi adſit titulus coloratus;*

10 *Titulus autem coloratus ad præſcribendam quantitatem decimarum non oritur ex locatione, quæ in perpetuum expleta non fuerit pro certa, & determinata quantitate.*

11 *Decimæ novales pertinent ad originarium Decimatorem, nec comprehenduntur ſub antecedenti locatione, conventione, vel qualibet alia conceſſione.*

DECISIO LXXXV.

Deberi Epiſcopo Tricaricen. *quartam partem Decimarum perſonalium, tertiam verò prædialium etiam de Novalibus, tam præſentibus, quam futuris*, definitum fuit ab A.C. Furietto per ſententiam confirmatam ab altera noſtri S. Auditorii præviis geminis deciſionibus editis *ſub die* 27. *Junii*, *&* 10. *Decembris ſuperioris anni, cor. R. P. D. meo Creſcentio*; Quibus tamen nondum acquieſcens Capitulum curavit mihi dirigi

rigi ulteriorem cauſæ commiſſionem, ad cujus tramites propoſui in hodierna audientia dubium -- *An ſententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda*, cui Domini reſpondere non hæſitarunt, *ſententiam Rotalem eſſe confirmandam*.

Quamvis enim diviſio Parochiarum abſtulerit Epiſcopo titulum Parochi
1 univerſalis, ita quidem ut hodie nequeat amplius habere jus pro exactione omnium Decimarum; Adhuc tamen, donec non doceatur de diviſione, & actuali Parochiarum erectione facta ſub expreſſa lege translationis omnium Decimarum in Parochum, admiſſioni Epiſcopi ad ſolam quartam Decimarum etiam poſt ſecutam diviſionem Parochiarum ſuffragari viſa fuit diſpoſitio juris deſumpta *ex cap. conquerente de Offic. Jud. Ordinar.*, in quo Summus Pontifex Honorius III. longe poſt ſæpedictam Parochiarum diviſionem recenſet inter Jura Epiſcopalia quartam Decimarum, ut latius animadvertit, & comprobat utraque deciſio ſuperioris inſtantiæ, utrobique ſub §.2., & 3.

Sed, & ſi poſt præfatam erectionem, & diviſionem Parochiarum ejuſmodi
2 juris aſſiſtentia de ſe ſola non ſufficeret pro adjudicanda Epiſcopo quarta parte Decimarum, niſi concurreret una ſimul conſuetudo exigendi eandem quartam juxta plurium Doctorum opinionem, de qua cum aliis *Engel. in jus Canon. de cenſ. n.19.*; Removetur quævis amaritudo in ſubjecta hypotheſi, in qua revera militat favore Epiſcopi conſuetudo decimandi, tum generalis in tota Diœceſi Tricaricen., tum ſpecialis, & individua in terra Montis Albani, prout referendo verba deſumpta ex antiqua viſitatione anni 1589., nec non ex Inſtrumento locationis Decimarum anni 1596., ac demum ex continuatis deſcriptionibus factis in libris ipſius Capituli uſque ad annum 1672. plene firmat prior deciſio alterius inſtantiæ §.3. 4., & 5.

Conſtabilitio itaque pro controverſa exactione Decimarum bono Iure Epiſcopi reſurgente tam a Juris diſpoſitione, quam a generali, & ſpeciali conſuetudine; Nullatenus officere viſa fuit exceptio percutiens Decimas *prædiales* in eo repoſita, quod in Territorio Montis Albani non ſunt in uſu, nec ullæ ſolvantur Decimæ prædiales; Uſus enim hujuſmodi Decimarum prædialium, earumque exactio, nedum comprobatur ex formali Teſtium examine per Epiſcopum exhibito; ſed etiam pa-
3 lam reſurgit ex partitis extractis a libris ipſius met Capituli, in quibus non ſemel, ſed iterato legitur deſcriptio per *le Decime perſonali, e prediali*; Inani proinde conatu impugnatur uſus Decimarum Prædialium in Terra Montis Albani, de quo conſtat ex dictis partitis, quæ dubio procul adverſus Capitulum, & Clerum plenam conſtituunt probationem ex Juribus notiſſimis; de quibus *Rota cor. Card. Falconer. dec.1. n.7. tit. de Locat.* cum aliis adductis in priori *Deciſione R. P. D. mei Creſcentii §.5.*

Parvipenſa reſponſione, quod illa ſpecies Decimarum *prædialium*, quæ ſub hac appellatione deſcripta legitur in libris Capituli, referenda ſit, non jam *ad Decimas prædiales Spirituales*, quæ nullatenus ſunt in uſu in Terra Montis Albani, *ſed ad quotam portionis Dominicalis*, quam Capitulum exigit jure dominii temporalis a Conductoribus propriorum agrorum, ut deponunt Teſtes nuper exhibiti per Capitulum, ac etiam eruitur ex geminis Inſtrumentis cujuſdam venditionis factæ Epiſcopo, in quibus enuntiatur, quod Prædia vendita erant obnoxia oneri Decimarum favore Capituli.

Pro remotione ſiquidem hujuſce objecti noviter excogitati, ponderabant Domini, quod aſſumptum hujuſmodi innititur ſimplicibus, ac prorſus
4 informibus Teſtium depoſitionibus lite pendente expiſcatis, qui vel ſunt de gremio ipſius Capituli, vel ſunt conſanguinei, & affines eorundem de Capitulo, & Clero, quibus proinde nulla fides venit adhibenda; Potiſſime quia iidem Teſtes convincuntur de aperto mendacio, tum ex ipſa evidentia facti, tum ex libris retentis in Archivo ipſius Capituli, & Cleri; tum ex aliis Teſtibus Sacerdotibus de Gremio ejuſdem Cleri formiter examinatis de an. 1729., tum denique ex publicis Inſtrumen-

tis

tis exhibitis ab eodemmet Capitulo.

Et primo ſane dd.Teſtes convincuntur de falſo; quia quarta pars debita Epiſcopo ex Decimis perſonalibus, quas aliis Teſtes inducti ab eodem Capitulo affirmant vix aſcendere ad tumulos frumenti 200. non excederet tumulos 50., ſi ergo conſtat, quod Capitulum hactenus ſolvit Epiſcopo annuos tumulos 40., & Ducatos 83., & ſic in totum pluſquam tumulos 150., jam patet ex evidentia facti hujuſmodi præſtationem non eſſe correſpectivam ſolis Decimis perſonalibus, ſed perneceſſe comprehendere etiam prædiales, quarum uſus proinde nequit ſine mendacii nota impugnari ab hodiernis Teſtibus Capituli; ut animadvertit *ſecunda deciſio R.P.D. mei Creſcentii §. Quod autem*.

Rurſus iidem Teſtes de falſitate redarguuntur ex partitis formiter extractis a libris ejuſdem Cleri, & Capituli, ex quibus deſumitur literalis diſtinctio inter Decimas perſonales, & prædiales: & quamvis ibibem Decimæ prædiales quandoque nuncupentur *Terraggi*; Non inde tamen infertur recte, quod dd.Decimæ ſint illæ, quæ ſolvuntur Capitulo ratione locationis propriorum bonorum, & non aliæ Decimæ prædiales ſpirituales, quæ petuntur ab Epiſcopo Tricaricenſi; Si enim *ad portionem dominicalem* referenda eſſet illa pars fructuum a bonorum poſſeſſoribus tradita Capitulo ſub nomine *Terraggi*, nulla certe quota ex iiſdem fructibus obtigiſſet Epiſcopo, qui nullum jus habet participandi de fructibus bonorum jure dominii, & proprietatis ſpectantium ad Clerum: cum itaque dubitari nequeat, quin Epiſcopus particeps fuerit de hiſce fructibus ſolutis ſub nomine *Terraggi*, perneceſſe fatendum eſt, id non alio titulo eveniſſe, quam illo Decimarum prædialium ſpiritualium, quemadmodum ponderat prima deciſio Superioris inſtantiæ §.9. 10.

Tertio falſitas dictorum Teſtium palam eruitur, tum ex depoſitione aliorum Sacerdotum de ipſo gremio Capituli, qui formiter examinati de anno 1729.deponunt, Clerum Montis Albani exigere Decimas prædiales etiam ſuper Agris Civium particularium:

5 Tum etiam ex his publicis Inſtrumentis noviſſime exhibitis a Capitulo, ex quibus liquet, venditiones bonorum a quibuſdam Civibus factas, & celebratas fuiſſe ſub illa expreſſione; quod bona propria per eos vendita erant obnoxia ſolutioni Decimarum favore Eccleſiæ Matricis. Poſthabitis itaque ſæpedictis Teſtibus nuper exhibitis a Capitulo, tot perſonalibus exceptionibus obnoxiis, & de falſo palam convictis, prorſus inanis dijudicata fuit Capituli prætenſio, quod in Terra Montis Albani non exiſtant, nec ſint in uſu Decimæ prædiales ſpirituales, quodque Clerus ſub nomine Decimarum ſolum exigat ſuam portionem dominicalem ſuper propriis bonis jure dominii ſibi ſpectantibus, non verò ſuper bonis particularium Civium; Cum adverſus ejuſmodi prætenſionem militet eviden-

6 tia facti comprobata ex ipſiſmet documentis per Clerum exhibitis, quæ proinde per eundem nullo pacto queunt impugnari; ad tradita pnr *Rot.dec.238. num.15. cor. Gregor.*, *& deciſ.127. num.1., & ſeqq.coram Ottbobon.*, *& deciſ. 1186. n.39. coram Molin.*, ubi concordantes.

Sublata priori exceptione Cleri Montis Albani impugnante in totum Decimas prædiales ſpirituales, ejuſdem levitatis viſa fuit altera, qua mediante, Decimę non controvertuntur in genere, ſed tantum in quantitate, quæ vigore conſuetudinis immemorabilis, vel ſaltem quadragenariæ contenditur reſtricta ad certam quotam tumulorum 40. frumenti, & ad ducatos 83. hactenus exactos a pluribus anteceſſoribus hodierni Epiſcopi Tricaricen.

Quo enim ad conſuetudinem immemorabilem ſolvendi Epiſcopo certam invariabilem quotam ratione Decimarum prædialium, & perſonalium, cum liqueat ex antiqua viſitatione an.1596., ac etiam ex partitis extractis a libris Cleri, Epiſcopos uſque ad annum 1672. conſueviſſe Decimas exigere non jam in certa deſignata quota; ſed in ſua quarta, ac reſpective tertia parte ſibi debita in ſpecie; Ceſſat ex facto aſſerta

7 conſuetudo immemorabilis ſolvendi pro

pro Decimis certam quotam, cum ea de jure deſtruatur a ſimplici rumore in contrarium, ut ſæpe dixit *Rota*, *& ſignanter in dec.*254. *n.*1., *&* 2., *& dec.*324. *n.*13. *par.*1., *& dec.*248. *n.*2. *par.*2. *rec.*, *& dec.*875. *n.*16, *coram Molines*.

Non urgente, quod ſaltem in vim quadragenariæ, quæ interceſſit ab anno 1672. ad diem motæ litis præſcriptus cenſeri debeat modus ſolvendi controverſas Decimas in tumulis 40. frumenti, & ducatis 83. Potiſſime cum agatur, non jam de præſcribendis Decimis in totum, ſed ſolum de ſimplici earum reductione ad certam quantitatem, in quibus terminis ſatis eſſe videtur ſimplex quadragenaria etiam ſine titulo colorato.

Multiplici quippe reſponſione diluitur objectum, quarum prima eſt, quod ab anno 1672. plures numerantur vacationes Sedis Epiſcopalis, & non ſemel contigit, quod vacatio per plures annos duraverit; quapropter cum de
8 hoc tempore Eccleſia legitimo caruerit defenſore, non poterat adverſus eandem currere præſcriptio, ut ad terminos *Textus in cap. de quarto*, *ubi Gloſſ. verb. caruiſſet de præſcript. firmat prima deciſio alterius inſtantiæ* §.8.

Altera reſponſio deſumitur ex eo, quod quadragenaria ad diſcrimen cen-
9 tenariæ nullius eſt roboris, & efficaciæ, niſi comitem habeat titulum ſaltem coloratum, ubi, prout in hypotheſi mediante prætenſa ſolutione certæ, & invariabilis ſummæ læditur diſpoſitio juris decernens favore Epiſcopi quartam Decimarum juxta *Textum in cap. conquerente de Offic. Jud. Ord.*; Titulus
10 autem coloratus deficit in caſu, nec mutuari valet a locatione, de qua nullum exhibetur documentum præſeferens, quod in perpetuum expleta fuerit pro certa, ac determinata ſumma, ſicque d. locatio apta non eſt tribuere titulum ſufficientem ad præſcribendum; prout late firmat *ſecunda deciſio R.P.D. mei Creſcentii* §. *Quemadmodum*, *& ſequen.*

Cæterum quatenus etiam ab an.1672. interceſſiſſet lapſus completus quadragenariæ, eademque in ſubjecta hypotheſi foret attendenda, etiam ſine titulo colorato, urgeret ſemper tertia reſponſio elicita ex eo, quod Epiſcopi Tricaricenſes eatenus per aliquod tempus contenti fuerunt annua reſponſione ducatorum 83. in pecunia, & tumulorum 40. in frumento, quia hæc annua reſponſio erat proportionata, & revera reſpondebat quotæ Decimarum eiſdem Epiſcopis debitæ; Cum verò hodiernis temporibus Decimæ excreverint ultra triplum propter novalia ſuperventa; ut conſtat ex libris Cleri, & deponunt plures Teſtes Sacerdotes de gremio ejuſdem; In hiſce circumſtantiis iſtæ Decimæ novales indubitanter
11 pertinent ad originarium Decimatorem, nec cenſentur comprehenſæ ſub antecedenti locatione, conventione, vel quavis conceſſione, quantumvis univerſaliter concepta; juxta *Textus literales in cap. cum contingat de Dec.*, *& in cap. duæ* §. *De occaſione eod. tit.*; Proindeque utitur jure ſuo modernus Epiſcopus, ſi, conſulendo propriæ menſæ, recedit a conventione hactenus ſervata, petitque ſibi decerni integram quotam Decimarum adeo notabiliter ex novalibus adauctam, ut optime perpendit *ſecunda deciſio ſuperioris inſtantiæ* §. *Nec mirum*.

Et ita utraque &c.

EADEM SUPER COMPULSORIA, ET REMISSORIA.

Merc. 26. *Maii* 1737.

ARGUMENTUM.

Compulſoria generalis ſemper conceditur ad libitum Petentis; ſpecialis verò, niſi ubi adſit fumus exiſtentiæ, & relevantiæ documentorum. Remiſſoria ob improbabilitatem, vel irrelevantiam non profutura, denegatur.

SUMMARIUM.

1 *Compulſoria generalis ſemper conceditur ad libitum Petentis*; *ſpecialis verò non datur*, *niſi ubi adſit fumus exiſtentiæ*, *& relevantiæ documentorum*.

2 *Remiſſoria non profutura vel ob improbabilitatem*, *vel ob irrelevantiam non conceditur*. & n. ſeq., & 6.

4 *Re-*

4 *Remiſſoria tendens ab probandum contra publica Inſtrumenta eſt deneganda.*
5 *Probatio per Teſtes inutilis, & debilis eſt contra publica documenta.*
6 *Remiſſoria non datur, ubi Teſtes inducti contrarium prius affirmarunt.*
7 *Et ubi petitur in ultima inſtantia, & poſt latas binas ſententias contra Petentem.*

DECISIO LXXXVI.

Probe agnoſcens Capitulum, & Clerus Montis Albani patentem juſtitiam, cui fuit innixa duplex conformis ſententia lata favore menſæ Epiſcopalis Tricaricen. ſuper jure decimandi, altera nimirum A.C. Furietti, altera verò noſtri Sac. Auditorii coram R. P. D. meo Creſcentio; in novo cauſæ examine ad me devoluto, ſe convertit ad novas inſtantias, curando, ut una cum contemporaneo dubio ſuper confirmatione, vel infirmatione ſententiæ Rotalis, proponerem aliud ſuper compulſoria, & remiſſoria, ſed inutiliter, quia Domini per me interrogati ſub congruo dubio — *An ſit danda Compulſoria, & Remiſſoria*, reſponderunt *negative in omnibus*.

Si enim loquamur de compulſoria, cum non agatur de illa generali, quæ
1 poteſt ſemper, & quandocunqne ad libitum petentis expediri, ſed res ſit de altera ſpeciali; explorati juris eſt, quod nullatenus veniat concedenda; quoties, uti in caſu, nullus datur fumus exiſtentiæ, & relevantiæ documentorum, quæ ſunt compulſanda; ut in propoſito animadvertit, *Rot. dec.32. n.1. cor. bon. mem. Lancetta*.

Si verò ſermo ſit de remiſſoria, reſolutionis fundamentum ſtetit in eo, quod perlectis Articulis a Capitulo exhibitis
2 materia in his contenta viſa fuit, aut irrelevans, aut improbabilis, ita ut ex Regula inconcuſſa remiſſoria non profutura concedenda non ſit; *Rot. dec.51. n.1., & 8. cor. Otthobon., & dec.174. n.7. par.15., & dec.157. n.3. par.18. rec., & dec.432. n.3. cor. Lancetta*.

Siquidem plures ex dd. articulis exhibitis tendunt ad probandum, quod in Territorio Montis Albani Cives particulares, nec non Clerus, & Epiſcopus locant propria bona pro penſione, ſeu portione dominicali, quæ nuncupatur *Decima*. Quia verò ſtat bene ſimul, quod a Conductoribus ſolvatur portio dominicalis, eaque improprie dicatur *Decima*; quodque adhuc ſolvantur a Dominis particularibus Decimæ prædiales ſpirituales, inde ſit, quod pro-
3 batio reſurgens ex dictis articulis ſit prorſus irrelevans, ac per conſequens non veniat admittenda; ut præter auctoritates ſuperius relatas late firmat, *Rot. in Hiſpalen. Decimarum de Virera ſuper Remiſſoria, & Compulſoria 7. Decembris 1733. §. Loquendo cor. Illmo Corio Almæ Urbis Gubernatore*.

Alii verò ex dd. articulis reſpiciunt probationem conſuetudinis immemorabilis ſolvendi Epiſcopo loco Decimarum certam annuam invariabilem ſummam; Cum autem conſtet ex publicis documentis relatis in contemporanea deciſione de exactione Decimarum prædialium in portione, & rata ſibi de jure debita facta per Epiſcopos, ſequitur proinde, quod remiſſoria in hac parte tendat ad probandum contrarium tot
4 publicis Inſtrumentis; ideoque prorſus veniat rejicienda; ex firmatis *per Rot. dec.36. n.5. cor. Otthobon., & dec.453. n.6. cor. Duran., & dec.264. n.3., & 4. par.19., & in Compoſtellana Beneficii de Sengude ſuper Remiſſoria 30. Junii 1727. §. Si enim cor. Emo Aldrovan-*
5 *do*; Semper enim probatio per Teſtes remanet inanis, & infirma in conſpectu dd. documentorum, & nullatenus apta cenſeri valet ad ſubvertenda fundamenta innixa eiſdem publicis documentis; *Rot. dec.42. n.2. cor. Herrera, & in Barchinonen. Fundationis ſuper Compulſoria 24. Junii 1735. §. Nec Dominos cor. R. P. D. Mitlino*.

Et quamquam inter alios articulos contineatur quintus præſeferens materiam relevantem, utpote directus ad probandum, quod Capitulum exceptis 6. Huppellis frumenti pro duobus bobus, & uno ſtuppello pro quolibet Patre Familias, nullam aliam exigat Decimam ſpiritualem ex agris privatorum; adhuc ejuſmodi articulus pugnat cum evidentia facti, quia ſi hoc ſubſiſteret

ſieret, utique Capitulum pro ſolis Decimis perſonalibus, quæ modiciſſimæ ſuit, nequaquam hactenus ſolviſſet tumulos 40. frumenti, & ducatos 83., ut comprobant documenta per ipſum Capitulum exhibita latius expenſa in contemporanea deciſione; Proptereaque materia contenta in præfato quinto ar-
6 ticulo viſa fuit inveroſimilis, & improbabilis, qua ſtante inveroſimilitudine, & improbabilitate materiæ articulatæ remiſſoriam denegandam eſſe docent ubique DD., de quibus *Rota in Romana Affictus ſuper Remiſſoria 25. Junii 1717. §. Nec obſtat cor. bon. mem. Gamaches*.

Tantoque facilius DD. convenerunt in rejicienda petita remiſſoria, quia
7 Teſtes inducti pro adſtruenda probatione materiæ articulatæ, contrarium affirmarunt in aliis præcedentibus depoſitionibus, quas, dum hodie tentant declarare, ſe ponunt inter duo juramenta contraria: ac ulterius quia Capitulum ſe convertit ad petendam remiſſoriam in hac ultima inſtantia, & poſtulatas duas ſententias conformes favore menſæ Epiſcopalis, in quibus terminis inſurgit vehemens ſuſpicio calumniæ, propter quam remiſſoria concedi non debet, ne, ſub ſpe inanis auxilii, ſternatur ſemita odioſæ judiciorum protelationi; ut ad rem ponderat *Rot. cor. Molin. dec. 23. n. 8., & in Casaguritana quartæ Funeralis ſuper Remiſſoria 2. Julii 1728. §. Concurrente cor. Rmo Cordubcn*.

COLONIEN. MANUTENTIONIS SUPER EXPENSIS.

Merc. 26. Junii 1737.

Argumento non indiget ob brevitatem.

SUMMARIUM.

1 *Expenſæ judiciales, & honorarium defenſoris refici debent abſque diminutione.*

2 *Præſertim ubi debitum ex iis oriens in totum recognitum, & acceptatum fuit, quo caſu nequit amplius impugnari.*

DECISIO LXXXVII.

Ob non proſequutam intra biennium cauſam appellationis interpoſitæ per Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ S. Martini Kerpenæ adverſus mandatum de manutenendo relaxatum a Rmo P. D. Calcagnino Decano favore Henrici Nicolai de Caſpars præ via deciſione ſub die 23. Junii 1729. edita, & a Signatura Juſtitiæ approbatum cum clauſula *ſine præjudicio, & amplius*, orta fuit res judicata, in cujus ſequelam ab eodem Rmo Decano deventum fuit ad taxationem expenſarum in ſumma ſc. 19. 67., adverſus quam directa mihi commiſſione appellationis, propoſui DD. meis dubium — *An conſtet de exceſſiva taxatione expenſarum*, quod *negative* fuit reſolutum.

Eo ipſo etenim, quod apparuit taxationem prædictam reſpicere dumtaxat
1 expenſas judiciales ex actis ipſis juſtificatas, & honorarium defenſoris cauſæ, conſequens erat de exceſſu nullo pacto redargui poſſe, dum expenſę hujuſmodi generis dubium non eſt, quin refici debeant abſque ulla diminutione; ut de judicialibus per *text. in l. properandum §. Sin autem C. de judic. dixit Rot. in rec. dec. 384. n. 3. par. 14., dec. 214. n. 8. par. 15., & dec. 870. n. 2. par. 16., dec. 497. n. 2. cor. Rmo Criſpo*, & de aliis in cauſæ patrocinium ceſſis, quæ extrajudiciales nuncupantur, & modicam ſummam ſcutorum decem non tranſcendunt, *Card. de Luc. de judic. diſc. 30. n. 17., Rot. dec. 131. n. 3., & dec. 151. n. 2. cor. bon. mem. Herrera*.

Cæterum quamlibet difficultatem ceſſare compertum eſt ſuper prætenſo hoc exceſſu; iidem namque Capitulares optime agnoſcentes, rite, recteque taxatas fuiſſe expenſas in prædicta ſumma, emiſerunt expreſſam proteſtationem, qua mediante promptos ſeſe alias exhibuerunt ad integre illas præſtandas, poſtquam a Sac. Auditorio reſolutum fuiſſet dubium circa alias expenſas, de quo in contemporanea deciſione. Stante
2 autem hoc ſolemni facto, datum eis amplius non eſt quolibet prætextu impugnare debitum ab ipſis recognitum, & acceptatum; Minúſque illud elude-

re

re ſub clypeo hujus, vel alterius proteſtationis abſque vera, & effectiva ſolutione, & legitima litis renuntiatione. Et ita unica &c.

COLONIEN. DECLARATORIÆ SUPER EXPENSIS.

Merc.26. Junii 1737.

ARGUMENTUM.

Juſta cauſa litigandi non excuſat de ſtylo, Curiæ a refectione expenſarum; quæ ſi judiciales, & vivæ ſunt, integre reficiuntur, ſi verò extrajudiciales, juxta ſtylum.

SUMMARIUM.

1 *Expenſæ litis de ſtylo Curiæ reficiuntur etiam ab habente juſtam cauſam litigandi.*

2 *Expenſæ judiciales, & vivæ integre refundendæ ſunt, extrajudiciales verò juxta ſtylum Curiæ, contra quem nequit allegari exceſſus:*

3 *Erogatæ pariter in honorariis Notariorum integre refici debent:*

4 *Quæ inſuper non eſt neceſſe ut probentur ex apochis de recepto, & documentis authenticis; ſed ſufficit ut ſint veriſimiles, & probabiles; præſertim ubi lis diu perduravit uſque ad relaxationem cenſurarum.*

5 *Expenſæ ſuperfluæ repeti nequeunt;*

6 *Præcipue ſi duplicatæ fuerint.*

DECISIO LXXXVIII.

Relaxandam eſſe declaratoriam Interdicti contra Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ S.Martini Kerpenæ, necnon excommunicationis adverſus ſingulos Canonicos, definitive pronuntiaverat Rmus P.D. Calcagninus prævia *deciſione edita die* 1.*Decembris* 1730. ob præpeditam ſpatio longi temporis executionem mandati de manutenendo in poſſeſſione Decanatus alias ab eodem relaxati favore Henrici Nicolai de Caſpars.

Cum autem ad reclamationem ſuccumbentium cauſa appellationis commiſſa extiterit R. P. D. meo Nunez cum clauſula *Parito cenſuris arbitrio Rotæ*, diſputatum coram ipſo fuit dubium: *An intret arbitrium pro retardatione executionis declaratoriæ, & cenſurarum*, cui *negative* reſpondendum cenſuit S. Auditorium ex fundamentis adductis in *deciſione diei* 5.*Februar.*1734., in cujus ſequelam nova promulgata fuit ſententia Rotalis ſuper executione declaratoriæ, quæ tranſitum fecit in rem judicatam, & illius vigore expeditæ ſucceſſive fuerunt literæ executoriales.

Perterriti tandem Capitulares, devenerunt ad tranſactionem, qua mediante nedum dimiſerunt favore d. de Caſpars fructus Decanatus interim decurſos, ſed ulterius ſeſe obligarunt ad refectionem omnium expenſarum ab ipſo factarum tam hic in Urbe, quam in Partibus ad normam taxæ Rotalis deſuper efformandæ; Aditoque propterea pro hujuſmodi effectu præfato R. P. D. Nunez, taxatæ fuerunt illæ de Partibus in ſcut.744.; aliæ verò factæ in Curia Romana in ducatis 81. juliorum duodecim.

Aſt expedito mandato executivo adverſus ſuperventam rem judicatam, querelam exceſſivitatis prædictæ taxationis porrexerunt Canonici in Signatura Juſtitiæ, a qua directa mihi commiſſione, propoſui dubium illi conforme; *An conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum ab exceſſiva taxatione expenſarum*, cui placuit DD. reſpondere *conſtare de re judicata juxta modum*, nempe quoad integras expenſas in Urbe factas, ac illas de Partibus conſiſtentes in mercede Notariorum pro ſcripturis, inſtrumentis, aliiſque actis per eos expeditis; quo verò ad reliquas pro Honorario Advocati *conſtare de cauſis*.

Ratio primæ partis reſolutionis reſpicientis expenſas expletas in Urbe, quarum refectionem fruſtra impugna-
1 bat Capitulum prætextu juſtæ cauſæ litigandi, quæ ad hujuſmodi effectum de ſtylo Curiæ nullatenus ſuffragatur, *Rot. dec.*12. *n.*4. *cor. Arguell.*, *dec.*73.*n.*4. *cor.Bich.*, *dec.*122.*n.*6., *& dec.*170. *n.*1. *cor.Cerr.*, *& in rec.dec.*270.*n.*6.*par.*16., deſumpta eſt ex earum qualitate; Cum
2 enim vel eſſent judiciales, & vivæ, ac per conſequens integraliter refundendæ, vel extrajudiciales, & taxatæ juxta ſtylum Curiæ; quemadmodum proinde nullus allegabilis erat exceſſus, ut paſ-

paſſim firmari conſuevit per Rotam, ſicuti teſtatur idem Sac. Auditorium, in *Hortana legitimæ ſuper expenſis 2. Julii 1634. §.Cum enim cor.Illmo D.Almæ Urbis Gubernat.*, ita juſtiſſima viſa fuit taxatio de eis facta per R.P.D. Nunez.

Idemque dicendum putarunt DD. de expenſis in Partibus erogatis in ſolutio-
3 nem honorarii Notariorum, quorum opera neceſſaria fuit pro rogitibus, cæteriſque expeditionibus, & actis geſtis ad effectum exequendi reſolutiones Rotales; quippe cum hujuſmodi expenſæ juſtificentur in parte ex receptis, & in univerſum ex documentis in publica forma ad Urbem tranſmiſſis ad effectum probandi impedimenta continuo præſtita a Capitulo executioni prædictæ; idcirco viſum eſt abſque ullo fundamento controverti debitum dd.expenſarum, cum de cætero videatur ſufficere etiam
4 earundem expenſarum veroſimilitudo, & probabilitas præſertim in cauſa exagitata cum tot illius propoſitionibus uſque ad relaxationem, & expeditionem cenſurarum; per ea, quæ in ſimilibus terminis cenſuit *Rot. in dec.283.per tot. par.1. rec.*

Reſpectu verò cæterarum expenſarum ortum habentium ex honorario præſtito Advocato in Partibus in annuis Imperialibus 60. probari ſane Dominis viſus fuit exceſſus, ex quo convincebatur læſio aditum præbens reſtitutioni in integrum; Etenim cum lis fuerit hic in Curia dumtaxat agitata, ſuperfluum
5 omnino erat annuum ſtipendium Advocato de Partibus aſſignatum; ac propterea quod in eam cauſam impenſum aſſeritur, nullatenus datum eſt victori repetere; ad tradita per *Card.de Luc.de judic.diſc.39. n.19., & 23., Rot.dec.125. n.13. coram Bich., & dec.137.n.12., & 19. cor. Caprar.* Spectato præſertim, quod eidem Advocato ultra præfatam ſummam perſoluta dicuntur per partitam ſeparatam alia annua Imperialia 25. pro conſiliis habitis, quæ quidem du-
6 plicatio eo magis demonſtrat exceſſivitatem prioris partitæ, quæ per conſequens nullo pacto refici debet, ut advertit *Conſtantin. ad Stat Urb. de expenſ. annot.59. art.3. n.23.*

Et ita utraque &c.

NEAPOLITANA FUNERUM.

Veneris 28. Junii 1737.

ARGUMENTUM.

In funeribus, & proceſſionibus Capitulo Cathedralis, vel alteri corpori habenti pro ſe immemorabilem competit prærogativa elevandi unice propriam Crucem in excluſionem Parochialium; His verò non intervenientibus hujuſmodi privilegium in funeribus competit Parochiæ tumulanti. Dicta autem prærogativa communicari nequit aliis a Capitulo per traditionem propriæ Crucis, quia eſt perſonalis Canonicorum capitulariter incedentium. Collegium Hebdomadariorum Eccleſiæ Cathedralis eſt dependens a Capitulo, & illius ſervitorium, & conſequenter inferius, & minus dignum Collegiata.

SUMMARIUM.

1 *Nemini contra alium allegare licet jus, quod tertius, cujus favore conceſſum fuerat, remiſit.*

2 *In funeribus unica tantum Crux elevanda eſt, illa nempe Parochialis tumulantis.*

3 *Conſtitutiones Synodales conſtituunt jus in tota Diœceſi omnino ſervandum.*

4 *Capitulo Cathedralis in funeribus competit prærogativa elevandi unice propriam Crucem in excluſionem Parochialium; idemque eſt de quolibet alio corpore pro ſe habente conſuetudinem.* & num.8., *ubi ampliatur quoad proceſſiones.*

5 *Tunc Beneficiati Cathedralis, vel Metropolitanæ dicuntur pars Capituli earundem Eccleſiarum, ubi ſimul cum eo incedant; ſecus verò ubi ſoli, & ſeparati, quia tunc conſtituunt corpus diſtinctum.*

6 *Capitulum conſtituitur dumtaxat a Canonicis.*

7 *Ex uſu diſtinctæ Crucis eruitur diſtinctio corporis.*

9 *Præcedentia, ac prærogativa non competit Cruci materiali, ſed Canonicis capitulariter incedentibus;*

10 *Et conſequenter nequeunt aliis communicari per traditionem ipſius Crucis materialis.*

11 *In*

11 *In materiis præheminentiarum reſolutiones S. C. Rituum obtinent vim legis, eaſque Rota exequi profitetur.*
12 *In una Eccleſia dari nequit duplex corpus diſtinctum.*
13 *Collegium Hebdomadariorum Eccleſiæ Cathedralis eſt dependens a Capitulo, & illius ſervitorium;*
14 *Et ſic præciſive ab unione, & conjunctione cum eodem Capitulo eſt inferius, & minus dignum Collegiata.*
15 *In materia elevationis Crucis conſuetudo debet eſſe immemorabilis;*
16 *Nec probari valet ab actibus geſtis ante immutatum rerum ſtatum.*
17 *Conſuetudo non probatur niſi per actus affirmativos exercitos contra habentem pro ſe aſſiſtentiam juris.*
18 *Confeſſio partis plenam probationem conſtituit.*
19 *Præceptum veluti in ventre habens clauſulam* — Si quis autem — *reſolvitur in ſimplicem citationem.*
20 *Quando certum eſt aliquid geſtum, vel non geſtum fuiſſe, Teſtes dubii convenienter explicandi ſunt.*
21 *Ubi Breve nihil aliud agit, quam prævia reſtitutione in integrum cauſam alteri definiendam committere, opus non eſt aperitione oris.*

DECISIO LXXXIX.

SEntentias Rotales ab Emo Aldrovando, & Rmo P. D. meo Decano latas favore Collegii Hebdomadariorum, aliorumque Beneficiatorum Eccleſiæ Metropolitanæ Neapolis contra Capitulum, & Canonicos Collegiatæ, & Parochialis Eccleſiæ S. Joannis Majoris ejuſdem Civitatis hodie DD., qui non fuerunt concordes in præcedenti propoſitione diei 25. Junii ſuperioris anni 1736., reſponderunt, eſſe confirmandas in ea parte, in qua definitum fuit, d. Collegio, ſive Hebdomadariis *licere in executionem Brevis ſan. mem. Benedicti XIII. deferre Inſignia nempe Cappas cum Rocchetto etiam in exequiis Extraneorum, & etiamſi in illis non interveniat Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ*, & reſpective eſſe infirmandas in illa altera parte permittente iiſdem Hebdomadariis *Elevationem propriæ Crucis* in aſſociationibus cadaverum etiam extraneorum tumulandorum tam in dicta Eccleſia Collegiata S. Joannis Majoris, quam in aliis Eccleſiis Parochialibus dictæ Civitatis cum prohibitione Elevationis Crucis harum Eccleſiarum Parochialium.

Atque ad ita decidendum pro eo, quod reſpicit primam partem, moti fuerunt DD., ex quo dum præfatus ſan. mem. Benedictus XIII. derogando præcedenti Indulto, ſive alteri Brevi ſan. mem. Pauli V. ſuper conceſſione dd. Inſignium quoad eorum uſum reſtrictivo ad funera dumtaxat Hebdomadariorum, vel ubi incederet Capitulum Metropolitanæ, indulſit eiſdem Hebdomadariis facultatem præfatis Inſigniis utendi etiam in funeribus Extraneorum, licet in illis non interveniat ſupra memoratum Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ, huicque ampliationi
1 adhæret Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ, cujus favore prodiit enuntiata reſtrictio, non poſſunt ullo modo Capitulum, & Canonici S. Joannis Majoris impedire hujus Brevis Benedicti XIII. executionem ex rationibus cumulatis, tam *in Deciſione Emi Aldrovandi 25. Junii 1731. §. Pro eo igitur*, quam *in altera Rmi Decani 27. Junii 1735. §. Et in hac quidem*; Quemadmodum eandem executionem non impugnare in eorum informationibus declararunt prædictum Capitulum, & Canonici S. Joannis Majoris.

Quo verò ad ſecundam partem, ſive Elevationem propriæ Crucis in excluſionem illius d. Eccleſiæ Collegiatæ, ac aliarum Parochialium, motivum ſtetit in injuſtitia præcedentium Sententiarum, deſumpta tum ex Juris diſpoſitione, qua cavetur, ut in funeribus
2 ducendis unica tantum Crux elevari, ac deferri debeat, & iſta ſit illius Eccleſiæ Parochialis, in qua cadaver eſt tumulandum; de qua *Pignatell. conſult. 38. n. 13. tom. 6., & conſult. 73. n. 5., & 35. tom. 3., Barboſ. de Paroch. par. 3. cap. 26. n. 78., Amoſtaz de Cauſ. piis lib. 6. cap. 2. n. 23., Monacell. Formul. legal. pract. par. 1. tit. 5. formul. 7. n. 28.*, & cohærenter ad illam firmavit, *Rot. in Trojana Delationis Crucis 10. Decembris 1708. §. Neque bonum Jus*

cor.

cor. Eмо Aldrovando confirmata 13.
Decembris 1709. *cor. clar. mem. Car-
dinali Priolo*, *& in Baren. Juris tu-
mulandi* 22 *Januarii* 1733.§.*Pro eo cor.
eodem Eмо Aldrovando*, & etiam *Sacra
Congregatio Concilii in Volaterana Ju-
rium Parochialium* 16. *Martii* 1726.
ad 4. *Dubium*, ac alia *Sacra Congrega-
tio Epiſcoporum in Civitatis Caſtelli Ju-
ris funerandi* 16. *Aprilis* 1723. *ad quin-
tum dubium*, *& in Montis Peluſii fune-
rum* 23. *Septembris* 1735. *ad tertium
Dubium*, prout etiam *Sac. Congreg.Ri-
tuum in Nuſcana Cenſurarum*, *& Præ-
ceſſionum* 10. *Martii* 1736. *ad octavum
Dubium*.

Tum inſuper ex diſpoſitione omnium
fere Conſtitutionum Synodalium Ec-
cleſiæ Metropolitanæ Neapolis, in qui-
bus illud idem ſancitur, ut in ſpecie
habetur in Synodo clar.mem. Cardina-
lis Filomarini celebrata anno 1642.
decret.5., & in alia clar. mem. Cardi-
nalis Caraccioli *anno* 1669. *Decret*.4.
de exequiis, ac in altera *anni* 1672.
*ejuſdem Cardinalis Decret. primo pa-
riter de Exequiis*, & rurſus in Synodo
clar. mem. Cardinalis Cantelmi *an-
ni* 1694. *tit. de Funer. exeq.*, *& Sepult.
cap*.8. *num*.16., ac denique in noviſſi-
ma Synodo clar. mem. Cardinalis Pi-
gnatelli *anni* 1726. *tit*.9. *de Funer.*
3 *par*.3. *n*.11.; quæ quidem Conſtitutio-
nes Synodales faciunt Jus, & omnino
ſervandæ ſunt in tota Diœceſi; *Gonzal.ad
regul*.8. *Cancell. gloſſ*.9. *n*.1., *&* 2., *Rot.
cor. Mantica dec*.229. *n*.4., *& in rec.
dec*.484.*n*.6.*par*.19., *& in Tarraconen.
Inſignium* 11. *Decembris* 1702. §. *Fun-
damentum cor. bon. mem. Muto*, *& in
Pampilonen.Decimarum* 11.*Maii* 1703.
§. *Quinimmo cor. Eodem*.

Neque ab hac regula exiſtimarunt
DD. recedi poſſe ex illis limitationibus
ei datis, quod videlicet illa non pro-
4 cedat, vel quando ad funera interve-
niunt Capitula vel Eccleſiæ Cathedra-
lis, vel Collegiatæ, aut adeſt in contra-
rium conſuetudo legitime præſcripta,
in quo caſu etiam juxta dictam diſpo-
ſitionem Juris, & dictarum Conſtitu-
tionum Synodalium unice elevanda, ac
deferenda eſt Crux Eccleſiæ Cathedra-
lis, vel Collegiatæ, aut illius alterius
Eccleſiæ, ſive Corporis, quod habet
pro ſe conſuetudinem elevandi pro-
priam Crucem, & quod ſub ea ince-
dant omnes funera aſſociantes, ſuper
quibus limitationibus fundantur *Deci-
ſiones* in hac cauſa editæ *cor. Eмо Al-
drovando*, *& Rмо Decano*.

Quandoquidem hìc non eſt quæſtio
cum Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ,
nec quando iſtud intervenit ad funera
etiam cum Hebdomadariis, veluti con-
ſtituentibus unicum corpus cum eodem
Capitulo; Sed cum eiſdemmet Hebdo-
madariis, eorumque Collegio, & quan-
do iſtud ſolum, ac ſeparatum a Cano-
nicis Metropolitanæ Eccleſiæ accedit
ad funera: Nec facit, quod Hebdoma-
darii ſint pars integralis ipſius Capituli
Metropolitani, atque unicum corpus
cum eo conſtituant, & propterea ea-
dem præeminentia, quæ ſupra Paro-
chos in elevatione, ac delatione Cru-
cis competit Capitulo, & Canonicis Ec-
cleſiæ Metropolitanæ, competere etiam
debeat ipſis Hebdomadariis abſque eo-
dem Capitulo funeribus intereſſentibus;
5 Quia tunc Hebdomadarii Beneficiati,
aliique Clerici Eccleſiæ Cathedralis ſeu
Metropolitanæ conſiderantur tanquam
pars corporis Capituli illius, quotieſ-
cunque ipſi in funeribus, proceſſioni-
bus, ac ſimilibus functionibus incedunt
una ſimul cum d. Capitulo Cathedralis,
ſeu Metropolitanæ Eccleſiæ; At diver-
ſimode res ſe habet ubi, ut in hoc caſu,
Hebdomadarii prætendunt ad funera
accedere de per ſe ſoli, & disjunctim a
præfato Capitulo, & ſic uti facientes de
per ſe corpus diſtinctum, & ſeparatum
ab illo: in hoc enim caſu abſolutiſſi-
mum eſt, quod illi non poſſunt dici
de Capitulo Cathedralis, ſeu Metro-
politanæ, nec iſtud repræſentare; cum
6 Capitulum conſtituatur dumtaxat a
ſolis Canonicis juxta celebrem, *Gloſſ.
in cap. cum. ad hoc verb. aſſiſtoi de Cle-
ric. non reſid.*, & tradunt *Barboſ. de
Canonic. cap*.4. *n*.33. *& ſeq.*, *Pignatell.
conſult. Canonic*.3. *n*.7. *tom*.7., *Card. de
Luc. de Canon. diſc*.18. *n*.12., ac ſem-
per tenuit hoc noſtrum *Sacr. Audito-
rium*, *ut cor. Bich. dec*.167. *n*.3., *cor.
bon. mem. Molines dec*.732. *n*.11., *&
cor. clar. mem. Card. Falconer. dec*.22.
n.13.

*n.*13. *de offic. ordin.*; *& in rec. dec.*136. *n.*1.*part.*6., *& dec.*3.*n.*144., *&* 251. *fere per tot. part.*14., *& dec.*363.*n.*2. *part.*18., *& dec.*151. *n.*1.*part.*19., *& in Gerunden. Servitutum ſuper bono Jure* 23. *Februarii* 1731. §. *Siquidem cor. Emo. Cincio*.

Quo poſito conſequitur, quod ſi Hebdomadarii, quando ſeparate a Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, ſeu Metropolitanæ incedunt, corpus diſtinctum faciunt ab illo, quod etiam confirmatur
7 ex uſu propriæ, ac diſtinctæ Crucis ab illa Capituli, atque ex confeſſione per illos emiſſa in precibus porrectis anno 1533. Sac. Congregationi Rituum, & dixit *Rot. in rec. dec.*99. *par.*10., nullo modo in hoc caſu eiſdem Hebdomadariis competere valeat ſuprad. præeminentia, ſive prærogativa elevandi, ac deferendi propriam Crucem excluſive ad Parochos, ſive alias Eccleſias
8 Parochiales, unice de jure, & vigore dictarum Conſtitutionum Synodalium reſervata ſoli Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ, ratione illius ſuperioritatis, ſeu habitualis Juriſdictionis Epiſcopalis, qua idem Capitulum potitur ſupra omnes alias Eccleſias Civitatis, & Diœceſis, ut in terminis Proceſſionum firmatum fuit in *dec.*962., *& dec.*1014. *cor. Emerix. Jun.*, *& dec.*104.*cor. Caprara*, *utrobique per tot.*, & in terminis funerum, ac in ſimili caſu alterius Collegii Beneficiatorum exiſtentis in Eccleſia Cathedrali Parmæ probat *Cardinalis de Luca de præemin. diſ.*21.*per totum*, ubi dicit ſic reſolviſſe Sacram Congregationem Rituum, & æquiparat expreſſe idem Collegium Beneficiatorum cum hoc Collegio Hebdomadariorum.

Haud attento, quod Canonici Eccleſiæ Metropolitanæ conſentiant, ùt Hebdomadarii etiam ſine illis accedere poſſint ad funera, ac elevare Crucem ipſius Eccleſiæ Metropolitanæ; Tum quia Crux, quam elevare contendunt Hebdomadarii eſt diverſa ab illa Capituli, ut dictum eſt; tum etiam quia ubi eſſet eadem, adhuc præcedentia, ac præro-
9 gativa non competit ipſi Cruci materiali, ſed perſonis Canonicorum capitulariter incedentium, & repræſentantium ipſum corpus Eccleſiæ Cathedralis, & Metropolitanæ; Atque ideo cum
10 ſit privilegium perſonale, nequit ab eis diffundi, & communicari per traditionem materialis Crucis Hebdomadariis, & commutari Collegium Hebdomadariorum in Capitulum Canonicorum Metropolitanæ, cui dumtaxat ratione ſuperioritatis ſupra Parochos controverſa prerogativa, & preeminentia debetur, ut reſolvit *Sacra Congregatio Rituum in dicta Parmen. Funerum, de qua apud Cardinal. de Luc. de præeminen. dict. diſc.*21., & noviſſimè Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium *in Peluſii Funerum* 23. *Septembris* 1735. *Ponente Emo Cardinali Gotto*, ubi diſputato tertio dubio: *An funebris Proceſſio Capitulo Cathedralis Eccleſiæ non invitato, nec interveniente ducenda ſit ſub Cruce dictæ Eccleſiæ Cathedralis, tamquam unice Parochialis, ſeu potius ſub ſola Cruce Eccleſiæ tumulantis*: Fuit reſponſum: *Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam*: Quę reſolutiones in hiſce materiis obtinent vim legis, eaſque ſem-
11 per amplecti, ac reverenter exequi profeſſum eſt hoc Sacrum Auditorium; ut teſtatur *Rot. cor. Celſo dec.*60.*n.*4., *& cor. cla. mem. Cardinali Falcon. in Miſcell. dec.*74. *n.*4., *& in Hiſpalen. Juris præſiden. in Capitulo* 2. *Junii* 1700. §. *Atque id cor. bon. mem. dell'Olmo*.

Minoris relevantiæ eſt, quod præciſive etiam a dicto Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ Neapolis recenſita prærogativa competat Hebdomadariis ratione ſuorum ipſorum, ex quo conſtituant Collegium, & quidem dignius, & nobilius illo Collegiatæ Eccleſiæ S. Joannis Majoris, tum ob locum, in quo exiſtunt, quæ eſt Cathedralis, tum ob Inſignia Cappæ magnæ, ac Rocchetti; Quia cum hoc eorum Collegium ſit tantum de per ſe ſtans in eo, quod reſpicit eorum coadunantias, atque tractatus eorum negociorum, & in
12 reliquis dependens a Capitulo Cathedralis, ne in una, eademque Eccleſia detur biceps corpus diſtinctum, quod eſſet ſumma monſtruoſitas; juxta *Calderin. conſil.*5. *de iis, quæ fiunt a Prælat.* ſequtuum *a Pignat. conſult.*50. *n.*6., *&* 7.

Digitized by Google

n.6., tom.3., Rot.in rec. dec.214.n.9., & 10. par.4., & in Gerunden.Servitutum ſuper bono jure 23. Februar. 1713.

13 *Si quidem cor. Emo Cincio*, & ſit ſervitorium ejuſdem Capituli, ut loquendo de dd. Hebdomadariis ait *Cardinalis de Luca de præemin. dicto diſc.21. n.8.*, ſemper idem Collegium præciſive ſumptum ab unione, & conjunctione cum d. Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ, remanet inferius, & minus dignum d. Collegiata S. Joannis Majoris, quæ conſtituta eſt, & efformatur a veris dignitatibus, & Canonicis longe dignioribus ſimplicibus Hebdomadariis, ut explicant *Joannes Monac. in cap.1. n.8. de Filiis Presbyt., Caſſaneus in Catalog. Glor. Mundi par.4. conſider.38. per tot., Menoch.conſil.902. n.71., Lotter. de re benef. lib.1. quæſt.16. n.124., & ſeq., Panimoll. dec.1. annot.8. n.8., & ſeq.*

Tranſeundo nnnc ad aliud punctum prætenſæ per Hebdomadarios conſue-
15 tudinis, quæ cæteroquin in hac materia debet eſſe immemorabilis; ad firmata per *Rotam cor. Emer. Jun. dec.498., & cor. bon. mem. Molin. dec.893., & cor. clar. mem. Card. Caprara dec.739. per tot., & in Barchinonen. jurium Parochialium ſuper aſſociatione, & elevatione cadaverum 9. Decembris 1735. §. Conſtitit. cor. R.P.D. meo Rezzonico*, animadverterunt DD., quod illa præcise probanda venit poſt annum 1597., quo clar.mem.Cardinalis Geſualdus de tempore Archiepiſcopus Neapolitanus erexit in Parochialem ipſam Eccleſiam Metropolitanam ei præfigendo certos, proprioſque limites, & deputando proprium Parochum per concurſum providendnm, ut edocebatur a Collegiata S. Joannis Majoris; cum quidquid ante d. tempus practicatum fuit ab Hebdomadariis, & enuntiatum extitit in viſitatione anni 1583. evenerit ex eo, quia tunc cura univerſalis totius Civitatis Neapolis erat penes Capitulum, & Eccleſiam Cathedralem, & promiſcue
16 exercebatur cum aliis Parochis, & propterea nullius eſt efficaciæ, poſtquam immutatus fuit rerum ſtatus, & illa prærogativa univerſalis curæ in tota Civitate reſidens penes Cathedralem fuit reſtricta intra certos, ac determinatos limites, ut generalibus omiſſis in his terminis firmavit *Rot. in Barchinonen. Jurium Parochialium 6. Junii 1732. §. Pro eo autem, & ſeq. cor. Emo Aldrovando confirmata die 2. Decembris 1735. §. Parique, & ſeq. cor. R. P. D. meo Rezzonico*.

Id quod optime agnitum fuit in ſucceſſivis Synodis annorum 1642. 1669. 1672. 1694., & 1726., ſupra etiam enuntiatis, in quarum decretis de funeribus loquentibus uniformiter ſancitum fuit, funera quæcunque deferenda eſſe a proprio Parocho, & cum propria Cruce Parochiali, unico tantum caſu excepto, quando nempe interveniret ipſum Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ, nil penitus dicto, nec diſpoſito quoad caſum ſolius interventus Collegii Hebdomadariorum.

Quapropter aſſumendo dictam inſpectiouem, illico cognoverunt iidem DD. nullo modo poſt dictum tempus Hebdomadarios concludere eorum aſſumptum conſuetudinis immemorabilis in elevanda in funeribus etiam extraneorum propria Cruce in excluſionem illius Eccleſiarum Parochialium in eo præciſo caſu, de quo hic diſceptatur, ſolius ipſorum intereſſentiæ abſque ullo interventu Capituli Eccleſiæ Cathedralis, ſeu Metropolitanæ; immo apparuit per Collegiatam S. Joannis Majoris doctum fuiſſe de contrario, ſtante, quod cum Hebdomadarii anno 1609. obtinuiſſent a ſan.mem. Paulo V. Indultum deferendi Inſignia Rocchetti, & Cappæ magnæ cum illa expreſſa reſtrictione illis non utendi in aſſociatione mortuorum, præterquam in funeribus eorundem Hebdomadariorum in futurum decedentium, vel ubi contingeret eos incedere capitulariter una cum Canonicis Eccleſiæ Metropolitanæ, nunquam ex poſt præfati Hebdomadarii ſoli, & ſine d. Capitulo acceſſerunt ad funera controverſa Extraneorum; unde eſt im-
17 probabilis d. conſuetudo, cum iſta non probetur niſi per actus affirmativos exercitos contra habentem pro ſe diſpoſitionem, & aſſiſtentiam Juris, non conſiderata, nec attenta cauſa, vel ratione, quare ad hos actus deventum non fuerit

rit

rit; juxta notum principium, de quo in ſpecie *Amoſtaz de Cauſis piis lib.6.cap.6. n.21., & ſeq., Rot. cor. Emerix. Jun. dec.490.n.4., & cor. bon. mem. Molin. dec.893.n.2., & cor. clar. mem. Card. Caprar. dec.139. n.1., & ſeq., & cor. bon. mem. Lancetta dec.705. n.5., & dec.1217. n.10. 16., & 25.*, & plene *in dicta Barchinonen. Jurium Parochialium ſuper aſſociatione, & elevatione cadaverum 9. Decembris 1735. §. Conſtitutionem, cum ſeqq. cor. R. P. D. meo Rezzonico*.

Non interventus verò Hebdomadariorum in funeribus Extraneorum de per ſe ſolos, & ſine Capitulo Metropolitano conſtitit, tum ex binis relationibus clar. mem. Cardinalis Pignatelli acceptatis ab eiſdem Hebdomadariis, & quibus innituntur præteritæ deciſiones; Tum inſuper ex ſententia ejuſdem Cardinalis Archiepiſcopi lata pro executione memorati Brevis ſan. mem. Benedicti XIII., pariter acceptata ab eiſdem Hebdomadariis, in qua ſpecialiter hæc habentur — *hujuſmodi exequias Extraneorum a d. anno 1709. ſoli facere abſtinuerunt* —; addendo in poſterum eos dumtaxat interveniſſe ad exequias ſuorum Confratrum Hebdomadariorum; Tum denique ex ſupplici libello ab ipſis, ut dictum eſt, porrecto Sacræ Congregationi Rituum anno 1633., ubi fatendo ſeſe uſque tunc acceſſiſſe, & accedere ſine Capitulo ad exequias tantum dictorum ſuorum Confratrum Hebdomadariorum, ſupplicarunt ſibi impartiri licentiam interveniendi ſine Capitulo etiam ad funera Extraneorum, ut eadem Sac. Congregatio reſcripſit — *ſervetur ſolitum* —; quæ ſane confeſſio plenam, & ſuperlativam conſtituit pro-
18 bationem dicti aſſumpti; *Rot. coram Bich. dec.378. n.5., & dec.396. n.10., & 11., & coram bon. mem. Anſald. dec.19. n.1.*

Quidquam non relevante, quod a d. anno 1597., quo fuere conſtituti fines Parochiæ Eccleſiæ Cathedralis, uſque ad annum 1609., quo prodiit Indultum Pauli V. ſuper delatione Inſignium Cappæ magnæ, & Rocchetti, Hebdomadarii ſoli intervenerint cum elevatione propriæ Crucis ad funera Extraneorum; quia ultra quod ſuper hoc nulla ab eiſdem data fuit certa probatio, dictum tempus, uti non includens niſi annos 12., non eſt aptum ad inducendam conſuetudinem immemorabilem hic requiſitam juxta *Authoritates* ſuperius allegatas §. *Tranſeundo*, ſicut nec minus, quod anno 1624. Hebdomadarii obtinuerint a Curia Archiepi-
19 ſcopali præceptum prohibitivum Parochis elevandi propriam Crucem in funeribus, quando acceſſerit Crux Hebdomadariorum, quia illud veluti habens in ventre ſolitam clauſulam *Si quis autem &c.*, reſolvitur in ſimplicem citationem; Et cum non doceatur per eoſdem Hebdomadarios ex poſt ſuper hoc prodiiſſe aliquod decretum Judicis, vel ſaltem idem præceptum fuiſſe ſervatum, quinimmo ex ſupra deductis apparet totum oppoſitum, nil confert ejuſdem præcepti ſimplex expeditio, ſeu relaxatio pro dictæ conſuetudinis probatione; *Baldus in rubric. de Majorit., & Obedien. n.6., Amoſtaz. de Cauſis piis lib.6. cap.2. n.27., Piton. diſcept. Eccleſ. 113. n.9., Rot. cor. Merlin. dec.461. n.6., & ſeq.*

Teſtes autem adducti ab Hebdomadariis ad eandem conſuetudinem probandam nullam promeruerunt animad-
20 verſionem, eo ipſo, quod poſt annum 1609., ut ſupra oſtenſum fuit, nunquam Hebdomadarii de per ſe ſoli, & ſejunctim a Capitulo Metropolitano acceſſerunt ad funera Extraneorum; ideoque quidquid illi deponunt in ordine ad talem acceſſum ſub involucro verborum, eſt intelligendum vel de funeribus Extraneorum, in quibus intervenerunt Hebdomadarii una cum Capitulo, ut in ſpecie loquuntur illi ſeptem Parochi dati in *Summ. Hebdomadariorum*, vel de funeribus ipſorummet Confratrum Hebdomadariorum.

Hinc ſuperfluum DD. exiſtimarunt examinare punctum aperitionis oris adverſus ſæpedictum Breve ſan. mem. Benedicti XIII. cum iſtius diſpoſitio, ut notatum fuit ſub initio §. *Atque ad ita*, una cum clauſula *ſublata, & decreto irritanti* cadat dumtaxat ſuper facultate conceſſa Hebdomadariis geſtandi Inſignia Cappæ magnæ, & Rocchetti etiam

Digitized by Google

etiam in exequiis Extraneorum, & ſine interventu Capituli Cathedralis, quod præcedenter, & in Indulto Pauli V. eiſdem prohibitum fuerat. In reliqua verò parte ejuſdem Brevis Bened.XIII. ſpectante ad præſentem inſpectionem elevationis, ac delationis Crucis, cum contra Hebdomadarios præcedenter emanaſſet ſententia coram A. C. in Ju-
21 dicatum tranſacta, idem Pontifex nil aliud fecit, quam eandem inſpectionem prævia reſtitutione in integrum adverſus d. ſententiam definiendam committere clar.mem. Cardin. Pignatello tunc Archiepiſcopo Neapolitano, qui promulgavit ſententiam revocantem illam A. C., ideoque cum præſenti controverſiæ non obſtet recenſitum Breve, non eſt opus ulla oris aperitione; Sed cum cauſa huic Sacro Auditorio ſuper elevatione Crucis adverſus d. ſententiam Emi Archiepiſcopi fuerit etiam commiſſa in gradu reſtitutionis in integrum, ultra oris aperitionem adverſus ſuprad. delationem Inſignium, ut depromitur ex originariis dubiis concordatis in præcedentibus inſtantiis, tam coram Emo Aldrovando, quam coram Rmo Decano, eorumque ſententiis, dubio procul quoad eandem inſpectionem, ejuſque definitionem Sac. Auditorium Judex appellationis procedere debet ad tramites Juris, nulla habita ratione in hac parte ſuprad. Brevis Benedicti XIII.

Et ita utraque parte Jura ſua ſtrenue deducente definitum fuit.

NULLIUS ABBATIÆ S. HILARII.

Veneris 28. Junii 1737.

ARGUMENTUM.

Evictione ſecuta, vel etiam imminenti emptor ſolvere non tenetur pretium bonorum emptorum, prout in primo caſu, neque fructus recompenſativos. Simulatio, ex concurſu cauſæ ſimulandi, & conjecturarum concludenter probatur. Pretium bonorum, præſertim feudalium, quomodo probetur.

SUMMARIUM.

1 *Ex lapſu legitimi temporis ad appellandum præſtituti oritur res judicata,*

2 *Sine læſione non datur reſtitutio in integrum.*

3 *Evictione ſecuta, vel imminenti Emptor ſolvere non tenetur pretium bonorum emptorum;*

4 *Prout neque fructus recompenſativos, ſi evictio jam ſecuta fuerit.*

5 *Simulatio, ex concurſu Cauſæ ſimulandi, & conjecturarum concludenter probatur:*

6 *Ejuſque exceptio executionem publici Inſtrumenti retardat, & efficaciam obligationis Cameralis infringit.*

7 *Teſti unico adminiculato, & Sacerdoti fides adhibetur.*

8 *Reditus bonorum feudalium æſtimatur ad rationem duorum pro centenario.*

9 *Ad dignoſcendum juſtum pretium feudi habenda eſt ratio nedum fructuum ex ſolo perceptibilium, ſed jurium etiam feudalium.*

10 *Feuda majore pretio digna ſunt, quam eo, quod ex eorum reditu commenſurative deſumitur.*

11 *Ex depoſitione Teſtium conductorum, circa reditum bonorum deductis oneribus, bene probatur eorum pretium;*

12 *Prout quoque, ex pretio, quo pars eorundem bonorum vendita fuit:*

13 *Optimè vero ex relatione, & judicio Peritorum.*

14 *A relatione Peritiorum tertio loco judicialiter electorum diſcedi nequit.*

15 *Judicio Periti aſſerentis, ſibi notam eſſe qualitatem Terræ, plurimum fidei adhibetur circa quantitatem pretii bonorum, non oſtenſa ſupervenientia melioramentorum.*

16 *Concurrente cauſa ſimulandi, ad eruendam ſimulationem conſiderari ſimul debent omnes conjecturæ etiam leviores eum ſuis circumſtantiis, & ipſa rei veriſimilitudine.*

17 *In probando pretio ſingula quæ non proſunt, cuncta juvant.*

18 *Ex ſumma ſoluta pro obtinenda Inveſtitura deſumi nequit verum, & juſtum pretium bonorum.*

19 *A præterita æſtimatione nequit inferri ad præſentem, ubi bona interim meliorata fuerunt.*

20 *Teſtes informes non attenduntur contra alios numero plures, de facto proprio de-*

Digitized by Google

deponentes, adm inculatos, ac formiter examinatos.

21 *Ad probandum verum reditum bonorum nullius efficaciæ ſunt partitæ fructuum perceptorum, quando inſuper non excludunt perceptionem aliorum fructuum præter ibi enunciatos.*

DECISIO XC.

SEquuta evictione medietatis Feudi Vallis Oppii de directo Dominio Abbatiæ S. Hilarii, quod una cum diverſis bonis Allodialibus venditum fuerat per Comites de Bentivolis Comiti Dominico Baſcarino pretio ſcutorum decem millium, etſi per ſententiam bon. mem. Cerri, tunc A. C. Locumtenentis, declaratum fuerit non eſſe locum reſciſſioni contractus pro parte bonorum evictorum; ſuſpenſa dumtaxat ſolutione fructuum recompenſativorum expreſſe conventa in Inſtrumento venditionis, donec nova obtineretur Inveſtitura dictæ medietatis feudi favore Baſcarini a cl. mem. Cad. Fabrono ſucceſſore in præfata Abbatia, ex cujus facto ſequuta erat evictio; Cauſa tamen ad Rotam conſcenſa, confirmari quidem promeruit Judicatum A. C. quoad executionem contractus; Sed formali inſtructa diſputatione ſuper pretio bonorum evictorum ad effectum commenſurandi quantitatem fructuum interim Venditoribus perſolvendorum, cenſuit Sacrum Auditorium concedendam eſſe remiſſoriam præfato Baſcarino contendenti, nullatenus eſſe attendendam expreſſionem pretii dictorum bonorum feudalium in ſolis ſcutis 1000., tanquam ſimulate factam in Inſtrumento, ſed revera illud aſcendere ad ſc.3000., & interim pro hac rata declaravit ipſum Baſcarinum compelli non debere ad fructus recompenſativos, ſed tantum teneri eos perſolvere correſpective ad ſortem reſidualem ſcut.7000., ut apparet ex *deciſione cor. bon. mem. Lancetta emanata ſub die* 10. *Maii* 1715.

Hinc ſucceſſive ſatisfacto debito dicti reſidualis pretii bonorum allodialium cum correſpondentibus acceſſionibus, omnique ſpe amiſſa per dictum Com. Baſcarinum reportandi novam Inveſtituram portionis feudalis evictæ, confectus fuit Proceſſus remiſſorialis, quo in actis poſito,& ad trutinam revocatis probationibus exinde orientibus in *Rota diei prima Februarii* 1723. *cor. eodem. bon. me. Lancetta*, dilata Cauſæ reſolutione mandatum fuit eligi Peritum Agrimenſorem, & quamvis pro declinanda effectuatione hujuſmodi reſcripti, varia præſtita fuerint impedimenta, tum mediantibus reiteratis inſtantiis in ipſo Sacro Auditorio, tum etiam per recurſum ad Signaturam Juſtitiæ, in irritum tamen ceſſo quolibet conatu, fuerunt tandem electi ex utraque parte Periti, ob quorum diſcordiam decreta fuit a Judice in Partibus ſubdelegato deputatio Tertii, cujus relatio cum adveniſſet, & ex ea præciſe conſtabilitum noſceretur pretium bonorum feudalium in ſcutis 3000.,fuit ſub die 10.Decemb.1731. per Eminentiſſimum Cincium propoſitum originale dubium: *An, & pro qua ſumma ſortis reſidualis, & fructuum recompenſativorum reſpective ſit libere relaxandum mandatum*, quod alias irreſolutum remanſerat coram bon. mem. Lancetta, prodiitque reſcriptum: *Negative in omnibus*, ut ex Deciſione, cujus fundamentis peſcrutatis in Rota diei 12. Junii 1733. perſtitum fuit: *In Deciſis*.

Cauſa in ſequelam expedita, adverſus deſuper ortam rem judicatam curarunt ſuccumbentes in gradu appellationis eam proſequi, ſed cum per triennium fuerit neglecta, denuo Cauſa in judicatum abiit; unde ad tramites ſuperventæ mihi commiſſionis dubium ſubſcripſi: *An quoad ſortem reſidualem, & fructus recompenſativos conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum*: cui in hodierna Audientia: *Conſtare de re judicata* DD. reſponderunt,

Quod enim ea fuerit efformata ex lapſu legitimi temporis ad proſequen-
1 dam cauſam appellationis præſtituti, non poterat dubitari, & habetur in *dec.*103.*n.*1., & *dec.*231.*n.*2. *cor.bo.me. Herrera, dec.*470, *n.*1. *cor.Rmo Criſpo, & in Roman.Cambii* 7.*Maii* 1734. §.1. *cor. R.P.D. Nunez*; Iuſtitia vero ejuſdem

dem rei judicatæ quamcunque præten-
ſam læſionem ſubmovendo aditum præ-
2 cluſit petitæ in integrum reſtitutioni,
cujus illa eſt baſis, & fundamentum;
ut reſpondit. *Rota in Firmana Ceſſio-
nis 21. Ianuarii 1735. §. 2. cor. R.P.D.
Rezzonico, & in Ferrarien., ſeu Ra-
vennaten. exemptionis 28. Martii eiuſ-
dem anni §. 3. cor. R̃mo P. D. Decano.*

Ratio ſiquidem denegandi manda-
tum pro ſorte, & fructibus reſiduali-
bus per Comites de Bentivolis expoſtu-
latum, nixum apparuit Juris diſpoſi-
3 tioni, juxta quam compelli nequit em-
ptor ad ſolvendum pretium bonorum,
quorum evictionem fuit paſſus, cum ad
hunc effectum ſatis ſit eam imminere,
ad *Text. in l. ſi poſt perfectam Cod. de evict.*
& conſentanee firmata per *Mangil. de
evict. quæſt. 85. n. 11., Roit. ad Franc.
dec. 555., Sperell. dec. 117. n. 3., Rota
dec. 16. in fin. part. 3. rec., dec. 265. n. 2.
cor. Rox., dec. 409. n. 11. cor. Priol., &
in Faventin. pecuniaria 27. Mar. 1726.
§. In ordine cor. Emo Cincio*, & ceſſan-
4 te in hoc caſu æquitate *Text. in leg. cu-
rabit. Cod. de act. empt.*, multo minus
debiti eſſe poſſunt fructus recompenſa-
tivi. Unde cum ex facto habeatur Com.
Boſcarinum emptorem ſpoliatum re-
manſiſſe medietate Feudi Vallis Oppii
eidem vendita inter cætera bona pro
rata pretii reſidualis adæquantis pre-
tium portionis evictæ, & fructibus ei-
dem correſpondentibus Jure abſolui, &
liberari promeruit, ut conſiderat *utra-
que Deciſio d. Emi Cincii*, prima nempe
§. Potiſſima, ſecunda vero *§. Retento*.

Nequaquam vero impugnabant Co-
mites de Bentivolis præfatam Juris diſ-
poſitionem, ſed ſuadere contendebant,
eam opitulari poſſe Baſcarino pro ſum-
ma dumtaxat ſcut. 1000., quanti ada-
muſſim in Inſtrumento venditionis æſti-
mata fuit medietas dicti Feudi, itaut
ea detracta adhuc ex reſidualibus ſcu-
tis 3000. non ſolutis, relaxandum eſ-
ſet eorum favore mandatum pro reli-
quis ſc. 2000., & fructibus tali ſummæ
correſpondentibus; Verum penitus in-
ſubſiſtens aſſumptum compertum eſt e
conſpectu ſimulationis, cui obnoxiam
fuiſſe expreſſionem pretii bonorum feu-
dalium in prædictis ſolis ſcutis mille
evidentiſſime patuit, probata cauſa ſi-
mulandi, & pluribus concurrentibus
conjecturis demonſtrantibus, verum, &
juſtum dictorum bonorum feudalium
pretium aſcendere ad ſummam ſc. 3000.
Partibus ipſis in tractatu optime præco-
gnitum; Explorati namque Juris eſt,
5 exceptionem ſimulationis, quæ ex con-
curſu cauſæ, & conjecturarum conclu-
denter probata dicitur, *Rota dec. 13. n. 1.
& 6. par. 19. rec., dec. 129. n. 6. coram
bo. me. Herrer., dec. 1103. n. 11. cor.
bon. mem. Molin., & in Bononien. de-
liberationis, ſeu manutentionis 11. Mar-
tii 1735. §. 9. cor. R. P. D. Harrach*,
ejus eſſe efficaciæ, ut executionem pu-
6 blici Inſtrumenti retardet, & virtutem
obligationis Cameralis infringat, *Gra-
tian. diſceptat. forenſ. cap. 876. n. 16.,
Rota dec. 3. n. 8. cor. Peutinger., dec. 191.
n. 2. cor. Otthobono, dec. 714. n. 1. coram
Merlin., dec. 113. n. 10. cor. bon. mem.
Molin., dec. 74. ante n. 1. cor. bon. mem.
Anſaldo, & in Romana, ſeu Neapoli-
tana Pecuniaria 8. Maii 1711. §. E con-
ſpectu cor. cl. me. Card. Scotto.*

Non erat autem profecto longe quæ-
renda ſimulandi cauſa, ſed aperte de-
ſumebatur ex eo, quod imminutio æſti-
mationis bonorum feudalium ſecum
trahebat diminutionem Laudemii de-
biti Abbati Commendatario Domino
directo; Quodque revera ea fuerit in-
tentio contrahentium bene arguebatur
ex jurata depoſitione, & ſucceſſivo for-
mali examine Sacerdotis Joannis de
Montibus, qui fuit mediator contra-
ctus, præciſe teſtantis ab altero ex con-
trahentibus audiviſſe, quod ad prædi-
ctum effectum fuerat in Inſtrumento
expreſſum pretium bonorum feudalium
in ſc. 1000., quamvis alias vere ſtabi-
litum inter Patres in ſc. 3000., cui pro-
7 fecto Teſti unico quidem, ſed admini-
culato ex conjecturis inducentibus ip-
ſam ſimulationem, ac cæteroquin Sa-
cerdotali qualitate decorato deferen-
dum eſſe, bene firmat ſecunda Deciſio
§. Cumque ad demonſtrandam in fin.

Quæ vero adducebantur in linea pro-
bationis juſti, & veri pretii dd. bono-
rum feudalium, unde conjecturæ ſimu-
lationis deſumerentur, pro convincen-
tiſſimis demonſtrationibus habita ſunt,
Omiſ-

Omiſſo enim, quod ex ipſa conventione Partium fuit effective medietas feudi æſtimata in ſcut.3000., ut ex relato Teſtimonio concludebatur, id ipſum primo emergebat ex facto ipſorum de Bentivolis, qui de anno 1701. & ſic tempore venditioni proximo, eandem feudi medietatem locarunt pro annua penſione ſcut. 90., ex iis enim detractis ſcut. 30. pro Canone, reliqua ſumma ſcut.60. facto aritmetico calculo correſpondet adamuſſim capitali ſcut.3000., ſi ad rationem duorum pro quolibet reſpectivo centenario diſtribuatur, quanti æſtimari ſolent reditus bonorum feudalium, ex traditis per *Mantic. de tacit. lib.4. tit.20. ſub n.15., Pacion. de locat. cap.27. ſub n.126., Card. de Luca de feud. diſc.4. n.12., & diſc.117. n.5., Rota dec.130. n.3. coram Serapbin., & dec.94. n.56. par.7. recent.*
8 (margin number beside "co calculo correſpondet")

Parum relevante, quod ex dicto annuo reditu detrahi deberent fructus quorundam Animalium comprehenſorum in locatione, tum quia nonniſi tenuiſſimi eſſe poterant fructus hujuſmodi, habito reſpectu ad modicum eorundem Animalium pretium in ſumma dumtaxat ſcut.100. enuntiatum in ipſo Inſtrumento venditionis ſucceſſive expletæ favore Baſcarini; Tum etiam quia ultra reditum ex materiali ſolo bonorum feudalium perceptibi-
9 lem non levem conſiderationem merentur diverſa jura ex Baronia proficiſcentia: Nempe jurisdictio cum mero, & mixto imperio, jus exigendi laudemium ſcut.10. pro centenario a ſubditis, & ſcut.15. ab exteris, jus recadentiæ bonorum, cæteraque enumerata in Summario illorum de Bentivolis, quorum æſtimatio merito contraponi poſſe videtur perexiguo dd. Animalium pretio ad vindicandum juſtum pretium medietatis feudi in ſæpedicta ſumma ſcut. 3000., ſpectato præſertim, quod
10 feuda, & bona jurisdictionalia majori pretio digna ſunt, quam eo, quod ex eorum reditu commenſurative deſumitur; ut bene obſervant *Brun. conſ. 41. n.36., Mart. conſ.158. num.43., Mantic. de tacit. lib.4. tit.20. n.15.*

Majoris etiam efficaciæ habita ſunt cætera argumenta deprompta iam a formali examine aliorum Teſtium conductorum deponentium de ſimili dictorum bonorum fructu deductis one-
11 ribus, unde bene probari pretium, dixit *Rot. dec.383. n.1. part.17. recen.* quam ex venditione exiguæ portionis
12 alterius medietatis dicti feudi facta per Comitem Malateſtam pro ſc.1000., ex quo optime infertur, quod regulando pretium integræ medietatis proportionabiliter ad dictam portionem venditam comprehendentem ſolummodo medietatem Molendini, & quatuor, aut quinque Domos ſubditorum, ſalvis remanentibus aliis 17., & cæteris bonis ſtabilibus annexis dictæ integræ medietati feudi ſpectanti Comiti Malateſtæ, tanto magis creſcat iſtius pretium, & æſtimatio, ut animadvertit *Rot. dec.169. ſub n.11. poſt Conſtant. ad Statut. Urbis*, & proſequitur prima ex Deciſionibus Eminentiſſimi Cincii *§. Secundo*, & ſecunda *§. Altera*.

Quibus omnibus ſi addantur relationes Peritorum, & præcipue eorum, qui primis hinc inde electis diſcordantibus fuerunt ex decreto judicis ſubdelegati, & de mente Sacri noſtri Tribunalis deputati, ex quibus diſtincte fuerunt æſtimata bona feudalia, & allodialia, ea nempe valoris ſcut.3000., hæc autem ſcut.7000., nihil amplius attendi poſſe compertum eſt ad obtegendam ſimulationem expreſſionis in
13 inſtrumento factæ, dum ad probandum verum pretium ſtatur judicio Peritorum, *Rota dec.309. n.9. coram Celſ., dec.1009. n.14. cor. Dunozet. Junior., dec.586. n.4. cor. Emerix Jun., dec.718. n.5. cor. Cerro, dec.1105. n.10. cor. bon. mem. Lancetta, & in Fulginaten. Succeſſionis, & Dotium 21. Martii 1707. §. Non obſtante cor. clar. me. Card. Scotto*; & cum in hypotheſi aga-
14 tur de tertiis Peritioribus judicialiter electis, nullo pacto licet ab eorum relatione diſcedere, ut per *Text. in leg. item ſi unus §. Principaliter, ibique Gloſſ. verb. authoritati ff. de recept. arbitr.* firmavit *Rot. dec.621. n.1. part.1. recent., dec.309. n.9. cor. Celſ., dec.1008. n.14. cor. Dunoz. Jun., & deciſ.586. n.4. cor. Emer. Jun.*

Et

Et quamvis proponeretur, quod dicta Peritorum æſtimatio facta fuerit longe poſt contractum venditionis, ita ut inepta dijudicanda ſit ad firmandum ſtatum, & intrinſecum pretium Bonorum de illo tempore; cum tamen nil adductum fuerit ad probandum, quod pretii augmentum provenerit ab aliqua intrinſeca melioratione, immo in contrarium militaret ipſa aſſertio Tertii Periti, qui bona feudalia recognoſcendo, & æſtimando in ſc.3000., addidit ulterius ſibi notam fuiſſe quali-
15 tatem Terræ, erat neceſſario plurimum deferendum ipſius judicio; ut in propoſito ponderat *Rot. dec.*1005. *n.9. cor. bon. me. Lancetta*. Potiſſime præ oculis habendo, quod ad ſuadendam juſtitiam relationis Peritorum etiam habito reſpectu ad tempus contractus, non deerant aliæ probationes ex ſuperius recenſitis, quæ tale tempus, vel ipſi valde proximum attingerent. Quapropter cum res in præſenti non eſſet de rigoroſe ſtatuendo pretio ad effectum læſionis, ſed ſolum pro eruendis conjecturis ſimulationis, pro qua urget Cauſa admodum veriſimilis, præfatum judicium Peritorum ſaltem adminiculative ſumptum ad cæteras probationes efficaciſſimum reputari promerebatur, ut omnibus ſimul perpenſis, ipſa ſimulatio ſatis juſtificata dici poſſet; cum ad hujuſmodi effectum
16 omnes conjecturæ etiam leviores, dato concurſu cauſæ, unitim conſiderari debeant cum ſuis circumſtantiis, ac ipſa rei veriſimilitudine; *Covarruv. pract. quæſt. lib.3. cap.7. n.3. in fin.*, *Rocc. diſputat. Jur. ſelect. cap.46. n.21*, *Rot. dec.23. n.5. poſt Salgad. in Labyr. Credit.*, & *dec.714. n.32. cor. Merlino*;
17 Maxime quia argumenta, & conjecturæ ſimulationis deducuntur ex probatione veri pretii, ad quem effectum bene intrat regula, ut ſingula, quæ non poſſunt, unita juvent, ut tradit *Andreol. contr.390. n.28.*, *Rot. dec.114. n.19. par.11. rec.*, & *dec.1105. n.11. coram bon. mem. Lancetta*.

Ob eandemque rationem poſthabitis omnino cæteris exceptionibus adverſus peritorum æſtimationem promotis, quibus alias bene occurrit prima deciſio §.*Parique*, & ſecunda §.*Finali*, reſpondendum dumtaxat cenſuerunt Domini objecto acriter inculcato in hodierna colluctatione, & in eo repoſito, quod Comites de Bentivolis de an. 1696. pro obtinenda Inveſtitura hujus medietatis Feudi a clar. mem. Cardinali Sacchetto tunc Abbatiæ Commendatario, nil aliud perſolverint, quam ſummam ſcut.600., quam nuper per rem judicatam Rotalem præviis ſententiis a RR. PP. DD. Millino, & Rezzonico promulgatis ſibi reſtitui obtinuerunt adverſus hæreditatem d. Cardinalis Sacchetti ob ſequutam evictionem d. medietatis feudi, poſtquam declarata fuit favore clar. mem. Card. Fabroni Succeſſoris nullitas prioris Inveſtituræ; unde certam deſumendam eſſe probationem pretii ajebant præfati de Bentivolis, utpote roboratam ex re judicata Rotali, & ulterius ex depoſitione nonnullorum Teſtium circa tenuem eorundem bonorum redditum, quam idem Cardinalis Sacchettus exhibuit Sac. Congregationi Concilii ad facilius obtinendum aſſenſum prædictæ Inveſtituræ.

Reſponſio autem facilis erat, & plana, quod nempe dicta ſcut.600. nullatenus conſtitit ſoluta fuiſſe nomine pretii, ſed tantum pro habenda Inveſtitura, cohærenter ad contractum feudalem, qui gerebatur, non verò cohærenter ad contractum emptionis, aut alterius, in quo pretii interventus fuiſſet neceſſarius, congrueque referri poteſt talis ſolutio, ut fuerit conventa in correſpectivitatem modicitatis Canonis ſc.30., prout opportune arguere licet ex eo, quod præfatus Cardinalis Fabronus nullo pacto induci voluit ad no-
18 vum præſtandum eidem Inveſtituræ conſenſum; Atque ideo cum res judicata Rotalis nil aliud declaraverit, vel declarare potuerit, quam prædicta ſcut.600. titulo Inveſtituræ, & pro explendo contractu feudali perſoluta, reſtituenda fore, ſecuta ineffectuatione ejuſdem contractus, & evictis bonis feudalibus, abſque ullo fundamento proinde allegabatur in præſenti diverſiſſimo Judicio, in quo agitur de probando vero, & juſto pretio bonorum feudalium ſucceſſive venditorum ad effectum

Digitized by Google

fectum eruendi conjecturas ſimulationis; ex firmatis per *Rotam in Camerinen. Nullitatis Deliberationis* 25. *Aprilis* 1715. §.5. *cor. R.P.D. Nunez*. Animadverſo præſertim, quod a ſtatu, in quo reperiebantur præfata bona de an-
19 no 1696., nullatenus inferri poteſt ad ſtatum de anno 1703., quia intra hujus temporis intercapedinem plura confecta fuiſſe in iis melioramenta probarunt ipſi Comites de Bentivolis; ut ponderatum fuit *in d. Romana Evictionis* 10. *Decembris* 1734. §. *Et in recenſitis cor. R. P. D. Rezzonico*.

In his circumſtantiis de ſe patet etiam nullum fundamentum conſtitui poſſe ſuper informi depoſitione Teſtium, quos de d. anno 1696. Cardinalis Sacchettus induxit ad probandam exiguitatem reditus eorundem bonorum, &
20 tamen ſatis eſt, quod contra eorum dictum militent alii numero plures de facto proprio deponentes, adminiculati, ac formiter examinati, ad hoc ut præfata informis depoſitio veniat omnino ſpernenda, ut admonet *Rot. dec.* 1254. *n.* 21., & *dec.* 1329. *n.* 9. *cor. bon. mem. Molines*, & *in Ferrarien. Violentiæ* 6. *Junii* 1735. §. 34. *cor. Rmo P. D. Caleagnino Decano*. Prout nec attendi poterant aliquæ partitæ extractæ ex libris Cardinalis Fabronii ad eundem effe-
21 ctum juſtificandi, nonniſi exiles fructus percipi ex hujuſmodi bonis, cum ex illis oriatur quidem probatio in ſenſu affirmativo, nullatenus autem concludant in ſenſu negativo, ſcilicet non perceptionis aliorum fructuum præter ibidem enuntiatos; ut optime advertit *Deciſio diei* 10. *Decembris* 1731. §. *Fruſtraque cor. Emo Cincio*.

Et ita utraque &c.

ROMANA, SEU SIGNINA SALVIANI.

Lunæ 1. *Julii* 1737.

ARGUMENTUM.

Extrema Salviani ſunt creditum cum hypotheca, poſſeſſio antiqua penes debitorem, & moderna penes reum conventum. Poſſeſſor ex ſupervenientia novi tituli præſumitur mutare cauſam poſſidendi, etiam ſecluſa declaratione. Diſpoſitio *l. vindicantem Cod. de evictione*. Militat contra hæredem univerſalem, non verò contra Poſſeſſorem particularem.

SUMMARIUM.

1 *Creditum cum hypotheca, poſſeſſio antiqua penes debitorem, & moderna penes Reum conventum ſunt extrema Salviani.*
2 *Reo, & poſſeſſori ſufficit vincere per non jus actoris.*
3 *Quæ Authori obeſſe poſſent, objici etiam queunt ſingulari ſucceſſori.*
4 *Singularis ſucceſſor in quæſtionem revocare nequit dominium ſui authoris vel immediati, vel mediati.*
5 *Dominia rerum facile de tempore in tempus immutantur.*
6 *Exceptio non concludens, ſed habens poſſibilitatem in contrarium non eſt apta retardare immiſſionem in Salviano.*
7 *In Salviano non requiritur probatio dominii, ſed ſola poſſeſſio debitoris.*
8 *Poſſeſſor præſumitur ex ſupervenientia novi tituli mutare cauſam poſſidendi etiam ſecluſa declaratione;*
9 *Præſertim ad excludendam uſurpationem rei alienæ.*
10 *Deſcriptio bonorum in Inventario probat eorum qualitatem hæreditariam.*
11 *A creditore retentio peti nequit ſuper bonis alterius, quam debitoris.*
12 *Diſpoſitio legis* vindicantem Cod. de evict. *militat contra hæredem univerſalem, non vero contra poſſeſſorem particularem.*
13 *Heres univerſalis tenetur ad evictionem, & debita authoris.*
14 *Identitas Prædii excluditur a diverſitate confinium, & Territorii;*
15 *Immo pro excluſione identitatis ſufficit qualibet poſſibilitas diverſitatis bonorum.*
16 *Immiſſio in Salviano retardari nequit ex turbidis, & illiquidis probationibus.*

DECISIO XCI.

Repropoſita hodie a me hac cauſa informantibus etiam Stephano de Floridis, & R. P. D. Ferdinando, atque Annibale de Signoribus, qui informare non curarunt in propoſitione diei 5. Apri-

Aprilis ultimo effluxi, DD. ſteterunt *in deciſis*. Quia in eo, quod ſpectat ad Floridum poſſeſſorem Prædii in Contrada *la Mola Vecchia*, firmum, atque immotum viſum fuit fundamentum præteritæ reſolutionis favore Domini Ducis Salviati agentis pro immiſſione in Salviano in poſſeſſionem d.Prædii ad effectum ſibi ſatisfaciendi de credito, quod ex cauſa cujuſdam paſſæ evictionis bonorum habet contra hæreditatem quond. Joannis Baptiſtæ Tarolli uſque ab anno 1665., eo ipſo, quod idem
1 Dux perfecte probat ſuum creditum cum hypotheca, poſſeſſionem antiquam d. Prædii penes Tarollium debitorem, ac modernam recenſiti Floridi Rei conventi, quæ ſunt ſolita extrema, ſive requiſita d.Judicii Salviani; ut firmatur in *dec. edita cor.Me d.die 5. Aprilis anni currentis §. Juſtitia namque*.

Nec obſtat, quod idem Tarollius debitor laudati Ducis d.Prædium *la Mola Vecchia* uti proveniens ab hæreditate quond. Sulpitii Papi tunc non poſſideret Jure dominii, ſed ſolum ut ſalvianiſta ex Perſona Caſſandræ Vindicti ejus Autricis, quæ in illius poſſeſſionem immiſſa fuerat enuntiato titulo Salviani, & conſequenter ſuper eodem Prædio memoratus Tarollius ſeſe obligando favore Ducis, non potuerit imprimere ullam hypothecam, quæ eſt primum extremum Salviani, quam exceptionem ſibi blandiebatur ſuffragari idem Floridus Poſſeſſor ad repellendum Ducem Actorem ex illa ſatis vulgata
2 ratione, quod Reo, & Poſſeſſori ſufficit vincere per non jus Actoris ad *Text. in l. fin. Cod. de rei vindicat.*

Quandoquidem cum præfatus Floridus d. Prædium acquiſiverit mediante ceſſione ſecuta anno 1691. a Joſepho Tarollio cauſam habente a memorato Jo: Baptiſta ejus Patre, non poteſt ullo modo ſupradictam exceptionem allegare, ſicut illam allegare non poſſent, nec idem Jo: Baptiſta, nec idem Joſeph
3 adverſus laudatum Ducem ex recepta illa propoſitione quod ea omnia, quæ poſſent obeſſe Authori, objici poſſunt & ſingulari ſucceſſori; *Paul. de Caſtr.conſ.247. poſt princip. lib.1., Soccin. conſ.50. col.2. lib.4., Cravett. conſil.434. n.9., & 10., Conciol. allegat.17. n.24. Ciarlin. controv. forenſ. cap.35. n.9., & 10. lib.1., Rot. cor. Buratt. dec.153. n.2., & in rec. dec.89. n.10. par.8., & dec.314. n.3. part.19.*, & in terminis Salviani eadem *Rot. cor.bon. mem. Anſald. dec.183. n.3., & 4.*, & quod ſuc-
4 ceſſor ſingularis nequeat in quæſtionem revocare dominium ſui Authoris ſive mediati, ſive immediati, tradunt *Card. de Luc.de credit., & debit.diſc.60. n.13., & diſc.63. n.2., aliique collecti per Adden. ad dec.420. n.50., & plurib. ſeqq. par.4. tom.2. rec.*

Potiſſimum cum ſuprad. Caſſandra Vindicti Auctrix Jo: Baptiſtæ immiſſa fuerit in poſſeſſionem tam ſuprad. Prædii *la Mola Vecchia*, quam aliorum bonorum provenientium ab hæreditate ſuprad. Sulpitii Papi anno 1643., ut advertitur in præterita *deciſ. §. Deveniendo*, quod non impedit, quin ex poſt idem Prædium *la Mola Vecchia* ob novum ſuperventum titulum tranſire potuerit in dominium d. Jo: Baptiſtæ, qui illud poſſedit uſque ad obitum, &
5 ex poſt ejus Filius: dominia namque rerum faciliter de tempore in tempus immutantur; *Rot. cor. Otthobon. dec.102. n.5., & cor. bo. me.Lancett. dec.1165. n.12., & dec.1307. n.10., & 11., & in rec. dec.336. n.9. par.18.*, & propterea d. exceptio veluti non concludens,
6 uti habens hanc poſſibilitatem in contrarium, non eſt apta retardare immiſſionem in Salviano a Duce petitam; ut obſervat *Rot. cor. Cavaler. dec.399. ſub n.3. §. Placebat, & §. Nec putaverunt obſtare*. Tanto magis, quia in hoc ju-
7 dicio Salviani ſola probatio poſſeſſionis penes debitorem ſufficit; ut probat *Pacific. de ſalv. inſpect.3. cap.3. n.15.*

Sed ceſſavit omnis difficultas ex eo, quod d. Caſſandra Auctrix Joannis Baptiſtæ debitoris Ducis reportavit ceſſionem tertiæ partis hæreditatis ſupra memorati Sulpitii Papi ab ejus Cohærede, propter quam ceſſavit in illa titulus poſſidendi ex cauſa Salviani, & radicatus in ipſa remanſit alter titulus dominii magis convalidati ex altera quoque ceſſione reportata per Joſephum Tarolli ab altero Cohærede ſupradicti Sulpitii; cum titulus ſuperveniens Poſſeſſori præſume-

ſumere faciat, quod iſte mutaverit cau-
8 ſam poſſidendi, & poſſederit ex poſt hoc novo titulo, etiam ſi nullam deſuper emiſerit animi declarationem; *Rot. cor. Mantic. dec.* 245. *n.* 4., & 12., & *cor. Gregor. dec.* 546. *n.* 1., & *cor. Bich. dec.* 600. *n.* 6., & 7., & *cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de Salvian. dec.* 16. *n.* 10., & *in Veliterna Immiſſionis, quoad bona Fabritii, & Com. Stephani ſuper manutentione* 5. *Martii* 1731. §. *Siquidem ad medium cor. Emo Cincio*. Addito ſignanter, quod tam Caſſandra quoad vixit, & deinde Joannes Baptiſta Tarollius illius hæres, quam Joſeph iſtius Filius pacifice continuarunt poſſidere d. Prædium *la Mola Vecchia*, quamvis creditum, pro quo Caſſandra obtinuerat immiſſionem in Salviano, fuiſſet integre ſatisfactum, & ſic ceſſaſſet hic Salviani titulus, & quod notabilius eſt, recenſitus Joſeph idem Prædium alienavit, & propterea ad evitandam
9 quamcunque maculam uſurpationis rei alienæ, eo fortius militat ſupradicta præſumptio mutationis ex cauſa d. novi tituli; ex firmatis per *Rot. dec.* 72. *n.* 3., & 4. *cor. Coccin.*, & *dec.* 441. *per tot. cor. Put.*, & *dec.* 17. *n.* 2. *cor. Mantic.*, & *dec.* 104. *n.* 12. *cor. Otthobon.*

Haud juvante Floridi replicatione, quod Sac. Auditorium *in dec.* 551. *cor. clar. mem. Card. Caprar.* cenſuerit ſupradictam ceſſionem non ſuffragare Duci Salviato ad effectum retinendi alterum Prædium proveniens ex hæreditate recenſiti Sulpitii Papi; quia inibi agebatur cum Creditoribus ejuſdem Sulpitii, quos Dux excludere non poterat ex cauſa d. ceſſionis, quæ ſicuti conſtituebat Caſſandram ceſſionariam, ac ejus Succeſſores Cohæredes Sulpitii, ita efficiebat, ut iſta teneretur ad ejus debita; ut ſubjungitur in eadem *dec.* 551. *n.* 8. *cor. clar. mem. Card. Caprar.*, quod eſt extraneum a ſubjecta hypotheſi, ſtante quod Floridus non eſt Creditor ſupradicti Sulpitii Papi.

Eamdem firmitatem, & ſubſiſtentiam habere præteritam reſolutionem quoad R.P.D. de Signoribus, ejuſque Fratrem, & litis &c. Poſſeſſores unius Prædii in vocabulo *il Caſtellone*, ac aliorum bonorum exiſtentium in contrada *Meziano*, pariformiter DD. cenſuerunt ob perfecte probata a Duce ſupra expreſſa extrema Salviani etiam quoad iſta, aliaque bona, quæ in ipſos a Joanne Baptiſta Tarolli provenerunt.

Quin obſtiterit, quod recenſiti Fratres ex perſona cujuſdam Colabucci ſint Creditores pro tertia parte ex cauſa fidejuſſionis uſque de Anno 1591., & propterea vigore hujus crediti longe anterioris eiſdem Reis conventis competat retentio; quia quidquid ſit de ſubſiſtentia ejuſdem Crediti, cum illud in omnem caſum ſit contra hæreditatem quondam Sulpitii Papi, cujus favore emiſſa fuit d. fidejuſſio, & e
10 contra dd. bona ſint hæreditaria non præfati Sulpitii, ſed Joannis Baptiſtæ Tarolli debitoris Ducis, ſicut probat iſtius inventarium, in quo illa deſcripta reperiuntur, *Rot. cor. bon. mem. Molines deciſ.* 1300. *n.* 14., & *in Romana Manutentionis, ſeu fructuum Conſus* 10. *Martii* 1732. §. *final. cor. Reverendiſſimo P. D. meo Decano confirmata die* 23. *Januarii* 1733. §. *Non*
11 *urget coram eodem*; inde ſuccedit, ut vigore ejuſdem Crediti nulla peti valeat retentio ſuper dictis bonis, quæ ſunt alterius, quam Debitoris; *Rot. in recent. dec.* 3. *n.* 61. *part.* 7., & *dec.* 176. *n.* 11., & *ſeq. part.* 11., & *in Faventina Cautelæ Angeli, & Pecuniaria* 17. *Januar.* 1735. §. *Quo vero cor. Me*.

Prout nec etiam, quod Dux retineat, atque poſſideat quoddam Prædium in vocabulo *Pantanello* proveniens ab hæreditate ſupradicti Sulpitii, & ſic favore dd. Fratrum militet diſpo-
12 ſitio noti *Text. in l. Vindicantem Cod. de evict.*; Nam ultra quod diſpoſitio ejuſdem Textus unice militat, ac obſtat Actori, quotieſcunque iſte eſt hæres univerſalis obligati ad evictionem, vel
13 ad debitum, qualis non eſt laudatus Dux reſpectu Sulpitii Papi, non autem poſſeſſori ex titulo particulari, *Mangil. de evict. quæſt.* 32. *n.* 19. 20., & 29., ut eſt prædictus Dux; Ulterius non fuit probatum per dd. Fratres de Signoribus idem Prædium del *Pantanello* poſſeſſum a Domino Duce eſſe illum idem proveniens ab hæreditate Sulpitii Papi, & in cujus poſſeſſionem titu-

lo Salviani uſque de Anno 1641. immiſſa fuit Caſſandra Vindicti Auctrix illorum de Tarollis.

Immo hæc identitas excluſa remanſit ex comparatione tam Inſtrumenti apprehenſionis poſſeſſionis dictæ Caſſandræ, quam ulterius Inſtrumenti venditionis factæ a Tarollio Anno 1661. Duci Salviati; In primo enim Prædium ita deſcribitur -- *Ad Prædium vero hæreditarium qu. Sulpitii Papi in Territorio Plumbinariæ in vocabulo il Pantanello juxta bona olim Excellentiſſimi Domini Ducis Sfortiæ, nunc Excellentiſſimi Principis Urbis Præfecti, hæredum qu. Lucæ Cleti Signini, foveum a pede ſalvis aliis &c.* In ſecundo vero -- *Petium Terræ capacitatis novem rubrorum, & duorum ſcortiorum poſit. in Territorio Collis Ferri in Quarto nuncupato il Pantanello juxta a duobus bona d. D. Ducis Salviati, & ab alio bona DD. de Amatis ſalvis &c.* Ex quibus cum conſtet in omnem caſum ſolum convenire vocabulum *il Panta-*
14 *nello*, ſed tamen diſcordare Territorium, dum illud Papi eſt *Plumbinariæ*, & alterum *Collis Ferri*, ac cæteros confines, per conſequens excluſa etiam remanet d. identitas; *leg. forma ff. de Cenſibus, leg. ſi in rem in fine ff. de rei judicatione cum aliis collectis in Romana Immiſſionis ad hæreditatem Principiſſæ de Butero ſuper hæreditate bonorum* 10. *Decembris* 1734. §. *Quo vero coram Me*; Ubi additur, quod pro excluſione identitatis concludenter pro-
15 bandæ ſufficit quælibet poſſibilitas, quod bona poſſint eſſe diverſa.

Denique animadverſum etiam fuit, quod ſupra deducta, utpote requirentia altiorem indaginem, examinanda veniunt in ſuo congruo, ac particulari judicio, cum modo retardare nequeant Duci petitam immiſſionem ob claram, patentemque ab eo factam probatio-
16 nem extremorum hujus judicii Salviani, quod retardari non ſolet hiſce turbidis, ac illiquidis exceptionibus; *Rot. coram Bich. dec. 87., & dec. 559. utrobique n. 7., & coram Cerr. dec. 34. n. 66., & dec. 334. n. 9., & 11.*, & contra ipſummet Ducem actorem in hac eadem Cauſa, de cujus relevatione agitur, reſponſum fuit in *Romana*, *ſeu Signina Salviani* 25. *April.* 1727. §. *Fin. cor. Emin. D. Card. Cincio.*

Et ita, dilata reſolutione, quoad Lucianos, reſponſum fuit; utraque &c.

ROMANA, SEU SPOLETANA HÆREDITATIS.

Lunæ 3. *Julii* 1737.

Argumento non indiget ob brevitatem.

SUMMARIUM.

1 *Teſtamentum in nulla ſui parte vitiatum, cancellatum, aut ſuſpectum executionem meretur.*

2 *Hæres uſufructuarius, non dato Cohærede proprietario, remanet hæres etiam in proprietate.*

3 *Statuta excludentia a ſucceſſione fæminas propter maſculos, intelliguntur de ſucceſſione inteſtata*; & num. 5.

4 *Quæ deficit, ubi adeſt Teſtamentum.*

DECISIO XCII.

Defuncto Michaele Angelo Cecconi ſine deſcendentibus, orta fuit ſuper ſucceſſione in illius hæreditatem controverſia inter Martham Cecconi ejus unicam Sororem ex una, & Fælicianum Cecconi Fratrem Patruelem ejuſdem Teſtatoris ex altera, eaque terminata favore Marthæ in judicio Manutentionis coram A. C. ob Reſcriptum plenæ Signaturæ, ad quam Fælicianus recurrit -- *ſine præjudicio* -- & ob renuntiationem huic Judicio ab eodem Fæliciano in Actis emiſſam, ac devoluta cauſa ſuper petitorio ad hoc Sacrum Auditorium, mihique commiſſa, propoſui in hodierna Rota Dubium -- *An, & de cujus bono jure conſtet ad effectum ſucceſſionis* -- reſolutum favore Marthæ tantum informantis.

Cum enim ſupradictus Michael Angelus condiderit die 7. Januarii 1727. ſuum teſtamentum, in quo ſibi hæredem univerſalem ſcripſit eandem Martham Sororem, palam proinde fit, quod eidem debeatur ſucceſſio in ejus hære-
1 ditatem, ex quo cum idem teſtamentum non ſit in aliqua ſui parte vitiatum, cancellatum, aut aliqualiter ſuſpectum, omnem meretur excutionem;

ad

ad *Text. in leg. final. Cod. de Edict. Div.*
Adriani tallen., *Decian. conſult.* 74.
n. 11., *& ſequen. lib.* 5., *Rot. dec.* 22.
n. 19. *cor. bon. mem. Anſald.*, *& dec.* 39.
n. 14. *cor. clar. mem. Card. Caprar.*, *&*
dec. 304. *n.* 2. *par.* 15., *& dec.* 149. *n.* 5.
par. 17. *rec.*
1 Et quidem non obſtante, quod in fine
totius contextus liberæ inſtitutionis re-
periantur adjecta verba — *mà in ogn'al-*
tro miglior modo &c. — hæc alia — *cioè*
uſufruttuaria —: Tum quia Martha
abſolute negat, hanc additionem eſſe
de manu Teſtatoris, vel ſaltem factam
illius juſſu, & conſenſu; Tum etiam
quia ubi hæc verificaretur, nullius eſſet
2 relevantiæ, dum dictus Teſtator nul-
lum dedit eidem Marthæ Cohæredem
proprietarium, aut ſubſtitutum, & per
conſeqnens eadem Martha licet vocata
uti hæres uſufructuaria, ſemper etiam
remanet hæres in proprietate; ad *Text.*
in leg. 1. *§. Si ex fundo*, *& in leg. quo-*
ties 9. *§. Si duo ff. de hæred. inſtit.*, *Cy-*
riac. controv. forenſ. 43. *n.* 24., *&* 26.,
Bellon. de Jur. accreſcen. cap. 7. *quæſt.* 7.;
& 8. *per tot.*, *Rot. cor. bon. mem. Her-*
rera dec. 25. *n.* 9., *& in Salamantina*
Pecuniaria 2. *Decembris* 1735. *§. Potiſ-*
ſimum cor. Me.

Quin Fæliciano opitulari poſſit diſpo-
ſitio, ſive Statuti Urbis *lib.* 1. *cap.* 146.
de ſucceſſ. Fratr., ſive Statuti Nurſiæ,
ex qua ortum habuit Teſtator *lib.* 3.
rubr. 81. excludens fœminas a ſucceſ-
3 ſione propter maſculos, quia ſimilia
Statuta procedunt in terminis ſucceſ-
ſionis ab inteſtato, de qua loquuntur,
& ideo non verificatur in caſu præſen-
ti, in quo adeſt teſtamentum, per quod
4 ſicuti cauſa inteſtati deficit; *Leg. quam-*
diu ff. de acquir. hæredit., *Rot. in rec.*
dec. 303. *n.* 2. *part.* 14., *& in Romana*
Immiſſionis 15. *Martii currentis an-*
ni 1737. *§. Plana coram Me*; ita ceſſat
5 operatio dd. Statutorum, *Rot. in Ari-*
minen. Immiſſionis 16. *Januarii* 1708.
§. Pro objecti cor. Emo Aldrovando, *&*
in Romana Locorum Montium ſuper re-
ſervatis 4. *Maii* 1725. *§. Multoque mi-*
nus cor. Rmo Ratto Epiſcopo Corduben.
6 Et ita informante tantum, ut dictum
eſt, Martha, fruſtra verò Fæliciano di-
lationem petente reſponſum fuit &c.

ROMANA CENSUS.

Ven. 6. Decembris 1737.

ARGUMENTUM.

Titulus dotis impedire nequit executionem, & ſubhaſtationem bonorum viri etiam ad inſtantiam Creditoris poſterioris, modo tamen Creditrix, vel ejus hæres non amoveantur a poſſeſſione, & oblationes ſuperent creditum dotale. Cautela Angeli ſervanda eſt, donec hæres negligens fuerit in reddenda ratione, vel eam male reddiderit. In cenſibus non eſt locus præſtationi fundi liberi, vel ſubrogationi alterius, niſi fundus cenſitus oſtendatur incapax omnium onerum.

SUMMARIUM.

1 *Contra obligatum ex publico Inſtrumento mandatum eſt exequendum.*

2 *Titulus dotis impedire nequit executionem, & ſubhaſtationem bonorum viri etiam ad inſtantiam creditoris poſterioris;*

3 *Modo tamen creditrix, aut ejus hæres non amoveantur a poſſeſſione bonorum, & oblationes excedant creditum dotale.*

4 *Hæres ſimplex ad differentiam hæredis beneficiati tenetur etiam de proprio ad debita defuncti.*

5 *Cautela Angeli ſemper ſervanda eſt, donec hæres non fuerit negligens in reddenda ratione, vel eam male reddiderit; ad quem tamen effectum requiritur monitio ad eam reddendam.*

6 *Pro validitate Inventarii ſatis eſt unica citatio concepta tam pro initio Inventarii, quam pro illius continuatione diebus ſequentibus, nec requiruntur peculiares citationes ſingulis diebus.*

7 *Non eſt locus in cenſibus præſtationi fundi liberi, aut ſubrogationi alterius fundi, ubi non oſtendatur in fundo cenſito incapacitas ſuſtinendi omnia onera.*

DECISIO XCIII.

EX cauſa cenſus ſortis principalis ſcutor. 1080. impoſiti anno 1702. a Mario Canino favore Joannis Antonii de Naris, & ceſſi in cauſam reſtitutionis Du-

Digitized by Google

Dotis Martiæ Ceuli jam uxoris recenſiti Joannis Antonii, promovit eadem Martia ceſſionaria coram R.P.D. A.C. Furietto contra Fauſtinam Terzoli viduam relictam, ac hæredem teſtamentariam ſupradicti Marii Canini impoſitoris duplicem inſtantiam, alteram ſuper ſolutione fructuum ejuſdem cenſus decurſorum in ſumma ſcutor.180., & alteram ſuper præſtatione novi fundi cenſiti liberi, & rejecta per eundem Judicem hac ultima inſtantia, laudata Martia Actrix voti compos facta fuit quoad alteram ſolutionis fructuum ejuſdem Cenſus, obtinendo relaxationem mandati executivi contra bona hæreditaria ſupradicti debitoris, non obſtante cautela Angeli per Fauſtinam allegata ratione ſuæ Dotis; Devoluta verò Cauſa in gradu appellationis prævio ſuſpenſivo reſcripto Signaturæ Juſtitiæ ad hoc Sac. Auditorium, mihique commiſſa ad inſtantiam Mariæ Felicis Palma hæredis memoratæ Fauſtinæ pendente lite defunctæ, interrogavi hac mane DD. — *An mandatum ab A.C. relaxatum ſit exequendum, & novum reſpective relaxandum* —, & reſponſum fuit — *Affirmative quoad primam partem juxta modum, quo verò ad novum mandatum negative*.

Rationem reſolutioni, quoad executionem ſupra enuntiati mandati relaxati pro ſolutione fructuum recenſiti cenſus, præbuit nimis evidens illius juſtitia, oriens ex publico Inſtrumento il-
1 lius impoſitionis, in quo impoſitor ſe obligavit eoſdem fructus perſolvere, & conſequenter, non docto de eorundem fructuum ſolutione, nullum eſt dubium, quin idem mandatum ſit exequendum; ut firmavit *Rot. cor. bon. mem. Molines dec.612. n.18., & in rec.dec.514. a n.1. ad 7.par.19. tom.2.*

Nec obſtat ſupradicta Cautela Angeli allegata a Fauſtina Uxore Marii impoſitoris ex cauſa reſtitutionis ſuæ Dotis in ſumma ſc.1000., ac ſolutionis quarti dotalis ſuperlucrati per prædeceſſum Viri, quia cum hic titulus Dotis ſuum initium deſumens ab anno 1682., & ſic an-
2 terior ſupradicto cenſu, non importet ullum Dominium, ſed tantum pignus, & hypothecam ſuper bonis hæreditariis debitoris, non poteſt impedire eorundem bonorum executionem, & ſubhaſtationem etiam ad inſtantiam Creditoris poſterioris; ad *Text. in leg. a Divo Pio §.Quod ſi res ff.de re judicat, l.quamvis in princip. ff. de pignor. act., Rot. coram Buratt. dec.950. n.5., & in rec. dec.424.n.10.par.15., & dec.596.n.2. par.18.*; Sed ne ex hac executione aliquod oriatur præjudicium dicto Creditore dotali anteriori, illam DD. injunxerunt cum hoc, quod dicta Fauſtina, ſive
3 ejus hæres non amoveatur a poſſeſſione bonorum, & dummodo oblationes excedant ejus creditum Dotale, & hic eſt modus reſolutioni adjectus in hac parte quotidie ſervari ſolitus in praxi; ad tradita per *Capuce. in prax. tom.2. cap.2. artic.1. n.31., & ſeq., Card. de Luc. de Judic. diſc.42. n.19. verſic. ac etiam, & de dot, diſc.166. n.76., Rot. coram Cerro dec.335.n.3., & ſeqq., & in rec.dec.340. n.9., & 10.par.13., & dec.214.n.17., & 18.par.16.*

Quin ab hoc retrahere valuerit DD. objectum, quod ſupradicta Fauſtina ſit hæres Marii ejus defuncti Viri, & ſic undique irrelevans ſit allegata Cautela Angeli, cum hæres teneatur etiam in
4 bonis propriis ad ſatisfaciendum debita defuncti; Hoc namque procedit in hærede ſimplici, non autem in hærede beneficiato, qualis eſt memorata Fauſtina, quæ non aliter adivit hæreditatem ſui Viri, quam cum beneficio legis, & Inventarii: in his enim terminis ſemper Cautela Angeli ſervanda eſt, donec, &
5 quouſque hæres non fuit negligens in reddenda ratione, vel illam in folle reddiderit, de quibus hic non conſtitit; dum Fauſtina, ſive ejus hæres nunquam fuit monita pro parte Martiæ ad reddendam eandem rationem, quemadmodum ad hunc effectum exigitur; ex deductis per *Ridolph.in praxi par.1. cap.9. n.2., Card.de Luc.de judic.diſc.40. n.12. §.Secus, Paulucc. diſſert. legal.73.n.11. tom.2., Rot. coram bon. mem. Lancett. dec.406. n.11. 12., & 13.*; Immo potius conſtitit de contrario, ex quo dicta Fauſtina illico ſe coram A. C. exhibuit promptam, & paratam reddendi rationem bonorum hæreditariorum ſui Viri inſtando pro electione Periti ad hunc effectum.

Non

Non attento, quod Inventarium à Fauſtina exhibitum ſit nullum quoad laudatam Martiam, ex quo nec ipſa, nec Joannes Antonius ejus Vir citati fuerint in illius confectione, & conſequenter eidem juvari non poſſit, nec admitti ulla redditio rationis; quia hoc ceſſare viſum fuit ex facto, & citatione ipſa facta occaſione confectionis ſupradicti Inventarii, in qua legitur literaliter citatus Joannes Antouius Nari vir Martiæ; atque creditor Cenſus; quæ
6 quidem citatio licet unica, & concepta tàm pro initio Inventarii, quam pro illius continuatione in diebus ſequentibus, in quibus interpellatus fuit d. Joannes Antonius ad intereſſendum, eſt undique legalis, & ſufficiens pro validitate d. Inventarii, nec requirebantur ſingulares citationes pro omnibus diebus, in quibus Inventarium confectum remanſit; ut de Praxi teſtatur idem *Ridolph. par. 1. cap. 9. n. 22.*, & *firmavit Rot. cor. Mantica dec. 189. n. 2. verſic. neque officit*, & *cor. clar. mem. Card. Falcon. tit. de Inventar. dec. 18. n. 15.*, & *in Romana Pecuniaria*, *ſeu Locorum Montium 3. Junii 1707. §. Eoque facilius cor. bon. mem. Molin.*

In ordine vero ad novum mandatum pro reſtitutione fundi liberi prætenſa, ex quo bini ex tribus fundis, ſuper quibus impoſitus fuit cenſus favore Joannis Antonii Nari, alienati fuerint, & non eſſent amplius in hæreditate Marii debitoris tempore ejus obitus, ut colligebatur ex Inventario; & inſuper omnes tales fundi obnoxii quoque eſſent hypothecis anterioribus ſupradictæ Fauſtinæ, ac aliorum Creditorum, devenerunt DD. in negativam ſententiam ex eo, quia per Martiam doctum non fuit
7 nec de hypothecis anterioribus aliorum Creditorum, nec iſtis admiſſis, quod dd. tres fundi cenſiti ſint incapaces ſuſtinendi d. Cenſum, ſine qua probatione nunquam locus eſt præſtationi fundi liberi, neque ſubrogationi iſtius loco fundi jam aſſignati, cum ſi iſte eſt capax omnium onerum & hypothecarum ſuper eo impreſſarum, nullum Martia patiatur damnum, nec ei intereſit, quod fundi cenſiti liberentur ab oneribus anterioribus, vel deveniatur ad ſubrogationem novi fundi; ex notatis per *Prat. obſervat. 28. num. 3.*, & *4. cum ſeqq.*, *Card. de Luc. de cenſ. diſc. 34. n. 8.*, *adden. ad Gregor. dec. 195. n. 5.*, *Rot. poſt Cenc. de cenſ. dec. 56. n. 1.*, & *2.*, & *dec. 64. pariter n. 1.*, & *in rec. dec. 350. n. 3. part. 2.*

Et ita &c. utraque &c.

ROMANA LOCORUM MONTIUM SUPER LÆSIONE.

Ven. 6. Decembris 1737.

ARGUMENTUM.

Rota ſuas Deciſiones ſolet ſupponere, etiamſi novum judicium introductum fuerit ſuper inibi firmatis, & a ſignatura Juſtitiæ remiſſum ad Judicem ordinarium. Quando loca Montium vinculata venduntur non ad vitam gravati, ſed in proprietate, vincula remanent incerta, & evêntualia, nec quoad pretium conſiderari valet læſio. Pactum redimendi reſtrictum ad triennium æſtimari ad ſummum poteſt in ſexta parte veri pretii: emptor ſcientiam habens onerum rei emptæ donare cenſetur id, quod in pretio excedit; & quatenus contractum reſcindat, compenſare tenetur ſuum creditum cum fructibus plus juſto perceptis.

SUMMARIUM.

1 *Sententia injuſta nunquam tranſit in rem judicatam.*
2 *Rota Romana ſupponit proprias deciſiones, ac determinata in ipſis utraque parte audita;*
3 *Quamvis novum judicium introductum fuerit, illudque a Signatura remiſſum Judici ordinario:*
4 *Remiſſio enim hujuſmodi efficit quidem, ut firmata in alio judicio non habeant in novo judicio vim rei judicatæ;*
5 *Quæ repellit a limine judicii;*
6 *Et extinguit omnes actiones, ac lites;*
7 *Non autem impedit, quin Rota ſuas deciſiones ſupponat, & adhæreat inibi firmatis;*
8 *Quia Reſcripta Signaturæ reſpicientia ordinem judicii, in nihilo lædunt ea, quæ verſantur circa merita cauſæ.*
9 *Ubi plura ſunt vincula, magis minuendum eſt pretium rei venditæ.*

10 *Quan-*

10 *Quando Loca Montium non venduntur ad vitam, ſed pure in proprietate, tunc vincula ſuper illis exiſtentia remanent incerta, & eventualia;*

11 *Nec conſequenter in iis tanquam ſe habentibus æque ad lucrum, ac ad damnum conſideratur læſio.* & ſub n.13.

12 *Per lapſum 30. annorum ceſſat probabilitas, & veriſimilitudo periculi ex cauſa evictionis.*

13 *Venditor rem vindicans, quam vendidit, actione doli ſubmovetur.*

14 *Loca Montium vinculata, ubi vincula ſunt valde remota, vendi ſolent pretio vero, & currenti.*

15 *Eventualitas, quæ pendet a revocatione decisionum, ſatis compenſatur per diminutionem pretii a ſc.117. ad 68.70.*

16 *Quando Loca Montium venduntur ad vitam gravati, pretium ſolet conſiſtere in ſcut.25. aut 30. pro quolibet Loco; non verò ubi venditur eorum proprietas cum vinculo fideicommiſſi eventualis.*

17 *In materia læſionis non attenditur id, quod poſt contractum accidentaliter evenit, ſed rerum ſtatus tempore initi contractus.*

18 *Pactum redimendi reſtrictum ad triennium vel æſtimari non valet;*

19 *Vel tantum in ſexta parte veri pretii.*

20 *Emptor præſumitur vidiſſe, & conſideraſſe Inſtrumenta ipſi indicata.*

21 *Scientia removet quemcunque errorem, & deceptionem;*

22 *Unde etiamſi vincula Locorum Montium fuiſſent certo eventura, & pretium exceſſivum, & læſivum, emptor ſcientiam habens dd. vinculorum allegare nequit læſionem;*

23 *Quia ſciens, & volens injuria non afficitur, ſed donare cenſetur id quod in pretio excedit, nec illud repetere valet.*

24 *Quoties emptor reſcindit contractum ex capite læſionis, compenſare tenetur ſuum creditum cum fructibus plus juſto perceptis, non attento implicito ſtatu validitatis, nec bona, vel mala fide.*

DECISIO XCIV.

VIndicatis a Marchione Camillo de Maximis jure fideicommiſſi inſtituti tam a Dominico, quam a Luca de Maximis, atque prævii pluribus Deciſionibus, ac quatuor conformibus ſententiis hujus Sacri Auditorii, approbatis etiam a Signatura Juſtitiæ cum ſolita clauſula -- *ſine præjudicio* --, Locis novem cum dimidio Montis Fidei eidem fideicommiſſo ſuppoſitis, & uſque de anno 1629. a Franciſco de Maximis alienatis favore bon. mem. Joannis Baptiſtæ de Aſte, ſive illorum pretio in ſumma ſc.950. reſtituto in ſuppreſſione d. Montis Fidei facta per Rev. Cameram Apoſtolicam, contendit Baro Carolus de Aſte memorati Joannis Baptiſtæ Succeſſor, a quo præfata loca Montium avocata fuere, pretium dd. Locorum Montium calculatum in ſcutis 68. 70. pro quolibet loco in d. alienatione fuiſſe enormiſſimè læſivum, & remiſſa ab eadem Signatura Juſtitiæ cognitione hujus novæ cauſæ ad Curiam Illuſtriſſimi almæ Urbis Gubernatoris, obtinuit ſententiam favorabilem declarantem reſignationem dd. locorum Montium fuiſſe nullam, ac enormiſſimè læſivam, atque hæreditatem ſupradicti Franciſci de Maximis reſignantis, & alienantis teneri reſtituere eidem Baroni de Aſte ſcut.643. 15. una cum damnis, expenſis, ac intereſſe; Sed cauſa mihi commiſſa in gradu reſtitutionis in integrum ob lapſum fatalium ſine appellationis interpoſitæ proſecutione, propoſui in hodierna audientia conſuetum dubium -- *An conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum* -- & DD. reſpondere non hæſitarunt -- *conſtare de cauſis*.

Fundamentum namque reſolutionis ſtetit in ſuprad. ſententiæ injuſtitia im-
1 pediente, ne unquam illa tranſire valuerit in rem judicatam; juxta literam *Text. in cap. inter cæteras, de ſentent., & re judicat., & in l.4. §. Condemnatum ff. eodem, Rota cor. Priol. dec.377. n.20., & coram bon. mem. Molines dec. 1316. n.1., & ſeqq.*; pro cujus demonſtratione animadverterunt DD., quod idem Baro de Aſte præfatam læſionem pretii locorum Montium adduxit, & allegavit in altero judicio immiſſionis per Marchionem de Maximis intentato, atque jam abſoluto ſuper iiſdem locis Montium, & in omnibus ejus inſtantiis,

ad

ad finem oſtendendi per Franciſcum reſignantem translata fuiſſe in Joannem Baptiſtam de Aſte ſuum Authorem, & Emptorem jura dotalia activa Victoriæ de Naris ejus Matris, quorum vigore contendebat ſibi competere retentionem ex diſpoſitione ſatis notæ *Authent. Res, quæ: Cod. commun. de legat.*, & pro eadem læſione comprobanda in medium propoſuit ea omnia motiva, & circumſtantias, quæ modo repetuntur in hoc hodierno judicio læſionis per viam actionis promoto; Et nihilominus ſemper fuit conſtans ſenſus Sac. Auditorii nullo modo conſtare de eadem læſione; immo potius illam remanere prorſus excluſam, & attentis eiſdem facti circumſtantiis pretium datum cuilibet ex dd. locis Montium in ſumma ſcut. 68. 70. eſſe ex omni parte juſtiſſimum, & æquum, ex rationibus cumulatis in omnibus deciſionibus editis in d. cauſa ſub titulo *Romana Locorum Montium ſuper reſtitutione in integrum coram bon. mem. Gamaches ſub die 7. Februarii* 1727., *& die* 4. *Aprilis* 1729., *& cor. Emo D. Cardin. Cincio die* 8. *Junii* 1731., *& cor. R. P. D. meo Nunez die* 12. *Maii* 1732., *& coram Rmo Epiſcupo Nitrien. die* 4. *Maii* 1734.

Et propterea cum per Sacr. Auditorium in quatuor inſtantiis in d. cauſa Immiſſionis fuerit ſedulo, accurateque diſcuſſa prætenſio læſionis, ac firmiter ſemper rejecta, dubio procul viſum fuit DD. hoc ſufficere, ut in eodem ſenſu perſiſtendum quoque veniat in hoc alio judicio leſionis ex integro per Baronem introducto, inhærentibus ejuſdem Sa-
2 cri Auditorii ſtilo ſupponendi proprias deciſiones, ac in eis diſcuſſa, & utraque parte audita determinata; de quo *Rot. cor. Celſ. dec.* 320. *n.* 1., *& cor. Falcon. dec.* 7. *n.* 6. *de Jurepatronat.*, *& in rec. dec.* 202. *pariter n.* 6. *par.* 17., *& dec.* 134. *n.* 16. *part.* 19. Non obſtante,
3 quod Signatura Juſtitiæ, cujus reſcripta Sac. Rota nunquam revocat in dubium, d. novum judicium læſionis remiſerit ad Judicem ordinarium, non attentis dd. deciſionibus: Quia cum hæc remiſ-
4 ſio reſpiciat ordinem, ſive telam judiciariam, operatur quidem, ut judicata in d. judicio Immiſſionis emanata, ac firmata in deciſionibus de more præcedentibus, non habeant vim rei judicatæ quoad laudatum Baronem, neque eum repellant a limine judicii, quem-
5 admodum res judicata repellere ſolet; *Text. in cap.* 1. *de lit. conteſtat. in* 6., *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. in Miſcell. dec.* 61. *ſub n.* 1., *& in Romana Abbreviatoriæ* 14. *Martii* 1721. §. *Imo: cor. bon. mem. Cerro*, cum per
6 illam dicantur extinctæ omnes actiones, ac quælibet lis: *cap. Bertoldus: de re judicat.*, *Rot. cor. Seraph. dec.* 1308. *n.* 1., *& cor. Gregor. dec.* 184. *n.* 2., *& in rec. dec.* 239. *n.* 4. *part.* 9.: Non autem impedit, quin ex eiſdem rationibus
7 Sac. Auditorium non valeat præſupponere eaſdem deciſiones, atque adhærere firmatis in illis circa merita cauſæ, ſive læſionis; Reſcripta enim Signaturæ Juſtitiæ reſpicientia ordinem, ſeu telam
8 judiciariam in nihilo lædunt ea, quæ verſantur ſuper meritis cauſæ, aut juſtitia, vel injuſtitia actionis intentatæ; *Card. de Luc. de præemin. diſ.* 34. *n.* 2.

Licet hæc ſufficere viderentur, nihilominus iidem DD. reaſſumentes inſpectionem ſuprad. læſionis fundatæ a Barone in eo, quod præfata Loca Montium haberent plura vincula, evictionis nempe latifundii *di Porcareccia*, pacti illa redimendi intra triennium, hypothecæ dotalis Victoriæ Nari, atque duplicis Fideicommiſſi Dominici, ac Lucæ de Maximis, & ſic valde læſivum eſſet eorum pretium calculatum in ſc. 68. 70. pro quolibet loco; cum ubi plura
9 ſunt vincula, plus etiam minuendum veniat pretium rei venditæ; *Altograd. conſil.* 102. *n.* 70. *lib.* 2., *Surd. dec.* 30. *n.* 15., *Rot. cor. Buratt. dec.* 675. *n.* 10., *& ſeqq.*, *& in rec. dec.* 264. *n.* 5. *par.* 11. Iterum exiſtimarunt nullo modo conſtare de læſione.

Animadverterunt ſiquidem, quod, cum per Franciſcum de Maximis non fuerint vendita dd. Loca Montium ad
10 vitam, ſive commoditas eorum fructuum ſua vita durante certo extinguenda per ejus obitum, ſed ipſamet Loca Montium, eorumque proprietas, ac ſubſtantia, omnia ſupradicta vincula erant incerta, ac eventualia, quia illorum caſus poterant non ſuccedere,

& ſpecialiter vinculum dotis Victoriæ unice infixum ſuper Locis Montium in ſubſidium, ac in defectum aliorum bonorum Fabii de Maximis ſui viri; ut loquendo de iiſdem vinculis tradunt; *Card.de Luc. de Regal.diſc.30.ſub n.9., Rot. cor. bon. mem. Lanectta dec.242. n.16., & 17.*, & admittunt omnes præcedentes deciſiones editæ in d.alia cauſa Immiſſionis, & ſignanter illa *Emi Cineii diei* 8. *Junii* 1731. *§.Nam ſicuti, & altera R. P. D. mei Nunez diei* 12. *Maii* 1732. *§.Præmiſſo enim*.

Stante itaque hac incertitudine, & eventualitate vinculorum, ex qua propter eorum non eventum Baro de Aſte poterat acquirere liberum, & perpetuum dominium Locorum Montium, & lucrari illam ratam eorum veri pretii tum iutrinſeci, tum extrinſeci, quam non ſolvit; inde promanat, quod idemmet Baro nullam allegare valeat læſionem quoad dictum pretium ſolutum in
11 ſcut.68. 70. ex eo, quia in incertis, ac eventualibus æqualiter, ut hic, ſeſe habentibus ad lucrum, & ad damnum nulla conſideratur læſio; *Anſald. de commerc., & mercat. diſcurſ.60. n.12., Rot. cor.Coccin. dec.1544. n.21., & 22., & cor.Peutinger. dec.49. per tot., & in rec. dec.225.n.10. par.15., & dec.408. n.7., & ſeqq. par.16., & dec.660. n.2. par.18. tom.2.* ubi, quod in his terminis quis dicitur emere aleam, ſive jactum retis.

Quod eo maxime procedere viſum fuit, quia ponderatis ſingulis vinculis, conſtitit uſque tunc defeciſſe fere omnem probabilitatem periculi ex cauſa illorum; Nam quod attinet ad evictionem, venditio latifundii *della Porcareccia* ſecuta fuerat prævio Chirographo, ſive Indulto S.M. Clementis VIII. anno 1593., & ab hoc tempore uſque ad venditionem, ſive reſignationem horum Locorum Montium factam favore Joannis Baptiſtæ de Aſte an.1629., & ſic poſt lapſum annorum triginta, & ultra, nulla illata fuit moleſtia ſuper
12 d. latifundio; Unde ceſſabat quælibet probabilitas periculi ex iſtius cauſa; non enim eſt veriſimile, quod ſpatio tanti temporis evictio non eveniſſet, quatenus adfuiſſent Prætenſores ſuper pretio latifundii venditi, ex quo empta fuere dd.Loca Montium; ut bene in terminis conſiderat *Conſtant. ad Statut. Urbis de Loc. Mont. diſc. unic. artic.1. ſect.4. n.186. tom.1.* Quod etiam confirmavit ſucceſſivus eventus; dum per lapſum centum, & ultra annorum a die venditionis Locorum Montium pariter nulla evenit evictio, aut illata fuit aliqua moleſtia; Vinculum verò hypothecæ dotalis Victoriæ non erat exercibile, ut ſupra dictum eſt, ſuper Locis Montium, niſi prius excuſſa fuiſſent, & reperta non ſolvendo bona hæreditaria Fabii Viri; & ulterius, cum tempore venditionis dd. Locorum Montium, ideſt anno 1629. dotale creditum Victoriæ devolutum fuiſſet Franciſco ejus filio, ac hæredi, nullum damnum ex memorato vinculo dotali recipere poterat ſuper dd. Locis Montium præfatus Reſignatarius, cum quatenus Franciſcus Cre-
13 ditor agere voluiſſet pro ſatiſfactione ſuper iiſdem Locis Montium, illico repelli poterat exceptione notiſſimi *Text. l.vindicantem ff.de evictíon.*; ut firmant omnes deciſiones in dicta alia cauſa Immiſſionis, & ſignanter illa *diei* 14. *Maii* 1734. *§. Quo verò cor. Rmo Nitrien.*: Fideicommiſſa verò Dominici, & Lucæ de Maximis jam triginta, & ultra annis deducta fuerant in judicium in hoc Sac. Auditorio, quod illis examinatis declaraverat per obitum cum Filiis primorum vocatorum illa expiraſſe, nec habere ulteriorem progreſſum; ut *ex dec.118. par.1., & ex deciſ.130. par.2. diverſ.*, & ex hac ratione eadem Fideicommiſſa in venditione ſuprad. latifundii *di Porcareccia* dubitative expreſſa fuere ſub illis verbis: *Non obſtantibus fideicommiſſis, ſi quæ adſunt*, & inferius -- *& pro indemnitate omnium in dd.Fideicommiſſis, quatenus adſint, Vocatorum* --

Quapropter cum in hoc rerum ſtatu periculum dd. vinculorum, vel abſolute non adeſſet, vel adeſſet valde remotum, & quaſi improbabile, ita ut potius eo attento Reſignatarius Locorum Montium eſſet in ſpe quaſi certa lucri in ea parte reliqui pretii Locorum Montium non ſoluti, eo magis non ſolum non eſt quoad talem reſignationem

nem , ſive emptionem allegabilis ulla læſio , ſicuti allegabilis non eſt in caſu fortiori contractus incerti , atque eventualis , ac æqualiter ſe habentis ad commodum , vel incommodum , ut ſupra viſum eſt ; ſed ubi etiam allegabilis eſſet , ceſſaret ex omni parte quælibet umbra læſionis reſpectu pretii ſoluti in ſcut.68. 70. pro quolibet Loco ; nam Loca Montium vinculata , ubi vincula

14 ſunt valde remota , minuſque probabilia , ſemper vendi , & æſtimari ſolent majori pretio , ac parum minori illo vero , & certo pretio tam intrinſeco , quam extrinſeco tunc currenti in ſcutis 117. pro quolibet loco , ut oſtendebatur a Marchione , quo regulariter vendi ſolent Loca Montium libera , & dicta eventualitas , quæ in ſubſtantia

15 reducebatur unice ad ſuperius enunciata Fideicommiſſa, & ad illum caſum, quo Sacra Rota recederet a ſupradictis deciſionibus , ſatis ſuperque compenſata videtur cum illa diminutione pretii e ſumma ſcut.117. ad aliam ſummam ſcutor.68. 70., ex deductis per *Card. de Luc. de regal. diſc.30.n.9. 10., & 11., & diſc.31. n.16. , Conſtan. ad Statut. Urb. de Loc. Mont. diſc. unic. artic.1. Sect.4. n.184. 185., & ſequen., Rot. cor. Buratt. dec.675. n.13. , & cor. bon. mem. Lancetta dec.242. n.13. , & plur. ſeq. , & firmant omnes ſæpè citatæ Deciſiones in alia cauſa Immiſſionis cor. bon. mem. Gamaches , Emo Cincio , & RR.PP.DD.meis Nunez , & Harrach* nunc meritiſſimo Nitrien. Epiſcopo.

Non merente ullam reflexionem , quod Loca Montium obnoxia unico vinculo Fideicommiſſi vendi ſoleant pretio ſcut.25., vel ſcut.30., quodque ſucceſſive Sac. Rota recedendo a ſupradd. *Deciſionibus* 118. *part.* 1. , & 230. *part.*2. *diverſ.* cenſuerit enunciata Fideicommiſſa Dominici , & Lucæ adhuc durare , & eſſe progreſſiva ad ulteriores Deſcendentes , ut ex *dec.*18. *part.*18. *recen.* ſucceſſive pluries confirmata in hoc Sac. Auditorio , quodque demum in ſuprad. venditione , ſeu reſignatione Locorum Montium ultra expreſſa vincula adſit etiam aliud , pacti nempe redimendi infra triennium: Quia Loca Montium cum vinculo Fi-

16 deicommiſſi tunc vendi ſolent pretio ſc.25., aut ſc.30., quando a gravato venditur ejus vita , ſive commoditas fructuum perneceſſe extinguenda per ejus obitum ; minime vero quotieſcunque , ut in præſenti , vendita fuere ipſamet Loca Montium, eorumque ſubſtantia una cum vinculo Fideicommiſſi eventualis , atque incerti , ut declarant *Card. de Luc. de regal. d. diſc.30. n.9. , & 14. , Conſtantin. loco ſupra citat. n.184. , & 185., Rot. cor. Lancetta dicta dec.142. n.13., & in Avenionen. Primogenituræ 25. Junii 1700. §. Poſita: verſ. quodque non ageretur , cor. bon. mem. Jacometto*: Ille vero receſſus Sac. Rotæ a Deciſionibus , de quibus ſupra , ac ſucceſſivus ejus ſenſus ſuper progreſſu dd. Fideicommiſſorum ad ulteriores Deſcendentes pariter non eſt

17 conſiderabilis in hac materia læſionis, in qua non attenditur id, quod poſt contractum accidentaliter evenit , ſed tantum rerum ſtatus , prout erat tempore initi contractus; *Menoch. de arbitrar. Jud. caſ.*149. *n.*16. *cum ſequen.* , *Peregrin. de Fideicomm. artic.42. n.40., Merlin. de legitim. tit.1. quæſt.12. n. 26., Urceol. de tranſact. quæſt.18. n.19. Rot. cor. Bich. dec.94. n.4., 5., & cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de Fideic. dec.68. n.16.* Pactum autem redi-

18 mendi, uti reſtrictum ad modicum tempus triennii, vel nihil æſtimari poterat; *Amat. var. reſolut. 61. num.27. , Cyriac. controv. 361. n.4., Rot. coram Lancett. dec.242. n.17., & in recent. dec.316. n.9. part.12.*, vel ſaltem non

19 erat æſtimandum niſi in ſexta parte veri pretii , ut pariformiter firmant omnes ſupracitatæ Deciſiones in alia cauſa Immiſſionis, & ſignanter illa *Emi Cincii* 8. *Junii* 1731. §. *Quin urgeat , & altera Reverendiſſimi Nitrien.* 14. *Maii* 1734. §. *Quo vero : in fine* .

Urgebat præterea , quod Jo: Baptiſta reſignatarius, ſive emptor controverſorum Locorum Montium habuit certam , & individuatam ſcientiam omnium dictorum vinculorum, eorumque qualitatum , quæ literaliter expreſſa fuere in ipſa alienatione , ſive reſignatione , ibi — *Ceſſit , & reſignavit Loca &c. , & in primis cum vinculis , &* con-

Digitized by Google

*conditionibus omnibus &c., & propte-
rea etiam ultra alias conditiones, & alia
omnia expreſſa in dd. literis patentibus,
ſtent, & ſtare debeant ſubjecta omni-
bus, & quibuſcunque conditionibus,
vinculis, & hypothecis in Inſtrumentis
tam ſuper venditione dicti Caſalis Por-
careccia &c., & alias juxta formam
omnium ſupradd. Inſtrumentorum, ad
quæ ſemper relatio habeatur* – quæ om-
20 nia Inſtrumenta vidiſſe, & conſide-
raſſe præſumitur ipſum Jo: Baptiſtam
eo ipſo, quod illa fuere ei indicata,
cum quilibet emptor teneatur, ac ſo-
leat explere ſimilem diligentiam *Bald.
cap.1. §. Perſonam vero: tit. per quos
fiat inveſtit., Jaſon. in l. quamdiu n.7.
in prima limitat. Cod. qui admitt., Cra-
vett. conſil.122. n.8., Natt. conſil.267.
n.2. verſic. quia conditione: Adden. ad
dec.10. n.19.20.21. par.3. recent.* Et
conſequenter cum in hoc caſu idem
Jo: Baptiſta emptor nequeat dici de-
ceptus, vel errore ductus ad emptio-
nem dd. Locorum Montium vincula-
torum pro memorato pretio ſcutorum
68. 70., cum dicta ſcientia removeat
21 quemcunque errorem, & opinabi-
lem deceptionem, ut ad rem optime
advertit *Rot. coram Coccin. dec.1450.
nu.13., & ſequen.*; inde fit, ut ubi
22 etiam dd. vincula fuiſſent certo even-
tura, & ſic ob talem certitudinem il-
lorum pretium foret exceſſivum, ac
læſivum, nullo modo poſſet idem Jo:
Baptiſta, ſive Baro de Aſte ejus ſuc-
ceſſor læſionem hujuſmodi in judicio
proponere, aut quidquam ratione il-
lius petere a Marchione de Maximis,
quia volenti, & ſcienti nulla fit inju-
23 ria, atque taliter emens abſque ulla
proteſtatione, aut declaratione cenſe-
tur illud exceſſivum pretium Vendito-
ri donare, nec illud repetere poteſt;
*l. ſi fundum ſciens, ubi Gloſſ. in verb.
ſi ſciens Cod. de evict., Natt. conſil.181.,
n.8., Mangil. de evict. quæſt.151. n.4.,
& ſequen., bo. me. Anſaid. de commerc.,
& mercat. diſc.61. n.59., late Adden.
ad d. dec.10. n.5., & 6. part.3. recen.,
Rot. in recen. dec.140. n.5. part.5., &
dec.469. n.9., & 17. ac ſeq. part.9.*

Denique additum fuit, quod quate-
nus per malam hypotheſim locus eſſet
reſciſſioni ſupradicti contractus ex ca-
pite læſionis, cum res redigenda eſſet
ad ſtatum, qui vigeret, ſi contractus
non contigiſſet, idem Baro de Aſte ſa-
tisfactus remanſiſſet de ejus prætenſo
credito ex fructibus plus juſto percep-
tis a locis Montium ex dicto capitali
ſcut.68. 70. ad rationem annuorum
ſcutorum ſex, & deinde quinque, qua-
tuor, & trium, quæ de tempore in
tempus reddiderunt Loca Montium,
non attento quovis implicito ſtatu va-
24 liditatis, nec bona, vel mala fide, ne
alias d. Baro locupletatus remaneret
cum aliena jactura; *Ramon. conſil.454.
n.26., & 27., Rot. coram Dunozzett.
Jun. dec.818. n.3., & coram Arguell.
dec.113. n.16., & 17., & cor. Falco-
ner. dec.14. n.4. tit. de uſuris, & in re-
cent. dec.605. n.10. part.18.*

Et ita utraque &c.

MUTINEN. PAROCHIALIS, SEU PLEBANIÆ.

Lunæ 13. Januarii 1738.

ARGUMENTUM.

Epiſcopus poſt proviſionem Eccleſiæ tan-
quam de Jurepatronatus allegare am-
plius nequit alternativam. Subrogatio
gratioſa collitiganti conceſſa ad diffe-
rentiam ſubrogationis, quæ tertio con-
ceditur, non eſt proviſio, ſed ſubingreſ-
ſus in jus defuncti. Beneficia de Jurepa-
tronatus laicali etiam vacantia per reſi-
gnationem in Curia non conferuntur in
vim *Reg.42. Cancell.*, niſi vel cum expreſ-
ſa derogatione Juriſpatronatus, vel cum
conſenſu Patronorum. Juſpatronatus
etiam Potentum probari valet per ſcri-
pturas authenticas comprobantes præ-
ſentationes, & per centenariam conti-
nuatam. Facilius admittitur Juſpatrona-
tus perſonæ privatæ, quam potentis. Cæ-
tera habes in argumento Dec. LXXXIII.

SUMMARIUM.

1 *Februarius eſt reſervatus Sedi Apo-
ſtolicæ.*

2 *Reſervatæ ſunt S. Sedi Parochiales, quæ
prævio concurſu intra terminum ſex
menſium ab Ordinario collatæ non
fuerunt.*

3 *Literæ Apoſtolicæ juſtificatæ executio-
nem merentur.*

4 *Epi-*

4 *Epiſcopus, poſtquam ad Eccleſiam inſtituit uti de Jurepatronatus, nequit amplius, eodem Jurepatronatus non exiſtente, allegare alternativam.*

5 *Ut Literæ Apoſtolicæ exequi debeant, ſufficit unam ex reſervationibus alternative expreſſis verificari.*

6 *Pro Beneficiorum libertate ſtat præſumptio;*

7 *Quæ habetur pro liquidiſſima probatione;*

8 *Proindeque Proviſus Apoſtolicus non tenetur libertatem probare;*

9 *Maxime quando S. Sedes reperitur in quaſi poſſeſſione conferendi;*

10 *Neque proviſio facta ab Ordinario tanquam de Jurepatronatus in vacatione, de qua diſceptatur, hujuſmodi onus refundit in Proviſum Apoſtolicum, aut nocet poſſeſſioni S. Sedis.*

11 *Beneficia de Jurepatronatus laicali non ſunt obnoxia reſervationibus Apoſtolicis.*

12 *Literæ Apoſtolicæ exequendæ ſunt ad formam ultimi ſtatus tam favore Patronorum, ac inferiorum collatorum, quam Papæ.* & n.31.

13 *Subrogatio gratioſa unice conceditur pro remotione novi Collitigantis;*

14 *Et ſubrogatus dicitur conſequi Beneficium ex prima gratia Proviſionis Apoſtolicæ;*

15 *Vel ſi dici poteſt obtineri per ſubrogationem, hoc tantum verum eſt, ubi lis per eandem terminetur, & ſubrogatus acquirat pacificam poſſeſſionem Beneficii;*

16 *Secus, ubi ſubrogatus litem reaſſumere coactus fuit cum defuncto inceptam ſuper executione literarum, ac juſtificare reſervationem, & excludere Juſpatronatus; tunc enim obtinere dicitur ex Proviſione.*

17 *Omnis conſequens actus regulatur a ſua cauſa, & talis præſumitur, qualis eſt titulus præcedens.*

18 *Collatio eſt vera proviſio Eccleſiæ, ſubrogatio vero collitigantis eſt dumtaxat ſubingreſſus in jus defuncti;* &n.24.

19 *Ad differentiam ſubrogationis conceſſæ non collitiganti, ſed tertio, quæ potius proviſio eſt, quam vera ſubrogatio.*

20 *Gratioſe ſubrogatus non tenetur probare niſi litem, clericatum, & poſſeſſionem defuncti.*

21 *Dictio* Præterea *eſt ampliativa, & augmentativa.*

22 *Subrogatio gratioſa bene conjungi valet cum literis proviſionis citra læſionem executionis earundem.*

23 *Additio per verbum augmentativum potius confirmat, quam excludat id, cui ſit additio.*

24 *Subrogatus non recognoſcit jus ſuum a Papa, ſed a defuncto.*

25 *Ex obſervantia dignoſcitur, quid comprehenſum in diſpoſitione fuerit.*

26 *Ultimus ſtatus licet unicus ſufficit pro acquirenda quaſi poſſeſſione conferendi.*

27 *Beneficia de Jurepatronatus laicali etiam vacantia per reſignationem in Curia non conferuntur in vim* Regul.42. Cancell. *niſi vel cum expreſſa derogatione Jurispatronatus, vel cum conſenſu Patronorum;*

28 *Aliter enim eo ipſo, quod narrata fuit prætenſio excluſa Jurispatronatus, firmatus remanet ſtatus pro libertate Eccleſiæ.*

29 *Reſignatio publicatur, & affigitur ad valvas tam Cathedralis, quam Parochialis reſignatæ; unde acquieſcentia aſſerti Patroni referri nequit ad ignorantiam reſignationis, ſed ad agnitionem mali juris jam panditi per rem judicatam.*

30 *Præſentans ad Beneficium uti vacatum per obitum Reſignatarii approbat ultimum ſtatum provenientem a reſignatione.*

31 *Reſpicientia petitorium non attenduntur in judicio executivo manutentionis.*

32 *Res judicata parit exceptionem litis finitæ.*

33 *Perſonæ potentes, & habentes dominium loci rigoroſe probare debent Juſpatronatus, vel per exhibitionem publici Inſtrumenti fundationis, & dotationis, vel per immemorabilem cum requiſitis, & pluribus præſentationibus effectum ſortitis continuato ſpatio 50. annorum juſtificandis per publica Inſtrumenta earundem præſentationum tam in petitorio, quam in poſſeſſorio.*

34 *Juſ-*

34 *Juſpatronatus etiam Potentum probari poteſt per ſcripturas, præſentationes comprobantes, & centenariam, modo ſit continuata, & ſcripturæ ſint authenticæ*; & n.42.

35 *Non vero ſufficiunt inſtitutiones cum enuntiativa Jurispatronatus, nec aſſertiones circa præſentationem inſtitutorum*; & n.37., & 40.

36 *Nec enuntiativæ emiſſæ in Literis Apoſtolicis ad inſtantiam ſupplicantium*;

37 *Nec Teſtes*;

38 *Nec Bullæ reſignationum cum præſervativa conſenſus, niſi etiam adſit decretum Executoris, & legitimum documentum præſtationis aſſenſus*,

39 *Eo ipſo, quod in ſequenti ſtatu Eccleſia dicitur vacaſſe per obitum, probatum remanet, præcedentem reſignationem effectum non habuiſſe*.

41 *Clauſulæ dubitativæ, & aliorum aſſertionis ſimpliciter enuntiativæ potius excludunt, quam probent Juſpatronatus*.

43 *Juſpatronatus perſonæ privatæ facilius probatur, & admittit probationes ſuperius rejectas quoad Juſpatronatus Potentum*;

44 *Quæ tamen etiam quoad hoc ultimum recipiuntur, quatenus aliæ urgentiſſimæ concurrant, prout ſunt ſententiæ Ordinariorum emanatæ prævia cauſæ cognitione, & effectum ſortitæ, ac diu obſervatæ, & approbantes Juſpatronatus poſt publicationem Concilii*.

45 *Bulla Inſtitutionis non eſt conſiderabi is non exhibita præſentatione, nec decreto, ac attenta qualitate Inſtituentis, qui fuerit Vicarius*.

46 *Non citato Proviſo Apoſtolico, nec S. Sede in quaſi poſſeſſione exiſtente conferendi Eccleſiam uti liberam, ſententia nullius eſt roboris, præſertim ſi habeat contra ſe rem judicatam, & liti cauſam dederit*.

47 *Augmentum dotis Eccleſiæ percutere debet tempus conceſſionis Jurispatronatus, nec probatur ex poſt*.

48 *Juſpatronatus conceſſum ob augmentum dotis in tertia parte cadit ſub revocationibu Adriani VI., & S. Concilii*.

49 *Allegato expreſſo titulo infecto, centenaria quoque infecta remanet*;

50 *Nec recurri poteſt ad meliorem titulum præſumptum*;

51 *Quod tamen limitatur, ſi titulus expreſſus allegatus non fuerit ab ipſomet Patrono præeiſe ad probandum Juſpatronatus, ſed vel ab altero collitigante, vel a Procuratore Patroni non habente mandatum Procuræ*.

52 *Ad probandum Juſpatronatus excluſivam reſervationum non ſufficiunt reſignationes, ſed requiritur conſuetudo præciſe præſentandi in vacationibus per obitum, & in menſibus reſervatis*.

DECISIO XCV.

NOn dubitarunt DD. in hac cauſa a Me hodie repropoſita, informantibus etiam Marchionibus de Montecuccolis, qui Sacerdotem Gaſparem Toſettum præſentarunt ad Eccleſiam Parochialem S. Joannis Baptiſtæ Loci Maſerni Mutinen. Diœceſis prætenſam de eorum Jurepatronatus, perſiſtere — *In deciſis* — pro executione nempe Literarum Apoſtolicarum proviſionis ejuſdem Eccleſiæ a S. Sede uti liberæ collationis, ac ei reſervatæ, obtentarum a Sacerdote Sancte Joſepho Jacobatio, cum iterum conſtiterit eaſdem Literas Apoſtolicas eſſe in omnibus partibus juſtificatas, ſignanter in ordine ad reſervationem Eccleſiæ, orientem tam ex
1 vacatione ejuſdem in menſe Februarii, qui eſt unus ex menſibus S. Sedi reſervatus *in Regul.9. Cancell.*, quam etiam ex *Conſtitutione S. Pii V. Bullar. Nov. in ordine la 33. §.3., & 4.*, per quam
2 proviſioni S. Sedis reſervantur omnes Parochiales, quæ ſine concurſu, vel intra terminum ſex menſium a die vacationis collatæ non fuerint per Ordinarium, & propterea eædem Literæ
3 Apoſtolicæ ſic juſtificatæ omnem, & celerem merentur executionem, ut dictum fuit — *In deciſione*, quæ revidetur, §.*Quando enim*.

Nec iidem DD. putarunt, hujuſmodi Eccleſiæ reſervationem excluſam remanere ab alternativa menſium acceptata, & admiſſa favore Epiſcopi Mutinen. in Dataria Apoſtolica uſque ab an.1730., per quam idem menſis Februarii ex Apoſtolico evaſit Ordinarius; quia quid-

Digitized by Google

quidquid ſit, an March. de Montecuccolis potuerint allegare talem exceptionem unice Epiſcopo competentem; cum
4 iſte inſtituerit Toſettum in hac Eccleſia uti de Jurepatronatus dd. de Montecuccolis, non habet amplius locum enuntiata alternativa favore Epiſcopi ſuper proviſione dictæ Eccleſiæ uti liberæ collationis; *Corrad. in Prax. Beneſic. lib.3. cap.6. n.32., & pluribus ſeqq., Garz. de Beneſic. par.5. cap.1. n.761.*, & inde ſemper ſubſiſtit altera reſervatio deſumpta *ex d.Conſtit.S.Pii V.*, quæ,
5 cum fuerit per manifeſtam alternativam expreſſa in Literis Apoſtolicis Jacobatii, ut ex illarum verbis -- *ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, vel alias etiam juxta præfatam dicti Pii V. Prædeceſſoris Conſtitutionem generaliter reſervata exiſtat* -- ſufficit pro executione Literarum Apoſtolicarum Jacobatii unice verificari; *ad Text. in cap. in alternativis de regul. jur. in 6., Rot. in Legionen. Beneficii 22. Martii 1733. §. De illarum cor. R. P. D. meo Creſcentio, & in Cæſarauguſtana Cappellaniarum 21. Martii 1735. §. Literæ coram R. P. D. meo Buſſio.*

Minuſque ſubſiſtere exiſtimarunt, quod ultra præmiſſa, pro verificanda ſupra expreſſa reſervatione, teneatur Proviſus Apoſtolicus probare etiam
6 libertatem Eccleſiæ, quia præſumptio ſtat pro libertate Beneficiorum, juxta theoricam communiter receptam; *Innocent. in cap. cum Venerabilis de except. n.9., Rot. cor. Cavaler. dec. 159. n.1., & coram Royas dec.59. n.4., & coram Ninot. dec.39. pariter n.4., & coram Kaunitz dec.83. n.5., & in Recent. dec.514. num.2. part.17., & deciſ.395. n.4. part.19.*; quæ præſumptio
7 cum habeatur pro liquidiſſima probatione; *Menoch. conſ.5. n.10., Rot. in Recent. dec.5. n.13. part.19.*; ideo Jacobatium relevat a quocunque onere fa-
8 ciendi dictam probationem; Quod eo fortius procedere viſum fuit, quia S.Sedes ex penultimo, & ultimo ſtatu reperitur in poſſeſſione, ſeu quaſi conferendi, ac providendi dictam Eccleſiam Parochialem tamquam liberam, & cadentem ſub reſervationibus Apoſtolicis, & ſic agitur de manutenenda eadem Sancta Sede in ſua quaſi poſſeſſione, ut inferius, in quibus terminis
9 eo magis Jacobatius ejus Proviſus non arctatur onere probandi dictam libertatem; *leg. ſive poſſidetis Cod. de probat., Lotter. de re Benefic. lib.1. quæſt.38. n.71., Rot. cor. Cavaler. dec.382. n.4., & cor. Cocein. dec.278. n.1. in fin., & in Recen. dec.476. n.1., & 6. part.1., & dec.758. n.3. part.3.*

Quantumvis in hac vacatione March. de Montecuccolis præſentaverint Toſettum, qui fuit inſtitutus ab Ordinario, & reperitur in actuali poſſeſſione Eccleſiæ Parochialis; quia cum hæc omnia evenerint tempore, quo Jacobatius reperiebatur hic in Urbe pro obtinenda proviſione Apoſtolica, & hoc bene innoteſceret eiſdem March. de Montecuccolis, qui ad impediendam eandem proviſionem ſub die 12. Novembris 1736. appoſuerunt in Dataria Apoſtolica -- *nihil tranſeat* --, &
10 inaudito eodem Jacobatio, ac Sancta Sede poſſeditrice, nullius ſunt momenti ad finem refundendi d. onus probandi Eccleſiæ libertatem in Proviſum Apoſtolicum, atque unice præjudicant Ordinario, qui dedit inſtitutionem, non autem Proviſo Apoſtolico, & Sanctæ Sedi, ut in terminis alias firmavit *Rot. in Mediolanen. Beneficii prima Aprilis 1707. §. Tertius caſus cor. bon. mem. Anſaldo*, & generaliter *cor. Put. dec.372. lib.2., & cor. Gregor. dec.6. num1., & 10., & in Recent. dec.106. n.1., & 2. part.1.*

Probe agnoſcentes defenſores March. de Montecuccolis talem veritatem, recurrebant ipſi ad probandum dictam Eccleſiam non eſſe liberam, ſed de illorum Jurepatronatus, & quod per con-
11 ſequens non caderet ſub reſervationibus Apoſtolicis, quibus non ſunt obnoxia Beneficia de Jurepatronatus Laicali, ſed hoc pariter irrelevans dijudicatum fuit ad impediendam executionem dd. Literarum Apoſtolicarum; Quandoquidem cum, ut dictum eſt, eadem S. Sedes ex memoratis penultimo, ac ultimo ſtatu Annorum 1671., & 1686. acquiſiverit quaſi poſſeſſionem hanc Parochialem Eccleſiam conferendi uti liberam, & ſic cadentem ſub re-

reſervationibus Apoſtolicis, in ea venit manutenenda, & ad formam hujus
12 ultimi ſtatus Literæ Apoſtolicæ Jacobatii ſunt exequendæ, uti præſeferentes judicium mere executivum, & poſſeſſorium, rejecta quacunque indagine ſupradicti Juriſpatronatus veluti reſpiciente judicium petitorium, & quæ forſan deſervire poterit pro futuris vacationibus ex diſpoſitione *notiſs. Text. in cap. conſultationibus de Jurepatronatus*, quæ ſi attenditur favore Patronorum, vel inferioris Collatoris, ita ſimiliter ſervanda eſt in Proviſione Apoſtolica, ex quo Summus Pontifex non debet eſſe deterioris conditionis, quam ſint Patroni, aliique Collatores, ſignanter dum dictus penultimus ſtatus Anni 1671., in quo a Sancta Sede fuit de Eccleſia uti reſervata proviſus Sacerdos Joannes Baptiſta Maſernus, fuit contradictus, ac impugnatus a Baracano, atque a Bartolino præſentatis a March. de Montecuccolis, & approbatus favore S. Sedis uſque ad rem judicatam; ut late firmatur *in præterita dec. §. Abſque eo quod cum duob. ſeq.*, *& §. Quæ omnia*.

Hinc non obſtant ea, quæ deducebantur a March. pro enervanda vi dictorum penultimi, & ultimi ſtatus favore S. Sedis; Et ſane incipiendo a penultimo, ideſt ab illo anni 1671. non obſtat, quod mortuo Baracano primo illorum Præſentato, & adhuc lite indeciſa pendente coram Epiſcopo Mutinen. inter ipſum, & dictum Maſernum Proviſum Apoſtolicum, hic ultimus obtinuerit ab eadem S. Sede gratiam ſubrogatoriam in juribus Baracani defuncti, & conſequenter ex prima gratia proviſionis Apoſtolicæ Eccleſiæ tanquam reſervatæ impetrata ab eodem Maſerno dici nequeat efformatus d. ſtatus favore S. Sedis, cum propter d. gratioſam ſubrogationem incertum remaneat, an Maſernus Eccleſiam Parochialem potius aſſecutus fuerit vigore recenſitæ proviſionis Apoſtolicæ, quam ex juribus Baracani defuncti, ad quæ fuerat ſubrogatus; hoc, inquam, non obſtat, ſive quia cum ſubrogatio gratioſa unice obtineri, ac concedi ſoleat
13 pro remotione obſtaculi novi Collitigantis, & non pro acquiſitione novi juris ad formam *cap. 1., & 2., ut lit. pend. in 6.*, ſemper quis dicitur conſequi Eccleſiam ex prima gratia proviſionis Apoſtolicæ, ut firmant authoritates cumulatæ *in d. deciſ.*, quæ re-
14 videtur *§. Non officiente*.

Sive etiam quia d. aſſumptum procedere poſſet in eo caſu, quo mortuo Collitigante lis terminaſſet per eandem
15 gratioſam ſubrogationem, & ſubrogatus vigore illius quiete, ac pacifice, & abſque alicujus contradictione adeptus eſſet Eccleſiæ poſſeſſionem, & in his terminis loquuntur authoritates a defenſoribus March. allegatæ; Verum caſus præſens eſt totaliter diverſus, nam mortuo memorato Baracano primo Præſentato March. prædicti novum dederunt Collitigantem præſentando Bartolinum, cum quo opus fuit Maſerno Proviſo Apoſtolico, non obſtante ſupra expreſſa ſubrogatione gratioſa reaſſumere, ac proſequi litem ab ipſo inceptam ſuper executione Literarum Apoſtolicarum tanquam de reſervato cum Baracano defuncto tam coram bon. mem. Buratto, quam in Sac. Auditorio coram bon. mem. Rondinino uſque ad rem judicatam, & taxationem expenſarum, ac una ſimul probare, & juſtificare reſervationem Eccleſiæ favore S. Sedis, atque excludere prætenſum Juſpatronatus, quemadmodum excluſum, ac pro inſubſiſtenti declaratum fuit, in cujus ſequelam tam d. bo. me. Burattus, quam Sac. Rota mandarunt quoque exequi Literas Apoſtolicas ſuper proviſione Eccleſiæ favore Maſer-
16 ni; Unde in hiſce circumſtantiis, in quibus verificatæ fuere hæ literæ proviſionis Apoſtolicæ, & tanquam de reſervato, fuitque excluſum d. Juſpatronatus, ac injuncta earundem literarum executio, remanet pluſquam evidens, Proviſum Apoſtolicum Eccleſiam Parochialem aſſecutum fuiſſe vigore d. primæ gratiæ, quæ primario, & principaliter fuit executa, non autem vigore gratioſæ ſubrogationis, ut innuunt authoritates allegatæ *in præte-*
17 *rita deciſ. ſupradicto §. Non officiente*, cum omnis conſequens actus reguletur a ſua cauſa, & talis præſumatur, qualis

lis eſt titulus præcedens; *Leg. quædam, ibique Bald. ff. de rei vindicat, Rot. poſt Poſth. de Manut.dec.166. n.19., & cor. Mantic. dec.3. n.6.*

Quod autem Maſernus proſecutus fuerit litem inceptam cum Baracano coram. d. bon. mem. Buratto, & in Sac. Rota, atque actum fuerit ſuper executione primarum Literarum Apoſtolicarum tanquam de reſervato, & excluſum prætenſum Juſpatronatus, conſtitit *ex deciſ. cor. d. bon. mem. Rondinino, in prima nempe diei 13. Junii 1687., ubi in §. Juſtificatio, & ſeqq.* habentur hæc verba -- *Juſtificatio literarum reſultat ex actis, ex quibus conſtat de vacatione in menſe reſervato, & de idoneitate Proviſi; Neque obſtat exceptio, quod controverſa Parochialis ſit de Jurepatronatus DD. de Montecuccolis, qui Baracanum, & deinde Bartolinum præſentarunt; Etenim &c.* -- & inferius *§. Ex his*, ibi -- *Ex his videbantur DD. bene juſtificari priores Literæ Apoſtolicæ tanquam de reſervato; Unde &c.* -- *Et in ſecunda deciſione diei 1. Decembris 1687. §. Minuſque*, ibi -- *Minuſque denique facit ad impediendam executionem literarum allegatus defectus reſervationis, ex quo controverſa Parochialis ſit de Jurepatronatus DD. de Montecuccolis; Etenim &c.* -- Et quod inſuper tam bon. mem. Burattus, quam Sac. Rota mandaverint in ſpecie exequi Literas Apoſtolicas tanquam de reſervato, apparuit ex Sententia ejuſdem bon.mem. Buratti, juxta quam ſeſe habet mandatum Rotale, in qua Sententia habentur hæc verba -- *Literas Apoſtolicas ſuper. proviſione dictæ Plebaniæ ad favorem d. Rev. D. Joannis Baptiſtæ fore, & eſſe exequendas* -- primario, ac principaliter congruentia ſupradictæ primæ gratiæ collationis tanquam de reſervato, quæ eſt vera proviſio Eccle-
18 ſiæ, non autem aliis literis ſubrogationis gratioſæ conceſſis Collitiganti ſuperſtiti, quibus mediantibus Papa non confert beneficium, ſed tantum ſubrogat eundem Collitigantem in jus defuncti, ex late traditis *per Roſ. de execut. Literar. Apoſtolic. cap.16. per tot., Lotter. de Re Benefic. lib.2. quæſt.20. n.21., & fere pariter per tot.*, ad diffe-
19 rentiam caſus ſubrogationis concedendæ non Collitiganti ſuperſtiti, ſed tertio, quæ potius dicitur proviſio Papæ, quam vera ſubrogatio, in cujus terminis loquuntur *Lotter. de Re Benefic. lib.2. d. quæſt.20. n.169.*, ac aliæ authoritates allegatæ pro parte March. de Montecuccolis.

Nec facit, quod in ſecunda *deciſ.bon. mem.Rondinini* poſt firmatum punctum reſervationis Eccleſiæ, ac excluſum prætenſum Juſpatronatus, additum fuerit, extraneam eſſe contentionem ſuper exiſtentia, vel excluſione ejuſdem Juriſpatronatus, cum gratioſe ſubrogatus
20 non teneatur probare niſi litem, clericatum, & poſſeſſionem defuncti, *ut ex §. Præterea ejuſdem deciſ.*, quia cum hoc ſecutum fuerit per modum ampliativum, & augmentativum, ut in-
21 dicant illa verba deciſionis -- *Præterea animadvertebant DD. extraneas eſſe &c.* -- & loquendo de dictione *Præterea* alias dixit, *Rot. cor. bon. mem. Lancett. dec.662. n.11. tom.3., & in rec.dec.150.n.3. §.Non obſtat par.16.*, non excludit, quod primaria, ac principalis executio Literarum Apoſtolicarum reſpiciat literas tanquam de re-
22 ſervato, ac proviſionis Apoſtolicæ favore Maſerni, cum quibus bene conjungi poterat ſubrogatio gratioſa citra ullam læſionem executionis dd. priorum literarum tanquam de reſervato, atque ſtatus pro libertate Eccleſiæ ex illa
23 orientis; cum hæc additio, ut ſupra facta, tendere dicatur potius in confirmationem priorum literarum, quam in earum excluſionem, ad tradita per *Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. Gloſſ.5. §.5. n.30., Rot. in recen. dec.379. n.4. par.1.*, cum aliis in puncto allegatis *in dec.35. n.10., & 11. lib.13. vol.4. in Mantiſſ. ad Card. de Luc.*

Minoris relevantiæ dijudicatum fuit, quod executio ſubrogationis gratioſæ demandata remanſit Decano Imolen., a quo inde cauſa proſecuta cum Bartolino ſecundo Præſentato, devoluta fuit ad Curiam prius coram ſuprad. R.P.D. Buratto, & ſucceſſive ad hoc Sac. Auditorium coram d. R.P.D. Rondinino; ex quo deducebatur, quod ſicuti Juriſdictio d. executoris unice erat reſtricta ad

Digitized by Google

ad d. ſubrogationem gratioſam, ita pariter quoad iſtam tantum intelligenda eſſet recenſita ſententia R.P.D. Buratti, ac ſubſequens Judicatum Rotale; quia in d. ſubrogatione gratioſa Maſernus Proviſus Apoſtolicus prævia narratione ſuæ Apoſtolicæ proviſionis tanquam de reſervato, & litem ſuper executione harum literarum fuiſſe inſtructam cum Baracano primo Præſentato, iſtoque defuncto fuiſſe datum in novum Collitigantem Carolum Bartolinum, petiit principaliter, ut cauſa committeretur ſuper proſecutione d. præcedentis litis in ſtatu, & terminis, in quibus reperiebatur; prout commiſſa fuit. Ideoque patet Decano Imolen. fuiſſe æque principaliter tributam juriſdictionem ſuper proſecutione prioris litis executionis Apoſtolicæ proviſionis tanquam de reſervato, quodque d. ſubrogatio reportata dumtaxat fuerit ad majorem cautelam; Hoc quoque ſuadente ſucceſſiva obſervantia Maſerni, qui inſtetit tam coram Decano Imolen., quam coram bon. mem. Buratto, & Sac. Rota pro executione ſuæ primæ proviſionis Apoſtolicæ tanquam de reſervato, eaque conceſſa fuit *ſuper proviſione* non
24 congruens gratioſæ ſubrogationi, quæ, ut ſupra viſum eſt, nullam continet proviſionem Apoſtolicam, & ſubrogatus non recognoſcit jus a S. Sede, ſed a perſona defuncti; Obſervantia enim
25 ſucceſſiva bene demonſtrat, quid fuerit comprehenſum in præcedenti diſpoſitione; *Cuman. conſ.*101. *n.*3., *Rot. cor. Buratt. dec.*35. *n.*4., & *in rec.dec.*720. *n.*13. *par.*18.

Ex his DD. deſcendentes ad ultimum ſtatum, qui licet unicus ſufficeret pro
26 acquiſitione ſupradictæ quaſi poſſeſſionis conferendi Eccleſiam uti liberam; *Rot. dec.*178. *n.*3. *coram Coccin., dec.*142. *n.*2., & 3. *cor.Emer.Jun.*, & *dec.*444. *n.*3. *par.*5. *tom.*2. *rec.* orientem ex eo, quod anno 1686. ſæpedictus Joannes Baptiſta Maſernus jam pacificus poſſeſſor Eccleſiæ Parochialis illam libere reſignavit in manibus Papæ, qui tanquam liberæ collationis contulit Sacerdoti Joanni Antonio de Blanchis, per cujus obitum modo vacat eadem Eccleſia, exiſtimarunt non obſtare, quod cum per ſimilem reſignationem Eccleſia Parochialis vacaverit in Curia, & apud S. Sedem, non valuerit ex illa firmari ullus ſtatus libertatis favore ejuſdem S. Sedis; Etenim cum in eadem reſignatione literaliter fuiſſet narratum Juſpatronatus prætenſum a Marchionibus de Montecuccolis, ab eoque per Maſernum diuturna lite Eccleſiam fuiſſe vindicatam, quod de nulla ſubreptione redargui poteſt, uti ſatis ſuperque verificatum ex ſupradicta ſententia bon. mem. Buratti, ac deciſionibus coram bon. mem. Rondinino, & re judicata, ut late ſupra diſſertum fuit, dubio procul per ſupradictam proviſionem inductus fuit ſtatus
27 libertatis Eccleſiæ; cum beneficia de Jurepatronatus laicali etiam per reſignationem in Curia non conferantur in vim *Regul.*42. *Cancell.*, niſi vel cum expreſſa derogatione Juriſpatronatus, vel accedente conſenſu Patronorum,
28 & ubi aliter fiat, eo ipſo, quod fuit narrata prætenſio jam excluſa Juriſpatronatus, firmatus remanet ſtatus pro libertate Eccleſiæ; juxta deducta per *Piton. diſcept. Eccleſiaſt.*27. *num.*13., *Rot. cor. Cerr. dec.*499. *n.*4., & 5., & *cor. Ninot. dec.*39. *n.*5., & *cor. Kaunitz. dec.*103. *n.*10., & firmat præterita *deciſ.* §. *Cum enim.*

Et eo magis hic ultimus ſtatus viſus fuit attendendus, quia ille per ſpatium 47. annorum, quibus ſupervixit ſupra enuntiatus de Blanchis Proviſus Apoſtolicus, fuit quiete, & pacifice obſervatus, nec unquam memorati March. in minimo reclamarunt, quæ
29 acquieſcentia referri nequit ad ullam ignorantiam dictæ reſignationis uti ad formam ſatis notæ *Conſtit. Greg.XIII. de publicand. reſignat.* publicatæ, atque affixæ tam ad valvas Eccleſiæ Cathedralis Mutinen., quam ad valvas ipſius Eccleſiæ Parochialis, vel ullam eorum pupillarem ætatem uti non probatam a March., & potius excluſam a Jacobatio, ſed præciſe referenda eſt ad agnitionem eorum mali juris jam panditi in ſupradicta re judicata prodita in præcedenti ſtatu Anni 1671., & hæc circumſtantia majorem vim addit ultimo ſtatui, ut firmat *deciſ.*, quæ revidetur

detur §. *Cum enim*, & ultra illam *Rot.*
cor. Kaunitz dec.83. n.7., *&* *dec.113.*
n.10., *&* *in Parmen. Beneficii* 16. *Ja-*
nuarii 1702., *&* 27. *Junii* 1703. *utro-*
bique §. finali cor. bon. mem. Anſaldo,
juncta præſertim altera, quod dicti
March. præſentarunt Toſettum ad Ec-
cleſiam Parochialem uti vacantem per
30 obitum d. de Blanchis Reſignatarii,
quod ſecumfert expreſſam approbatio-
nem recenſiti ultimi ſtatus, & per con-
ſequens tanto minus impugnabilis; ut
pariter *firmat præterita deciſ. ſupra-*
dicto §. *Cum enim in fine*.

Poſitis itaque dictis duobus ultimis
ſtatibus ſuper libertate Eccleſiæ adeo
qualificatis, firmum remanet juxta il-
los eſſe exequendas Literas Apoſtolicas
31 tanquam de reſervato obtentas a Ja-
cobatio, rejecta penitus prætenſione
Juriſpatronatus controverſi, cum iſta
veluti reſpiciens judicium petitorium
non attendatur in hoc judicio execu-
tivo, ac privilegiato manutentionis
favore S. Sedis; & citra ullam difficul-
tatem, dum, ut ſupra probatum eſt,
eadem prætenſio fuit alias in judicium
deducta, examinata, ac per rem judi-
catam rejecta; Hoc namque operatur,
ut donec iſta prævia reſtitutione in in-
tegrum revocata non fuerit per aliam
rem judicatam, non ſit amplius eadem
prætenſio allegabilis, atque attenden-
32 da; cum res judicata pariat exceptio-
nem litis finitæ; *Rot. cor. clar. mem.*
Card. Falconer. tit. de Inventar. dec. 19.
n.5., *&* *in Portugalsien. Commendæ*
10. *Maii* 1720. §. *Nec turbat cor. bon.*
mem. de Gamaches, *&* *firmat præter.*
deciſ. §. *Quæ omnia*.

Cæterum aſſumpto etiam examine
prætenſi Jurispatronatus, recognitum
fuit, illud non probari, nec ſubſiſtere;
Cum enim prætendatur Juspatronatus
per March. de Montecuccolis tunc Do-
minos Oppidi Maxerni, ubi ſita eſt Ec-
cleſia Parochialis, ratione præſumptæ
uſurpationis militantis contra Perſonas
33 potentes, & habentes dominium tem-
porale Loci, rigoroſe idem Juspatro-
natus probandum venit ad formam
Sac. Concil. Tridentini cap. 9. ſeſſ. 25.
de Reformat., ideſt vel per exhibitio-
nem publici Inſtrumenti originariæ
fundationis, & dotationis Eccleſiæ, vel
per immemorabilem conſuetudinem
bene probatam cum ſuis requiſitis, &
cum pluribus præſentationibus effe-
ctum ſortitis continuato ſpatio 50. an-
norum, juſtificandis per publica Inſtru-
menta earundem præſentationum, &
hæc probatio requiritur, ſive agatur in
judicio petitorio, ſive in poſſeſſorio, ut
probat *eadem præterita dec.* §. *Eo magis.*

In hac probatione profecto deficiunt
Marchiones, quia ipſi non exhibue-
runt ullum publicum Inſtrumentum
originariæ fundationis, aut dotationis
Eccleſiæ, ſolumque inſiſtebant, talem
titulum præſumptive deduci ex altera
probatione diuturnæ obſervantiæ, ſive
immemorabilis deſumptæ ex pluribus
præſentationibus, ut aſſerebant, con-
tinuatis per lapſum centum, & ultra
annorum, circa quam probationem
admittentes DD. etiam in Jurepatrona-
tus Perſonarum Potentum, illam fieri
34 poſſe per ſcripturas, & ſufficere etiam
centenariam; nihilominus animadver-
terunt, quod ad hoc, ut talis centena-
ria concluſa remaneat, omnino requi-
runtur pręſentationes continuatę per
ſpatium annorum centum, & effectum
ſortitę, atque probatę authenticis ſcrip-
turis juxta formam *a dicto Sac. Concil.*
Trident. pręſcriptam, uti tradunt *Pa-*
riſ. de Conſiden. Benef. quæſt. 28. n.620.,
Garz. de Benef. par. 5. cap. 9. n.107.,
Panimoll. dec. 10. annot. prima n.82.,
& 83., *Rot. cor. Seraphin. dec. 1141.*
n.9., *&* 10., & admittunt omnes alię
authoritates a Defenſoribus Marchio-
num allegatę.

Non ſufficientibus ad hunc effectum
in hoc pręciſo caſu pętenſi Juriſpatro-
35 natus a Perſona Potente, nec inſtitu-
tionibus Ordinariorum cum enuntia-
tiva Jurispatronatus, ac aſſertione, in-
ſtitutos fuiſſe a Patronis pręſentatos;
Panimoll. dict. dec. 10. annot. prima
n.47., *Rot. in recen. dec. 630. n.83.*,
& 84. *part. 4. tom. 3.*, *&* *dec. 197. a*
n.50. uſque ad 67. part. 5., nec etiam
36 ſimilibus enuntiativis emiſſis in Lite-
ris Apoſtolicis, atque emanatis ad in-
ſtantiam ſupplicantium, & Partis, ut
ſubdit idem *Panimoll. loc. cit. annot. 2.*
n.9., *Rot. dict. dec. 197. n.70.*, *&* *ſeq.*

par.5. recent., & firmat *præterita deciſ. §. Minuſque cum ſequen.*

Verum examinatis omnibus, & ſingulis actibus pro parte Marchionum alias adductis coram bon. mem. Rondinino, & rejectis, ac modo repetitis, viſum fuit eoſdem etiam in hoc puncto prętenſę centenarię deficere omni probatione, illoſque ineptos eſſe ad eam concludendam; Anno ſiquidem 1516. datur Bulla Leonis X. reſignationis Eccleſię facta favore Sebaſtiani de Montecuccolis cum enuntiativa d. Jurispatronatus, quę nihil probat, ut ſupra dictum eſt, atque executio eidem Bullę data a Vicario Generali Ferrarien. Executore deputato, qui licet aſſerat acceſſiſſe aſſenſum Patroni in his caſibus haberi ſolitum loco pręſentationis; at-
37 tamen hoc nil relevat, cum talis aſſenſus probandus veniat non per enuntiativas, ſed per publica, & legitima documenta, ita ut nec minus illè probetur per Teſtes, de quibus *Sac.Concil.* non confidit, ut ultra ſupra adductos tradunt *Gonzal. ad Regul.8. Cancell., Gloſſ.18. n.79., & ſequen., Ricc. in Prax. part. prima reſolut.136., Adden. ad Buratt. dec.139. n.16., Rot. in rec. deciſ.637. n.3. part.10.*, Anno 1536. datur altera Bulla Pauli III. conſimilis reſignationis Eccleſię in favorem Franciſci de Montecuccolis cum pręſervativa aſſenſus Patronorum; ſed quoad
38 iſtam non datur ulla ejus executio, ſeu effectuatio, aut decretum Executoris, nec ullum legitimum documentum aſſenſus illorum de Montecuccolis; Imo conſtitit ex ſubſequenti ſtatu Anni 1565. eandem reſignationem nullum habuiſſe effectum, dum in illo dici-
39 tur Eccleſiam vacare per obitum cujuſdam Antonii Nicolai, non autem ſuprad. Franciſci Montecuccoli Reſignatarii, & conſequenter in hoc actu non ſolum deficit effectiva probatio pręſentationis, ſed etiam excluditur effectuatio reſignationis prædictæ; juxta vulgatum *conſ.O drad.229., Garz. de Beneſ. par.5. cap.9. n.106., & 107., Card. de Luc. de Jurepatronat. diſc.58. n.11., Rot. cor. Coccin. dec.696. n.3., & dec.2108. num.13. 18., & ſeq., & cor. Emerix. Jun. dec.811. n.6., & 7.*

Eodem Anno 1565. datur Bulla Vicarii Generalis Cardinalis Moroni tunc Adminiſtratoris Epiſcopatus Mutinen., in qua enuntiatur Eccleſiam vacare per obitum mox d. Antonii Nicolai, & datur inſtitutio Herculi de
40 Montecuccolis uti nominato a Patronis; at de hac nomiuatione nullum pariter documentum adductum fuit; Anno 1597. affertur dumtaxat mandatum Procuræ factum ab eodem Hercule de Montecuccolis in perſonam Vincentii Mariæ Sampieri ad effectum Eccleſiam aſſertam de Jurepatronatus reſignandi in manibus Papæ favore cujuſdam Julii Magnani, non docto de ulla executione d. mandati Procuræ, ideſt de reſignatione facta a Procuratore, nec de ulla reſignationis Bulla, nec de aſſenſu præſtito a Patronis.

Succedit Annus 1627., in quo datur quidem aſſenſus præſtitus a March. de Montecuccolis reſignationi Eccleſiæ factæ a dicto Julio Magnani, qui non conſtat a quonam habuerit Eccleſiam, favore Joannis Baptiſtæ Ottonelli, ſed hic ſtatus, in quo nec minus datur Bulla Summi Pontificis potius retorquetur, quia tam in Inſtrumento publicationis dictæ reſignationis in Eccleſia Parochiali, quam in alio inſtrumento apprehenſionis poſſeſſionis Eccleſiæ d. Juspatronatus enuntiatur ſub illis ver-
41 bis -- *forſan de Jurepatronatus* -- *ut aſſeritur de Jurepatronatus* -- quæ potius tendunt ad negandum, quam ad probandum idem Juspatronatus; *Lotter. de Re Beneſic. lib.2. quæſt.13. num.144., Panimoll. deciſ.10. annot. prima n.52., Adden. ad Buratt. deciſ.111. num.16., & coram Duran. deciſ.71. n.4.*, & firmat *præterita deciſio §. Et eo fortiùs*; Et idem eſt quoad alteram reſignationem ſequutam Anno 1631., & admiſſam a ſan. mem. Urbano VIII., qui noluit approbare Juspatronatus, niſi de illo conſtaret per veram fundationem, & dotationem; ut firmatur *in ſæped. deciſ.*, quæ revidetur *eodem §. Et eo fortiùs.*

Quapropter ſtatibus præmiſſis ita ſeſe habentibus; clare patet ex illis nul-
42 lo modo comprobatam remanere adductam centenariam, quia non con-

ſtat

Digitized by Google

ſtat nec de effectivo conſenſu Marchionum de Montecuccolis, ſive præſentatione, nec de continuatione unius præſentationis poſt aliam, nec quoad omnes de effectuatione, nec denique de integro, & completo tempore, dum ab Anno 1516. uſque ad Annum 1597. cujus ſtatus non fuit effectum ſortitus, & poſt quem evenerunt dd. alii ſtatus Annorum 1627., & 1629. Juspatronatus potius negantes, non effluxerunt anni centum; Quibus non contradicunt auctoritates allegatæ a March. admittentes, Juspatronatus, atque conſuetudinem centenariam ſatis ſuperque comprobari ex enuntiativis emiſſis ab Ordinariis, & Summis Pontificibus in eorum Literis tam ſuper exiſtentia Jurispatronatus, quam ſuper præſentationibus factis, prout quoque ex actibus, de quorum effectuatione, atque conti-
43 nuatione non doceatur, quia loquuntur in terminis Jurispatronatus Perſonæ privatæ, pro cujus juſtificatione admittuntur minus rigoroſæ probationes ob non reſiſtentiam præſumptionis uſurpationis, ut ajunt *Gonzal. ad Regul.8. Cancell. gloſſ.18. n.63., Lotter. de re Benef. lib.2. quæſt.13. n.144.*, & in illis caſibus, in quibus ſeſe habent
44 in terminis Jurispatronatus Perſonæ potentis, concurrebant aliæ urgentiſſimæ probationes Jurispatronatus, & in ſpecie Sententiæ Ordinariorum emanatæ prævia cauſæ cognitione, ac effectum ſortitæ, & diu obſervatæ, ac approbantes Juspatronatus poſt publicationem *Sac. Concil. Trident.*, & ita in ſpecie habetur *in dec 182. coram Benincaſ., & deciſ.136. par.19. Recent.*

Et quod etiam in hoc caſu concurrerent ſententiæ Ordinariorum approbantes Juspatronatus poſt dictam publicationem *Sacri Concilii Tridentini*, non poterat allegari a Marchionibus, quia præter ſupradictam Bullam inſtitionis Anni 1565. Vicarii Generalis Card. Moroni Adminiſtratoris Epiſcopatus Mutinen., quæ non eſt conſide-
45 rabilis ratione non exhibitæ præſentationis, nec alicujus decreti dicti Vicarii, ac etiam ratione vacationis Eccleſiæ, & qualitatis dicti Vicarii, qui faciliter annuere potuit potentiæ Marchionum, ut bene conſiderat *Card. de Luc. de Jurepatronat. diſc.4. n.12., & diſc.7. n.17.* non fuit data occaſio cognoſcendi de d. Jurepatronatus, niſi in reſignationibus Annorum 1627., & 1629. ſeu 1631., in quibus ſtatim dubitatum fuit de eodem Jurepatronatus, ut ſupra viſum eſt, ita ut in dicto Anno 1631. Marchiones coacti fuerint docere de eorum Jurepatronatus, & ad hunc effectum produxerunt Privilegium Julii II., de quo infra; Non ſuffragantibus illis Sententiis emanatis Annis 1671., & 1678. occaſione præſentationum Baracani, & Bartolini, quæ revocatæ fuere, ut ſupra viſum eſt, per rem judicatam proditam in lite habita a Maſerno Proviſo Apoſtolico cum ſupradictis præſentatis; & illa emanata in præſenti vacatione nul-
46 lius eſt roboris, quia in ea non fuerunt citati, nec Jacobatius Proviſus Apoſtolicus, nec S. Sedes longe ante conſtituta in quaſi poſſeſſione conferendi Eccleſiam uti liberam, & reſervatam, habetque contra ſe dictam rem judicatam, & dedit cauſam huic liti, ut firmatum fuit ſuperius §. *Quantumvis*.

His additum fuit, quod ubi etiam dicta centenaria fuiſſet probata, non relevaret, quia Marchiones de Montecuccolis in ſtatibus annor. 1631. 1671., & 1678. ad docendum de Jurepatronatus produxerunt & ipſimet, & eorum ſpecialis Procurator Privilegium Julii II. ſub datum Bononiæ 1506. concedens Berſanino de Montecuccolis Juspatronatus, dummodo augeret dotem Eccleſiæ in tertia parte fructuum tunc conſiſtentium in florenis 50. auri de Camera, qui titulus eſt prorſus infectus, atque invalidus, dum non docetur de augmento uſque ad tertiam partem, quod fuiſſet una cum antiqua dote in ducatis 75., Imo ex reſignationibus annorum 1516., & 1536. conſtat de contrario, cum in illis fuerit declaratum, annuos fructus Eccleſiæ non excedere ducatos 60., & non poteſt præſumi novum augmentum ex poſt, quod percu-
47 tere debet tempus conceſſionis; Quodlibet enim augmentum ſubſecutum cenſendum eſt proveniſſe ex largitate Fidelium, vel ex aliis cauſis; *Panimoll. dec.*

dec.10. annot.4.n.23., Rot.cor.Seraph. dec.952.n.1. 2., & ſequen., & coram Pamphil. dec.518. n.7., & 8., & in rec. dec.630. n.69., & 71.par.4.tom.3., & inſuper ubi de d. augmento in tertia
48 parte doctum fuiſſet, idem privilegium caderet ſub revocationibus *Adriani VI., & S. Conc. Triden.*, ut late firmatum fuit *in præterita mea deciſione §. Nibilominus*.

Conſequenterque d. centenaria etiam probata remaneret inefficax ſub ea ratione, dum Marchiones pro fundamento eorum intentionis, & ad probandum
49 Juſpatronatus produxerunt, ac allegarunt expreſſum titulum Bullæ Julii II., non ſolum eadem centenaria remanet infecta, ſicut eſt d.titulus, ut firmat *ſæpedicta præterita deciſio §. At quatenus,*
50 ſed etiam ipſi Marchiones prohibentur recurrere ad alium meliorem titulum præſumptum ex eadem centenaria; *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. dec.21. n.4. de Offic. Ordinar.* procedentibus authoritatibus in contrarium allegatis, & firmantibus ex allegatio-
51 ne tituli expreſſi non excludi titulum præſumptum ex immemorabili, vel centenaria, in eo caſu, in quo titulus non fuit productus ab ipſomet Patrono præciſe ad docendum de Jurepatronatus, ut hic, ſed vel ab altero Collitigante, vel a Procuratore Patroni non habente mandatum procuræ, ut declarat *Piton.* præ cæteris a Marchionibus allegatus *de Controv. Patron. allegat.58. n.3., & 27.*

Urgebat denique, quod hic prætenditur Juſpatronatus excluſivum reſer-
52 vationum Apoſtolicarum, ad quem effectum non ſufficiunt reſignationes ſupra adductæ a Marchionibus, ſed requiritur conſuetudo præciſe præſentandi in vacationibus per obitum, & in menſibus reſervatis, alias conſuetudo non ſuffragatur contra collationem Papæ in menſe reſervato, ut firmat *dicta mea præterita deciſio dicto §. At quatenus*, & ultra in ea adductos, *Rot. in Compoſtellana Beneficii 15. Mart. 1717. §. Porro cum ſeq. cor. clar. mem. Cardinali Althan.*

Et ita utraque parte acriter informante reſponſum fuit &c.

VITERBIEN. SALVIANI.

Lunæ 13. Januarii 1738.

ARGUMENTUM.

Ex ſolo lapſu temporis, non concurrentibus aliis univocis probationibus, cenſus non præſumitur extinctus. Hypotheca non præſcribitur contra Creditorem niſi data in eo ſcientia alienationis vera, & certa, non autem præſumpta. Exceptio melioramentorum non eſt apta retardare Immiſſionem, niſi concludenter probetur impenſum, & melioratum habito reſpectu ad ſtatum antiquum.

SUMMARIUM.

1 *Ex Statuto Urbis duæ ſententiæ conſtituunt rem judicatam:*
2 *Hocque procedit in omnibus etiam locis ſitis intra diſtrictum Urbis.*
3 *Extrema Salviani ſunt creditum cum hypotheca, poſſeſſio antiqua penes debitorem, & moderna penes reos conventos;*
4 *Quibus verificatis Immiſſio concedi ſemper debet.*
5 *Poſſeſſio moderna probatur ex teſtibus; immo ex ſola ſuſtentatione litis.*
6 *Ex ſolo lapſu temporis cenſus non præſumitur extinctus, ſed ſimul requiruntur argumenta univoca, & perfectæ probationes.*
7 *Ex introductione judicii ſuper ſolutione fructuum, & ſententia ſuper realitate cenſus cum relaxatione mandati excluditur præſumptio extinctionis cenſus.*
8 *Hypotheca non præſcribitur contra Creditorem non data in eo ſcientia alienationis vera, & certa, non autem præſumpta.*
9 *In antiquis identitas bonorum probatur ex identitate duorum tantum confinium;*
10 *Qua concurrente non attenditur mutatio manſionum in diverſum uſum.*
11 *Simplex fides Teſtium extrajudicialis nihil probat.*
12 *Exceptio melioramentorum non eſt apta retardare Immiſſionem, niſi concludenter probetur impenſum, & melioratum habito reſpectu ad ſtatum antiquum.*

DE-

DECISIO XCVI.

IMmiſſionem in Salviano in poſſeſſione
cujuſdam domus poſitæ in Civitate
Vetula petitam a Matthia, aliiſque Fi-
liis, & hæredibus qu. Joannis Jacobi de
Lupis contra Antonium de Galimber-
tis poſſeſſorem d. domus, ad effectum
ſeſe ſatisfaciendi de fructibus decurſis,
& non ſolutis, & in poſterum decur-
rendis cenſus in ſorte principali ſcuto-
rum 300. creati 19. Julii 1647. a Paulo
Malacroſta ſub fidejuſſione, & obliga-
tione ſolidali Vincentii Sanctini favo-
re ſupra enuntiati Joannis Jacobi de
Lupis conceſſerunt A.C. in prima in-
ſtantia, & hoc Sac. Auditorium coram
Rmo P. D. moo Decano in ſecunda in-
ſtantia proſecuta a Cæſare Vicciono hæ-
rede ſupradictorum Matthiæ, & alio-
rum de Lupis Actorum, & pendente
lite defunctorum: in devolutivo autem
commiſſa mihi cauſa, & propoſito per
Me dubio -- *An conſtet de re judicata* --
affirmativum prodiit reſponſum.

Cum enim in hoc judicio concurre-
rent bina Judicata conformia etiam
1 executioni demandata ex reſcripto Si-
gnaturæ Juſtitiæ *ſine præjudicio*, indu-
bium eſt, quod orta fuerit res judicata
vigore diſpoſitionis *Statut. Urbis lib.* 1.
Capit. 180. locum habentis etiam in
2 omnibus locis ſitis intra diſtrictum Ur-
bis, *Rot. coram Otthobon. dec.* 129. *n.* 5.,
& coram Ceſ. dec. 233. *n.* 3., *& in rec.
dec.* 535. *n.* 2., *& 3. part.* 13., in quo
adeſt & Civitas Vetula.

Maxime dum Judicata prædicta va-
lida, & juſta dignoſcuntur; validitas
namque conſtitit ex actis; Juſtitia verò
apparuit ex eo, quod in hoc judicio
Salviani verificantur omnia ejus extre-
3 ma neceſſaria, nempe creditum cum
hypotheca, & poſſeſſio domus tam an-
tiqua penes antedictum Vincentium
Sanctini debitorem, quam moderna
penes reos conventos; Unde rite, re-
cteque conceſſa fuit eadem Immiſſio,
4 quæ, verificatis dd. extremis, ſemper
concedi ſolet; *Bartol. in l.* 1. *n.* 3. *ff. Sal-
viani*, *Roland. conſil.* 14. *n.* 13. *lib.* 1.,
Rot. coram Seraph. dec. 1200. *n.* 1., *&
cor. Gregor. dec.* 491. *n.* 7., *& dec.* 124.
n. 1. *part.* 18. *rec.*, *& firmat deciſio Rmi
Decani edita die* 27. *Aprilis* 1736. *§. De
antiqua*.

Creditum cum hypotheca ortum fuit
ex Inſtrumento impoſitionis cenſus ſu-
pradicti, in quo ſub obligatione ſoli-
dali fidejuſſit recenſitus Vincentius San-
ctini, inde confirmatum mediante ſen-
tentia lata ab A.C. Thomato an. 1694.
favore hæredum Joannis Jacobi de Lu-
pis Creditoris adverſus Joannem Pau-
lum Sanctini hæredem d. Vincentii,
quæ tranſivit in rem judicatam; Et
poſſeſſio antiqua domus penes eundem
Vincentium apparuit ex Inſtrumento
venditionis ejuſdem domus factæ die 16.
Decembris 1648. ab eodem Vincentio
favore Andreæ Galimberti Authoris
rei conventi; Poſſeſſio verò moderna
penes iſtum deſumpta fuit tum ex de-
5 poſitione Teſtium adductorum a Cæſa-
re, tum etiam ex ipſa litis ſuſtentatio-
ne, quæ ſola, non docto de contrario,
ſufficeret ad comprobandum eundem
reum conventum ad præſens retinere,
& poſſidere eandem domum; *Scapucc.
de Salvian. quæſt.* 25. *n.* 91., *Rot. poſt Pa-
cific. de eodem Salvian. dec.* 20. *n.* 171.,
utrobique n. 2., *& in rec. dec.* 25. *n.* 1.
par. 18. *tom.* 2., *& d. dec. cor. Rmo De-
cano §. Egidianæ cum ſeqq.*

His poſitis viſum fuit non relevare,
vel quod d. Cenſus præſumatur extin-
ctus ex lapſu temporis, & longa acquie-
ſcentia in petendo illius fructus, vel
ſaltem quod per lapſum non ſolum
Decennii, ſed multo majoris tempo-
ris a die Venditionis ſupradictæ Do-
mus ſecutæ Anno 1648. præſcripta
remanſerit hypotheca; quia ex ſolo
lapſu temporis non admittitur præ-
6 ſumptio extinctionis Cenſus, niſi una
ſimul cum illo concurrant univoca
argumenta, plureſque conjecturæ per-
fecte in ſuo genere concludentes; *Rot.
cor. bon. me. Lancetta dec.* 641. *n.* 17.,
& deciſ. 865. *n.* 7., *& in Callien. Sal-
viani* 28. *Martii* 1707. *§. Ideo revoca-
tis cor. clar. mem. Card. Priolo*, *& in
Spoletana Cenſus* 10. *Januarii* 1712.
§. Maxime cor. Eminentiſs. Aldrovando,
quæ hic penitus deficiebant, immo
doctum fuit de contrario, dum Credi-
7 tores uſque de Anno 1690. judicium
introduxerunt pro ſolutione fructuum
d. Cen-

d. Cenſus, & obtinuerunt Sententiam Anno 1694. coram A. C. ſuper realitate Cenſus una cum relaxatione Mandati executivi contra bona hæreditaria ſuprad. Vincentii Sanctini pro ſolutione fructuum, ut perpendit *d. Deciſio Reverendiſſimi Decani §. Inſubſiſtentes*.

Præſcriptio vero hypothecæ nullo modo erat allegabilis, dum non oſtendebatur Creditores habuiſſe ſcientiam
8 alienationis prædictæ Domus, & quidem veram, certam, & non præſumptam, ut proſequitur *d. Deciſio Reverendiſſimi Decani §. Firmata, & ultra ibidem adductos tradunt Gratian. deciſ. Marchiæ 15. n. 12. cum duob. ſequen., Thomat. dec. 26. n. 27.*, & alias reſpondit *Rot. cor. Royas dec. 137. n. 5., & in recent. dec. 108. n. 6., & ſeq. part. 14., & dec. 231. n. 6., & 7. part. 19.*

Nec dubitari poterat de identitate ſupradict. Domus, in cujus poſſeſſione data fuit immiſſio Cæſari, quoniam tres illius confines invariabiles enuntiati in d. Inſtrumento Venditionis anni 1648., nempe — *Via Civitatis Vetulæ, Vicus Macelli, & Mœnia Civitatis* — præcipuè conveniunt cum d. Domo; Unde benè probata dicitur eadem identitas, præſertim in antiquis,
9 in quibus ſufficit verificatio duorum confinium, ut concluditur in *d. deciſione Rmi Decani §. Tranſcundo, & ſeqq.*, ubi reſpondetur depoſitionibus Teſtium in contrarium adductis, & objectioni illi, quod hodie non reperiantur ſtabula, & fænile, quæ in illa aderant
10 tempore venditionis, cum immutatio manſionum in diverſum uſum non deſtruat identitatem rei, quando ipſa confinia verificantur.

Nullius denique relevantiæ ad impediendam Immiſſionem dijudicata fuit exceptio melioramentorum, quæ comprobari contendebantur ex dd. Teſtium depoſitione, tum quia ſimplex fides
11 Teſtium extrajudicialis nil probat, tum inſuper quia iſti ſolum referunt, eandem Domum non eſſe valde veteris ſtructuræ, & redactam eſſe ad uſum habitationis, ex quo nihil concluditur; dum pro retardanda Immiſſione Creditori hypothecario plene, & con-
12 cludenter probandum eſt, quid fuerit impenſum, & quid ex ipſa impenſa fuerit melioratum habito reſpectu ad ſtatum antiquum, alias autem d. exceptio melioramentorum non eſt apta retardare ſæped. Immiſſionem, ut probat *d. Deciſio Reverendiſſimi Decani §. Meliorationum denique*.

Et ita informante tantum Cæſare &c.

PLACENTINA PAROCHIALIS.

Lunæ 27. Januarii 1738.

ARGUMENTUM.

Epiſcopus habet juris aſſiſtentiam pro viſitandis, privative quoad alios, Eccleſiis, ac Locis Piis ſuæ Diœceſis, & jurisdictione in eis exercenda; limita in Eccleſiis plenarie unitis Monaſteriis exemptis, quæ unice ſubmittuntur Abbati, excepta cura animarum, & adminiſtratione Sacramentorum; reſpectu cujus Epiſcopo cumulative competit jus viſitandi, ita tamen ut in diſcrepantia Decretorum utriuſque ſuperioris prævaleant Decreta Epiſcopi. Obſervantia quando inducatur, vel non.

SUMMARIUM.

1 *Sententiæ acceptatæ nequeunt amplius impugnari.*
2 *Epiſcopus habet juris aſſiſtentiam pro viſitandis privative quoad alios Eccleſiis, ac Locis Piis ſuæ Diœceſis, & jurisdictione in eis exercenda.*
3 *Limita in Eccleſiis pleno jure unitis, ac ſubjectis Monaſteriis exemptis, quia quoad illas Abbas habetur tanquam Ordinarius, & in iis jurisdictionem exercet:*
4 *Cujus jurisdictionis præcipuus actus eſt viſitatio.*
5 *Quæ tamen jurisdictio quoad curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum Ordinario competit cumulative cum Abbate, licet cura animarum exerceatur per Presbyteros Sæculares;*
6 *Ita tamen ut in diſcrepantia Decretorum utriuſquè Superioris Viſitantis, prævaleant Decreta Epiſcopi.*
7 *Epiſcopus autem viſitare dicitur ratione jurisdictionis in populum, cui Sacramenta adminiſtrantur, Abbas vero*

ro, ſive Superior Regularis, tanquam dominus Eccleſiæ, ubi eadem adminiſtratio exercetur.

8 *Res judicatæ exequendæ ſunt etiam quoad ea, quæ expreſſe in iis non decernuntur, ſi tamen inde in neceſſariam conſequentiam veniant:*

9 *Hæc enim habentur, ac ſi per Judicem expreſſe fuiſſent.*

10 *Vigore Centenariæ allegari poteſt melior titulus de Mundo:*

11 *Sed ex ſententia implicite firmante jus viſitandi favore Abbatis, ſublata remanet quælibet conſuetudo, quæ Epiſcopo favere poſſet.* & ſub num. final.

12 *Eccleſia plenarie unita omnino ſubtrahitur a juriſdictione Epiſcopi, ac ſubmittitur juriſdictioni Abbatis, amittitque omnes ſuas qualitates, & fit pars, ac membrum Monaſterii, cui unitur:*

13 *Unde ſicuti Monaſterium exemptum a juriſdictione Epiſcopi viſitari ab eo nequit; ita neque Eccleſia unita, excepta tamen cura animarum*; & ſub num. 15.

14 *Quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.*

15 *Competeret tamen Epiſcopo jus exercendi Ordinariam juriſdictionem, ac viſitandi privative ad Abbates, ſi Eccleſia non pleno jure, ſed quoad certos tantum effectus unita eſſet.*

16 *Viſitationes factæ ex cauſa prætenſionis excitatæ a Curia Epiſcopali calculari nequeunt pro inducenda centenaria;*

17 *Et quatenus etiam computentur, ſicuti ſunt compatibiles cum juriſdictione Abbatis jus conſimile viſitandi habentis, ita referuntur ad jus proprium Epiſcopi, nec Abbati nocere valent:*

18 *Cum ad privandum Abbatem neceſſe ſit, ut Epiſcopus viſitare voluerit privative ad eum, qui ejus prætenſioni reſtitit, & exinde viſitationi acquievit:*

19 *Quod procedit, etiamſi Abbates non doceant de ulla viſitatione, quia in actibus facultativis, neque longiſſimum tempus, quo neglecti fuerint, præjudicat, non concurrente prohibitione, & acquieſcentia.*

20 *Et multo minus præjudicat Abbatibus ſucceſſoribus jus independens habentibus ab Abbatibus prædeceſſoribus.*

DECISIO XCVII.

Controverſia promota pro parte Monaſterii S. Sixti Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis Placentiæ contra Rm̃um Epiſcopum ejuſdem Civitatis ſuper proviſione Rectoris Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ *del Borghetto* facienda in contingentibus vacationibus potius ad ſimplicem nominationem Abbatis ejuſdem Monaſterii cum approbatione dicti Rm̃i Epiſcopi, quam prævio concurſu, jam ſopita re judicata in hoc Sac. Auditorio emanata favore d. Monaſterii, & ab eodem Epiſcopo acceptata, aliam produxit, ac excitavit ſuper jure viſitandi recenſitam Eccleſiam Parochialem, quod *cumulative* cum Epiſcopo in iis, quæ reſpiciunt curam Animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, & *privative* quoad ea, quæ talem curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem non reſpiciunt, ac demum ſuper jure corrigendi, & puniendi Rectorem, ſive Parochum memoratæ Eccleſiæ Parochialis, quod ſibi competere aſſerebat d. Monaſterii Abbas, fretus tam antiqua re judicata cor. bon. mem. Gropperio, quam ſupradicta recenti hujus Sac. Auditorii, & coram Rm̃o Domino meo Decano, & coram me; e converſo autem prius Ranzaninus modernus Parochus, & inde etiam d. Rm̃us Epiſcopus id impugnarunt; quapropter delata hac nova controverſia ad Sac. Auditorium, & propoſito a me in Rota diei 13. Maii 1737. dubio — *An, & quomodo res judicatæ ſint exequendæ* — atque tunc ejus reſolutione dilata ad inſtantiam Epiſcopi, hodie a me illo repropoſito, DD. ſuſpenſa in reliquis reſolutione, & injuncto, quod cauſa ſuper eiſdem denuo reproponatur, in hoc convenerunt, eaſdem res judicatas eſſe pro nunc exequendas, quoad cumulativam viſitationem cum Rm̃o Epiſcopo in reſpicientibus curam animarum, ac Sacramentorum adminiſtrationem.

Ratio namque talis reſolutionis conſtitu-

ſtituta fuit in dd. rebus judicatis, & ſi-
gnanter in ultima firmante, & appro-
bante eatenus ſupradictam Eccleſiam
S. Mariæ *del Borghetto* eſſe providen-
dam ad ſimplicem nominationem Ab-
batis Monaſterii S. Sixti cum approba-
tione Rmi Epiſcopi, quatenus illa ſit
ſubjective, ac pleno jure unita, & in-
corporata eidem Monaſterio, ut patet
ex *deciſionibus editis die* 17. *Junii* 1735.
cor. Rmo D. meo Decano, & die 13. *Ja-
nuarii* 1736. *cor. Me*, & ex ſententiis
1 deſuper promulgatis, quæ veluti ac-
ceptatæ ab Epiſcopo non poſſunt am-
plius impugnari; *Rot. coram Herrera
dec.* 146. *n.* 4., *&* 5., *& coram Molin.
dec.* 584. *n.* 4., *& in Romana Hæredi-
tatis Principiſſæ de Butero ſuper Rever-
ſione* 14. *Martii* 1635. §. *Quod autem
coram Me*.

Quo principio ſubjectionis, ac ple-
nariæ unionis ſuprad. Eccleſiæ eidem
Monaſterio S. Sixti retento, nec ex di-
ſpoſitione Juris communis, nec ex al-
tera diſpoſitione Sac. Concilii Triden-
tini pari modo idem Epiſcopus impe-
dire, aut controvertere poteſt Abbati
Jus Viſitandi dictam Eccleſiam, etiam
in reſpicientibus curam animarum; Et
ſanè non ex diſpoſitione Juris commu-
nis; nam licet Epiſcopus habeat Juris aſ-
2 ſiſtentiam privative quoad omnes alios
viſitandi Eccleſias omnes, ac Loca Pia
exiſtentia in ſua Diœceſi, nec non exer-
cendi ejus Juriſdictionem; *Cap. omnes
Baſilicæ* 16. *quæſt.* 7. *cap.* 1., *& cap.
Conquerente* 16. *de Offic. Ordinar., cap.
cum Venerabilis* 7. *de Religioſ. Dom.,
cap. cum Perſonæ de Privileg. in* 6. Ni-
hilominus hoc non procedit quoad il-
3 las Eccleſias unitas, ac ſubjectas pleno
Jure Monaſteriis exemptis, quorum
reſpectu ceſſat d. Juris aſſiſtentia favore
Epiſcopi, & Abbas ejuſdem Monaſte-
rii habetur tanquam Ordinarius dictæ
Eccleſiæ ſubjectæ, ſuper qua iſte exer-
cere poteſt omnem Juriſdictionem; ad
notata per *DD. in Clement.* 1. *verb.
Prælatus de elect., & in cap. Conque-
rente de Offic. Ordinar., Aretin. conſ.* 99.
*verſic. videndum cenſeo, Tuſch. litt. A
concluſ.* 11. *n.* 1., *Tamburin. de Jur.
Abbat. tom.* 1. *diſput.* 1. *quæſt.* 4. *n.* 4.,
& 6., *Rot. poſt eandem dec.* 44. *n.* 5., &
4 ſic etiam viſitare, cum viſitatio ſit præ-
cipuus actus pertinens ad Juriſdictio-
nem; per ea, quæ firmant *Lotter. de
re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 12. *n.* 14., *Rot.
cor. Seraphin. dec.* 475. *n.* 1., *& coram
Ludoviſ. dec.* 4. *n.* 4., *& dec.* 304. *n.* 2.,
& coram Molin. dec. 110. *n.* 4., *& co-
ram Lancett. dec.* 1345. *n.* 17., *& di-
verſ. dec.* 196. *n.* 2. *par.* 2., *& in recen.
dec.* 178., *& dec.* 356. *utrob. n.* 2. *par.* 1.

Et multo minus viſitatio, cumulati-
ve tamen cum Epiſcopo, ut ſupra, im-
pediri valet Abbati ex diſpoſitione *Sa-
cri Concilii Tridentini*, quod derogan-
do in hac parte omnibus exemptioni-
bus *in ſeſſ.* 7. *cap.* 7., *&* 8. *de Reformat.,
& in ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de Regular.* dat fa-
cultatem Epiſcopis, ſive potius anti-
quam excitat viſitandi Eccleſias etiam
Regulares, & exemptas circa curam
5 animarum, & adminiſtrationem Sacra-
mentorum: Quandoquidem hæc Juriſ-
dictio cenſetur univoce tributa Ordi-
nariis cumulative cum Superiore Mo-
naſterii, cui Eccleſiæ Parochiales ple-
narie, & ſubjective unitæ reperiuntur,
non autem privative, quantumvis cura
animarum exerceatur per Presbyteros
Sæculares; juxta tradita per *Fagnan.
in cap. Grave n.* 37. *de Offic. Ordinar.,
& cap. ut privilegio num.* 4. *de privileg.,
Barboſ. ad Concil. Trident. ſeſſ.* 7. *cap.* 8.
n. 15. *de Reformat., & ſeſſ.* 25. *cap.* 11.
n. 25. *de Regular., Gratian. diſcept. Fo-
renſ. cap.* 154. *n.* 4.; *Pignatell. conſult.
Canon.* 9. *n.* 9. *tom.* 10., *Card. de Luca de
Juriſdict. diſc.* 4. *n.* 4., *Panimoll. dec.* 84.
annot. 1. *n.* 22., & conſtantem opinio-
nem hujus Sac. Auditorii, de qua *in
Mantiſſ. ad Card. de Luc. dec.* 15. *n.* 7.
lib. 3. *vol.* 1., *& in Burgen. Juriſdictio-
nis, ſeu Viſitationis* 3. *Julii* 1711. §. *Con-
ſtabilito cor. bon. mem. Barbadico, & in
illius Confirmatoria* 19. *Januarii* 1714.
§. *Unde permittenda cor. eodem, & in
alia Burgen. Juriſdictionis, ſeu Viſita-
tionis ſuper manutentione prima Apri-
lis* 1715. §. *Data autem cor. clar. mem.
Card. Scotto, & pariter in illius Con-
firmatoria* 1. *Julii ejuſdem anni* 1715.
§. *Neque cor. eodem* dummodo tamen
6 in diſcrepantia decretorum utriuſque
Superioris Viſitantis prævaleant De-
creta Epiſcopi, ut ex reſolutione *Sa-*

cræ

cræ Congregationis Concilii in Veronen. 26. Julii 1728. tradunt Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib.1. cap.14. n.21. verſ. item viſitare, Nicol. in floſcul. verb. viſitation. n.1. ampliat.3. verſ. etiam Parochiales, Pignatell. conſult. Canonic.21. n.9., & conſult.22. n.2., & 3. tom.2., Rot. d. dec.15. n.10. lib.3. tom.1. in Mantiſſ. ad Card. de Luc.

Hæc namque ſimultanea, & cumulativa viſitatio nullam continere dicitur implicantiam, ſeu monſtruoſitatem, dum ſe ſe habet ad diverſos reſpectus, ſtante quod Epiſcopi viſitare dicuntur

7 ratione juriſdictionis in populum, cui Sacramenta adminiſtrantur, & Abbas, ſive Superior Regularis, tanquam Dominus Eccleſiæ, ubi eadem adminiſtratio exercetur, ut ajunt authoritates ſuperius allegatæ, immo hoc eſſe expediens, ut cura animarum correctioni duplicis ſuperioris ſubjecta melius exerceatur, tenent *Fagnan. in cap. nullus de Paroch. n.30., & 31., & cap. quanto n.84. de Offic. Ordinar., Card. de Luc. de Iuriſdict. diſc.4. n.4., ſæped. dec.15. n.8. lib.3. vol.1. in Mantiſſ. ad Card. de Luc.*

Dum itaque dd. res judicatæ jam acceptatæ firmant plenariam unionem, & ſubjectionem recenſitæ Parochialis Eccleſiæ præfato Monaſterio S. Sixti, quod, ex mox firmatis, in neceſſariam conſequentiam, ac implicite ſecumfert etiam approbationem Juriſdictionis, ſeu Juris viſitandi d. Eccleſiam favore Abbatis, cumulative tamen cum Epiſcopo in reſpicientibus curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, juxta ſupra citatam diſpoſitionem Sac. Concilii Tridentini; Inde emergit eaſdem res judicatas in hac

8 parte eſſe omnino exequendas, etſi idem Jus cumulative viſitandi expreſſe non decernant; ex notatis per *Bald. in L.1. n.24. Cod. de emancip. liber., Rot. coram Caprar. dec.176. num.5., & in Burgen. Viſitationis de Onna ſuper novis attentatis Arciepiſcopi 14. Junii 1726. §.6. coram bon. mem. Gamaches*; cum

9 ea, quæ veniunt ex neceſſaria conſequentia, perinde habentur, ac ſi per Judicem in ſententia expreſſa fuiſſent; *Pariſ. conſil.66. n.62. vol.2., Mantic. de tacit., & ambig. convent. lib.1. tit.5. n.29. verſ., & tacitum, Anſald. in annot. ad dec.34. n.14., Rot. coram Molin. dec.470. n.12., & dec.1120. n.35., & dec.1276. n.24., & in rec. dec.171. n.3., & ſeqq. par.6., & dec.493. n.10., & 11. par.19.*

Hinc nullo modo obſtare putarunt DD. conſuetudinem centenariam allegatam per Epiſcopum viſitandi controverſam Eccleſiam privative quoad Abbates ſupradicti Monaſterii, vigore cujus idem Epiſcopus allegare etiam poteſt quemcunque meliorem titulum

10 de Mundo ſuper recenſito Jure privativo viſitandi; ad firmata per *Rot. coram clar. mem. Card. Falconer. dec.7. n.1. tit. de union. Benefic., & in Barchinonen. Jurium Parochialium 13. Januarii 1730. §.11. cor. Emo Aldrovando*; Quoniam cum noviſſime, ut ſupra narratum eſt, declaratum remanſerit per rem judicatam acceptatam a Rmo

11 Epiſcopo d. Eccleſiam S. Mariæ *del Borghetto* eſſe pleno jure ſubjectam, ac unitam Monaſterio S. Sixti, & hoc ſecum ferre, ut pariter ſuperius oſtenſum fuit, implicitam confirmationem Juris viſitandi favore Abbatis ejuſdem Monaſterii, per conſequens ſublata etiam cenſetur quæcunque conſuetudo viſitandi, ſi quæ aſſiſteret Epiſcopo, ut tradit *Piton. diſcept. Eccleſ.23. ſub. n.14. §. Quæ ſi procedunt*, ob incompatibilitatem exinde reſultantem, quod unio ſit plenaria, & ſubjectiva, ut ſupra, & quod e converſo præſervatum remaneat Epiſcopo Jus viſitandi privative ad Abbatem, cui plenarie Eccleſia

12 ſubjecta fuit, quando per ejuſmodi plenariam, & ſubjectivam unionem Eccleſia unita prorſus, ac in omnibus ſubtrahitur a Juriſdictione Epiſcopi, & ſubmittitur Juriſdictioni Abbatis, amittitque omnes ſuas qualitates, & fit pars, & membrum Monaſterii, cui unita remanſit; *Cap. quia Monaſterium de Relig. Dom., cap. recolentes in fine de ſtat. Monach., Felin. in cap. tranſlato n.6. de conſtit., Lotter. de Re Benefic. lib.1. quæſt.28. n.96., Card. de Luc. de Juriſdict. diſc.21. n.9., Franciſc. Marc. dec.1567. n.2. par.1., Rot. cor. Emerix. Jun. dec.181. n.8., & in rec. dec.658. n.3.*

n.3. part.2., & *dec.352. n.7. part.4. tom.1.*, & *dec.81. n.5.*, & *33. par.18. tom.1.*, ita ut quemadmodum ipſum
13 Monaſterium, cui fuit facta unio, uti exemptum a Juriſdictione Ordinarii, nullo modo viſitari poteſt ab ipſo; *Cap. ex parte prima de privileg. in 6.*, *cap. ſi Papa eodem tit.*, *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de union. benefic. dec.4. n.1.*, & *in recen. dec.50. n.12. part.10.*; ita pariter a tali viſitatione (excepta tamen animarum cura) exempta ſit d. Eccleſia unita ex vulgato Juris axiomate, quod acceſſorium
14 ſequatur naturam ſui principalis, de quo per *DD. in cap. acceſſorium de regul. Jur. in 6.*, *Rot. in Toletana Jurium Parochialium 7. Maii 1737. §. Nec de earum cor. Me.*

Non attento, quod ſupra enuntiata incompatibilitas nullam habeat ſubſiſtentiam ex doctrina *Imol. in cap. de Monach. n.6. de præbend.* ajentis non obſtante unione Eccleſiæ pleno jure facta Monaſterio, poſſe Epiſcopum ſuam ordinariam exercere Juriſdictionem, ac viſitare privative ad Abbatem ejuſdem Monaſterii, cui conſonant aliæ auctoritates ab Epiſcopo allegatæ; Hoc
15 namque procedit, ubi unio ſeſe habeat quoad aliquos certos, & determinatos effectus; Minime vero quando, ut hic, eſt in univerſum, ac totaliter plenaria, & ſubjectiva, tunc enim omnes DD. conveniunt, quod exceptis iis, quæ ad curam animarum pertinent, reſpectu quorum ſupervenit memorata noviſſima diſpoſitio Sacri Concilii Tridentini, quoad reliqua per ejuſmodi plenariam unionem prorſus ſubmota fuerit, & ablata quævis Juriſdictio Epiſcopi, & ſicuti Monaſterium, cui facta fuit unio propter ſuam exemptionem, Juriſdictioni ordinariæ non ſubjicitur, ita nec minus ſubjecta exiſtat Eccleſia unita, quæ tanquam acceſſoria naturam ſui principalis ſortitur, ut ultra ſupra allegatos, declarando auctoritates ab Epiſcopo adductas alias dixit *Rota in Vicen. Juriſdictionis 31. Martii 1732. §.11. coram R.P.D. meo Milklin.*, & *in Celſonen. Juriſdictionis ſuper attentatis 15. Novembris 1734. §. Quandoquidem coram R.P.D. meo Decano*,

Præterea cognitum fuit, dictam prætenſam centenariam nullo modo remanere comprobatam ex viſitationibus Eccleſiæ ab Epiſcopo factis annis 1566., 1628., 1644., 1651., & 1690. Quia ultra, quod illæ primæ tres viſitationes ab anno 1566., uſque ad an. 1650. non continent lapſum *centum* annorum, aliæ vero annorum 1641., & 1690. nullius ſunt roboris, dum evenerunt
16 ex cauſa prætenſionis tunc excitatæ a Curia Epiſcopali providendi ſæpedictam Eccleſiam per concurſum, uti non plenarie, ac ſubjective unitam memorato Monaſterio S. Sixti.

Efficaciter urgebat, quod tunc ſimiles viſitationes ſunt operativæ in præjudicium alterius, quotieſcunque
17 illas explens nullum alium habet titulum viſitandi, vel exercendi Juriſdictionem, adeo ut exercitium viſitationis ſit incompatibile cum Juriſdictione ejus Prælati conſimile jus viſitandi habentis, & ſic actus hujuſmodi poſitive tendat ad illum probandum; at ſecus eſt, ubi Prælatus viſitans habet quoque hoc Jus viſitandi compatibile cum Jure alterius Prælati; Cum enim in hoc caſu viſitationes referantur ad Jus proprium ſine præjudicio alterius, qui ſemper dicitur retinere habitum, ſive proprium Jus viſitandi, ſic non concludunt ullam conſuetudinem centenariam, vel immemorabilem privative viſitandi quoad alium; juxta *Innocent. in cap. auditis de præſcript.*, *Calderin. conſil.1. circa medium pariter de præſcription.*, *Card. de Luc. de Regul. diſc.7. num.6.*

Et hic eſt caſus præſens, dum dictæ viſitationes factæ fuerunt ab Epiſcopo poſt Sacrum Concilium Tridentinum, & ita tempore, quo ex illius diſpoſitione conceſſum fuerat Epiſcopis Jus viſitandi Eccleſias vnitas in pertinentibus ad curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, ad quod Jus cumulativum referendæ ſunt viſitationes
18 prędictę, cum non appareat Epiſcopum voluiſſe viſitare privative ad Abbatem, & huic prætenſioni iſtum reſtitiſſe, indeque hoc non obſtante ſucceſſivę viſitationi acquieviſſe; *Bald. conſ.439. num.11. lib.3.*, *Oidrad. conſil.172. pariter*

Digitized by Google

ter num.11., Card. de Luc. de Regular. d. diſc.7. ſub num.6. verſic. unde propterea, Tamburrin. de Jur. Abbat. tom.1. diſput.15. quæſt.8. num.17., & ſequen., Tondut. quæſt. Canon. lib.1. cap.60. num.12., & 13., Rot. coram Bich. deciſ.308. num.4., & ſequen.

Nec facit, quod non doceatur per Abbatem de ulla viſitatione prædictæ Eccleſiæ, quia cum illam viſitare ſit actus mere facultativus, non vero coa-
19 ctivus, quæcunque viſitatio per Abbates neglecta per quodcunque etiam longiſſimum tempus non præjudicat, niſi una ſimul concurrat prohibitio cum ſucceſſiva acquieſcentia, ut præter ſupra allegatos tradunt; Barboſ. de poteſtat. Epiſcopi allegat.73. ſub n.2., Lotter. de Re Benef. lib.2. quæſt.2. n.50., Panimoll. dec.21. annot.1. n.1., & ſequen., Rot. cor. bo. me. Molin. dec.509. n.20., & dec.619. n.7., & 8., & in Hildeſimen. Comitiorum 13. Maii 1726. §. Neque cor. bon. mem. Gamaches; Et
20 tanto minus præjudicaret Abbatibus ſucceſſoribus Jus independens habentibus ab Abbatibus prędeceſſoribus; Rot. cor. Coccin. dec.144. n.5., & cor. Cerro dec.342. n.3., & cor. bon. mem. Molines dec.529. n.7., & in recen. dec.39. n.1. par.11., præſertim hodie, quo per rem judicatam hujus Sac. Auditorii firmatum eſt, Eccleſiam S. Mariæ del Borghetto eſſe pleno jure unitam ſupradicto Monaſterio S. Sixti, quo caſu remanet inutilis quæcunque interpretatio contraria deducta ex obſervantia; Rot. in Vicen. Juriſdictionis 30. Januarii 1733. §. Quibus ita in fine coram R.P.D. meo Creſcentio.

Et ita DD. juxta hunc modum ſuſpenſa in reliquis reſolutione, ut ſupra reſponderunt, auditis Epiſcopo, Monaſterio S. Sixti, & Parocho eorum Jura ſtrenue deducentibus.

ROMANA, SEU URBINATEN. TESTAMENTI SUPER CREDITIS.

Merc. 26. Februarii 1738.

ARGUMENTUM.

Specifica mentio legitimæ ad effectum eam includendi in diſpoſitionibus neceſſaria eſt, ubi agitur de legitima a diſponente adhuc acquirenda, non ubi agitur de jam acquiſita. Quando loco mobilium ſubrogata ſunt bona inconſumptibilia, hæc ſemper repeti poſſunt. Prima exactio cedere debet in cauſam debiti antiquioris, & durioris in dubio, non quoties adeſt veriſimilitudo in contrarium.

SUMMARIUM.

1 *Sub donatione ratarum hæreditariarum, de quibus donans poterit de Jure diſponere, comprehenditur legitima.*
2 *Heres nequit in dubium revocare rem judicatam ab auctore acceptatam.*
3 *Specifica mentio legitimæ ad effectum eam includendi in diſpoſitionibus neceſſaria eſt, ubi agitur de legitima a diſponente adhuc acquirenda, non vero ubi de jam acquiſita.*
4 *Tranſactio ſuper rebus hæreditariis cum præſervativa bonorum proprio Jure ad tranſigentes ſpectantium, comprehendit legitimam vigore donationis ratarum hæreditariarum in eadem tranſactione contentæ.*
5 *Clauſula conſtituti transfert dominium, & poſſeſſionem in conſtitutarium abſque traditione.*
6 *Ubi loco mobilium ſubrogata ſunt bona inconſumptibilia, ſemper repeti poſſunt non obſtante conſumptione eorundem mobilium.*
7 *Heres alienantis tenetur ad reintegrationem fideicommiſſi:*
8 *Fructus debiti ex cauſa malæ fidei reſtitui debent a die tantum intentatæ actionis.*
9 *Quilibet præſumitur propriæ indemnitati potius proſpicere, quam alienæ.*
10 *Exactio ad plures cauſas referibilis adſcribi potius debet cauſæ commodum exigentis includenti, quam commodum alterius; maxime ſi ita evitetur abſurdum.*
11 *Admiſſio ad hæreditatem cum omnibus in ea exiſtentibus, non efficit, ut admiſſus nequeat credita hæreditaria exacta prius vertere in dimiſſionem proprii crediti, quam in cauſam multiplici.*
12 *A diverſis non fit illatio.*
13 *Quoad fructus cenſus nulla conſiderari*

ri poteſt anterioritas inter fructus primo loco decurſos, & decurſos ex poſt.

14 *Prima exactio cedere debet in cauſam debiti antiquioris, & durioris in dubio, non ubi veriſimilitudo in contrarium concurrit.*

15 *Ex actu geſto abſque alicujus conſenſu deduci nequit ejus voluntas.*

16 *Omnis actio referenda eſt ad Jus vere exiſtens, & ad cauſam efficacem, non autem ad jus, & cauſam incompetentem.*

17 *Fructus percepti poſt reſolutionem tituli reſtituendi ſunt.*

DECISIO XCVIII.

Illæ quatuor prætenſiones in hoc Sac. Auditorio poſt jam abſolutum præcedens Judicium manutentionis in poſſeſſione diverſorum bonorum excitatæ, ac promotæ a Joſepho Maria Puteobonello contra hæreditatem P. Joannis Baptiſtæ ejus Patrui ex Teſtamento delatam ad Pium montem in Civitate Urbini erigendum, & definitæ præviis duabus Deciſionibus proditis coram Eminentiſſimo D. Cardinali Aldrovando, tunc emerito ejuſdem Sac. Auditorii Decano ſub diebus 10. Novembris 1730., & 16. Aprilis 1731. uniformibus quoad primam, ſecundam, & tertiam ex recenſitis quatuor prætenſionibus, & quoad quartam ex illis inter ſe ſe pugnantibus, denuo fuere coram me ſuffecto in locum d. Eminentiſſimi D. ad trutinam revocatæ, ſeu ad lancem Juſtitiæ appoſitæ; Quapropter propoſito hodie Dubio — *An ſit ſtandum in primo, vel ſecundo loco deciſis* — datum fuit abſolutum reſponſum, quoad omnia — *ſtandum eſſe in ſecundo loco deciſis*.

Atque initium ſumendo a prima prætenſione conſiſtente *in medietate legitimæ* debitæ P. Joanni Baptiſtæ in hæreditate Joſephi ſui Patris, viſum fuit perſiſtendum eſſe *in Deciſis*, quod nempe medi tas hujuſmodi debeatur Joſepho Mariæ, qui cum in illius cauſam fuerit jam aſſecutus pretium novem locorum Montium, hoc ſubducto remanet pro totali complemento illius Creditor in ſumma ſc.324. 16., nam in tranſactione inita die 23. Decembris 1685. inter eundem P. Joannem Baptiſtam ex una parte, & Paulum Puteobonellum Patrem d. Joſephi Mariæ ex altera, præ cæteris ſuper hæreditate memorati Joſephi communis Patris, idem P. Joannes Baptiſta donavit inter vivos eidem Paulo Fratri, ejuſque filiis maſculis, & filiis filiorum in infinitum medietatem — *delle rate dell' Eredità, delle quali potrà de Jure diſporre* —, conſequenter donatio hu-
1 juſmodi comprehendere etiam dicitur legitimam præfatam ſpectantem eidem donanti in dicta Paterna hæreditate, ut ſuadent illa verba — *delle rate dell' Eredità* — quæ optime conveniunt, & congruunt legitimæ, quæ dicitur rata, ac portio hæreditatis, præſertim ad hunc effectum eam includendi ſub dicta diſpoſitione; ut firmatum fuit in *utraque Deciſione coram Emo Aldrovando, in prima nempè diei 10. Novembris 1730. §. Recenſendo, & in ſecunda 16. Aprilis 1731. §. Quamvis, cum ſeq.*, & adeſt *Textus in lege Papinianus §. Quis mortis cauſa, & §. Quoniam ff. de inofficioſo Teſtamento, lege parentibus, lege cum quæritur juncta authentica noviſſima Cod. eodem*, traduntque *Merlin. de legit. lib. 1. tit. 1. quæſt. 2. n. 9., Torr. de pact. futur. ſucceſſ. lib. 2. cap. 47. n. 5.*

Nec comprehenſio legitimæ in dicta donatione excluſa remanet ex eo, quod de illa ibidem facta non fuerit ſpecifica mentio; Immo potius præſervata videatur, dum in ſupradicta tranſactione præfati tranſigentes finaliter declararunt, quod in illa — *Non ſi comprendono gl' effetti proprii a ciaſcheduno di eſſi fratelli ſpettanti* — Tum quia, quod dicta legitima comprehenſa fuerit in donatione, alias firmatum fuit in cauſa jam ventilata in hoc Sac. Auditorio inter præfatos tranſigentes, *ut ex Deciſionibus editis coram bon. mem. Molines inter ſuas la 437. ſub num. 5., & deciſ. 494. ſub num. 10.*, & re judicata deſuper emanata, atque acceptata ab eodem P. Joanne Baptiſta; ita ut tale principium non liceat amplius
2 Pio monti illius hæredi in dubium revocare, ut reſpondit *dicta ſecunda De-*

Deciſio Emi Aldrovandi 16. *Aprilis* 1731. §. *Diſtrictiùs*, & notant *Altograd. Jun. conſ.*1. *n.*76., *Rot. dec.*81. *n.*11. *verſic. minuſque de Miſcell. coram cl. mem. Card. Falconerio*; Tum inſuper, quia neutrum ex præmiſſis ſubſiſtit; Sane non primum, quia ſpe-
3 cifica mentio legitimæ unicè requiritur ad hoc, ut comprehenſa dicatur in illis diſpoſitionibus, quæ tendunt ad privandum filium legitima ei de jure naturæ debita, vel ad eum in ea gravandum, minime vero in eo caſu, cujuſmodi eſt præſens, in quo filius, jam aſſecuta ſua legitima, diſponat favore alterius per contractum, vel donationem de ſuis bonis; tunc enim legitima dicitur comprehenſa ſub univerſalitate hujus donationis abſque ulla neceſſitate illam ſpecifice exprimendi, ut diſtinguendo utrumque caſum firmatur *in dicta ſecunda deciſione Emi Aldrovandi* 16. *Aprilis* 1731. §. *Atque hinc eum duobus ſeqq.*, & *alias dixit Card. de Luc. de legitim. diſc.*40. *à n.*15. *uſque ad* 18., & firmavit etiam *Rot. cor. Merlin. dec.*642. *n.*8.

Et tanto minus ſubſiſtere viſa fuit ſecunda pars ſupradicti objecti, quia licet declaraverint tranſigentes, quod in dicta tranſactione non comprehenderentur effectus proprii, nihilominus
4 ſtatim declararunt – *dichiarando, che intendono ſolamente tranſiggere ſopra gl' effetti delle ſudette Eredità* –, quæ tranſactio cum contineret in ſeſe ſupradictam donationem – *delle rate dell' Eredità, delle quali potrà de Jure diſporre*, ideſt P. Joannes Baptiſta; hinc ſtatim colligitur, dictam præſervativam propriorum effectuum referri ad alia bona Jure proprio ad tranſigentes ſpectantia, non autem ad illa provenientia, & dependentia a dd. hæreditatibus, ut eſt controverſa legitima, ſuper quibus tranſigentes literaliter declararunt tranſigere, & contrahere *ad Text. in leg. Sanctio legum ff. de pœnis*, *Bartol. in leg. ult. §. Ita quæſitum eſt ff. de condictione indebiti*, *& ibi communitèr DD.*, *Rot. in rec. dec.*428. *n.*10. *par.*9. *tom.*2.

Progrediendo ad ſecundam prætenſionem, ſeu creditum procedens *a medietate mobilium* hæreditariorum Joſephi Patris pariter a P. Joanne Baptiſta donatorum, in quorum locum ſubrogata fuere ſeptem loca Montis reſtaurati, necnon etiam quoddam latifundium in Territorio Cavarum; quoad hoc pariter Creditum perſtitum fuit in *Deciſis*, quod nempe hæc omnia debeantur Joſepho Mariæ, qui cum jam aſſecutus fuerit dd. loca Montium, in complementum hujus Crediti conſequi etiam debet aſſociationem ad d. latifundium vigore clauſulæ Conſtituti poſitæ in ſupra enuntiata donatione, quæ
5 dominium, & poſſeſſionem tranſtulit in conſtitutarium abſque alia traditione; *leg. quod in meo, ubi Bartolus n.*3. *ff. de acquirenda poſſeſſione*, *Rota coram bo. me. Molines dec.*559. *n.*2., ut etiam firmatum fuit *in ultima dec. Emi Aldrovandi §. ſic pariter cum duobus ſeqq.*

Haud officiente, quod dd. mobilia eſſent conſumptioni ſubjecta, & propter lapſum temporis amplius exiſtere non præſumantur, & propterea hæreditas P. Joannis Baptiſtæ non teneatur ad refuſionem eorum pretii, quia eo ipſo, quod P. Joannes Baptiſta loco
6 dictorum mobilium acceptavit, & recepit recenſita alia bona conſumptioni non obnoxia, non eſt amplius quærendum de qualitate mobilium, ſed unice Joſeph Maria inſiſtere poteſt ſuper dd. bonis non conſumptibilibus ſubrogatis, quæ propterea veniunt reſtituenda; ut firmat *utraque deciſio Emi Aldrovandi*, & *eſt Textus expreſſus in leg. Imperator* 72. §. *fin. ubi Bartolus*, & *Baldus, ac cæteri ſcribentes*, *Caſtren. conſ.*269. *volum. primo*, *Mandel. Ab. conſ.*97. *n.*12., & 13., *Onded. conſ.*58. *n.*32., & 33. *volum. primo*, *Rot. in rec. dec.*191. *n.*4. *par.*17., & de dicta ſubrogatione, ejuſque acceptatione ex parte ejuſdem P. Joannis Baptiſtæ nullatenus dubitatum fuit, uti firmata alias ab hoc Sac. Auditorio *ex dec.*437. §. *fin. coram bon. mem. Molines*, & traditur *tam in prima dec.* 20. *Novembris* 1730. §. *Ejuſdem*, *quam etiam in ſecunda diei* 13. *Aprilis* 1731. §. *ſicque pariter*, & *ſeqq. cor. Emo Aldrovando*.

Succedit tertia prætenſio ſive Creditum *reintegrationis fideicommiſſi* conditi

ti a P.Benedicto Cappuccino ante ejus ingreſſum in Religionem in locis quinque cum dimidio Montis Novennalis provenientibus ab eodem Fideicommiſſo, & alienatis a ſupramemorato P. Joanne Baptiſta, & jam reſolutum in præcedentibus deciſionibus favore Joſephi Mariæ Actoris, quod pariter promeruit *confirmationem*; nam cum d. Fideicommiſſum purificatum remanſerit favore ejuſdem Actoris, ut declaravit hoc S. Auditorium in præcedentibus *deciſionibus Romana Teſtamenti, ſeu Manutentionis* 21. *Februarii*, & *Junii* 1729. *cor Emo Aldrovando*, omne jus exigit, ut Pius Mons hæres d. P.
7 Joannis Baptiſtæ alienantis reintegret idem Fideicommiſſum de pretio eorundem locorum Montium; ex adductis per *Rot. cor. Merlin. dec.* 831. *n.*1. & 2., & *cor. Celſo dec.*235. *n.*1., & *ſeqq.*, & firmatur, tam in *prima dec. diei* 20. *Novembris* 1730. §. *Jam verò*, quam *in ſecunda* 16. *Apr.* 1731. §. *Cum præcedentis cor. eodem Emo Aldrovando*, & quidem una cum refuſione fructuum dd. locorum Montium non a die, qua fuit purificatum d. Fideicommiſſum, ſed ſolum a die motæ litis, cum ex cauſa malæ fidei fructus
8 debeantur a die judicialiter promotæ, ſeu intentatæ actionis, per quam Poſſeſſor in mala fide conſtituatur, ut declaratum fuit in *in d. ſecunda deciſ. diei* 16. *Aprilis* 1731. *eodem* §. *Cum præcedentis in fin.*

Quartum creditum deſumebatur a Joſepho Maria Puteobonello ex hoc, quod Julia Puteobonella Herrera ordinaverit fideicommiſſum favore Joannis Philippi Herrera ſui filii cum onere multiplicandi omnes fructus ejus hæreditatis, ac quoque fructus iſtius multiplici favore filiorum, & familiæ dicti Joannis Philippi, uſquequo hic uxorem duceret, eique decedenti ſine filiis ſubſtituit filium uxoratum Joſephi Puteobonelli ejuſdem Teſtatricis Fratrem, quæ ſubſtitutio ob defectum enuntiati Joannis Philippi inſtituti abſque filiis purificata remanſit in Paulo Puteobonello filio uxorato d. Joſephi.

Cumque idem Paulus in ſuprad. tranſactione anni 1685. admiſerit P. Joannem Baptiſtam fratrem ad participationem etiam fructuum hæreditatis d. Juliæ, inter cujus bona enumeratur cenſus ſortis principalis ſcut. 3000. debitus a Montiſtis Montis Gualenghi Ferrariæ, & idem P. Joannes Baptiſta in vim immiſſionis in Salviano in poſſeſſionem quorundam bonorum Montis ſitorum in Territorio Ferrarien. obtentæ in Tribunali R.C.A. apprehenderit etiam nomine Pauli fratris anno 1716. poſſeſſionem eorundem bonorum ad effectum ſe ſe ſatisfaciendi de fructibus d. cenſus decurſis in ingenti quantitate fere ſcut. 25000. ab anno 1640., & ſic tam vivente Julia Teſtatrice, quam uſque ad illud tempus, quo Joannes Philippus Herrera ejus filius uxorem duxit, & idem P. Joannes Baptiſta ex d. immiſſione pro ſua medietate, ſive rata exegerit ſcut. 3000. circiter; Hinc deducebatur, quod hæc ſumma exacta cedere deberet in ſatisfactionem illorum fructuum cenſus ſubjectorum ſupra enuntiato multiplico, & eſſet reſtituenda ab hæreditate ejuſdem P. Jo: Baptiſtæ Joſepho Mariæ Actori.

At DD. quoad hoc quartum creditum inhærentes *dictæ ſecundæ deciſioni Emi Aldrovandi die* 16. *Aprilis* 1731., exiſtimarunt, illud nullam habere ſubſiſtentiam; Nam licet fructus memorati cenſus ab anno 1640. uſque ad tempus, quo Joannes Philippus filius d. Juliæ uxorem duxit, eſſent obnoxii enuntiato multiplico, & licet etiam anno 1716. P. Joannes Baptiſta reportaverit immiſſionem in Salviano non ſolum pro fructibus decurſis poſt admiſſionem illius ad participandum de hæreditate ejuſdem Juliæ, ſed etiam pro fructibus a d. anno 1640., nihilominus ponderatum fuit, quod ſoli fructus decurſi poſt d. admiſſionem ſpectabant eidem P. Joanni Baptiſtæ, qui de illis diſponere poterat, quodque ipſe exigendo ex dicta cauſa Immiſſionis ſcut. 3000. circiter pro ſua medietate, non exegit ullam quantitatem aliorum præcedentium fructuum ſubjectorum antedicto multiplico, qui adhuc manent inexacti; Quapropter in hiſce circumſtantiis omnis veriſimilitudo cum ſit, quod idem P. Joannes Baptiſta, qui tan-

tanto ſtudio, labore, & expenſis incubuit prædictæ exactioni, illam procuraverit in cauſam propriam, & utilitatem, nempe in ſatisfactionem fructuum
9 ſibi libere ſpectantium in vim ſupradictæ tranſactionis, dum quis potius præſumitur propriæ indemnitati proſpicere, quam alienæ; *Bartol. in leg. cum ex pluribus n.2. verſ.4. dicitur ff. de ſolut.*, *Menoch. de arbitr. caſ.493. n.9.*, *& ſequen.*, *& de præſumpt. lib.3. præſumpt.136. n.9.*, *&* 15., Ita ſequitur, quod ſumma, ut ſupra per eundem P. Joannem Baptiſtam exacta, veniat
10 omnino huic cauſæ adſcribenda, non autem in d. aliam cauſam fructuum multiplici, & ſic nulla ſit facienda ejus reſtitutio, ut ſolide firmatur in d. ultima deciſione *diei* 16.*Aprilis* 1731. §.*In his igitur uſque ad finem cor. Emo Aldrovando*; Nam alias ſequeretur abſurdum, quod ex d. tranſactione ſive admiſſione ad participationem hæreditatis Juliæ, cujus reſpectu plura condonata fuere Paulo fratri, non ſolum nullam utilitatem, ſed poſitive damnum, & incommoda P. Joannes Baptiſta aſſecutus fuiſſet, quod adauget, & efficaciorem reddit d. veriſimilitudinem exigendi fructus proprios; ut animadvertitur *in d. deciſione* §. *Attamen*.

Neque ab hoc ſenſu retrahere valuit DD., quod admiſſio ad participationem d. hæreditatis facta remanſerit— *Con li peſi, che vi ſono* —, quodque inſuper exactio, & reſpective ſolutio ſemper cenſeatur facta in cauſam debiti antiquioris; Quia reſponſum fuit quoad primam partem objecti, illam eſſe in-
11 telligendam, ac operativam, quatenus P. Joannes Baptiſta exegiſſet integros fructus ſæpedicti cenſus, ideſt tam proprios, & ad ſe libere ſpectantes, quam omnes alios obnoxios vinculo multiplici, minime vero ubi idem P. Joannes Baptiſta non exegit, niſi ſummam fructuum ad ſe ſpectantium, firma remanente adhuc reliqua quantitate fructuum multiplici, & inexacta,
12 & ſic ex diverſis nulla valet illatio ad *Text. in leg. Papinianus ff. de minor.*, *Rot. cor. Emerix. Jun. dec.*811. *n.9.*, *& in rec. dec.9. n.12. par.19.*, Et quoad alteram in ordine ad fructus cenſus
13 nulla conſiderari poteſt anterioritas inter fructus primo loco decurſos, & decurſos ex poſt, cum ſequantur idem principium; ad *Text. in leg. cum qui ff. de uſucap.*, *Rot. in rec. dec.*310. *n.*25. *par.*5. *tom.*1., Et ulterius d. propoſitio, nempe primas exactiones cedere in
14 cauſam debiti antiquioris, & durioris, militat in dubio, ſecus vero quando, ut hic, adeſt aperta veriſimilitudo ſupra ponderata in contrarium, quæ ſemper prævalere debet dictæ cauſæ durioris, juxta *Bartol. in leg.1. n.4. de ſolution.*, & reſpondendo tali objecto, eo relato firmavit *Rot. diverſ. dec.92. n.2.*, *& 3. part.1.*, *& dec.123. n.3. par.2.*, ubi quod in hac materia ſemper attenditur id, quod eſt veriſimile.

Sicuti nec etiam, quod in calculatione facta inter Puteobonellos ex una parte, & Creditores Montis Gualenghi parte ex altera ſuper fructibus perceptis ex bonis, ad quæ P. Joannes Baptiſta una cum fratre fuit immiſſus in Salviano, his fructibus fuerit contrapoſitum totum debitum fructuum cenſus decurſorum ab anno 1640., non autem ſola rata illorum ſpectans eidem P. Joanni Baptiſtæ; Tum quia eadem calculatio fuit generalis, complexiva nempe totius quantitatis crediti, & debiti, & propterea trahi non valet ad d. ſpecialitatem; Tum etiam quia illa facta fuit a Joſepho Maria abſque ulla
15 ratificatione prædicti P. Joannis Baptiſtæ, & proinde ex illa nulla deduci valet voluntas certa ejuſdem P. Joannis Baptiſtæ, quod fructus exactos cedere voluerit in cauſam illorum fructuum d. multiplico ſubjectorum, ut probat d. ultima *deciſio coram Emo Aldrovando diei* 16.*Aprilis* 1731. §. *Nec oppoſito.*

Hiſce rationibus adſtricti defenſores Joſephi Mariæ recurrebant ad facti circumſtantiam, quod d. P. Joannes Baptiſta anno 1674. conduxerit a Joanne Philippo Herrera filio Juliæ Teſtatricis omnia iſtius bona hæreditaria pro annua reſponſione ſc.4000., & ſub obligatione agendi infra ſex menſes contra poſſeſſores bonorum obligatorum pro exactione fructuum ſupra enuntiati Cenſus, inde inferentes, quod dum d. P. Joannis Baptiſta erat obligatus exi-

exigere fructus decurſos ante, & in vita Joannis Philippi locatoris, ſucceſſiva exactio ad hanc cauſam referri debeat; At hujuſmodi ratio nullius dijudicata fuit momenti, quia memorata locatio terminavit propter obitum dicti Joannis Philippi ſecutum anno 1683., & bona fideicommiſſaria Juliæ devoluta fuere ad favorem Pauli Puteobonelli ſubſtituti, & fratris dicti P. Joannis Baptiſtæ, & propterea cum idem Paulus in tranſactione inita in ſucceſſivo anno 1685. admiſerit eundem P. Joannem Baptiſtam fratrem ad participandum de fructibus hæreditariis Juliæ, dicendum eſt ex hoc novo titulo, & cauſa efficaci d. P. Joannem Baptiſtam exegiſſe, ut ſupra, non autem ex d. alio titulo locationis, qui jam longe ante ceſſaverat; cum omnia actio referenda
16 ſit ad Jus vere exiſtens, & ad cauſam efficacem, non autem ad Jus, & cauſam penitus incompetentem; *Peregrin. de fideicomm. art.48. n.83.*, *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de legat. dec.5. n.10.*, *& cor. bon. mem. Lancetta dec.1189. n.5.*, *& in rec. dec.444. ſub n.4. par.4.*, *& dec.180. n.5. par.5. tom.1.*

Verum quia P. Joannes Baptiſta exegit etiam fructus in ſumma ſc.321. 38. ex dd. bonis fideicommiſſariis Juliæ a die obitus ſuprad. Pauli fratris ſecuti de anno 1725., quo primogenitura, ſeu fideicommiſſum fuit favore Joſephi Mariæ Actoris purificatum uſque ad annum 1728. quo idem P. Joannes Baptiſta deceſſit; ideo DD., licet de hac partita actum fuerit in prima deciſione Emi Aldrovandi in generali calculatione omnium fructuum hæreditatis d. Juliæ, & in ſecunda nulla facta fuerit mentio, quia non controvertebatur, ad tollendam quamcunque dubietatem in præſenti reſolutione, opportune duxerunt injungere hanc ſummam eſſe refundendam a Pio Monte hærede P. Joannis Baptiſtæ eidem Joſepho Mariæ Actori; Quoniam ſæpe memoratus P. Joannes Baptiſta pro eorundem fru-
17 ctuum perceptione alium titulum non habuit, quam illum deſumptum ex ſupradicta concordia celebrata an. 1685. in qua ipſe a Paulo fratre Primogenito admiſſus fuit, ut dictum eſt, ad fruitionem medietatis uſusfructus tantum bonorum fideicommiſſariorum Juliæ, a quo uti Secundogenitus erat excluſus, cumque per obitum ejuſdem Pauli titulus hujuſmodi reſolutus remanſerit, ideo fructus, quos P. Joannes Baptiſta poſtmodum pro d. tempore percepit, reſtituere tenetur; ex regula *Textus in leg. Vectigal. ff. de pignor.*, *Rot. coram Manzaned. deciſ.149. num.2.*, *& cor. Arguell. dec.113. num.16.*, *& 17.*, *& cor. Benincaſ. dec.376. n.3.*, *& coram Rmo Criſpo dec.500. num.5.*, *& in recen. dec.605. num.10. par.18.*

Et ita omnibus DD. una mecum ſuffragantibus reſponſum fuit utraque &c.

BONONIEN. PRIMICERIATUS.

Veneris 14. Martii 1738.

ARGUMENTUM.

Contemplata rigoroſa agnatione Cognati neque per poſterius admittuntur; ſecus ubi agnati prędilecti dumtaxat fuerunt, ex quo nempe inſtitutum fuerit fideicommiſſum ſimpliciter maſculinum prolatis tamen alicubi verbis communibus, & indifferentibus. Nomen gentilitium additum domui excludit in ſubſidium Cognatos, quoties domus ipſa, ſeu familia particularis imperſonaliter, & per ſe vocetur, aut vocentur perſonæ habentes, & deferentes cognomen aliquod; non verò ubi vocatio directa eſt ad perſonas ex aliqua familia, ſeu domo derivantes. In materia indifferenti Juriſpatronatus, quoties non concurratur cum maſculo ex maſculis, vel cum fœmina agnata, ſemper admittuntur Cognati, modo literaliter excluſi non ſint, etiam ſi diſpoſitio nulla alia contineat verba, quam illa contemplantia familiam fundatorum cum adjectione cognominis. Juſpatronatus paſſivum inſervit pro interpretatione activi.

SUMMARIUM.

1 *Quouſque non purificetur conditio ſubſtitutionis, locus non aperitur vocationi.*

2 *Ubi rigoroſa agnatio contemplata fuit oriens ex perpetua vocatione maſculorum ex maſculis, fœminarum perpetua*

petua excluſione, bonorum conſervatione in agnatione, & ſimilibus, tunc defectis agnatis non admittuntur ad ſucceſſionem cognati;

3 *In ſucceſſionibus enim omnis extenſio prohibetur, & nemo præter vocatos locum habere valet:*

4 *Ubi verò conſiderata dumtaxat fuit prædilectio agnatorum, ex quo nempe inſtitutum fuerit fideicommiſſum ſimpliciter maſculinum, prolatis tamen ſive in parte proœmiali, ſive in diſpoſitiva, ſive in conditionali verbis communibus, & indifferentibus, nunquam denegatur Cognatis admiſſio per poſterius.*

5 *Nomen gentilitium additum vocationi domus ſubſequenti verbo communi* Deſcendentes, *præſefert prædilectionem tantum agnatorum;*

6 *Et quamvis ex communi uſu Italiæ, hujuſmodi repetita adjectio nominis gentilitii operetur vocationem ſolummodo agnatorum;*

7 *Adeo ut Cognati tanquam vocatione deſtituti ſuccedere nequeant neque per poſterius;*

8 *Id tamen procedit, quoties vocatur ipſa particularis familia, ſeu domus impersonaliter, & per ſe conſiderata, aut vocantur perſonæ habentes, ac deferentes cognomen aliquod: non verò quoties vocatio directa eſt ad perſonas ex aliqua familia, ſeu domo derivantes:*

9 *Præſertim in materia indifferenti, & Eccleſiaſtica;*

10 *In qua, ubi non agatur cum maſculo ex maſculis, vel cum fœminis agnatis, ſed cum extraneo, ſemper in ſubſidium admittuntur Cognati, modo literaliter excluſi non ſint, etiam ſi diſpoſitio nulla alia contineat verba, quam illa contemplantia familiam fundatorum cum adjectione cognominis.*

11 *Vocatis omnibus maſculis tam ex maſculis, quam ex fœminis de linea contentiva remota, qui ſub appellatione deſcendentium continentur,*

12 *Vocati etiam omnes cenſentur in linea contentiva proxima:*

13 *Pariter ex quo ad Juſpatronatus paſſivum in defectum agnatorum vocatus fuit habilis ex deſcendentibus domus qualificatæ cum adjectione cognominis, eruitur neceſſario vocatio ſubſidiaria Cognatorum ad ipſum Juſpatronatus paſſivum:*

14 *Ex vocatione autem paſſiva a fortiori deſumitur vocatio activa;*

15 *Tum quia S. Canones magis favent Juripatronatus activo, quam paſſivo;*

16 *Tum quia activum interpretationem recipit a paſſivo.*

17 *Verba* Domus, Familia, Proſapia *comprehendunt etiam Cognatos.*

18 *Verba prolata a Procuratore fundatoris, maxime ſi ſit ejus frater, in expoſitione Ordinario facta pro erectione declarant mentem ipſius fundatoris;*

19 *Prout eam apprime declarant actus ſucceſſorum in Jurepatronatus:*

20 *Et licet neque Procurator, neque Ordinarius novum genus perſonarum expreſſe comprehendere valeant, tamen, quando aſſiſtit indubia Teſtatoris voluntas, eorum actus clarius fundationem explicantes deſervire poſſunt pro obſervantia interpretativa voluntatis Teſtatoris.*

21 *Relatio deſtruere quidem nequit relatum, ſed poteſt tamen illud ſupplere, ac melius declarare, quando illud dubium eſt.*

22 Cardin. de Luc. de Jurepatr. diſc.26. *conſulit pro ſubſidiaria admiſſione Cognatorum in caſu, quo vocatio reſtricta erat ad illos de certa, & deſignata familia cum dictione taxativa* tantùm.

23 *Explicantur deciſiones* cor. Falcon. de Jurepatr.43., & cor. Anſald.

24 *Vocatio fœminarum in remotiſſimum tempus collata extendi veriſimiliter poteſt, iis non ſuperextantibus, ad eorum deſcendentes.*

25 *Diſpoſitiones in eodem actu explicatæ, & iiſdem pene verbis conceptæ nunquam diverſimode interpretari debent.*

26 *Contra æquitatem eſt, ut ad poſteriores ſubſtitutos fiat tranſitus, exiſtentibus in medio deſcendentibus a primo vocatis.*

27 *Ad effectum excludendi ſubſtitutum extraneum inducitur tacita vocatio nepotum etiam in Teſtamento non nominatorum.*

28 *Pars conditionalis intelligi debet, quoad fieri poteſt, juxta limites diſpoſitive.*
29 *Vocatio illegitimorum votum agnationis deſtruit;*
30 *Sicuti etiam vocatio fœminarum.*

DECISIO XCIX.

INtroducta alias diſputatione in hoc Sacro Auditorio coram tunc R.P.D.Rezzonico, hodie ad Sacram Purpuram ob eximia ejus merita evecto, vertente inter Protheſilaum de Malvetiis, & Marchionem Bolognini, quorum primus ſub narrativa, quod Juſpatronatus ſuper quarta dignitate, quam ſub titulo Primiceriatus fundaverat bon. mem. Joannes Baptiſta Campeggius Epiſcopus Majoricen. in Eccleſia Metropolitana Bononiæ, eſſet laicale, & ad ipſos de Malvetiis pertineret, obtinuit a Dataria Apoſtolica provideri de eadem quarta dignitate; Alter verò ſub expreſſione, quod Patronatus pertineret ad Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, proviſionem d. Primiceriatus ipſe etiam nactus fuit; cauſa tunc temporis reſoluta remanſit favore memorati Protheſilai, ut conſtat *ex deciſione* ab eodem Emo, & Rmo D. Cardinali Rezzonico evulgata *die* 27. *Aprilis anni* 1731.

Verum quia *in hac deciſione* aſſumptum fuit examen ſuper Jurepatronatus tam activo, quam paſſivo, & in ſucceſſiva ſententia, quæ ob non interpoſitam appellationem tranſitum fecerat in rem judicatam, citatum, & comprehenſum fuerat memoratum Capitulum, idem proinde adhuc non diffidens de ejus Juribus adivit Signaturam Juſtitiæ, novamque obtinuit commiſſionem in petitorio directam pariter huic Sac. Tribunali tanquam in prima coram Rmo P.D. Calcagnino Decano.

Reiterato itaque certamine inter Capitulum, & illos de Malvetiis diſceptatum fuit dubium -- *An, & ad cujus favorem conſtet de pertinentia patronali* --; & prodiit reſponſum -- *Conſtare de pertinentia patronali favore illorum de Malvetiis* --; ut patet ex deciſione ab ipſo Rmo Decano edita ſub die 11. Maii anni 1733. Cumque ſubinde promulgata fuiſſet ſententia, atque iterum interpoſita appellatio per antedictum Capitulum, cauſæ cognitio mihi delegata extitit, unde propoſito per Me conſueto dubio -- *An Sententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda* --, licet in Rota diei 17. Januarii currentis anni ob ſuffragiorum diſcrepantium irreſolutum remanſiſſet; hodie tamen, renovato examine, prævaluit ſententia illorum ex Dominis, quibus placuit pro confirmatione ſententiæ reſpondere.

Non immerito autem hujuſmodi ſenſus prævaluiſſe videtur. Validitas namque prædictæ ſententiæ non controvertebatur. Juſtitia verò quemadmodum ex eo manifeſte refulget, quod vocatio Cognatorum, quales ſunt prædicti de Malvetiis, indubia eſt antequam fiat caſus ſubſtitutionis Capituli, quod in eorundem defectum ſubſtitutum ſolummodo legitur; ita ſequitur ad eorum favorem conſtare de pertinentia patro-
1 nali; nondum enim purificata conditione, ſub qua idem Capitulum fuit ſubſtitutum, fruſtra contendit factum jam fuiſſe caſum ejus vocationis; ad *Text. in leg. unica §. Sin autem Cod. de Cadut. toll.*, appoſite exornatum per *Saminiat. controv.* 121. *n.*6., *& ſeqq.*, *Manſ. conſult.* 278. *n.*2., *& ſeqq.*, *Rot. in dec.*69. *n.*30. *par.*17., *& in Pennen. Abbatiæ* 6. *Maii* 1722. *cor. bon. mem. Gamaches §. Præterea.*

Et ſanè indubia eſt vocatio prædictorum de Malvetiis, utpote Cognatorum, antequam dies ſubſtitutionis Capituli cedat. Præmiſſa etenim ſolemni illa diſtinctione, qua proceditur, ubi defectis Agnatis inquirendum eſt de vocatione ſubſidiaria Fœminarum, eorumve Deſcendentium, & in eo conſiſtente, nimirum, quod aut diſponens contemplavit rigoroſam Agna-
2 tionem, vel expreſſe, vel tacite deſumptam ex concludentibus conjecturis, & ſpecialibus uniuſcujuſque caſus circumſtantiis, ut ex perpetua vocatione Maſculorum ex Maſculis, Fœminarum perpetua excluſione, Bonorum conſervatione in Agnatione, & ſimilibus, ex quibus dignoſcatur Agnatos rigoroſe, & ſtricte dumtaxat fuiſſe vocatos, & tunc pro excluſione earundem Fœminarum, ſeu eorum Deſcen-

den-

dentium certo certius reſpondendum eſt, cum Jus noſtrum non patiatur, ut aliquis præter Vocatos ad Succeſſionem admittatur, omnemque extenſionem prohibeat.

Aut vero Teſtator, ſeu Fundator ſuam diſpoſitionem taliter ordinavit, & compoſuit, ut ex ea concludi, & verificari non poſſit, quod contemplaverit ſtricte, ac rigoroſe Agnationem, ſed ſolum, quod quandam prædilectionem Agnatorum in Votis habuerit, puta quia inſtituit Fideicommiſſum ſimpliciter Maſculinum proferendo de cætero, ſive in parte proœmiali, ſive in diſpoſitiva, ſive in conditionali verba communia, & indifferentia, & hoc caſu nunquam denegari debet Cognatis admiſſio per poſterius, ut caſum a caſu diſtinguendo unanimiter, concordantibus fuſo calamo collectis, firmant *Gabriel. conſ.132. quæſt.5., Balducc. ad Ramon. conſ.16. n.75. tom.1., Rota dec.6., & 9. in Mantiſſ. ad Card. de Luc. lib.10. tom.3., in dec.654. n.9. coram Reverendiſſimo Criſpo, in Romana, ſeu Januen. Primogenituræ de Coſta ſuper Detractionibus in genere 17. Maii 1732. §. Ubi enim cor. Eminentiſſ., & Reverendiſſ. D. Cardinali Cincio, & in confirmatoria diei 13. Maii 1733. §.10. cor. Eodem.*

Ex his præmiſſis ſubinde mirifice comprobatur aſſumptum; Quoniam eo ipſo, quod Capitulum in hypotheſi invitatum apparet, poſtquam Fundator proteſtatus fuerat præcitatam Di-
5 gnitatem eſſe debere *Juſpatronato della Caſa Campeggi*, ac poſtquam paulo inferius, quaſi explicare volens cuinam Perſonarum generi ſub nomine *Domus Campeggiæ*, & quibuſnam Perſonis de dicto genere reſervaſſet hoc Juſpatronatus, ſparſim addidit verba illa communia, & indifferentia, ibi -- *Diſcendenti però della felice mem. del Signor Gio. Campeggi, & alli due più vecchj d'età*, nemo profecto in his circumſtantiis inficias ire poterit, quin priuſquam fiat locus admiſſioni Capituli ſubſtituti prorſus extranei, denegari non debeat prædictis Marchionibus de Malvetiis tanquam Cognatis admiſſio per poſterius ſtatim, ac defecti ſunt Agnati; dum in his porro terminis ſubſidiaria comprehenſio Cognatorum manifeſte evincitur; ſicuti proſequuntur *Altograd. conſ.66. num.84. lib.2., Manſ. conſultat.552. n.22. lib.6., Carol. Anton. de Luc. de linea legal. lib.1. artic.10. n.13., Rot. dec.84. n.10., & ſeqq. part.10. Recent., cor. Priolo deciſ.681. n.7., coram Cerro dec.47. n.2., & in Ferrarien. Fideicommiſſi 22. Junii 1733. §. Nec ad excludendam cor. Eminentiſſ., & Reverendiſſ. D. Card. Cincio.*

Neque inapplicabilitatem hujus generis legalium principiorum ſuadere potuit animadverſio illa, videlicet, quod ſi Fundator proteſtatus fuerat, & quidem pluries, quod juspatronatus, de quo quæſtio eſt, ſpectare debebat
6 *alla Caſa Campeggi*, hæc cognominis adjectio pluries repetita juxta communem Italiæ uſum operetur, ut ſoli Agnati in diſpoſitione non abſimili comprehendantur, *Card. de Luc. de Jurepatronat. diſc.26. n.3., & ſeqq., Rota cor. clar. mem. Cardinali Falconerio deciſ.44. ſub tit. de Jurepatront. n.8., & in Auximana Juriſpatronatus 27. Junii 1701. §. Abſque eo quod coram bon. mem. Anſaldo*; Proindeque eorum vo-
7 cationis ſedem antedicti de Malvetiis oſtendere nequeant, ſine qua ſubſumebatur, neque per poſterius admittendos eſſe juxta aliud legale principium, de quo *Rota cor. bon. Herrera dec.72. n.15., & cor. bon. mem. Lancetta deciſ.1322. n.3.*

Quandoquidem ſtatim ac Fundator, non obſtante memorata proteſtatione, & adjectione cognominis *Campeggi* vocabulo domus, paulo inferius, ut ſuperius dictum eſt, quaſi explicando quænam perſonæ comprehendi deberent ſub prænotato vocabulo -- *Caſa Campeggi* --, ſe expreſſerat favore -- *delli Diſcendenti però della felice mem. del Sig. Gio. Campeggi* --; Inde tuto inferri poteſt, neutiquam ejus mentem fuiſſe includendi ſolos Agnatos in hac fundatione; aſt prædictam proteſtationem, & cognomen *Campeggi* adjeciſſe verbo *Domus* ad effectum præferendi Agnatos Cognatis in Jure nominandi, & ad denotandam originem Cognato-

rum,

rum, prout adjectio cognominis deno-
8 tat, quotieſcunque vocatio dignoſcitur directa, prout hîc, ad perſonas ex aliqua familia, ſeu domo derivantes, nec probatur vocata ipſa particularis familia, ſeu domus imperſonaliter, & de per ſe conſiderata, minuſque vocatæ intuentur perſonæ, quæ habeant, & deferant cognomen aliquod, juxta diſtinctionem, de qua *Rodulphin. allegat.* 11. *n.*26., *Piton. de controv. Patron. allegat.*92. *n.*35., *Rot. in Comen. Cappellaniæ* 31. *Martii* 1702. §. *Quin dici valeat coram clar. mem. Cardinali de la Tremoille, & in confirmatoria edita* 14. *Martii* 1703. §. *Non minus cor. clar. mem. Card. Priolo*.

Hujuſmodique interpretationem eo magis caſui adaptabilem cenſuerunt Domini, quia non ſolum hic agitur de materia indifferenti, & Eccleſiaſtica,
9 in qua poſthabitis ſubtilitatibus Juris Civilis verba in ſenſu naturali, & quantum fieri poteſt late accipi debent, *Lotter. de re Benefic. lib.*2. *quæſt.*11. *n.*73., *& ſeqq.*, *Cardinalis de Luca de præeminent. diſc.*13. *n.*12., *Rot. in Interamnen. Juriſpatronatus* 22. *Martii* 1706. §. *Et quamvis cor. clar. mem. Cardinali Scotto, & in Averſana Juriſpatronatus* 1. *Decembris* 1725. §. *Hanc autem cor. bon. mem. Gamaches*; ita ut ubi quæſtio non examinatur, vel in concurſu cum
10 Maſculis ex Maſculis, vel cum Fœminis Agnatis, ſed cum extraneo, uti eſt in concreto caſu Capitulum, Cognatorum excluſio, ſi non eſt expreſſa, & literalis, aut neceſſario importata ex urgentiſſimis conjecturis, nunquam veniat admittenda; immo e converſo potius illorum vocatio, & comprehenſio ſubſidiaria, defectis Agnatis, admiſſa ſemper fuerit, etiamſi examinanda proponeretur diſpoſitio non alia continens verba, quam illa contemplantia familiam Fundatorum cum adjuncto eorum cognominis; ut teſtantur *Piton. de controv. Patron. allegat.*75. *ſub n.*6., *Rot. in Interamnen. Juriſpatronatus* 10. *Decembris* 1706. §. *Et in hanc cor. clar. mem. Cardinali Scotto, in Romana Juriſpatronatus* 1. *Junii* 1708. *cor. Emo, & Rmo D. Cardinali Aldrovando, in Placentina Canonicatus* 15. *Junii* 1725. §. *Quod autem cor. bon. mem. Cerro, & in Averſana Juriſpatronatus* 7. *Decembris ejuſdem anni* §. *Hanc autem in fine cor. bon. mem. Gamaches*.

Verum etiam quia utriuſecus ponderando alias omnes præſentis caſus circumſtantias clare evincitur, & confirmatur mentem Fundatoris, non obſtante dicta proteſtatione emiſſa, quod ſcilicet Juſpatronatus pertinere debuiſſet -- *alla Caſa Campeggi* --, eo nihilominus directam fuiſſe abſque dubio, ut Cognati comprehenderentur in hac ejus diſpoſitione, & frui poſſent hoc Jurepa-
11 tronatus. Reſpectu namque Flavii, & Jacobi de Campegiis, qui erant de linea contentiva remota, ideoque minus dilecta, certum in facto eſt, quod Fundator indiſtincte vocaverat omnes eorum deſcendentes, quorum appellatione veniunt tam Maſculi ex Fœminis, quam Maſculi ex Maſculis, ex fuſe probatis per *Manſ. conſult.*485. *n.*11. *tom.*5., *Rot. dec.*102. *n.*8. *cor. Benincaſa*, *dec.*576. *n.*16. *cor. bon. mem. Molines*, *& in Bononien. Immiſſionis quoad Collegium S. Gregorii* 3. *Februar.* 1736. §. *Idque cor. R.P.D. meo Peralta*, quanto magis igitur dicendum eſt illos voca-
12 re voluiſſe in linea contentiva proxima, & magis dilecta Joannis Campeggi ipſius Fundatoris avi ad evitandum intolerabile abſurdum, quod tranſverſales, & minus dilecti præferantur illis, qui majori ſanguinis neceſſitudine cum Fundatore conjungebantur, quemadmodum in terminis ratiocinatur *Rota in Auximana Juriſpatronatus* 9. *Martii* 1703. §. *Secundo elicitur coram bon. mem. Muto*.

Huic deinde non ſpernendo argumento aliud longe gravius accedit; Fundator quippe -- *in evento, che non vi foſſe alcun Maſchio di Caſa Campeggi diſcendenti come di ſopra tanto nato di legittimo matrimonio, quanto nò* -- invitavit Fœminas ad Juſpatronatus, & ex eo, quod eis dedit facultatem præſentandi -- *uno delli Campeggi* -- deſcendentem ex prædictis Flavio, & Jacobo -- *in caſo, che non vi foſſe alcun ſoggetto abile in Caſa Campeggi delli diſcendenti come ſopra* --, neceſſario concludi debet, quod ad Juſpatronatus

paſſi-

Digitized by Google

ɔaſſivum vocaſſet , defectis omnibus Agnatis , deſcendentes omnes ex Fœminis , ubi etenim voluit Fœminas, lefectis Agnatis , præſentare debere -- *alcun Soggetto in Caſa di Campeggi delli diſcendenti come ſopra* --, antequam ɔræſentarent aliquem de linea Flavii, & Jacobi , de aliis deſcendentibus intelligere nequivit, quam de deſcenlentibus Maſculis per medium Fœminæ , ut de ſe patet.

Semel itaque dato , quod ad Juſparonatus paſſivum invitati legantur deſcendentes ex Fœminis , a fortiori di-endum eſt Fundatorem intellexiſſe eoſlem vocare ad Juſpatronatus activum; um quia Sac. Canones magis favent Juripatronatus activo ad Fundatores llicieudos , quam paſſivo redigenti Eclesiam inſervitutem ; *Card. de Luc. de urepatronat. diſc.29. ſub n.7.*, *Rota ec.26. ſub n.18., & ſeqq. impreſſ. poſt Monacell. in append. formul. tom.4.* -- Tum quia , recipiente Jurepatronatus mutuam interpretationem a paſſivo , erſonæ illæ , quæ ſunt comprehenſæ Jurepatronatus paſſivo , cenſeri deent ſimiliter comprehenſæ in activo; d communiter firmata per *Card. de Luc. de Jurepatronat. diſc.45. n.5.*, *Pim. de controverſ. Patronor. allegat.77. .12.*, *Rot. in Hortana Beneficii 2. Juli 1738. §. Omnes cor. clar. mem. Carnali Priolo , & in Barchinonen. Beneficii 13. Maii 1729. §. His omnibus r. bon. mem. de Valentibus*.

Intelligentiam hanc poſtremo conudit mirabiliter , tam obſervantia ndationi proxima , quam remota ; & itium ſumendo ab obſervantia fundaɔni proxima , Balthaxar Campeggius i frater , ac Procurator Fuudatoris, cujus voluntate apprime judicari deet indubitanter instructus , expreſſit ar. mem. Cardinali Paleotto erectio-m ſubinde confirmanti adamuſſim xta expoſitionem ſibi factam, eundem ndatorem exoptaſſe -- *Fundare Primiceriatum cum reſervatione Juriſpaonatus* -- eo defuncto -- *Favore duoum antiquorum , & maiorum natu de Domo , Familia , Proſapia , & Agnaone DD. Campeggiorum* -- Unde ſicuhujuſmodi verba certe complectuntur etiam Cognatos , ut ſignanter examinata importantia verbi *Proſapia* defendunt . *Fuſar. de ſubſtit. quæſt.333. n.1., & 2.*, *Torr. de Primogenit. Ital. par.1. cap.38. n.329.*; Ita mirifice declarant voluntatem etiam Fundatoris
18 fuiſſe pro comprehenſione in præcitata ejus fundatione , ubi poſtquam dixit, Juſpatronatus ſpectare debere *alla Caſa Campeggi* , ſe expreſſit favore *delli diſcendenti però del Signor Gio: Campeggi* -- *Piton. diſcept. Eccleſ.29. n.16., & de controv. Patron. allegat.75. n.9.*, *Rot. dec.992. cor. bon. mem. Molines , & in Interamnen. Juriſpatronatus 15. Martii 1709. §. Tollitur que cor. Emo , & Rmo D. Card. de Polignach.*

Sermonem deinde convertendo ad obſervantiam remotam; Quoniam Laurentius Campeggius ultimus Agnatus , & actualis Primiceriatus Poſſeſſor non aliter Formaliarium ſibi in Coadjutorem aſſumpſit niſi obtento conſenſu deſuper memorati Prothesilai Malvezzi , quem tanquam filium fœminæ agnatæ in omnibus qualificatum conſideravit; Innegabile redditur , Succeſſores ipſos agnoviſſe Cognatos omnino comprehenſos eſſe in hoc Jurepatronatus , cujus
19 generis declarationes a Succeſſoribus in Jurepatronatus emiſſæ pro inducenda obſervantia declarativa voluntatis Fundatorum ſemper in magno pretio habitæ ſunt, ut teſtatur *Rot. dec.755. n.final. cor. Buratto*.

Quin hæc remota obſervantia in tanto minori pretio haberi debeat , ut proponebatur pro parte Capituli , quanto inefficacior detegitur obſervantia proxima , ex eo quod non potuiſſet , neque
20 Balthaxar petere , neque Ordinarius erectionem ſtatuere expreſſe , & abſque ulla difficultate Cognatos comprehendentem ; Quidquid namque eſſet , ubi conſtaret de aliquali Fundatoris voluntate pro excluſione Cognatorum , quia tamen in hypotheſi , ut ſupra demonſtratum eſt , Cognatorum comprehenſioni indubia Teſtatoris mens , & præciſa voluntas aſſiſtit ; ideo Procuratoris petitio , atque Ordinarii ſubſequens erectio clarius etiam fundationem explicantes ſemper deſervire valent pro conſtituenda obſervantia interpretati-

va

va voluntatis Fundatoris; tanto magis cum erectio, de qua quæſtio eſt, facta fuerit ſciente, approbante, ac non reclamante Fundatore ipſo, per ea, quæ obſervat *Rot. decif.156. num.7., & 8. par.13., & dec.327. n.6., & 7.par.15. recent.*

Parum juvante, quod in decreto hujus erectionis fuiſſet habita relatio ad Capitula fundationis, quia licet relatio
21 deſtruere nequeat relatum, illud tamen ſupplere, ac melius declarare poteſt, ſemperque relatio attenditur, ſuumque validum operatur effectum, quando perfectius explicat id, quod in relato dubietatem admittit, ut, occurrendo huic objecto, fere per eadem verba reſpondent — *Piton. de controv. Patron, allegat.85. ſub n.9., Rot. decif.1003. n.14., & ſeqq. cor.bon. mem. Molines tom.4., & in Lunen., Sarzanen. Jurifpatr.9. Martii 1716. §. Nilque relevabat coram bon. mem. Anſaldo impreſſ. penes Palm. Nep. dec.480. ſub n.8. tom.5.*

Quæ cum ita ſe habeant, in nulla etiam vel minima conſideratione habitæ ſunt authoritates adductæ ſupra in §.8., quibus mediantibus contendebatur probari proteſtationem emiſſam a Fundatore favore domus cum adjuncto cognominis *Campeggi* occaſione, qua devenit ad præeligendos Succeſſores in hoc Jurepatronatus, omnino operari excluſionem Cognatorum in fundatione hucuſque examinata; Antedictę enim authoritates potius quam procederent in caſu tot, tantiſque circumſtantiis fulcito pro eorundem Cognatorum comprehenſione, e contra compertum eſt
22 *Card. de Luca de Jurepatron. diſc.26.* conſuluiſſe in caſu, in quo Juſpatronatus reſtringebatur ad vocationem illorum de Familia Baleſtrorum cum taxativa *tantùm*.

Rot. deinde *in dec.43. tit. de Jurepatron. cor. clar. mem. Card. Falconer.*,
23 quamvis loquatur in caſu, in quo agebatur de vocatione illorum de Familia de Peregrinis, attamen in eodem caſu non deerant verba denotantia exoptatam fuiſſe in vocatis qualitatem actualis exiſtentiæ in prænotata Familia. Altera demum Deciſio in Auximana Juriſpatronatus 27. Junii 1701. coram bon. mem. Anſaldo detecta eſt confovere potius præſentem reſolutionem, ſiquidem quantumvis agat de Jurepatronatus reſervato uni ex Familia de Vitaleonibus, nihilominus firmat punctum pro admiſſione Cognatorum ob eam rationem, quod cognomen de Vitaleonibus appoſitum Familiæ ſignificabat dumtaxat originem, ſicuti videre eſt in eadem *dec. ſub §. Verum.*

Vim, & efficaciam præmiſſorum ſentiens Capitulum recurſum habebat ad partem conditionalem ſæpedictæ fundationis, in qua cum Fundator demandaſſet — *Che mancando Vomini, e Donne di Caſa Campeggi diſcendenti dal Signor Gio: Campeggi il Jus præſentandi ſpetti pienamente al Capitolo* — ideo literam hanc præciſam in medium afferendo acriter inſiſtebat, quod nullo amplius exiſtente, vel maſculo, vel fœmina de domo, & cognomine Campeggio pluſquam clare pateret, quod Jus activum præſentandi juxta materialem legem ſcriptam in hac parte conditionali ad ſe pleno Jure ſpectare debuiſſet.

Veruntamen, ultra quamquod ex hac fœminarum vocatione utpote facta in
24 remotiſſimum tempus, defectis ſcilicet omnibus maſculis legitimis, & illegitimis a Joanne deſcendentibus, non ſine fundamento argui poteſt Teſtatorem vocaſſe iſtas, ſi ſuperextitiſſent, ſin minus maſculos ab eis deſcendentes, cum præ oculis habere potuiſſet idem Teſtator inveriſimile non fuiſſe poſt adeo longam temporis intercapedinem fœminas a maſculis deſcendentes non extitiſſe, quemadmodum arguit *Rot. dec.984. n.11., & ſeq. cor. Dunozett. Jun., dec.992. n.45., & ſeq. cor. bon. mem. Molin. tom.4., dec.211. n.10. & ſeq. par.14. rec., in Auximana Juriſpatronatus 9. Martii 1703. §. Quanta demum cor. bon. mem. Muto, & in Romana Juriſpatronat. 1. Junii 1708. §. Veriſimilis cor. Emo, & Rmo D. Cardinali Aldrovando.*

Objectum ſubinde ceſſare dubitatum non eſt invicem collatis vocationibus factis, tam pro maſculis, quam pro fœminis; nam Fundator, poſtquam reſerva-

vaverat Juſpatronatus favore totius li-
neæ maſculinæ, addidit, ut deſuper
prænotatum eſt, quod -- *Li due più vec-
chj d'età della Caſa Campeggi, che a
quel tempo ſi troveranno abbiano il Jus
preſentandi* --, ſubſtitutionem verò fœ-
minarum concepit in hunc, qui ſequi-
tur, modum ibi -- *In caſo, che non vi
foſſe alcun maſchio di Caſa Campeggi di-
ſcendente come ſopra, in quel caſo il Jus
preſentandi competa alle femmine di Ca-
ſa Campeggi diſcendenti, come ſopra,
ed alle due di più età, che ſi troveranno
pro tempore*.

Sicuti autem ſubſtitutio fœminarum
demandata fuit in caſu deficientiæ li-
neæ maſculinæ per modum Collegii
ſumptæ ibi -- *In caſo, che non vi foſſe
alcun maſchio*; Sicuti pariter præſefert
competentiam Jurisſpatronatus favore
duarum ſeniorum fœminarum de ea-
dem domo, veluti poſtremo iiſdem ver-
bis, & eodem ſenſu expreſſa legitur; Ita
concludi poſſe dubitatum non eſt, quin
eodem prorſus modo, quo Fundator
contemplavit in hac conditionali parte
totam lineam maſculinam a Joanne de-
ſcendentem, contemplaverit etiam to-
tam lineam fœmininam, cum diſpoſi-
tiones in eodem actu explicatæ, ac iiſ-
25 dem verbis conceptæ nunquam in
eodem caſu diverſam recipiant inter-
pretationem, ac ſenſum -- *Leg. eum,
qui ædes ff. de uſucap.*, *Rot. cor. Coccin.
dec.* 597. *n.* 5., *&* *dec.* 2122. *n.* 9.

Maxime ulterius in præſenti thema-
te, quandoquidem ſi extra aleam du-
bitationis eſt, jura naturali innixa
26 æquitati adeo abhorrere, ut fiat tran-
ſitus ad poſteriores ſubſtitutos, exiſten-
tibus in medio deſcendentibus a primo
vocatis, ut ad mentem famigeratorum
*Textuum in leg. cum avus ff. de condit.,
& demonſtrat.*, *& in leg. cum acutiſſi-
mi Cod. de fideicom.* videmus inductam
27 vocationem tacitam Nepotum ad ef-
fectum excludendi ſubſtitutum extra-
neum, quamvis nulla in teſtamento ha-
bita ſit mentio Nepotum, ut in termi-
nis ſupplendæ vocationis illorum de
ſanguine Fundatoris ad quoddam Juſpa-
tronatus, ratiocinatur *Rot. in Auxi-
mana Jurisſpatronatus* 27. *Junii* 1701.
§. *Validius cor. bon. mem. Anſaldo*.

Fundamento tutiori certo certius a-
cendum eſt in præſenti vocatos fuiſſe
in antedicta parte conditionali deſcen-
dentes maſculos ex fœminis, tanquam
hos, pro quorum comprehenſione ne-
dum urgent ſuperius recenſitæ conje-
cturæ; aſt litera etiam fundationis in
parte diſpoſitiva, ad cujus limites cæ-
28 teroquin, quantum fieri poteſt, intel-
ligi debet pars conditionalis; *Gabriel.
conſil.* 79. *n.* 5. *lib.* 2., *Surd. conſil.* 21.
n. 9., *Rodulphin. in allegat.* 45. *n.* 15.,
Rot. in Pennen. Abbatiæ 6. *Mart.* 1722.
§. *Prout cor. bon. mem. Gamaches*.

In irritum tandem ceſſit ultimus Ca-
pituli conatus, dum firmiter tuebatur
in hac facti ſpecie ex multiplici men-
tione facta de cognomine *Campeggio*
contemplatam fuiſſe rigoroſam agna-
tionem, conſequenterque Cognatos ex-
cluſos eſſe. Fundator etenim non ſolum
vocavit illegitimos, quorum vocatio
29 profecto votum agnatitium deſtruit;
cum illegitimi utique dicantur de ſan-
guine, non autem de agnatione; *Tira-
quell. de nobilitat. cap.* 15. *n.* 12., *Rot.
dec.* 433. *n.* 16. *cor. Ludoviſ.*, *& dec.* 17.
n. 10. *cor. bon. mem. Herrera*. Sed in-
ſuper ad Juſpatronatus activum voca-
vit fœminas; Qua de re ſumma ratione
dictum eſt nullam fuiſſe habitam ratio-
30 nem voti agnatitii, cui nil magis ad-
verſatur, quam vocatio, & admiſſio fœ-
minarum; *Rot. dec.* 26. *n.* 5. *tit. de Ju-
repatr. cor. clar. mem. Card. Falconer.*,
& in Interamnen. Jurisſpatronatus 10.
Decembris 1706. §. *Minus cor. cl. mem.
Card. Scotto*.

Et ita in acerrimo utriuſque Partis
conflictu reſponſum fuit, Dominis re-
miſſive in reliquis ſe habentibus ad de-
ciſiones editas per Eminum, & Rmum
D. Cardinalem Rezzonicum, & per
Rmum Decanum.

ARIMINEN. LAUDEMIORUM.

Lunæ 17. *Martii* 1738.

ARGUMENTUM.

Bona ad inſtar allodialium redacta nun-
quam poſſunt ab Eccleſia ammenſari,
neque in caſu alienationis, neque in ca-
ſu lineæ finitæ; ſed eorum inveſtitura
renovanda ſemper eſt favore cujuſcun-
que acquirentis, vel ſucceſſoris etiam
ex-

extranei cum ejuſdem in utroque caſu Laudemii ſolutione a Statuto præſcripti, quia alias pro hujuſmodi bonis nullum de jure Laudemium debetur. Ob non ſolutionem Laudemii non incurritur caducitas. Conſuetudo ut contra Jus inducatur, debet eſſe continuata, & in contradictorio judicio firmata.

S V M M A R I V M.

1 *Bona Emphyteutica Territorii Ariminenſis ſunt redacta ad inſtar allodialium;*

2 *Sicuti alia fere omnia Provinciæ Romandiolæ,*

3 *Et pro illis Laudemium ſolvendum eſt juxta taxam a Statutis præfixam;*

4 *Quæ nec minui, nec augeri valet.*

5 *Statutum Arimini quoad hujuſmodi taxam confirmatum fuit in forma ſpecifica a Julio II.;*

6 *Proindeque Eccleſiaſticos ligat æque ac Laicos.*

7 *Dictio* Item *eſt repetitiva, & continuativa.*

8 *Quoties ſequens diſpoſitionis pars eſt generalis, & declarativa, ac determinativa primæ, etiam quoad illam attendi debet.*

9 *Lex, ſive Statutum indefinite loquentia indefinite etiam, & indiſtincte in omni caſu, & tempore ſervanda ſunt.*

10 *Finis Statutorum redigentium bona appodiata ad inſtar allodialium fuit, ut illa nunquam ab Eccleſiis retineri, aut ammenſari poſſent, ſed eorum Inveſtitura renovanda ſemper eſſet favore cujuſcunque acquirentis, & ſucceſſoris etiam extranei:*

11 *Hæcque coactiva renovatio reſpicit tam caſum alienationis durante inveſtitura factæ, quam alterum lineæ finitæ.*

12 *Solutio autem Laudemii eſt correlativa ad renovationem, & recognitionem novi Emphyteutæ;*

13 *Omneſque proinde caſus, quos reſpicit diſpoſitio ſuper renovationibus, reſpicere etiam debet ſolutio Laudemii in eadem diſpoſitione injuncta ex natura correlativorum.*

14 *In bonis vere Emphyteuticis finita linea, ac terminata inveſtitura, boniſque devolutis, poteſt Eccleſia pro ſe illa retinere, vel, ſi aliis concedat, meliorem efficere conditionem ſuam augendo canonem, vel Laudemium;*

15 *In bonis vero ſimpliciter appodiatis, & ad inſtar allodialium redactis tenetur Eccleſia tam in caſu alienationis, quam lineæ finitæ renovare inveſtituram favore cujuſcunque perſonæ etiam extraneæ.*

16 *Ubi militat eadem ratio legis, ibi etiam militare debet ejuſdem legis diſpoſitio.*

17 *De jure communi Laudemium conſiſtit in quinquageſima parte pretii bonorum Emphyteuticorum.*

18 *Ex quantitate Laudemii a Statuto præſcripta excedente quantitatem Laudemii de jure communi debiti, dignoſcitur, ſtatuentes ſub eadem diſpoſitione comprehendere voluiſſe omnes caſus renovationis faciendæ etiam ob lineam finitam.*

19 *Pro renovatione Inveſtituræ in bonis ad inſtar allodialium redactis de jure nullum debetur Laudemium.*

20 *Verba alienationem importantia indefinite prolata non ſolum intelliguntur de vera & propria alienatione per contractum inter vivos, ſed etiam per ultimam voluntatem, immo per ſucceſſionem quoque ab inteſtato, ſi ita ſubjecta materia exigat;*

21 *Prout etiam in terminis bonorum ad inſtar allodialium redactorum.*

22 *Tranſactio inita ante confirmationem Statuti non cadit ſub illius cenſura.*

23 *Conſuetudo ſolvendi Laudemium in majori quantitate, quam a Statuto præſcriptum ſit, debet perfecte, & concludenter probari.*

24 *Conſuetudo contraria Juri ſtatutario debet eſſe continua, & nunquam interrupta, ita ut unicus actus contrarius ſufficiat ad eam excludendam;*

25 *Immo ad hoc ſatis ſit ſimplex auditus, aut rumor in contrarium;*

26 *Inſuperque hujuſmodi conſuetudo contraria juri, ſive communi, ſive municipali neceſſe eſt, ut in contradictorio judicio firmetur;*

27 *Alias quælibet ſeries actuum inefficax reputatur, & præſumitur profecta ab oſcitantia, vel ignoratione Statuti, vel ex privata indulgentia, quæ legem abrogare nequit, aut aliis iniquam conditionem inferre.*

28 *Clau-*

28 *Clauſula* ſublata, & Decretum irritans *appoſita in Statutis inficiunt quemlibet actum contrarium uſque a principio, & impediunt initium cujuſcunque obſervantiæ, vel conſuetudinis*;

29 *Præſertim ſi in ſpecifica confirmatione Apoſtolica ſancitum fuerit, ut diſpoſita in Statuto nullimode abrogari poſſint, neque per Sedem Apoſtolicam derogari eum effectu, niſi concurrente ſcientia, & conſenſu Civitatis; quo caſu actus particulares cujuslibet de populo quoad abrogationem Statuti nullius ſunt roboris non accedente conſenſu communitatis.*

30 *Ob non ſolutionem Laudemiorum non incurritur caducitas, neque datur domino directo ulla aſſociatio, præcipue in bonis ad inſtar allodialium redactis.*

31 *Mandatum de aſſociando contra legitimum Poſſeſſorem non conceditur.*

DECISIO C.

QUemadmodum omnia fere bona Emphyteutica Eccleſiarum Provinciæ Æmiliæ, & ſignanter illa ſita in Civitate, & Territorio Arimini ex eorum primæva, & originali natura erant de abſoluto Dominio Laicorum, qui, ad evitandas confiſcationes, aliaque ſimilia præjudicia ex calamitate illorum priſcorum temporum procedentia, eadem bona conſueverunt appodiare, & commendare Eccleſiarum protectioni, illa ſubmittendo ſub earum Dominio, & inde ea ab eiſdem recipiendo in Emphytheuſim ſub modico Canone, ſive recognitione.

Hinc ex poſt, mediante provido Statuto ab eadem Civitate Arimini condito cum auctoritate Cardinalis Legati a latere, & in forma ſpecifica confirmato a ſan. mem. Julio II., nedum bona prædicta redacta fuere ad inſtar reliquorum bonorum allodialium, ita ut Eccleſiæ indiſtincte, & in omni caſu tenerentur ſemper primævas conceſſiones renovare favore quorumcunque Succeſſorum, ſive ſanguinis, ſive Extraneorum, nec poſſent unquam illa ammenſare, ac pro ſe retinere; ſed etiam fuit taxata, atque liquidata quantitas Laudemii per Succeſſores ſolvenda pro ſimilibus renovationibus in hunc modum videlicet; Quod Laudemium ſolveretur in quantitate ſoluta in Inſtrumento præcedentis renovationis, quatenus reperiretur, ſin minus ad rationem duodecim Denariorum Ravennatenſium pro qualibet libra pretii bonorum, hodie importantem ſcut. 5. pro quolibet centenario.

Huic Statutariæ diſpoſitioni adhærens Maria Magdalena Tingoli olim Uxor bon. mem. Equitis Scipionis Diotallevi, ejuſque Donataria univerſalis, & hæres Teſtamentaria pro obtinenda renovatione in ſui Perſonam Inveſtituræ aliquorum bonorum Emphyteuticorum Monaſterii S. Mariæ de Sculca Congregationis Olivetanæ ejuſdem Civitatis Arimini, & jam poſſeſſorum a memorato ejus Viro defuncto, obtulit eidem Monaſterio Laudemium in quantitate ſc. 22. ſoluta in Inſtrumento immediatæ renovationis factæ Equiti Julio Diotallevi; verum tali quantitate recuſata ab eodem Monaſterio contendente Laudemium eſſe ſolvendum in tertia parte pretii bonorum, illaque depoſita per Mariam Magdalenam in Æde Sacra, quæſtio hujuſmodi fuit olim Judicium deducta cor. A. C., a cujus judicato Monaſterio favorabili devoluta etiam ad Inſtantiam Communitatis Arimini ad Cauſam admiſſæ ad hoc Sacrum Auditorium, mihique commiſſa, eam propoſui in Rota diei 9. Decembris elapſi anni 1737., & non fuit reſoluta.

Hodie autem reaſſumpto illius examine ſub magis congruo dubio: *An, & in qua ſumma debeatur Laudemium, ita ut mandatum A. C. ſit exequendum., vel potius novum relaxandum*: prodiit reſponſum affirmativum *juxta modum*, quoad quantitatem Laudemii, nempe *illud deberi in quantitate, ac ſumma præſcripta in ſecunda Rubrica Statuti Arimini ſub titulo de Jure Emphyteutico, incipiente Item quod Domini &c.*

Et jure quidem ac merito: Etenim dum pro renovationibus faciendis de hiſce Bonis Emphyteuticis redactis ad inſtar allodialium, cujus qualitatis eſſe bona controverſa non negabatur a Mo-
1 naſterio, & negari non poterat, ex quo

de hac qualitate reſpectu bonorum
emphyteuticorum ſitorum in Territo-
rio Arimini teſtantur; *Merlin. de legi-
tim. lib.2. tit.1., quæſt.8. n.3., Card. de
Luc. de Emphyteuſ. diſc.64. ſub n.1., &
ſub n.4., Rot. in Ariminen. Fideicom-
miſſi ſuper portione Emphyteutica 16.
Junii 1724. §. Bona vero, confirmata 1.
Junii 1725. §. Ad Statutariam cum ſe-
quen., & 21. Junii 1726. §. Iterum
namque cor. bon. mem. Criſpolto*; Immo
talia eſſe fere omnia alia bona emphy-
2 teutica Provinciæ Romandiolæ, teſtan-
tur pariter *Caſtellin. obſervat. ad con-
ſtitut., & banniment. Legationis Æmi-
liæ obſervat.4. n.1., & plurib. ſequen.,
eadem Rota in Sarſinaten. Devolutionis
27. Februarii 1711. cor. Emo Aldro-
vando, in Cæſenaten., ſeu Cervien. Bo-
norum 19. Junii 1713. cor. Rmo Criſpo,
& in Faventina Manutentionis 31. Ja-
nuarii 1724. cor. bon. mem. Ratto Epi-
ſcopo Corduben.*, concurrit ſupra enun-
tiatum Statutum Arimini præſcribens
taxam, ſive certam quantitatem Lau-
demii ſolvendi, hæc utique Statutaria
diſpoſitio, quæ obtinet vim legis, om-
3 nino eſt ſervanda, & juxta illius for-
mam idem Laudemium venit ſolven-
dum, *Burg. de Laudem. par.1. inſpect.6.
n.6., Fulgin. de Jur. Emphyteut. tit. de
Laudem. quæſt.1. ſub num.5., Bonden.
collect. legal. tom.1. collect.35. n.19.,
& 20., Capon. controv. forenſ. cap.30.
n.39., Card. de Luc. de Emphyt. diſc.1.
n.10., Rot. cor. bon. mem. Lancett. de-
ciſ.857. n.11., & in Averſana Quin-
denniorum, & Canonum 23. Jan. 1732.
§.17. cor. Rmo P. D. meo Decano*. Ea-
4 demque taxa, nec minui, nec augeri va-
let, *Roman. conſ.37. n.2., Ruin. conſ.166.
n.3. lib.4., Rot. cor. Bich. dec.381. n.27.,
& 28., & cor. bon. mem. Molines de-
ciſ.907. n.3., & cor. clar. mem. Card.
Caprara dec.597. n.6.*

Non obſtante, quod recenſitum Sta-
tutum ſit laicale, ſicque non afficiat niſi
Laicos, minime verò Eccleſias, atque
perſonas Eccleſiaſticas; Quoniam cum
illud conditum remanſerit authoritate
Cardinalis Legati a Latere, & Nuntii
Apoſtolici, indeque in forma ſpecifica
5 confirmatum a ſan. mem. Julio II., ut
ſub initio enuntiatum fuit, & de hac
ſpecifica confirmatione mentionem fa-
ciunt *Card. de Luc. de emphyteuſ. diſc.64.
in princip., Rot. poſt R.P.D. meum De-
canum in ſuis obſervat practic. legal. de-
ciſ.14. n.11.*, dicitur Statutum Papale,
& habetur, ac ſi conditum fuiſſet ab
ipſomet ſummo Pontifice confirmante,
6 & ſpecifice approbante, conſequen-
terque idem Statutum ligat, & arctat
omnes tam Laicos, quam Eccleſiaſti-
cos ex illa ſuprema poteſtate, qua Sum-
mus Pontifex pollet ſupra univerſas Ec-
cleſias, atque Eccleſiaſticas perſonas;
ad *Text. in cap. Apoſtolica de præbend.
in 6., Rot. poſt Pacific. de Salvian. in-
terdict. dec.211. n.2., & cor. Seraphin.
dec.794. n.26., & in d. Ariminen. Fi-
deicommiſſi ſuper portione emphyteutica
16. Junii 1724. §. Bona verò, & 1. Ju-
lii 1726. §. Ultra has. cum duobus ſeqq.
cor. bon. mem. Criſpolto*.

Nec relevat, quod Statutum in præ-
cedenti, & prima rubrica, agendo de
renovatione, taxet Laudemium in
quantitate, quæ appareat ſoluta in an-
tiquo Inſtrumento conceſſionis in em-
phyteuſim, quatenus reperiatur, ſin mi-
nus mandet fieri æſtimationem rei, nil
decernendo ſuper quantitate Laudemii
in hoc caſu ſolvendi, cujus proinde de-
terminatio cenſenda ſit remiſſa, vel vo-
luntati partium, vel conſuetudini; Quo-
niam cum Statuentes continuative, ac
repetitive procedendo ſuper eadem
materià renovationis, ac ſolutionis
Laudemii, ejuſque quantitate in ſecun-
da, & immediate ſubſequenti rubrica
7 incipiente illa dictione -- *Item* -- quæ
eſt repetitiva, & continuativa, ut tra-
dunt *Honded. conſ.4. n.83. lib.1., Fuſar.
conſ.37. num.15., Menoch. conſ.244.
n.19., Bellon. Jun. conſ.36. n.95., Rot.
in rec. dec.194. n.22;, & 84. cum ſeqq.
par.5.* denuo confirmaverint in hac ſe-
cunda rubrica d. Laudemium eſſe ſol-
vendum in ea quantitate ſoluta in in-
ſtrumento antiquo, quatenus iſtud re-
periretur, & ulterius addiderint, quod,
ubi illud non reperiretur, res emphy-
teutica eſſet æſtimanda, & eſſet ſolven-
dum Laudemium ad rationem duode-
cim denariorum pro qualibet libra,
qui juxta monetam currentem conflant
ſummam ſcut.5. pro quolibet centena-
rio,

Digitized by Google

rio, injuncto depoſito in caſu recuſationis renovandi, & quod illo facto, habetur etiam, ac ſi facta fuiſſet renovatio, præcedente tamen interpellatione ad renovandum, & recipiendum Laudemium, ut latius ex d. ſecunda rubrica, non eſt amplius locus alicui partium determinationi ſuper quantitate Laudemii in hoc caſu ſolvendi, eo ipſo quod quantitas ſtabilita eſt per hanc ſecundam rubricam, cujus diſpoſitio in
8 hac parte, utpotè declarativa, ac determinativa præcedentis rubricæ, & quidem generalis, ut viſum eſt, omnino, ac ſine difficultate attendi, & ſervari debet; *Alexand. conſ. 123. n. 10., & ſequen. lib. 4., Rot. coram Emer. Jun. dec. 1025. n. 3., cor. clar. mem. Card. Caprar. dec. 704. parit. n. 3., & in recen. dec. 499. n. 22., & ſequen. par. 18.*

Minuſque relevare viſum fuit, quod eadem taxa Laudemii in d. ſecunda rubrica Statuti præſcripta reſpiciat ſolum caſum alienationis rei emphyteuticæ, inveſtitura durante; ad terminos *Text. l. fin. Cod. de Jur. Emphyeut.*, non autem cauſam præſentem renovationis inveſtituræ ob lineam finitam, & conſequenter, ſive habeatur reſpectus ad primam, ſive ad ſecundam rubricam, ſemper dicendum ſit, quod in hoc caſu nulla præſcripta fuerit quantitas Laudemii, & ſic quod iſtius determinatio dependeat a partium voluntate.

Siquidem id nullatenus ſubſiſtit, tum ex litera d. Statuti, ſeu rubricæ, in qua cum præfata taxa Laudemii legatur generaliter, ac indiſtinctè concepta pro quibuſcunque renovationibus faciendis, nulla facta diſtinctione inter caſum alienationis, & alterum lineæ finitæ; propterea etiam generaliter, ac indiſtinctè in quocunque caſu, in quo facienda eſt renovatio, eadem taxa intelligenda, & ſervanda eſt, cum quæ-
9 libet lex, ſive Statutum indefinite conditum, nullaque particulari ratione fulcitum ſemper indefinite, ac indiſtinctè, ut loquitur, intelligi debeat, & omni tempore, ac omni caſu ſervari; *Bald. in l. maximum vitium n. 16. Cod. de lib. præterit., Jaſon. in authent. quas acti n. 22. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ., Peregr. conſil. 85. n. 23. in princip., Manſ. conſult. 32. n. 33., & 34., Rot. cor. Veru... dec. 257. n. 4. par. 2., & cor. bon. mem. Molin. dec. 846. n. 10., & cor. bon. mem. Lancetta dec. 113. n. 1.*

Tum inſuper ex cauſa, & fine ſupra enuntiati Statuti, quod nil aliud fecit, quam reducere bona emphyteutica, & Eccleſiis appodiata ad inſtar bonorum allodialium, & ſic quod illa nunquam retineri poſſent ab Eccleſiis, nec
10 ammenſari, ſed ſemper & in omni caſu eſſent renovanda favore cujuſcunque acquirentis, & ſucceſſoris etiam extranei; *Fulgin. de Jur. Emphyt. tit. de alienat. quæſt. 1. ſub n. 221., Niger. de Laudem. tom. 1. queſt. 12. art. 3. n. 93., Rot. cor. bon. mem. Molin. dec. 389. n. 1., & 6., & cor. bon. mem. Lancett. dec. 845. n. 2., & in recen. dec. 642. n. 8., & 9. par. 1., & dec. 463. n. 16. part. 14., & dec. 71. n. 2. par. 19. tom. 1.* Quapropter cum hæc coactiva renovatio reſpiciat
11 tam caſum alienationis factæ durante inveſtitura, quam alterum ſupradictæ lineæ finitæ, & in utroque Eccleſia indubitanter renovare teneatur, & favore Alienatarii, & favore hæredis, ac ſucceſſoris ultimi poſſeſſoris etiam extranei, ut de primo caſu idem. *Fulgin. de Jur. Emphyt. tit. de alienat. d. quæſt. 1. n. 228., & ſeqq., & quæſt. 11. n. 1., Menoch. de arbitr. cap. 182. n. 11., & ſeqq., Rot. diverſ. 4. Par. dec. 183. n. 6., & in rec. dec. 255. n. 11. par. 19. tom. 1.,* & de ſecundo *Gozzadin. conſ. 86. ſub n. 24. verſic. præterea, Card. de Luc. de Emphyteuſ. diſc. 8. n. 4., Rot. cor. Buratt. dec. 87. n. 13., & cor. R.mo Criſpo dec. 132. n. 4., & dec. 220. n. 3.*; Hinc perneceſſe affirmare oportet, quod utrumque ex his caſibus reſpiciat, ac comprehendat eadem taxa Laudemii correſpectivè ad prædictas renovationes præſcripta: ſolutio namque Laude-
12 mii eſt correlativa ad renovationem, recognitionemque novi Emphyteutæ, & venit in iſtius ſequelam; *Jaſon. in l. fin. n. 43. verſic. addo Cod. de Jur. Emphyt., Cald. de renovat. Emphyt. lib. 1. quæſt. 13. n. 40., & ſequen., Mantic. de tacit., & ambig. lib. 22. tit. 3. n. 4., Rot. in recen. dec. 580. n. 1. par. 3., & dec. 197. n. 24. par. 8.*, & proinde omnes
13 caſus, quos reſpicit diſpoſitio ſuper

re-

renovationibus, reſpicere etiam dicitur ſolutio Laudemii in eadem diſpoſitione injuncta ex natura correlativorum; ad *Text. in l.1. ff. de his, qui ſunt ſui vel alieni Jur., Gratian. diſc. forenſ. cap. 246. n.6., Torr. de pact. futuræ ſucceſſ. lib.2. cap.2. n.32., Rot. cor. Buratt. dec.469. n.6., & cor. clar. mem. Card. Falcon. tit. de Fideicomm. dec.26. n.10., & in puncto ponderat Card. de Luc. de Emphyt. diſc.5. n.11.*

Eoque vel maxime duobus aliis ponderatis, & primo, quod ſi aliqua adeſt ratio diſparitatis quoad ſolutionem Laudemii inter caſum alienationis, & alterum finitæ lineæ, illa unice verificatur in caſu Emphyteuſis bonorum de vero, & proprio dominio Eccleſiæ, in
14 quo finita linea, ac terminata inveſtitura, & bonis devolutis, ſtat in arbitrio Eccleſiæ illa potius pro ſe retinere, quam aliis de novo concedere, & quatenus velit aliis concedere, poteſt tunc efficere meliorem conditionem ſuam, vel augendo Canonem, vel paciſcendo ſuper ſolutione Laudemii ad inſtar *Entraturæ*, vel *Capoſoldi*, ejuſque majori quantitate, *Gloſſ. in cap. potuit de locat., Ferrett. conſ.81. n.3., Fulgin. de Jur. Emphyt. in prælaud. quæſt.16. n.1., Niger de Laudem. quæſt.3. n.19., & ſeqq., Card. de Luc. de Emphyt. diſc.5. n.10., & diſc.22. ſub n.8., Afflict. dec.72. n.4., & ſeqq.* At quoad bona, quæ in ſui primæva origine fuere Laicorum, & commendata protectioni Eccleſiæ, & inde redacta ad inſtar allodialium, ut hic, d. ratio diverſitatis non militat, dum, ut ſupra oſtenſum fuit, ſemper Ec-
15 cleſia tenetur favore cujuſcunque perſonæ etiam extraneæ renovare, & quidem in omnibus caſibus, ſive alienationis, ſive lineæ finitæ, nec unquam poteſt pro ſe bona retinere, aut ammenſare; Quotieſcunque enim nulla adeſt diverſitas rationis quoad unum caſum, vel alterum, ſemper caſus omnes comprehenſi dicuntur ſub generalitate, atque univerſalitate Statuti, ex quo ubi militat eadem ratio legis, ibidem etiam
16 locum habere debet ejuſdem legis diſpoſitio; *l. illud ff. ad l. Aquil., Maſcard. de general. Statut. interpret. concluſ.4. n.54., Manſ. conſult.32. n.27., Rot. cor. clar. mem. Card. Falcon. tit. de Fideicomm. dec.62. n.3., & in Miſcell. dec.70. n.1., & in rec. dec.136. n.19. part.7.*

Et ſecundo ponderatum fuit, quod in d. Statuto Laudemium taxatum extitit in ſcut.5. pro quolibet centenario pretii bonorum, & ſic in longe majori quantitate præſcripta a Jure communi,
17 quod Laudemium non taxat, niſi in ſcut.2. pro centenario, ſcilicet in quinquageſima parte pretii, & æſtimationis rei emphyteuticæ; *L. final. juncta Gloſſ. verb. æſtimationis, ibique Jaſon. n.39. Cod. de Jur. Emphyteut., Clar. in §. Emphyteuſis quæſt.23. n.1., Gratian. diſcept. forenſ. 180. n.1., & ſequen., de Franc. dec.201. n.1., & 2., Rot. cor. Celſ. dec.232. n.31.*, ex quo augmento Laudemii tanto fortius datur intelligi ſub illius taxa voluiſſe comprehendi
18 omnes, & ſingulos caſus, propter quos illud eſſet ſolvendum, & ita ſupra memoratum caſum renovationis faciendæ propter lineam finitam, cum ex illo bene deſumatur mens, & voluntas Statuentium ſuper eo, quod intellexerunt comprehendere ſub diſpoſitione Statuti; *Gloſſ. in l. ſemper ſtipulationibus ff. de reg. Jur., Alexander conſ.26. lib.4., Menoch. de tacit., & ambig. convent. lib.4. tit.9. n.8., Rot. cor. Gregor. deciſ.126. n.9.*

Præcipue cum niſi admitteretur, d. diſpoſitionem Statutariam ſuper ſolutione Laudemii comprehendere receſſitum caſum lineæ finitæ pro renova-
19 tione inveſtituræ, in iſto de jure nullum deberetur Laudemium eo ipſo, quod agitur de bonis emphyteuticis quidem, ſed redactis ad inſtar allodialium, quorum reſpectu omnis extraneus, ſive alienatarius, ſive ſucceſſor dicitur in primæva Inveſtitura comprehenſus æque, ac quilibet ſucceſſor de ſanguine, & ſic multo magis incongruum eſt, quod a Monaſterio petatur ejuſdem Laudemii augmentum; *Burg. de Laudem. par.2. inſpect.46. n.10., & ſeqq., Fulgin. de Jur. Emphyteut. tit. de Laudem. quæſt.15. n.1., Rocc. diſput. Jur. ſelect. cap.63. n.64. in fine, Card. de Luc. de Emphyteuſ. diſc.5. n.7., Panimoll. dec.4. annot.2. n.32., Rot. coram* Kau-

Kaunitz. dec.26. n.8., *& cor.bon.mem. Molines dec.1145. n.6.*, *& dec.1223. num.8.*

Abſque eo quod a prædicto ſenſu retrahere valuerit DD. animadverſio illa a Monaſterio facta, quod ſtatuentes in d. ſecunda rubrica poſt ſtabilitam quantitatem Laudemii, ac demandatum ejus depoſitum in caſu renitentiæ illud recipiendi, & renovandi, & quod tali caſu depoſitum haberetur pro effectiva renovatione, ſubjunxerint, Statutum locum habere -- *Si Emphyteutæ, vel Alienantes ante alienationem factam legitime requiſiverint Dominos ſecundum formam Juris* -- quod ipſi pronunciando illa verba *Alienantes*, *& alienationem*, intellexerint diſpoſitionem, & ſic etiam taxam Laudemii reſtringere ad caſum alienationis bonorum Inveſtitura durante, atque prorſus excludere alterum caſum renovationis faciendæ finita linea favore non Alienatarii, ſed hæredis, vel Teſtamentarii, vel ab Inteſtato, vel legatarii: Quia prompta data extitit reſponſio a DD. amplexa,
20 quod dd.verba indefinite prolata non ſolum intelliguntur de vera, & propria alienatione facta per contractum inter vivos, ſed etiam per ultimam voluntatem; ac attenta ſubjecta materia per ſucceſſionem quoque ab Inteſtato; *Alexand. conſ.189. n.12. verſic. non obſtat. lib.2.*, *Fuſar. de ſubſtitut. quæſt.712. n.12.*, *Petr.de Fideicomm. quæſt.8. n.9.*, *Rodulph. allegat.152. n.4.*, *Mart.Medic. dec.ſenen.83. n.16. ad 19.*, *Rot.cor. Ubag. dec.18. n.11.*, *& 12.*, & in his
21 terminis bonorum redactorum ad inſtar allodialium, & ſuprad.faciendæ interpellationis; *Merlin.de legitim.lib.2. tit.1. quæſt.8. n.6.*, *& 7. pluribuſque ſequen.*

Agnita per Monaſterium reſiſtentia ſuprad. Statuti quoad exactionem Laudemii ſupra ſummam in ipſo præſcriptam pro renovationibus faciendis, etiam in caſu lineæ finitæ,fruſtra recurrebatur ad conſuetudinem exigendi in hoc caſu, ac pro hiſce renovationibus majus Laudemium, nempe in tertia parte pretii bonorum, nedum quia ejuſmodi conſuetudo non remanebat probata, nec ex quibuſdam partitis renovationum, & ſolutionum Laudemiorum privatorum librorum tum ejuſdem Monaſterii, tum quarundam aliarum Eccleſiarum Arimini, veluti extractis pendente lite, & ſine citatione Mariæ Magdalenę, ac Communitatis,& abſque ulla compulſoria, nec etiam ex quadam tranſactione inita inter Eccleſiam Archiepiſcopalem Ravennatenſem,& quędam Oppida Territorii dictæ Civitatis
22 Arimini, uti ſecuta longe ante memoratam confirmationem Statuti, & ſic non cadente ſub illius cenſura ex ratione ponderata per *Card.de Luc. de Emphyteuſ. diſc.21. n.8.*; & nec denique ex aliis pauciſſimis actibus geſtis per Villicos, Mulieres, aliaſque idiotas perſonas, ut plurimum ignaras diſpoſitionis ſimilium Statutorum, quando
23 ſimilis conſuetudo probanda venit plene, & concludenter, atque per actus legitimos, univocos, & perfecte eam inducentes. *Azzo. in ſum. Cod.*, *quæ ſit long. conſuet.*, *Cin. in l.2. Cod. eod. tit. verſic. ſed quæro quid deponent Teſtes*, *Alexand. conſ.131.n.9. lib.2.*, *Rot. cor. Cavaler. dec.125. n.8.*, *& in rec. dec.255. n.3. par.1.*, *& dec.278. n.3.*, *& ſequen. par.12.*

Sed etiam ex quo illa penitus excluſa remanſit ex aliis actibus contrariis a Communitate Arimini, ac Maria Magdalena porrectis tam in ſummario antecedentis, quam præſentis propoſitionis cauſæ, ex quibus conſtitit ſemper, & indiſtincte, ſive durante, ſive finita linea in Inſtrumentis expreſſa, ſive in caſu contractus inter vivos, ſive per ultimam voluntatem renovationes bonorum emphyteuticorum ab Eccleſiis factas fuiſſe cum ſolutione Laudemii juxta taxam a Statuto præſcriptam, nempe vel ſolvi ſolitì in antecedentibus renovationibus, vel in ſumma ſc.5. pro quolibet centenario, & etiam in ſumma inferiori, nec unquam in illa ſumma prætenſa a Monaſterio, tertiæ videlicet partis pretii bonorum; conſuetudo enim præcipue contra Jus Sta-
24 tutarium debet eſſe conformis, ſeu continua, & nunquam interrupta, adeo ut ad illam excludendam, & evertendam ſufficiat etiam unicus actus contrarius; ut in terminis reſpondit, *Rot. cor.*

cor. Gregor. dec.162. n.9., & *cor.Celſ. dec.232. n.8.*, *& cor. clar. mem. Card. Falconer. in Miſcell. dec.74. n.16.* Quinimo ad hunc effectum ſufficiens re-
25 putatur etiam ſimplex auditus, aut rumor in contrarium ad *Text. in cap. auditis circa fin. de præſcription.*, *Gratian. diſcept.918. n.39.*, *Rot. cor. Priolo deciſ.309. n.7.*, & *8.*, & *cor. Emer. Jun. dec.158.*, & *dec.519. utrobique n.8., in Bisuntina Statutorum 11. Martii 1726. §. Fin. cor. bon. mem. Cerro*, *& in Ferrarien. Canonicatus ſuper bono Jure 3. Junii ejuſdem anni §. Et in omnem caſum verſic. verum etiam cor. eod.*, & in ſubjecta materia Laudemiorum *Camill. de Medic. conſ.152. n.8.*, *Staiban. Jun. reſolut. forenſ. cap.98. n.88.*, *Rot. cor. Celſ. d. dec.232. eod. n.3.*

Accedebat; quod, ubi etiam probata fuiſſet talis conſuetudo, adhuc viſa eſſet irrelevans, & non ſuffragaretur ex tribus efficaciſſimis rationibus. Prima eſt, quod agitur de abroganda diſpoſitione Statutaria, ad quem effectum præter cætera requiſita exiguntur actus judiciales, & contradicti, quibus poſſeſſores judicialiter conventi recuſaverint ſolvere Laudemia in tertia parte, aut in majori ſumma ab Eccleſiis prætenſa, & non obſtante eorum contradictione ſuccubuerint, & ad ſolutionem majoris taxæ coacti fuerint, cum ad inducendam conſuetudinem contra Jus,
26 ſive commune, ſive municipale, neceſſe ſit, quod conſuetudo hujuſmodi fuerit in contradictorio judicio firmata; *l. cum de conſuetudine 34. ff. de leg.*, *Gloſſ. cap. fruſtra par.1. diſtinct.8.*, *Rot. cor. bon. mem. Molines dec.907. n.27.*, *& in rec. dec.318. n.10. par.16.*, alias enim quælibet ſeries actorum, vel ſo-
27 lutionum reputatur inefficax, & præſumitur, quod proceſſerit vel ex oſcitantia, vel ex ignorantia legis Statutariæ, vel demum ex privata indulgentia, ſeu voluntate partium, quæ non poteſt legem abrogare, aut aliis iniquam conditionem inferre; ex regula *Text. in l. non debet per alium ff. de regul. Jur.*, *& l. ſi arrogatur §. Sed an impuberi ff. de adopt.*, *Calvin. de Æquit. cap.272. n.14. lib.3.*, *Rot. cor. Emer. Jun. dec.1266. num.3.*

Secunda, quod non ſolum agitur de conſuetudine abrogativa Juris, ſeu Statuti, ſed de conſuetudine contra Statutum non in forma communi, verum in forma ſpecifica a Summo Pontifice Julio II. ſolemniter confirmatum cum clauſula *ſublata*, & *decreto irritanti*, quæ clauſulæ inficiunt ab initio quem-
28 libet actum contrarium, & impediunt initium cujuslibet obſervantiæ, vel conſuetudinis; *Rot. cor. bon. mem. Molines dec.699. n.8.*, *cor. bon. mem. Lancett. dec.849. n.18.*, *cor. bon. mem. Kaunitz. dec.12. n.4.*, *cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de reſcriptis dec.8. n.21. in Colonien. Canonicatus S. Urſulæ 10. Januarii 1718. §. Haud relevante cor. bon. mem. Foſcaro*, & *in Moguntina Decanatus 12. Martii 1731. §. Finali cor. Emo Rezzonico*, *& in his terminis Rot. poſt Bonden. collect. legal. tom.1. dec.35. n.21.*, & *ſequen.*, *& cor. Buratt. dec.831. a n.1. ad 5.*, *& in recen. dec.400. n.39.*, & *ſeqq. part.9. tom.2.*, *dec.199. n.36.*, & *37. par.12.*

Et tertia tandem, quod in d. ſpecifica confirmatione Apoſtolica Statuti ſancitum, ac injunctum fuit, quod diſpoſita in illo nullo Jure, vel medio
29 abrogari poſſent, neque per Sedem Apoſtolicam per quamcunque derogationem illis derogatum cenſeatur, niſi conſtito, quod eadem derogatio conceſſa fuerit cum ſcientia, & conſenſu Civitatis Arimini, & conſequenter eo magis cuilibet de populo ſublata eſt omnis poteſtas contraveniendi eidem Statuto, vel illud abrogandi per quoſcunque actus particulares ſolutionum, quæ non accedente conſenſu Communitatis perinde habendæ ſunt, ac ſi factæ non fuiſſent; ut optime notant; *Bartol. in l. omnes populi n.33. verſic. aut non poterat facere ff. de Juſtit.*, & *Jur.*, *Rot. cor. Seraphin. dec.808. n.1.*, *cor. Cerro dec.299. n.11.*, *& dec.104. n.2. par.7. rec.*

Progrediendo ad reliquam dubii partem dixerunt DD. *mandatum de aſſociando ab A. C. relaxatum favore Monaſterii propter non ſolutionem Laudemii duplo ejus comprehenſi in antecedenti Inſtrumento renovationis ab eodem Monaſterio prætenſi non eſſe exequen-*

Digitized by Google

quendum; quia ob non ſolutionem Lau-
30 demiorum non incurritur caducitas, nec datur Domino directo ulla aſſociatio; *Amad.in Pont. de Laudem. qu.*19., *Fulgin.de Jur. Emphyteut. tit.de var.caducit. quæſt.*16. *per tot.*, *Surd. dec.*31. *n.*14., *Panimoll. dec.*4. *annot.*2. *n.*9., *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de Emphyteut. dec.*1. *n.*2.; Potiſſimum in bonis redactis ad inſtar allodialium, & commendatis protectioni Eccleſiæ, & contra diſpoſitionem ſupradicti Statuti, quam cum Maria Magdalena adimpleverit deponendo in Æde Sacra Laudemium in quantitate alias ſolutum in antecedenti Inſtrumento Inveſtituræ animo obtinendi renovationem, res habenda eſt ob tale depoſitum, & propter ſæpius d. diſpoſitionem Statutariam, ac ſi eadem renovatio conceſſa fuerit, ac d. Maria Magdalena reputanda venit tanquam legitima poſſeditrix, ita ut tanto minus contra eandem
31 relaxari potuerit mandatum de aſſociando, quod non datur contra legitimum poſſeſſorem; ad *Text. in l.*2. *ff. de evict.*, *& in l.penult. ff. de Teſtam.Milit.*, *Caſtren. conſ.*338. *in fin.lib.*2., *Berro conſ.*77. *n.*34. *vol.*1., *Rot. cor.Emer. dec.*243. *ſub n.*18., *&* 19., *& in rec. dec.*46. *n.*7., *&* 34. *par.*10. Sed tamen iidem DD. injunxerunt, eſſe relaxandum novum mandatum pro ſolutione Laudemii ad formam dicti Statuti, ſeu potius pro conſignatione illius ſummæ in ejus cauſam, ut ſupra, depoſitatæ.

Et ita juxta hunc modum reſponſum fuit utraque parte Jura ſua deducente &c.

PAMPILONEN. PAROCHIALIS DE ALSASUA.

Lunæ 17. *Martii* 1738.

ARGUMENTUM.

Puer laicus, & illiteratus eſt incapax Beneficii Eccleſiaſtici. Quæ procedunt a quadam honeſtate, & gratitudine, non vero a neceſſaria, & legali obligatione ſimoniam non inducunt. Simplex diffamatio tunc ſufficit ad excludendum diffamatum ab aſſecutione Parochialis, quando alter cum eo concurrit habens æqualia ſuffragia, ſecus ſi diffamatus præſentetur a majori parte Patronorum. Cætera habes in argumento Deciſionis XLI.

SUMMARIUM.

1 *Inſtitutio debetur præſentato a majori parte Patronorum.*
2 *Simoniacus aſſequi non debet Eccleſiam Parochialem*;
3 *Sed tamen hujuſmodi crimen eſt plene, & concludenter probandum.*
4 *Teſtes extrajudiciales, & pendente lite expiſcati nihil probant.*
5 *Teſtes ſingulares ſibi invicem obſtant deponendo diverſimode de unico, eodemque actu*, & num.21.
6 *Et propterea nullam fidem merentur*;
7 *Quia habentur pro unicis, & dicuntur varii, & contrarii, ſuſpectique de dolo, ac falſitate, ex quibus omnis fides deſtruitur.*
8 *Unico Teſti adminiculis munito, & formiter examinato credendum eſt in concurſu ſimplicium atteſtationum extrajudicialium.*
9 *Puer laicus, & illiteratus eſt incapax Beneficii Eccleſiaſtici.*
10 *Collatio Beneficiorum in Diœceſi ſpectat ad Epiſcopum*;
11 *Pertinere tamen poteſt etiam ad alium inferiorem jure ſingulari.*
12 *Ob impoſſibilitatem conferendi Beneficii improbabilis remanet, ac inveriſimilis conventio ſuper collatione.*
13 *Inveriſimilitudo eſt ſpecies, & imago falſitatis, fidemque adimit Teſtibus, etiam omni exceptione majoribus.*
14 *Teſtes pro excluſione ſimoniæ deponentes præferendi ſunt.*
15 *Præſentatio alicujus ad Beneficium ſub ſpe obtinendi mediante illius protectione aliud Beneficium non includit ſimoniam; quia hujuſmodi ſpes, & protectio potius procedunt ex honeſtate, & gratitudine tendente ad remunerationem, & oriente a quadam morali potius, quam a legali, & neceſſaria obligatione.*
16 *Teſtes ſimoniam non probant, niſi deponant de conſenſu utriuſque Paciſcentis*;
17 *Conventionis enim ſubſtantia conſiſtit in utriuſque partis conſenſu*:
18 *Conventione autem, & pacto præcedenti deficiente deficit ſimonia*; & n.22.

19 *Ita ut non ſufficiat ſimplex tractatus præcedens, niſi concluſus, ac ad effectum perductus fuerit;*

20 *Immo ad incurrendas pœnas ſimoniæ, neque ſufficit præcedens conventio, ſed ulterius exigitur, quod ab utraque parte fuerit executioni demandata; & ita ſimonia conventionalis tranſeat in realem.*

23 *Quoties præcedens pactum non eſt ſimoniacum, neque præſentatio eſt ſimoniaca.*

24 *Quando ſuffragia ſunt æqualia, tunc habetur ratio meritorum, ac qualitatum utriuſque præſentati, ac etiam diffamationis pro concedenda gratificatione;*

25 *At vero ubi alter ex iis habet majorem partem vocum, & ſic jus quæſitum ſuper aſſecutione Parochialis, & ad rem;*

26 *Tunc quia præſentatus a majori parte Patronorum ex juſtitia inſtituendus eſt;*

27 *Ideo ad eum privandum tali jure non ſufficit diffamatio, ſed requiritur perfecta probatio ſimoniæ.*

28 *Diffamatio ut conſiderationem mereatur vigere debet apud viros probos, & graves;*

29 *Et ortum habere ante motam litem.*

30 *Ubi diffamatio oritur in loco, in quo habes conſanguineos, & fautores, & cujus eſt incola ille, qui ex ea commodum ſentit, eſt ſuſpecta, quaſi data opera proceſſerit, nec diffamato nocet.*

31 *Vox diffamationis non debet eſſe vaga, & vana, ſed ſolida, & inconcuſſa.*

32 *Teſtes diffamationem excludentes præferuntur.*

33 *Sententia civilis, a qua appellatum fuit, quæque injuſta reperitur, nullius eſt momenti pro verificanda concludenter ſimonia:*

34 *Secus ubi ante inceptum judicium civile emanaſſet ſententia criminalis illam confirmans.*

DECISIO CI.

DEducta in hodierna Audientia pro parte Sacerdotis Martini de Arieta ad evertenda fundamenta *deciſionis editæ die* 12.*Martii* 1736. *cor. Me* favore alterius Sacerdotis Joannis Diaz de Jauregui dijudicata fuere a DD. nullius roboris, atque momenti, & propterea non dubitarunt ipſi perſiſtere — *In deciſis*.

Siquidem iterum conſtitit, & pro indubitato habitum fuit, ſupramemoratum Joannem ad hanc Parochialem Eccleſiam nominatum, ac præſentatum fuiſſe a majori parte Vicinorum Oppidi de Alſaſua habentium Jus nominandi ad formam Conſtitutionum Synodalium Pampilonen. Diœceſis, & conſequenter merito eidem Joanni d. Eccleſia adjudicanda venit; cum Præſentato
1 a majori parte Patronorum ſemper, & omnino inſtitutio debeatur; ad *Text. in cap. quoniam, ibique Gloſſ. verb. qui majoribus de Jurepatr.*, *Rot. cor. Celſo dec.*85., *& dec.*19. *par.*11. *recen. utrobique n.*1., & firmatur in præterita deciſione §. *Nec dubitatum fuit*: Non obſtante, quod verificatores electi juxta præcitatas Conſtitutiones Synodales ex centum, & uno ſuffragiis Joannis, quadraginta ſeptem dubia declaraverint, quia placuit reſponſio data in *deciſione R̃mi P.D.Decani dies* 18.*Martii* 1735. §. *Diminui verò cum ſeqq.*, quod dubietas hujuſmodi per ſubſequens formale examen Teſtium ſublata remanſerit.

Nec relevare viſum fuit repetitum objectum, quod Joannes dicta majora ſuffragia aſſecutus fuerit mediante crimine ſimoniæ ex eo deſumpto, quod ſuffragia procuraverit Martinus de Arza, in cujus compenſationem Joannes promiſerit conferre filio iſtius quoddam Beneficium erectum in eadem Eccleſia Parochiali, & ab eodem Joanne actualiter poſſeſſum, atque ideo tan-
2 quam ſimoniacus arcendus veniat ab aſſecutione Eccleſiæ Parochialis; *cap.*2., *& cap. penult. ac final. de purgat. Canon.*, *cap. Omnipotens de accuſat.*, *Abb. in cap.*1. *n.*8. *de elect.*, *Calderin. conſ.*9. *de probat.*, *Lotter. de Re Benef. lib.*2. *quæſt.*31. *n.*146., *& ſeqq.*, *Rot. apud Comitul. dec.*119. *n.*3., *& coram Bich. dec.*668. *n.*7.

Recurrit namque, quod hoc deteſtabile delictum eſt plene, concludenter-
3 que probandum; ex adductis per *Mareſcott. var. reſol. lib.*2. *cap.*35. *n.*19., *Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.*6. *cap.*18. *n.*11., *Panimoll. dec.*91. *annot.*1. *n.*35.,
Ad-

Digitized by Google

*Adden. ad Gregor. dec.*238. *n.*13., & *ab Buratt. dec.*445. *n.*15., *Rot. cor. Seraphin. dec.*516. *n.*3., & 4., & dictum fuit *in mea præterita deciſione* §. *Haud juvante*. Quodque hæc concludens probatio nullo modo facta appareat ex Teſtibus adductis ex parte Sacerdotis Arieta, dum omiſſis illis deponentibus per ſimplices fides extrajudiciales, ex-
4 piſcatas pendente hac lite, & propterea nullum gradum probationis conſtituentibus, ut ait eadem præterita *deciſio* §. *Abſque eo quod*; Cæteri alii formiter, & ſub interrogatoriis examinati ſunt ſingulares, varii, & diſcordes, ex quo aliqui dicunt, eatenus Martinum de Arza ſuffragia procuraſſe, & obtinuiſſe pro Joanne, quatenus iſte protexiſſet ejus filium, nulla tamen expreſſa cauſa, ſupra quam cadere debebat protectio; alii, quod Martinus ſpem habebat obtinendi mediante tali protectione pro dicto ejus filio Beneficium vacaturum per aſſumptionem Joannis ad Eccleſiam Parochialem; alii, quod Martinus hoc probabiliter ſperare poterat; & alii, quod talem Beneficii proviſionem in futurum obtinere valuiſſet; alii demum, quod illam etiam præcedenter inter ſeſe Martinus, & Joannes convenerant.

Cum autem hæc Teſtium ſingularitas ſit obſtativa eo ipſo, quod hi om-
5 nes deponunt de unico, eodemque actu, ſed tamen diverſimode, ut mox viſum eſt, & tradunt *Bald. in cap. licet cauſam n.*11. *in princ. de probat.*, *Farinacc. de Teſtib. quæſt.*64. *n.*5., *Cyriac. contr.*487. *n.*2., & 3., *Joſeph Ludovic. deciſ. Peruſiæ* 9. *n.*11. *par.*1., *Rot. in recent. dec.*103. *num.*23. *uſque ad* 26. *par.*10. Inde ſuccedit, quod dictis Te-
6 ſtibus nulla ſit danda fides, cum hæc ſingularitas obſtativa deſtruat omnem probationem; *Felin. in cap. licet ex quadam* 47. *column.*5. *verſ. eſt enim duplex extra de Teſtib.*, *Jaſon.*, & *cæteri DD. in leg. admonendi ff. de jurejuran.*, *Gabriel. de Teſtib. concluſ.*2. *n.*9., *Roland. conſ.*33. *n.*9. *vol.*2., *Farinacc. de Teſtibus dict. quæſt.*64. *n.*54., *Rot. in recent. dict. dec.*103. *n.*26. *par.*10., & in terminis ſimoniæ *Antonell. de Regimin. Eccleſ. lib.*6. *cap.*18. *ſub n.*11., *Rot. in recent. dec.*141. *n.*5. *par.*16. Sub ea
7 ratione, quod Teſtes ſingulares pro unicis habentur, & dicuntur varii; atque contrarii, necnon etiam ſuſpecti de dolo, ac falſitate, quæ circumſtantiæ tollunt omnem fidem Teſtibus, ut bene pluribus aliis allegatis ponderat *Farinacc. de Teſtib. dict. quæſt.*64. *n.*34. 35., & 36.

Id quod eo fortius recipiendum videtur in ſubjecta hypotheſi propter impoſſibilitatem exequendi collationem dicti Beneficii orientem, tum ex eo, quod Didacus filius ſupradicti Martini de Arza de eo tempore vacationis Eccleſiæ Parochialis erat Puer laicus, & illiteratus, ut conſtabat ex depoſitione
8 unius Teſtis variis adminiculis fulciti, & formiter examinati pro parte Sacerdotis de Arieta, cui unice credendum eſt in concurſu ſimplicium atteſtationum extrajudicialium ab eodem Sacerdote hac lite pendente procuratarum; *Rot. coram Bich. dec.*580. *n.*14., & *coram Emer. Jun. dec.*31. *num.*3., & *in rec. dec.*272. *num.*6. *par.*1., & *dec.*333. *num.*9. *par.*19., & conſequen-
9 ter undique incapax Beneficii Eccleſiaſtici; *cap. Ex literis de Tranſ.*, *cap.*2. *de Inſtit. ibique Abbas, ac alii DD.*, *Garz. de Benef. tom.*2. *cap.*1. *num.*9., & 10., *Rot. coram. clar. mem. Card. Falconerio tit. de Penſion. dec.*4. *num.*5. Tum ulterius ex perſona Joannis ſimplicis Sacerdotis, ac futuri Parochi, in cujus poteſtate proinde non erat dictum Beneficium conferre Didaco; cum collatio Beneficiorum in ſua Diœ-
10 ceſi de jure ſpectet ad Epiſcopum; *Abb. in cap. Cum veniſſent n.*10. *de Inſtit.*, *Lotter. de Re benef. lib.*2. *quæſt.*2. *n.*1., & *ferè per tot.*; & licet etiam pertinere valeat ad alterum inferiorem
11 jure ſingulari; *Abbas ibid. n.*1., *Lotter. pariter ibidem n.*54., *Rot. in rec. dec.*756. *n.*4. *part.*2. Attamen hoc non verificabatur reſpectu recenſiti Parochi; ut luculenter oſtenditur *in Deciſione* 18. *Martii* 1735. §. *Satisfacere autem cor. Reverendiſſimo Decano*.

Quapropter concurrente ex utraque parte ſupra expreſſa impoſſibilitate
12 collationis Beneficii in perſonam Didaci, ex omni parte etiam remanet un-

undique improbabile, ac inveriſimile,
quod præfati Joannes, & Martinus præ-
cedenter ſuper illa convenerint, ut fir-
matur *in eadem Deciſione Reverendiſ-
ſimi Decani* §. *Spei verò*, & ultra ibi
relatos tradunt *Menoch. conſil.* 250.
*n.*43., *&* 94. *lib.*3., *&* *de præſumpt.*
*lib.*2. *præſumpt.*5. *n.*7., *Rot. cor. bon.*
*mem. Lancetta dec.*85. *n.*24.; & hæc
inveriſimilitudo nedum operatur, ut eo
magis examen dictorum Teſtium una
cum ſupra ponderatis attendendum
non ſit, ſed etiam de per ſe ſola ſupe-
rabundaret ad adimendam quamcun-
13 que fidem eiſdem Teſtibus, licet om-
ni exceptione majoribus, cum inveri-
ſimilitudo ſit ſpecies, ac imago falſita-
tis; *Bald. in leg.*1. *n.*16., *Cod. de ſerv.*
fugit., *Roland. conſ.*49. *n.*44. *lib.*3.,
*Rot. cor. Celſ. dec.*40. *n.*8., *&* *dec.*236.
*n.*4., *&* *cor. bon. mem. Lancetta de-
ciſ.*258. *n.*8., *&* *dec.*470. *pariter n.*8.,
*in recent. dec.*114. *n.*7., *&* *dec.*305.
*n.*18. *part.*18., *&* *in Firmana dona-
tionis* 17. *Junii* 1737. §. *Tum etiam in
fine cor. Me*, & in terminis prætenſæ
ſimoniæ *in rec. dec.*141. *n.*14. *part.*16.

Et citra ullam difficultatem, dum
ex parte Joannis data fuit jurata de-
claratio Martini de Arza excluſiva
ſupradictæ oppoſitæ exceptionis ſimo-
niæ, & inſuper adducti fuere, ac exa-
minati formiter quamplures Teſtes in-
genue deponentes ſuffragia pro Joan-
ne procurata fuiſſe abſque ullo pa-
cto, ſive conventione, & libere ob
ejus bonos mores, doctrinam, ac bo-
num exemplum datum in Sacramento-
14 rum adminiſtratione; Cumque hic
agatur de graviſſimo delicto ſimoniæ,
hæc declaratio, atque hi Teſtes depo-
nentes pro illius excluſione, rejectis
ſupradictis aliis Teſtibus examinatis
pro parte Sacerdotis Arieta, unice at-
tendendi ſunt, & in concurſu præfe-
rendi; *cap. in noſtra de Teſt.*, *Gabriel.*
*comm. concluſ. tit. de Teſt. concluſ.*4.
*n.*21., *Guazzin. ad defenſ.*29. *num.*2.,
*Rot. cor. Emer. Jun. dec.*1334. *n.*7.,
& *coram bon. mem. Lancetta dec.*173.
*n.*5., *&* *in rec. dec.*51. *n.*16. *part.*12.,
& *proſequitur in terminis delicti ſimo-
niæ dict. deciſ.*141. *num.*15., *&* 24.
*part.*16.

Additum inſuper fuit, quod, quid-
quid aſſerunt primi Teſtes ab Arieta
15 inducti ſuper protectione Joannis, ac
ſpe concepta a Martino de Arza me-
diante illius aſſumptione ad Eccleſiam
Parochialem, obtinendi Beneficium
ab eo poſſeſſum pro Didaco filio non
importat, nec præſefert ullam labem
ſimoniæ, cum hoc etiam ſi ſubſiſteret,
dicatur procedere ex quadam honeſta-
te, ac gratitudine tendente ad remune-
tionem, ſuumque initium ſumente a
quadam morali, non autem neceſſaria,
ac legali obligatione, & ſic nullam la-
bem Simoniacam includit; ut optime
firmat *d. Deciſio Reverendiſſimi Decani*
§. *Quin imo*, & ultra ibidem adductos
tradunt *Nicol. lucubrat. lib.*4. *tit.*18.
*de Simon. n.*34. *in princip.*, *Monacell.*
*formul. legal. practic. tom.*1. *in append.*
*fol.*274. *num.*7., *in ſupplemen. ad tit.*1.
*formul.*21. *n.*38., *Rot. cor. Benincaſ.*
*dec.*195. *num.*14., *&* *in rec. dec.*322.
*n.*20., *&* 21. *part.*5.

Cæteri vero Teſtes deponentes de
pacto, & conventione, cum tale quid
referant de auditu, vel ab ipſo Martino
de Arza, vel ab aliis, nil concludunt
16 ad Simoniam, cum nullus ex illis aſ-
ſerat, id audiviſſe a Joanne Diaz, vel
ſaltem iſtam confeſſionem Martini ra-
tificaſſe, atque approbaſſe; Quo ſtante
ſicuti deficit Joannis conſenſus, ita
quoque deficere dicitur quodcunque
17 præcedens pactum, ſive conventio,
quæ ſubſtantiatur, non in unius, ſed in
utriuſque partis conſenſu, ut firmatur
in Deciſionibus præcedentis inſtantiæ
coram *Reverendiſſimis PP. DD. Corio,*
& *Calcagnino*, *&* *in mea Deciſione,*
quæ revidetur §. *Abſque eo quod in fine,*
& *ultra ibidem allegatos tradit Lotter.*
*de re Benefic. lib.*3. *quæſt.*19. *num.*25.,
& conſequenter etiam Simonia, quæ
18 ceſſat, ubi non probatur pactum præ-
cedens, ſive conventio; ut ex iiſdem
præteritis Deciſionibus, & præter iſtas
*Dec. conſ.*118. *n.*4., *Pariſ. conſil.* 30.
*n.*1. *lib.* 4., *Gratian. diſcept. Forenſ.*
*cap.*210. *n.*16., *Lotter. loco mox citato*
*n.*42., *Rot. coram Seraphin. dec.*1029.
*n.*8., & proſequitur ſupradicta *Deciſio*
141. *n.*16. *par.*16.; itaut ad hunc effe-
19 ctum non ſufficiat ſimplex tractatus
præ-

Digitized by Google

præcedens, niſi iſte fuerit concluſus, ac
effectuatus; *Lotter. ibid. n.43.*, *Anto-
nell. de regimin. Eccleſ. lib.6. cap.18.
n.13.*, *Ricc.collect.dec. par.3.reſol.306.*,
imo ad incurrendas pœnas contra Si-
moniacos inflictas, nec minus præce-
20 dens pactum, ſive conventio ſatis eſt,
ſed exigitur, quod iſta ab utraque par-
te fuerit executioni demandata, & ita
Simonia conventionalis transſeat in
realem; *Antonell. de regim. Eccleſ. d.
lib.6. eod. cap.18. n.13.*, *Lotter. de re
beneſ. lib.3. quæſt.19. n.150.*, *& ſeq.*,
*Novar. in Summ.Bullar.comment.117.
n.19.* ubi quod hæc eſt opinio diu in
hoc Sac. Auditorio retenta *Panimoll.
dec.91. annot.1. n.33.*, *Rot. diverſ. de-
ciſ.405. part.1.*, *& in recent. ſæped.
dec.141. n.16. par.16.*

Non ſubſiſtente, quod ſaltem ex Te-
ſtibus ab Arieta inductis conſtet de Si-
monia inter d. Martiuum de Arza, ac
Vicinos præſentantes, quæ, licet a
Tertio commiſſa, afficiat etiam Joan-
21 nem Diaz præſentatum, etſi id igno-
rantem; Quia ultra quod hi Teſtes ob
eorum ſingularitatem nil probant ex
firmatis ſuperius §. *Recurrit namque
cum ſequen.*, ex eorum depoſitione
non probatur ulla conventio, ſive pa-
ctum inter prædictos initum ſuper præ-
22 ſentatione Joannis, & quidem cum
promiſſione aliquid correſpective dan-
di eiſdem Vicinis in compenſationem
præſentationis ab eis faciendæ, ſine
quibus, ut dictum eſt, nunquam Si-
monia committitur; & quamvis ſub-
jungi poſſet, quod Vicini ſuffragia
præſtiterint favore Joannis ex cauſa in-
ſinuationis eis factæ a præfato Martino,
quod ille promiſiſſet tradere Benefi-
cium a ſe poſſeſſum Didaco ejus filio,
23 tamen cum hoc vel nullam habeat
ſubſiſtentiam, vel non ſit ſimoniacum,
ut ſupra oſtenſum fuit, ita ſimiliter tan-
to minus ſimoniaca dijudicari debet d.
præſentatio, etiam facta ſub tali erro-
neo, ac occaſionali ſuppoſito, ut tradunt
*Ancaran. in cap. acceſſorium num.16.
verſ. Preterea de regul. Jur. in 6.*, *Pi-
ton. diſcept. Eccleſ.138.*, *Rot. cor. Ca-
rill. dec.177. n.8.*

Deſtitutus Martinus de Arieta quoli-
bet fundamento ſuper objecto crimine
ſimoniæ fruſtra ſeſe vertebat ad aliam
exceptionem, quod in omnem caſum
Joannes eſſet diffamatus de dicto cri-
mine ſimoniæ, & propterea ex hoc
quoque unico motivo repellendus eſſet
ab aſſecutione ſupradictæ Parochialis
Eccleſiæ; placuit namque iterum re-
ſponſio alias data, quod tunc hæc ex-
24 ceptio mereretur aliquam conſidera-
tionem, quotieſcunque tam Arieta,
quam Joannes obtinuiſſent æqualia ſuf-
fragia, ſive voces ab habentibus Jus
nominandi, ſive præſentandi; Nam
tunc cum eſſet diſceptandum, quiſnam
ex illis eſſet gratificandus, vel præfe-
rendus, ratio habenda eſſet de majori-
bus meritis, ac qualitatibus utriuſque,
atque etiam de d. diffamatione, ut late
expendit *Piton. controv. Patron. alle-
gat.6. n.22.*, *& ſequen.*, *Rot. in recen.
dec.78. n.16.*, *& dec.336. n.2. par.12.*,
& probant authoritates allegatæ a de-
25 fenſoribus Arietæ; At cum Joannes
obtinuerit majora ſuffragia, & habeat
Jus quæſitum ſuper aſſecutione Paro-
chialis, & ad rem; *Abb. in cap. cum Ber-
toldus oppoſit.2. de re judicat.*, *Gonzal.
ad Regul.8. Cancell. gloſſ.15. §.1. n.1.*,
*Vivian. de Jurepatr. par.2. lib.5. cap.8.
n.1.*, *& ſequen.*, *Rot. coram Seraphin.
dec.1238. n.4.* Dum ex juſtitia præſenta-
tus a majori parte Patronorum omni-
26 no eſt inſtituendus ad *Text. in cap.3.
verſ. qui minoribus*, & agatur de eo
privando eodem Jure, non ſufficit diſ-
famatio, ſed eſt neceſſaria concludens,
27 ac perfecta probatio delicti ſimoniæ,
ut diſtinguendo firmavit *Rot. in recen.
dec.176. n.7.*, *& 8. par.17.*, *& in Bo-
vinen. Archidiaconatus 17. Junii 1715.
§. Nec propterea cor. clar. mem. Cardina-
li Scotto*, *& in Trivicana Juriſpatrona-
tus 17. Junii 1718. §. Non obſtante cor.
bon. mem. Foſcaro* cum aliis relatis in
*mea præterita deciſione §. Minuſque
officere*.

Fortius dum denuo cognitum fuit
eandem diffamationem nullo modo re-
manere comprobatam ex quatuor Te-
ſtibus, qui ex tot aliis pro parte Arie-
ta examinatis unice de illa loquuntur:
Tum quia illi deponunt de auditu ab
aliquibus hominibus infimæ, & vilis
conditionis, ac poſt emanatam peri-
tiam

tiam verificatorum, & ſic poſt introductionem præſentis litis, quando ad hunc
28 effectum ea vigere debet apud viros probos, & graves; ad *Text. in cap. qualiter, & quando de accuſat. ubi Gloſſ., Card. de Luc. de Benefic. diſc.70. n.7., Rot. in recent. dec.207. n.38. par.17.,*
29 & ortum habere ante motam litem, *Barboſ. in d. cap. qualiter, & quando n.9. de accuſat., Farinacc. prax. crimin. quæſt.9. n.4., Rot. cor. Verall. dec.9. part.2., & in recen. d. dec.207. n.28. par.17.*, alioſque relatos, tam in *deciſione R̃mi Decani §. Nihilominus*, *quam in mea §. Adhuc etiam*; Tum etiam quia
30 cum memoratus Arieta ſit incola loci de Alſaſua, ibique habeat plures Conſanguineos, Amicos, & Fautores, urget vehementiſſima ſuſpicio, ab iſtis eandem diffamationem data opera proceſſiſſe, & propterea nocere non debet Joanni; ut probat *d. deciſio R̃mi Decani §. Fovetque.*

Imo potius apparuit talem diffamationem penitus remanere excluſam, non ſolum ex reliquis pluribus Teſtibus Arietę de illa minime loquentibus, & ex aliquibus aliis ex illis ingenue de-
31 ponentibus vocem ejuſdem diffamationis eſſe vagam, & vanam, non ſolidam, & inconcuſſam, ut pariter exigitur; *Barboſ. in cap. Inquiſitionis n.6., & ſequen. de accuſationibus, Sanchez. conſil. moral. lib.6. cap.3. dub.4. ſub n.2., Farinacc. de Teſtib. qu.47. n.163.*, ſed etiam ex innumeris aliis Teſtibus inductis a Joanne Diaz aſſerentibus, nunquam audiviſſe d. ſuppoſitam diffamationem, & his Teſtibus, & non aliis
32 ab Arieta examinatis fides omnis præſtanda venit, eo quia ſi eadem diffamatio vera fuiſſet, dicti quoque Teſtes Joannis de illa deponerent, ſemperque eſt inclinandum in excluſionum delicti, ac ſimoniacæ pravitatis, ut dictum etiam fuit in dicta mea *præcedenti deciſione §. Fortius.*

Nec refert, quod Ordinarius in prima Inſtantia pronuntiaverit in hac cauſa favore Arietę ſuper pręrenſa ſimonia; quia cum ab hac ſententia inde appel-
33 latum fuerit a Joanne, & libratis probationibus hinc inde deductis appareat inſubſiſtens, nulla de ea haberi valet ratio pro concludendo ſæpius recenſito delicto ſimoniæ, ejuſque diffamatione, ut probant adducti in *deciſione R̃mi Decani §. Rejectis*; quidquid eſſet,
34 ſi antequam inceptum fuiſſet hoc Judicium Civile, Joannes fuiſſet criminaliter inquiſitus ſuper ſimoniæ delicto, ac emanaſſet ſententia criminalis illud confirmans, ut diſtinguit *Rot. cor. clar. mem. Card. Falcon. de Jurepatr. dec.47. n.10., & in Bovinen. Archidiaconatus 27. Januarii 1712. §. Quo attento cor. clar. mem. Cardinali Scotto.*

Et ita &c. utraque &c.

NULLIUS ABBATIÆ S. HILARII.

Veneris 21. Martii 1738.

Argumentum habes in Deciſione XC.

SUMMARIUM.

1 *Inſtrumenti vires exceptione ſimulationis ſublatæ remanent.*

2 *Reditus bonorum feudalium æſtimatur in duobus pro quolibet centenario*; & ſub num.6.

3 *Concurrente ſimulandi cauſa, ſimplices etiam conjecturæ ad probandam ſimulationem ſufficiunt.*

4 *Ex ſumma perſoluta pro obtinenda Inveſtitura deduci nequit verum pretium bonorum feudalium*;

5 *Cum ex diverſis fieri non valeat illatio.*

6 *Teſtes informes vincuntur a Teſtibus formiter examinatis.*

7 *Dictio* incirca *non eſt contraria dictioni* ad minus, *quia illa ex ſui natura æque ſe habet ad majorem, ac ad minorem quantitatem.*

DECISIO CII.

EX beneficio novæ Audientiæ a Comitibus Franciſco, & Angelo de Bentivolis obtentæ adverſus Deciſionem ſub die 28. Junii ſuperioris anni per me editam, factum eſt, ut in hodierna Audientia propoſuerim aſſuetum dubium videlicet *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis*, cui Domini reſpondere non dubitarunt pro perſiſtentia in *deciſis.*

Quamvis enim in Inſtrumento venditionis expletæ a præfatis Comitibus de Bentivolis favore Comitis Baſcarini de medietate Feudi Vallis Oppii ex-
preſ-

preſſum fuiſſet pretium hujus medietatis aſcendiſſe ad ſolam ſummam ſc.1000.; Attamen cum adhuc dubitari nequeat quin hujuſmodi expreſſio ſimulate facta fuerit ad effectum diminuendi Laudemium debitum Abbati Commendatario, dum pretium hujus medietatis Feudi revera computatum fuit in ſcutis 3000.; Merito proinde denegata eſt fides enuntiato Inſtrumento, cujus vires nemo negat exceptione
1 ſimulationis penitus ſublatas remanere; ut præter allegatos *in Deciſione*, quæ revidetur §. *Nequaquam. unanimiter firmant Caſtrenſ. in leg. precibus Cod. de probat.*, *Becc. conſil.*50. *n.*35., *Honded. conſil.*40. *n.*9., & 10. *lib. primo*, *Gratian. diſcept. forenſ. cap.*255. *n.*31., *Rot. in recent. dec.*13. *num.*1., & 31. *part.*19., & *coram clar. mem. Card. Falconer. dec.*18. *num.*2. *de Miſcellan.*, & *Pretermiſſ.*

Et ſane inficiari nefas eſt in hypotheſi, quin antedicta expreſſio afficiatur ſimulationis vitio. Simul namque cum præcitata ſimulandi Cauſa, nedum probatur pretium dictæ medietatis Feudi aſcendiſſe ad ſcuta 3000. ex facto ipſorummet de Bentivolis venditorum, qui ſi anno 1701., & ſic tempore venditioni proximo eandem Feudi medietatem locarunt pro annua penſione ſc.90., certo certius ex his argui valet, pretium bonorum locatorum conſtituiſſe ſummam ſc.3000., cum detractis ſc.30. pro Canone, reliqua ſumma ſc. 60. diſtributa ad rationem duorum pro centenario, quanti æſtimari ſolent reditus Bonorum Feudalium,
2 correſpondeat adamuſſim huic ſorti, ſicuti animadvertit citata *mea Deciſio* §. *Quæ vero*.

Verum etiam id ipſum perſpicue habetur, tum ex ea prævalida facti circumſtantia, nimirum, quod quædam minima portio alterius medietatis hujus Feudi alias per Comites Malateſta vendita fuit pretio ſcut.1000., tum ex depoſitionibus trium Teſtium formiter examinatorum, inter quos plurimi facienda eſt illa Sacerdotis Joannis de Montibus mediatoris ad ſtabiliendum pretium, occaſione, qua ejuſdem Feudi venditio tractabatur inter Bentivolos, & Baſcharinum; tum denique ex concordi relatione Peritorum, ſcilicet eorum, qui, primis hinc inde electis diſcordantibus, fuerunt de mente hujus Sacri Auditorii deputati; Propterea que ſumma ratione his omnibus ſimul junctis dictum eſt, nihil amplius deſiderari poſſe ad detegendam ſimulationem expreſſionis in dicto inſtru-
3 mento factæ; cum cæteroquin concurrente ſimulandi cauſa ſimplices etiam conjecturæ ad probandam ſimulationem ſufficiant; *Grat. diſcept. for.*586. *n.*24., *Staiban. conſult.*156. *num.*86., *Rot. cor. Dunozet. Jun. dec.*339. *n.*8., & *coram bon. mem. Molines dec.*877. *n.*6. *tom.*3. *part.*2. *dec.*972. *n.*6. *tom.*4. & *dec.*1103. *n.*15. *eod. tom.*4.

Quæ cum ita ſe habeant, nullius ponderis e conſpectu præmiſſorum compertum eſt, quod Comites de Bentivolis in actu obtinendæ inveſtituræ hujus Feudi perſolviſſent ſcuta 600., ex qua circumſtantia arguebatur Feudi verum pretium; minuſque officere potuit, quod Abbas Commendatarius, ac Teſtes exhibiti in Sac. Congregatione Concilii de anno 1696. pro effectu obtinendi Beneplacitum Apoſtolicum memoratam Inveſtituram confirmans, retuliſſent, & comprobaſſent pretium feudi reduci ad quid minimum, & ad ſatis tenuem, & miſerabilem ſummam demptis oneribus.

Etenim pro eo quod reſpicit primam objecti partem ſedulo animadvertentes DD., ſolutionem prædictorum ſc.600. nullatenus factam fuiſſe ab illis de Bentivolis, quia feudum per contractum veræ, & realis emptionis acquiſiviſſent, & conſequenter in cauſam pretii ipſius feudi, quibus in terminis fortaſſe procedere poſſet argumentum; aſt expletam fuiſſe titulo Inveſtituræ ſolummodo, & habito reſpectu ad medietatem Canonis ſcut.30., unde tuto dedu-
4 ctum eſt ex eadem ſolutione ſcut.600. nequaquam inferri poſſe ad verum pretium prædictorum bonorum feudalium, cum nunquam a diſtinctis, ſeparatis, &
5 diverſis fieri valeat illatio; ad tradita per *Rot. in Romana Pecuniaria* 11. *Februarii* 1737. §. *Quæ cum ita ſint coram Me.*

Pro

Pro eo deinde, quod attinet ad ſecundam antedicti objecti partem; quemadmodum relatio clar. mem. Cardinalis Sacchetti tunc temporis Abbatis Commendatarii innixa fuit dicto informi memoratorum Teſtium inductorum in actu relationis factæ in Sac. Congregatione Concilii, adverſus quos militant, non ſolum depoſitiones aliorum Teſtium formiter examinatorum pro parte Comitis Baſcharini, ſed etiam prædictorum judicialium Peritorum relationes; ita concluſum eſt, nullius momenti ad effectum, de quo agitur, eſſe eandem clar. mem. Card. Commendatarii relationem; ſicuti nullius momenti forent Teſtium dicta, quibus innititur, utpote quæ conflictata remanent
6 ab illis formiter pro parte Comitis Baſcharini examinatis, quorumque dicta continuantur a memoratis judicialibus Peritorum relationibus; ut dixit *Rot. in recen. dec.32. n.3. par.18., dec.297. n.20., & ſeq. par.19., & cor. bon. mem. Molin. dec.439. n.15. tom.2., & deciſ.1308. n.14. tom.5.*

Nec bene declinari contendebatur efficacia hujuſmodi probationum, eo ſub obtentu, quod Teſtes inducti pro parte Comitis Baſcharini ſatis clare non deponerent de vero pretio ſæpedicti feudi, quodque Periti inter ſe diſcordarent. Teſtes quippe unanimiter in eo conveniunt, nempe quod annuus reditus eorundem bonorum feudalium conſiſtat in ſcut.90., & dempto Canone, in ſcut.60., unde diſtribuendo hujuſmodi reditum ad rationem duorum pro centenario, prout calculari ſolet introitus bonorum feudalium, unicuique illico notum fit, ſortem non aliter conſtitui poſſe niſi in ſumma ſcutor.3060., ut ſuperius dictum eſt, & ponderat citata mea deciſio d. §. *Quæ verò*.

Quatenus vero ſermo eſt de prætenſa Peritorum diſcrepantia, hæc pariter haud ſubſiſtere viſa eſt: Præterquamquod enim concorditer in eo conveniunt, quod bona allodialia, quæ una cum feudalibus vendita fuerunt Baſcharino, non excedebant pretium ſcut.5850., unde cum prædicti Comites de Bentivolis vendidiſſent tam allodialia, quam feudalia pretio ſc.10000., hinc pernecesse fateri oportet pretium feudalium æquaſſe ſaltem ſummam ſcut.3000., recognitum ſubinde eſt, antedictos Peritos unanimiter retuliſſe, bona feudalia aſcendiſſe ad pretium dd. ſcut.3000., quibus relationibus profecto nil detrahit quod alter ex eiſdem Peritis dixiſſet, ipſa bona feudalia conſtituiſſe d. ſummam *ad minus*, alter ve-
7 rò cum expreſſione *in circa*; Indoles quippe hujus dictionis ſubmovet quamcunque contrarietatem, cum ex ſui natura ſe habeat ad majorem, vel minorem quantitatem; *Alex. conſ.82. in fine lib.7., Bero. conſ.85. n.4. lib.1., Rot dec.73. n.3. par.2. recen., & coram bon. mem. Molin. dec.823. n.6. tom.3. part.2.*

Neutiquam refragante, quod eorundem Peritorum æſtimatio referri debeat ad ſtatum antiquum anni 1696., quo tempore feudum erat majoris pretii ſucceſſive imminuti ex pluribus deteriorationibus. Quoniam tertius Peritus Virgilius de Virgiliis judicium tulit ſuper pretio d. feudi relative ad tempus ſæpedictæ venditionis factæ Comiti Baſcharino, ſicque individue refert de tempore contractus; deterioratio autem nequaquam probatur, ſed immo potius contrarium evincitur ex confeſſione ipſorummet de Bentivolis, qui in judicio agitato cum hæredibus clar. mem. Card. Sacchetti totis viribus ſubſtinuerunt feudum fuiſſe in immenſum melioratum, & quidem de tempore enuntiati contractus cum Baſcharino geſti, ut pandit deciſio edita occaſione d. controverſiæ cum hæredibus cl. mem. Card. Sacchetti *in Romana Evictionis 10. Decembris 1734. §. Et in recenſitis cor. Emo, & Rmo D. Card. Rezzonico.*

Et ita reſponſum fuit, in reliquis remiſſive DD. ſe habentibus ad d. meam deciſionem, utraque parte jura ſua deducente.

VIGILIEN. NULLITATIS TRANSACTIONIS.

Veneris 21. Martii 1738.

ARGUMENTUM.

Tranſactio a nulliter, & injuſte carcerato facta in ipſo carcere, vel extra quidem, ſed illico, & incontinenti poſt excarceratio-

Digitized by Google

rationem nulla eſt; immo ita carcerato non ſolum reſtitui debet quidquid per tranſactionem amiſit; ſed inſuper refici expenſæ, damna, & intereſſe, etiam ab ipſo Judice, ſi proceſſit non citata, nec audita parte, ad differentiam caſus, quo his præmiſſis injuſte, vel nulliter per imperitiam dumtaxat judicaret.

SVMMARIVM.

1 *Tranſactio facta a nulliter, & injuſte carcerato eſt nulla;*

2 *Et quidem ipſo jure abſque neceſſitate declaratoriæ.*

3 *Per reſcriptum Papæ demandans deputationem Judicis non ſuſpecti tollitur omnis juriſdictio alteri Judici.*

4 *In materia civili deveniri valide nequit ad carcerationem niſi præcedentibus citatione debitoris, debiti probatione, ac mandato Judicis.*

5 *Criminalis coerctio nunquam locum habet, ubi per actionem civilem parti conſultum remanet; maxime præcedente inſtructione Judicii civilis.*

6 *Ratio ſemel reddita amplius reddenda non eſt.*

7 *Etiamſi tranſactio præciſe facta non fuerit in carcere, tamen ſi illico, & incontinenti a carcere tranſigens ducitur ad locum tranſactionis, tranſactio cenſetur dolo extorta, & nulla;*

8 *Quia tranſigens tunc conſiderari nequit reſtitutus priſtinæ libertati, ſine qua nullus contractus perfici valide poteſt.*

9 *Nulla, ac injuſta carceratio habet naturam ſpolii violenti purgandi cum reſtitutione non ſolum ſummæ a carcerato perſolutæ, ſed omnium damnorum, expenſarum, & intereſſe;*

10 *Ad reſtitutionem autem prædictorum damnorum, & intereſſe non tenetur Judex, licet nulliter, & injuſte procedens, niſi probetur per gratiam, vel ſordes judicaſſe:*

11 *Quod tamen intellige, ſi proceſſit parte citata, atque audita, errando ſolum per imperitiam; ſecus, ſi abſque citatione, nec auditis defenſionibus;*

12 *Quia tunc etiam Judex tenetur ad refectionem damnorum, & intereſſe;*

13 *Præſertim ſi concurrat poſitivus dolus Judicis, veluti ſi reo, ne defendi poſſet, interdixit cujuſcunque commercium, rejecit ſub aliquo prætextu Procuratorem, vel carceribus mancipavit, & cautiones pro reo oblatas recuſaverit, & ad carcerationem, atque actus irregulares proceſſerit, maxime poſt ablatam per reſcriptum Principis juriſdictionem.*

DECISIO CIII.

PRævia evidenter nulla, ac injuſta, ſeu potius violenta, & doloſa carceratione, Rmus Fr. Antonius Paciccus modernus Epiſcopus Vigilien. atque Capitulum Cathedralis Eccleſiæ ratione ſpolii præcedentis Epiſcopi Sarnelli extorſerunt a Sergio Baldino ejuſdem Eccleſiæ Cathedralis Primicerio, & tempore Præſulatus ejuſdem Epiſcopi Sarnelli Œconomo Menſæ Epiſcopalis tranſactionem, qua idem Primicerius coactus fuit d. moderno Epiſcopo nomine Fabricæ memoratæ Cathedralis Eccleſiæ perſolvere ducatos 1700. in cauſa prætenſi reliquatus Œconomiæ per ipſum exercitæ, converſo favore ejuſdem Epiſcopi cenſu conſimilis ſummę ipſi Primicerio debito ab illis de Faruccis ad rationem quinque pro centenario; ſed in judicium ab eodem Primicerio Baldino invaliditate tranſactionis deducta, iſta nulla declarata remanſit ab A.C. in prima inſtantia, & in iſtius ſequelam præfati Epiſcopus Paciccus, & Capitulum condemnati fuere non ſolum ad reſtitutionem dd. ducatorum 1700. omniumque fructuum d. cenſus, verum etiam ad refectionem omnium damnorum, & expenſarum judicialium, & extrajudicialium, in quo ſenſu fuit quoque hoc Sac. Auditorium in gradu appellationis ex fundamentis deductis in duabus deciſionibus proditis, altera nempe *die 3. Julii 1733. cor. R.P.D. meo Nunez*, & altera *die 21. Junii 1737. cor. R. P. D. meo Creſcentio* in ejus locum ſubrogato. Commiſſa verò mihi hac cauſa in gradu ulterioris appellationis, ſolitum propoſui dubium — *An ſententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda* —, & Primicerio Baldino unice informante *pro confirmatione* reſponſum fuit, ita ſuadentibus illius validitate, & juſtitia.

Quoniam prima apparuit ex actis, & ſecun-

ſecunda, nempe inſtantiæ ex eo, quod
1 quælibet tranſactio facta a nulliter, ac
injuſte carcerato ſemper ſubjacet nul-
litati; juxta *Text.in leg., qui in carce-
rum ff. de eo, quod metus cauſa, leg. in-
terpoſitus 13. ff. de tranſact., Rot. poſt
Poſth. de ſubhaſt. dec.35. num.15., &
dec.243. n.2., & 7., & in rec. dec.26.
n.1., & ſeqq. par.6., & dec.20. n.2.,
& dec.208. n.3. par.9.* cum aliis pluri-
bus adductis *in deciſ. R. P. D. mei Cre-
ſcentii §. Firma namque*, & quidem ipſo
2 Jure, ex quo inita dicitur per vim, &
metum cadentem in conſtantem virum
abſque alia juſtificatione, & ſententia
declaratoria; *Scannarol. de Viſit. Car-
cerator. lib.1. cap.3. ſect.2. n.3., & 4.
cum ſeqq., Urceol. de tranſact. quæſt.33.
n.5., Rot. cor. bon. mem. Molines de-
ciſ.525. n.5., & cor. Dunozett. Jun.
dec.385. n.9.*

Hoc verificari in ſubjecta hypotheſi
nullatenus dubitatum fuit, quia ſi ſer-
mo dirigatur ad nullitatem carceratio-
nis, iſta oritur tam ex defectu Juriſdi-
ctionis, quam ex defectu ordinis judi-
ciarii, & quidem ex defectu Juriſdictio-
nis, nam allegato per Baldinum ex ju-
ſtis cauſis in ſuſpectum ſupradicto mo-
derno Epiſcopo in hac cauſa, ſan.mem.
Benedictus XIII. injunxit eidem Epiſco-
po, ut alium Judicem in ſui locum de-
putaret præfato Baldino non ſuſpectum:
Cum itaque hoc non obſtante memo-
ratus Epiſcopus proceſſerit ad carcera-
tionem ejuſdem Primicerii Baldini, per
conſequens hæc carceratio nulla re-
3 manſit ex defectu Juriſdictionis ei abla-
tæ per d. Summi Pontificis reſcriptum,
ut firmavit *Rot. in rec. dec.103. n.22.,
& 254. n.10. par.19., & deciſ. R.P.D.
mei Creſcentii §. Quamvis autem*.

Tum inſuper ex defectu ordinis ju-
diciarii; nam Baldinus non fuit citatus
ſuper redditione rationis ejus admini-
ſtrationis, ſeu Œconomiæ, nec illius
partitæ fuerunt diſpunctæ, ita ut ex
hoc apparuerit illum debitorem rema-
nere in prætenſa ſumma Ducat.1700.,
nec ullum fuit relaxatum mandatum
contra eundem; ſed facto His omnibus
omiſſis proceſſum fuit ad carceratio-
nem; unde modus hic procedendi uti
irregularis remanet irritus, atque nul-
lus, cum ad carcerationem perſonalem,
& quidem validam in materia civili,
4 nunquam deveniri poſſit, niſi præce-
dentibus citatione debitoris ejuſque de-
biti probatione, ac mandato Judicis;
*Roland. conſ.65. n.18., & 19. lib.2.,
Anſald. de commerc., & mercat. diſc.36.
n.2., & ſeqq., Thomat. dec. March.76.
n.16., Rot. cor. Otthob. dec.205. n.4., &
in rec. dec.254. n.5. part.14.*, & firmat
utraque deciſio præcedentis inſtantiæ, il-
la nempe *R.P.D. mei Nunez §. Ejuſdem,
& altera R.P.D. mei Creſcentii §. Porro.*

Non attento diffugio, quod ab Epi-
ſcopo ad carcerationem proceſſum fue-
rit per viam criminalem ob querelam
porrectam a Canonicis Deputatis ſuper
ſpolio Epiſcopi Sarnelli, fundatam in
mala adminiſtratione Menſæ Epiſcopa-
lis a Baldino expleta, non exigentem
ordinem Judiciarium unice neceſſarium
in judicio civili; Siquidem, dum jam
proceſſerat ex parte Epiſcopi, & De-
putatorum contra Baldinum inſtructio
5 judicii civilis ſuper redditione rationis
adminiſtrationis prædictæ, non erat li-
citum ab hoc judicio reſilire, & pro-
cedere per coerctionem criminalem
nunquam locum habentem in eo caſu,
quo parti conſultum eſſe poteſt per
actionem civilem; ut ex *Text. in leg.
eleganter in princip. ff. de dolo* firmat
deciſ. R. P. D. mei Creſcentii §. Si ergo,
& concordant *Bald. conſ.14. in fin. verſ.
Sed illud notandum, & conſ.15. poſt
princip. verſ. Ex hoc ſequitur, Farinacc.
conſ.7. n.8., & in addit. verſ. Dolus, Rot.
in rec. dec.146. n.1., & 2., & per tot.
par.4. tom.2.*

Quo verò ad injuſtitiam d. carcera-
tionis ex cauſa præcitatæ adminiſtratio-
nis, illa apparuit clarior ſupra enun-
tiata nullitate; Nam Epiſcopus Sarnel-
lus non ſolum in ejus ultimo Teſtamen-
to condito die 28. Decembris 1721., ſed
etiam in codicillis conditis die 16. Ju-
nii anni 1724., laudavit, & approba-
vit rectam, atque fidelem adminiſtra-
tionem Baldini, eum ſolemniter quie-
tando, & abſolvendo, immo illum de-
clarando creditorem ſui ipſius in du-
catis 272., quibus ſtantibus idem Bal-
dinus non poterat amplius pro eadem
adminiſtratione moleſtari, nec ad no-
vam

vam redditionem rationis cogi, cum
6 ratio ſemel reddita amplius reddenda non ſit; *Leg. ſemel cod. de publ. apoc.*, *Pariſ. conſ.89. n.1. lib.1.*, *Anſald. de Commerc., & Mercat. diſc.80. n.11.*, *Rot. in rec. dec.256. n.1., & ſeqq., & in Faventina Redditionis Rationis ſuper reſervatis 22. Junii 1715. §. Etenim cor. clar. mem. Card. Scotto*: & licet eadem
7 tranſactio facta remanſerit non præciſe in carcere, ſed in proxima manſione Palatii Epiſcopalis, attamen cum Baldinus poſt paſſam carcerationem octo menſium, ab effectivo carcere illico, & incontinenti recto tramite ductus fuerit ad præfatam manſionem Palatii Epiſcopalis, ubi extorta extitit d. tranſactio, utique illa habetur, ac ſi in eodem carcere facta fuiſſet, cum in hiſce circumſtantiis nequeat conſiderari Bal-
8 dinus ad ſuam priſtinam libertatem reſtitutus, ſine qua quilibet contractus valide perfici non poteſt, *Card. de Luc. de Alienat. diſc.41. n.15.*, *Urceol. de Tranſact. quæſt.33. n.6., & ſeqq.*, *Rot. poſt Poſth. de ſubhaſt. dec.243. n.7.*, & firmant deciſiones editæ in præcedenti inſtantia.

Præſuppoſita itaque ex prædictis nullitate, & injuſtitia tranſactionis, de plano deſcendit, modernum Epiſco-
9 pum, & Capitulum teneri ad reſtitutionem non ſolum ſupradictorum ducatorum 1700. ex cauſa illius exactorum, ſed etiam ad omnia damna, expenſas, & intereſſe, quę ex cauſa dictæ nullæ, ac injuſtæ tranſactionis Baldinus paſſus fuit, quia nulla, ac injuſta carceratio ſapit ſpolium violentum d. reſtitutione, ac refectione purgandum; *Leg. Si Filius §. Judex ff. de Judic.*, *l.2. verſ. Aut gratia Cod. de pœn.*, *Scannarol. de Viſitat. Carcerat. lib.1. cap.3. ſect.2. n.17., & lib.3. cap.2. n.2.*, *Urceol. de Tranſact. dict. quæſt.33. n.11.*, *Paulucc. diſſert.120. n.13.*, *Anſald. de Commerc., & Mercat. diſc.36. n.44., & diſc.37. n.36, & ſeqq.*, & pariter firmant *dd. deciſion.* præcedentis inſtantiæ *cor. RR. PP. meis Nunez, & Creſcentio*.

Abſque eo quod conſiderationem ullam promeruerit, quod Reverendiſſimus Epiſcopus ad dicta damna, & intereſſe non teneatur, ſicuti ad illa non tenetur quilibet Judex licet nulliter, in-
10 juſte procedens, niſi probetur per gratiam, vel ſordes judicaſſe., ad *Text. in l. De eo, Cod. de pœn. Judic., qui male Judic.*, *Rot. coram bon. memor. Lancett. dec.735. n.1., & ſequen.*, maxime dum iſte, vel ejus Menſa nullum habet in hac Cauſa intereſſe, ſed iſtud totum eſt ſolius Eccleſiæ Cathedralis ratione ſpolii.

Reſponſum namque fuit id procedere, quotieſcunque Judex in Cauſa procedit
11 Parte citata, atque audita, errando ſolum in judicando, potius unam, quam aliam opinionem quamvis minus veram ſequendo, & ſic male judicando per imperitiam, non autem in ſubjecta hypotheſi, in qua Baldinus nec citatus, unquam auditus fuit ab Epiſcopo in ſuis defenſionibus, ſed ex abrupto, & de facto proceſſum extitit ad illius carcerationem, ad finem extorquendi memoratam nullam, injuſtamque Tranſactionem, qui modus procedendi cum ſapiat dolum, *Leg. non poteſt dolo carere ff. de regul. jur.* ita ſe-
12 cumfert refectionem omnium damnorum, & intereſſe etiam per Judicem tali modo procedentem, *Leg. Si quando §. Final. ff. de Teſtibus*, & explicando DD. contrarium tenentes firmavit *Rot. cor. bon. mem. Lancett. dec.1226. num.11. 20., & ſeq., & deciſ.1381. n.15., & 18.*

Fortius dum hic Epiſcopus, ut ſupra procedendo, non poteſt dici, quod ex imperitia proceſſerit, ſed utique ex poſitivo dolo; nam conſtitit,
13 quod ne Baldinus defendi poſſet, interdixit eidem cujuſcunque hominis commercium, rejecit illius Procuratorem prætextu, quod eſſet Laicus, & conſtitutum Procuratorem Eccleſiaſticum Carceribus mancipavit, plureſque cautiones oblatas pro eodem Primicerio penitus rejecit, & inſuper ad d. carcerationem, ac actus irregulares proceſſit, poſtquam a Summo Pontifice Benedicto XIII. ſanctæ, ac recolendæ memoriæ remotus fuerat a Judicando in iſta Cauſa. Hæc enim omnia non imperitiam, ſed animum propoſitum opprimendi Baldinum oſtendunt, propterea-

tereaque Juſtitiæ, ac æquitati conſonum eſt; ut idem Epiſcopus illum reintegret de omnibus damnis, expenſiſque ex hac violenta Cauſa paſſis; ad *Text. ſuprad. in leg. Si Filius §. Judex ff. de Judic. Gloſſ. in leg. fin verb. de ea re verſ. ſed ubi dolo ff. de var., & extraordin. cognit., Aretin. in §. 1. n. 2. verſ. nota quod Judex facit litem ſuam Inſtit. de Oblig. quæ ex quaſi contract. naſc., & n. 7. ad fin., Pariſ. de Put. de Syndic. verbo Judex male judicans cap. 1. n. 13., Farinacc. quæſt. 111. artic. 14. n. 362.*

Et ita unica &c.

ROMANA IMMISSIONIS SUPER MELIORAMENTIS, ET FRUCTIBUS.

Lunæ 24. Martii 1738.

ARGUMENTUM.

Ex impenſo, & meliorato debet refici quod minus eſt; ad hoc autem dignoſcendum ſegregandus eſt ſtatus antiquus a moderno; quod ſi ob incorporationem, & confuſionem fieri nequeat, inſpiciendus eſt reditus bonorum ante meliorationem, & exceſſus conſtituit ſtatum modernum, calculatis, ad decernendum pretium melioramentorum, quatuor pro centenario; &, ſi agatur de domibus locari ſolitis Hebræis, tribus pro centenario; modo tamen ante determinationem dicti exceſſus detrahatur ſumma bonificari ſolita univerſitati Hebræorum. Hebræi in Urbe non poſſunt retinere domos niſi ex titulo locationis: fructus reſtitutioni obnoxii compenſandi ſunt cum melioramentis.

SUMMARIUM.

1 *Ad decernendam quantitatem melioramentorum debet ſegregari ſtatus bonorum antiquus a moderno; & n. 11.*

2 *Alias enim diſcerni nequit ſtatus modernus antiquum ſupponens.*

3 *Neque dignoſci quid impenſum, & melioratum ſit;*

4 *Sed quando ob incorporationem, & confuſionem Ædificiorum dicta ſegregatio fieri nequit; tunc recurrendum eſt ad annuos fructus, quos ante meliorationem reddebat res alienata, & excedentes conſtituunt ſtatum modernum, & pretium melioramentorum & num. 15.*

5 *Probationes rejectæ in deciſione approbata, & acceptata nequeant amplius deduci.*

6 *Contractu doloſo exiſtente, doloſæ etiam cenſentur enuntiativæ illum palliantes.*

7 *Per lapſum trium annorum non præſumitur mutatus ſtatus bonorum.*

8 *Duobus Inſtrumentis in certa aliqua expreſſione doloſis, ac falſis compertis, tertium pariter quoad eam eodem modo judicandum eſt.*

9 *Peritia deſumpta ex foliis informibus nihil probat;*

10 *Prout nec alia ad eam ſe referens.*

11 *Ad ſtatuendam quantitatem melioramentorum debet probari quid impenſum, & quid melioratum, & refici id quod minus eſt.*

12 *Ex poſſeſſione domus exiſtente penes perſonam diverſam ab illa, quæ retinet Emphyteuſim, & ex qualitate ipſius Domus conveniente cum alia domo non Emphyteutica, probatur illam in Emphyteuſi comprehenſam non fuiſſe.*

13 *Ille, qui recipit Canones, & non alius, ſupponitur eſſe dominus directus.*

14 *Hebræi in Urbe non poſſunt retinere domos ex titulo Emphyteuſis, ſed tantum Locationis, & ex hoc titulo habuiſſe dicuntur domos etiam ab antiquiſſimo tempore poſſeſſas.*

16 *Ut ex reditu melioramentorum eruatur ipſorum pretium, calculantur tria pro centenario;*

17 *Quod tamen procedit in domibus locatis Hebræis, ſi ante quantitatem fructuum excedentium antiquum reditum detrahatur ſumma bonificari ſolita univerſitati Hebræorum;*

18 *Quia alias calculantur quatuor pro centenario.*

19 *Fructus a die reſtitutionis debitæ compenſantur cum melioramentis; quod ſupereſt, vel deficit viciſſim refunditur.*

DECISIO CIV.

HÆC cauſa conſiſtens in liquidatione tum melioramentorum factorum ab Oliveriis in Domibus, & Fænilibus, in

in quorum poſſeſſionem obtinuit immiſſionem Eques de Quinque uti nominatus per Sac. Rotam ad fideicommiſſum clar. mem. Cardinalis Caroli de Robertis; tum fructuum eorundem bonorum a die eorum alienationis a recenſitis de Oliveriis reſtituendorum, & reſpective compenſandorum pro eorum quantitate cum eiſdem Melioramentis ad formam tranſactionis inter eoſdemCollitigantes initæ ſuper d. altera cauſa Immiſſionis, devoluta fuit ad me in gradu appellationis a ſententia lata perR.P.D. meum Creſcentium, uti ſubrogatum in locum R. P. D. mei Nunez abſentis, præviis duabus Deciſionibus, altera nempe die 23.Januarii 1736. coram eodem R. P. D. Nunez, & altera diei 22. Februarii 1737. coram d. R. P. D. Creſcentio, qua declaratum fuit eadem melioramenta aſcendere ad ſummam, & quantitatem ſc. 1804., & e converſo fructus ſupra expreſſos ad annua ſcut.40., compenſandos tamen juxta calculum faciendum, ac ſubducto ex eiſdem annuis fructibus Canone ſc.1130. pro tempore, quo fuit ſolutum a DD. Oliveriis cum antedicta ſumma melioramentorum.

Quapropter propoſita a me Cauſa in Rota diei 31. Januarii anni currentis ſub conſueto dubio: *An ſententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda*; ob facti involucrum fuit dilata reſolutio, pro illius dilucidatione demandatus acceſſus ad eaſdem Domos, & Fænilia, quo ſecuto eandem hodie cauſam propoſui, & DD. reſponderunt; *Sententiam Rotalem eſſe confirmandam juxta modum* inferius exprimendum.

Et in eo quod ſpectat ad liquidationem melioramentorum in genere non controverſorum confirmationem promeruit dicta Rotalis Sententia; Inhærentibus DD. principio illi in deciſionibus præcedentibus Inſtantiæ amplexo: quod videlicet quotieſcunque per incorporationem, & confuſionem ædificiorum non valet a Peritis in arte, & mediante oculari inſpectione ſegregari
1 ſtatus antiquus rei a moderno, & ſic cognoſci cujuſnam qualitatis ille exiſteret, quemadmodum ad hunc effectum regulariter requiritur, ut firmatum fuit in *Deciſione* hujus Cauſæ ſuper negotio principali Immiſſionis *diei 2. Julii 1728. §. finali cor. R. P. D. meo Nunez*; cum
2 ceſſante probatione primi extremi ſtatus antiqui, eo minus ſit verificabilis ſtatus modernus, qui antiquum uti terminum a quo præſupponit; *Curt. Jun. conſil. 165. n. 20., Rot. cor. Seraphin. dec. 952. n. 2., & cor. Buratt. dec. 839. n. 11., & in rec. dec. 27. n. 21. par. 12., & dec. 390. pariter n. 21. part. 13.*, & neque depromi poſſit quid impenſum,
3 & melioratum, dum iſtud non niſi ex combinatione utriuſque ſtatus deprehendi valet; *Rot apud Baduicc. rer. Judic. dec. 8. n. 27., & ſeq. tom. 2., & coram Ubald. dec. 494. n. 9., & in rec. dec. 112. n. 4., & ſeq., & dec. 405. n. 5. part. 14.* tunc recurrendum ſit ad annuos fructus,
4 quos ante meliorationem reddebat res meliorata, ex quibus in prædicta confuſione bene concluſum remanet utrunque extremum ſtatus antiqui, & moderni, cum ſtatus antiquus conſiſtere dicatur, prout reſpondent dd. antiqui fructus, & ſtatus modernus in ea omni quantitate fructuum, quæ excedit antiquam, calculando pretium, & capitale utriuſque ſtatus ad menſuram dd. fructuum, ideſt ad rationem tot ſcutorum pro quolibet centenario, ut firmant *deciſiones præcedentes*, illa nempe 23. *Januarii 1736. §. Reſpectu enim coram R. R. D. meo Nunez, & altera 22. Februarii 1737. cor. R. P. D. meo Creſcentio*, & præter ibidem relatos tradunt *Peregrin. conſil. 76. n. 10. lib. 4., Pacion. de locat., & conduct. cap. 35. §. 4. n. 49., & alias dixit Rot. cor. Bich. deciſ. 564. ſub num. 9.*

Nec iterum obſtare viſum fuit, quod de ſtatu antiquo earundem Domorum, & Fænilium appareat nedum ex enuntiativis emiſſis in Inſtrumentis conceſſionum in Emphyteuſim factarum a Fulvio, atque in alio Inſtrumento tranſactionis inter ipſum, & Oliverios ſequutæ, necnon approbatis a Didaco Patre d. Fulvii; ſed etiam ex dd. Domorum, & Fænilium deſcriptione facta a Notario immediate poſt conceſſiones omnibus in ſubſtantia concludentibus, illa tunc fuiſſe in ſtatu diruto, ac peſſimo; Immo etiam conſtet de præciſa im-

impenſa ab Oliveriis facta in dd. melioramentis ex Peritia Architecti Joannis Antonii de Rubeis, inſerta in ſupradicto Inſtrumento tranſactionis, ac eaſdem impenſas liquidante in ſumma ſc.2782. 46., ex quo deſumebatur, etiam præſcindendo ab oculari inſpectione, poſſe ex præmiſſis firmari ſtatum antiquum, & modernum, & quidnam fuerit impenſum, & melioratum, prout aſſerebatur tale quid firmaſſe in ſua relatione Architectum Barigionem Peritum electum ab Emo de Gentilibus tunc A. C., & Judice primæ Inſtantiæ, quin opus eſſet recurrere ad ſupra memoratam probationem præſumptivam deductam ex combinatione penſionis antiquæ cum moderna, quæ nunquam admittitur, niſi in ſubſidium, & quando non poteſt haberi certa, ac realis probatio.

Quoniam ultra quod omnes præmiſſæ probationes ſuper antiquo ſtatu fuerunt deductæ ab Oliveriis in cauſa principali immiſſionis ad ſuadendam conceſſionem in Emphiteuſim ceſſiſſe in utilitatem fideicommiſſi, ſeu Primogenituræ, & rejectæ ab hoc Sac. Auditorio, ut ex ſupracitata *dec.2. Julii 1728. cor. R. P. D. meo Nunez*, quæ deciſio cum
5 fuerit ab eiſdem de Oliveriis in tranſactione deſuper inita approbata, & ratificata, non eſt hodie amplius eiſdem permiſſum, dd. probationes in medium proponere in hoc præſenti Judicio; ut firmat *deciſio in hac cauſa edita die 22. Februarii 1737. §. Sed fruſtra cor. R.P.D. meo Creſcentio, & alias dixit Rot. cor. bon. mem. Herrer. dec.156. n.4., & 5., & cor. bon. mem. Molines dec.584. n.4., & in Romana Hæreditatis Principiſſæ de Butero ſuper Reverſione 14. Martii 1731. §. Quod autem cor. me.*

Adhuc tamen eædem probationes denuo examinatæ nullam promeruerunt animadverſionem apud DD. Quia cum cum recenſitæ conceſſiones in Emphyteuſim uti factæ a Julio in mi-
6 nori ætate conſtituto & ex aliis etiam circumſtantiis habitæ fuerunt pro doloſis, ac fraudulentis a Sac. Rota in dicta cauſa Immiſſionis, ut ex dicta *deciſ.2. Julii 1728. §. Omiſſo enim coram R. P. D. meo Nunez.*; ita pariter doloſæ, ac fraudulentæ præſumuntur ſupra recenſitæ enuntiativæ in illis emiſſæ diruti, peſſimique ſtatus Domorum, & Fænilium, ac ſubſequens deſcriptio facta a Notario, unicè procuratæ ad palliandum præjudicium, quod ex dd. conceſſionibus irrogabatur ſucceſſivis vocatis in Primogenitura; ut obſervavit *deciſio diei 27. Februarii 1737. §. Unde cor. R. P. D. meo Creſcentio, & antea dixerunt Deciſiones R.P.D. mei Nunez tam ſuper Immiſſione; quam ſuper Melioramentis, & Fructibus.* Quod tranſit in evidentiam ex Inventario bonorum Cardinalis Roberti, atque ex tribus Inſtrumentis locationum earundem Domorum, & Fęnilium, tribus tantum annis ante dd. conceſſiones in Emphiteuſim factis; ſi enim tunc eadem corpora locabantur, per conſequens falſæ prorſus, & erroneæ ſunt enuntiativæ prædictæ, ac deſcriptio Notarii, quod illa eſſent diruta, cum hoc apertam contradictionem involuat, non obſtante quod a confectione Inventarii uſque ad conceſſionem Emphyteuticam effluxerint tres anni; quia per lapſum hujus breviſſimi temporis
7 non præſumitur ulla mutatio præcedentis ſtatus dd. bonorum; ut firmatum fuit *in dicta deciſione ſuper Immiſſione 2. Julii 1728. §. Identitas cor. R. P. D. meo Nunez.*

Maxime animadverſo, quod Oliverius quoad duo corpora ſita in Plateis *Renella*, & *Ruaccia* dedit manus victas, ut infra, quod nimirum redderent annuum fructum ſc.12. pro quolibet ad formam dicti Inventarii Cardinalis, non obſtante dicta expreſſione ſtatus ruinoſi in Inſtrumentis emiſſa; cum compertis falſis atque doloſis duo-
8 bus Inſtrumentis in d. expreſſione, tertium itidem eodem modo præſumendum venit; ex deductis per *Bartol. de Teſt. in tract. Mag. in fol. mihi 196. n.1. tom.5., Bargal. de dolo lib.6. tit.29. n.1., & ſeq.*

Et pariter nullam conſiderationem promeruerunt ſupradicta Peritia Architecti de Rubeis, ac alia Barigioni ad iſtam ſe ſe referens; Tum quia prima non deſumitur niſi ex foliis quibuſdam informibus, & ita ex deficientia legitimi,

timi, & authentici documenti, nullum gradum probationis conſtituunt tam iſta; *Gen. de ſcriptur. privat. lib.*1. *tit. an in ſcripturis privatis de neceſſitate dies &c., Rot. cor. Cocein. dec.*85. *per tot., & dixit dicta dec. ſuper Immiſſione d.* §. *Identitas in fine cor. R. P. D. meo* Nunez, quam alia ſucceſſiva Barigioni, quæ ad eam habet relationem; ad *Text. in authen. ſi quis in aliquo Cod. de eden., Rot. cor. Cavaler. deciſ.*236. *n.*3., *& cor. clar. mem. Card. Falcon. tit. de fid. Inſtrum. dec.*2. *n.*2., *&* 4.; Tum etiam in omnem caſum, ubi d. peritia Architecti de Rubeis ex legitimis documentis probaretur; nihilominus non concluderet, niſi quid fuerit impenſum ab Oliveriis in reaptandis ſupradictis Domibus, &

9

10

11 Fænilibus, quod non ſufficeret, cum ad hunc effectum probandum veniat etiam quid melioratum, & reficiendum quid eſt minus ex iſtis, quod deduci non valet niſi docto etiam de ſtatu antiquo rei melioratæ, eoque collato cum ſtatu moderno; ut in terminis advertit *Rot. cor. bon. mem. Lancetta dec.*1046. *n.*5., *&* 6., *& dec.*1099. *n.*1., *&* 2.

Quo vero ad annuam penſionum quantitatem, quæ ante meliorationem ex dd. Corporibus retrahebatur, ſtabilitam in præcedenti Inſtantia in annuis ſc.40., quia conſtabat ex ſæped. Inventario Cardinalis, atque ex tribus Inſtrumentis locationum fænile *alla Ruaccia* fuiſſe ſolitum locari pro annua penſione ſc.12., & pro alia ſimili penſione ſc.12. etiam domum *alla Renella*, & Domum ſitam *nel Ghettarello* pro annuis ſc.16. quæ ſummæ inſimul unitæ conſtituunt d. quantitatem ſc.40.; Nulla aderat inter litigantes quæſtio, & admittebatur ab Oliveriis, penſiones d. fænilis, & domus *alla Renella* eſſe in recenſita annua quantitate ſc.24.; verum contendebant iſti d. Inventarium, & locationes reſpicere alias Domos, & manſiones hæreditarias memorati Cardinalis pariter ſitas in eodem loco *del Ghettarello*, & poſſeſſas ab Equite de Quinque, non autem d. domum eiſdem Oliveriis in Emphiteuſim conceſſam.

Dixerunt autem DD. ex illis quatuor domunculis, ſive manſionibus, de quibus loquuntur Inventarium, & locationes, quæque in præcedenti inſta: ia attributæ fuere d. conceſſioni in emphyteuſim, primas tantum tres locari ſolitas pro annuis ſcut.11. eſſe illas in emphyteuſim, ut ſupra, conceſſas, non autem quartam locari ſolitam pro annuis ſcut.5., & ſic reformando præcedens judicatum in hac parte concluſerunt Oliverios non teneri niſi ad reſtitutionem dictæ annuæ ſummæ ſcut.11., quæ juncta d. alteri ſcut.24. pro fœnili, & domo *alla Renella* conflat annuam quantitatem ſcut.35.

Cum enim d. ſuppoſitum eorundem de Oliveriis, ut ſupra, generaliter ſumptum nullo modo eſſet admittendum, dum, ſi admitteretur, opus eſſet dicere, quod conceſſio in emphyteuſim caderet ſuper domo ad uſum Scholæ Hebræorum, & pro valde majori penſione locari ſolita, ejuſque membris, quæ juxta Inventarium Cardinalis ſunt reliqua corpora poſſeſſa in d. loco *del Ghettarello*, quando ſemper ab Oliveriis fuit admiſſum, hæc corpora non eſſe illa in emphyteuſim conceſſa, & poſt conceſſionem fuiſſe ſemper poſſeſſa a Fulvio concedente, & nunc poſſideri ab Equite de Quinque, & ſi diceretur eandem conceſſionem nec minus verificari in hac domo; quodque tam iſta, quam ſupradictæ aliæ quatuor domunculæ, ſeu manſiones fuerint penes d. Fulvium, & ſint ad præſens penes Equitem de Quinque, eſſet error pejor priore, dum, conſiſtentibus domibus hæreditariis Cardinalis ſitis in hoc loco *del Ghettarello* in hiſce omnibus corporibus juxta præcitatum inventarium, ſequeretur, quod illæ domus, ſive manſiones poſſeſſæ in d. loco ab Oliveriis, & conceſſæ a Fulvio non eſſent hæreditariæ memorati Cardinalis, res nedum non admittenda, ſed nec minus cogitabilis, quia non ſolum Fulvius conceſſit domos uti hæreditarias ejuſdem Cardinalis, ut eruitur ex ipſiſmet Inſtrumentis conceſſionum ab Oliveriis exhibitis, ſed etiam ex quo iſti ſolemniter tale quid faſſi fuere, & admiſerunt, acceptando reſolutionem Rotalem concedentem Equiti prædictam immiſſionem ad enuntiata corpora, ut ſupra conceſſa, tanquam bona hæreditaria memorati

rati Cardinalis, quo ſtante non licet amplius Oliveriis hanc dilucidam veritatem in quæſtionem revocare.

Hinc iidem DD. ſolum dubitantes, quod conceſſio facta a Fulvio non comprehenderet aliquam ex dictis quatuor domunculis ſive manſionibus reddentibus anno quolibet ſc.16., & hoc dilucidari non poſſet ex deductis hinc inde ob maximam eorum obſcuritatem, & confuſionem, injunxerunt ſupra enuntiatum acceſſum, ex quo apparuit illam domunculam locari ſolitam pro annuis ſc.5., & ſic deſcriptam in ſæpedicto Inventario Cardinalis ibi: *Altra ſtanza terrena ad uſo di Stalla con una ſtanza di ſopra a Franceſco Barigello del Vicario per ſcudi cinque*: non fuiſſe comprehenſam in dicta conceſſione; Nam ſi iſta conceſſio in Emphyteuſim comprehenderet etiam hac domunculam, Eques de Quinque non deberet poſſidere in dicto loco *del Ghettarello*, niſi ſuprad. ſcholam Hebræorum cum ſuis membris. Unde cum ipſe Eques poſſideat in eodem loco *del Ghettarello* ultra dictam ſcholam, ejuſque membra, aliam domunculam totaliter a d. ſchola ſeparatam, ex manſione terranea, & alia ſuperiori compoſitam, ut conſtitit ex eodem acceſſu; pernecеſſe dicendum eſt, quod hæc domuncula non fuerit com-
12 prehenſa in conceſſione, & ſit illa, quæ eſt ſupra deſcripta in Inventario Cardinalis, maxime dum præter d. poſſeſſionem penes Equitem de Quinque, uti domuncula convenit in qualitate, ſive ſubſtantia conſtitutiva, conſiſtente in manſione terranea, ac alia ſuperiori; *Peregr. de fideicomm. art.*44. *n.*15., *& ſeqq.*, *Rot. cor. Merlin. dec.*294. *n.*12., *& cor. Priol. dec.*358. *n.*21.

Nec d. poſſeſſio Equitis excluſa remanet ex illa aſſertiva ab eo facta in acceſſu, quæ etiam comprobari contendebatur ex ſimplici atteſtatione cujuſdam Hebræi, quod eadem domuncula ab antiquo tempore titulo emphyteuſis detineretur ab Hebræis, & ipſe ex illa non retraheret niſi Canones; Quia hoc præterquamquod non excludit, ſed potius confirmat eandem domunculam non fuiſſe comprehenſam in d. ceſſione facta Oliveriis, eo ipſo, quod
13 Eques percipit Canones, quod ſupponit Hebræos eandem domunculam habuiſſe ab Auctoribus Equitis, & non ab Oliveriis, eſt penitus inſubſiſtens; cum ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Hebræi
14 non poſſint retinere domus niſi ex titulo locationis, non autem emphyteuſis, & d. titulo locationis, quæcunque domus ab illis etiam ab antiquiſſimo tempore poſſeſſæ, ſemper habitæ dicuntur; ex adductis per *Pacion. de Locat., & conduct. cap.*3. *num.*20., *& cap.*27. *n.*26., *&* 27., & alias firmavit, *Rot. in rec. dec.*38. *n.*4.5., *& ſeq. par.*14.

Dato itaque, quod ante meliorationem domunculæ conceſſæ in totum redderent annua ſcut.35., remanet videndum, qualis nam ſit modernus eorum reditus, & hunc eſſe in annua ſumma ſcut.100. 60., non controvertebatur a Collitigantibus; quapropter retento principio jam firmato, quod in hoc
15 caſu pretium melioramentorum dicatur conſiſtere in illa rata moderni reditus ſuperantis antiquum, patet proinde, quod demptis d. antiquo reditu ſc.35., nec non annuis aliis ſc.6.48. univerſitati Hebræorum bonificari ſolitis, idem modernus reditus remanet excedens in ſcut.59. 12., & in hoc conſiſtunt d. melioramenta, quorum pretium, ſive ſortem iterum dictum fuit eſſe calculan-
16 dam, & liquidandam ad rationem ſcut. 3. pro quolibet centenario, ut firmatum fuit in recenſitis *deciſionibus RR. PP. DD. meorum Nunez, & Creſcentii*; Haud attento, quod d. annua
17 ſumma bonificari ſolita univerſitati Hebræorum non veniat ſubducenda ex dd. melioramentis, quia ſubductio hæc ſatis ſuperque compenſata videtur cum d. miiori taxa ſcut.3. pro quolibet centenario, ut etiam conſideratum fuit in dicta *deciſione R. P. D. mei Creſcentii* §. *Finali*, cum regulariter ſimilia Capitalia regulari ſoleant ad rationem ſc.4.
18 pro quolibet centenario; *Rot. coram clar. mem. Card. Falconer. tit. de tutor. dec.*3. *n.*6., *& in Romana Domus* 15. *Decembris* 1702. §. *Hoc enim cor. clar. mem. Card. Priolo.*

Hæc quoad melioramenta; quo verò ad reſtitutionem fructuum, concluſum fuit, illam eſſe faciendam a die conceſſio-

ſionum in emphyteuſim factarum a Fulvio anno 1677., ut ſtabilitum extitit in ſupra enuntiata tranſactione, & in d. annua ſumma ſcut.35., bonificato tamen prius annuo Canone ſoluto in ſcut.11.30. quo facto annua ſumma reſtituenda aſcendit ad ſcut.23.70.; & hanc quantitatem fructuum calculandam per annos decurſos a die dd. conceſſionum eſſe compenſandam, & ex-
19 computandam cum d. pretio melioramentorum, ita ut ſi facta hujuſmodi excomputatione aliquid ex fructibus ſolvendum ſit, hoc reſiduum ab Oliveriis refundatur Equiti de Quinque, & e contra: prorſus rejecta renovata ab Oliveriis prætenſione, quod cum ipſi ſolverint Fulvio ſcut.100. in cauſam Laudemii, iſta eſſent compenſanda cum penſionibus reſtituendis; Quia placuit reſponſio data in dicta *deciſione diei* 22. *Februarii* 1737. §.*Neque verò cum duobus ſequentibus coram R. P. D. meo Creſcentio*, quod videlicet idem Eques Hieronymus de Quinque habet credita anteriora contra d.Fulvium ex cauſa reintegrationis fideicommiſſi, & ſic ex dd. penſionibus reſtituendis, ac ſpectantibus etiam ad hæreditatem ejuſdem Fulvii ſemper venit præferendus idem Eques de Quinque; nec ulla danda eſt compenſatio.

Et ita juxta hunc modum DD. reſponderunt utraque &c.

AURIEN. PAROCHIALIS DE PODENTES.

Veneris 25. *Aprilis* 1738.

ARGUMENTUM.

Juſpatronatus tranſit cum hæreditate, & univerſitate bonorum etiam per viam permutationis ceſſa; aſſignari vero nequit Juſpatronatus in dotem ſine conſenſu Ordinarii. Ultimus ſtatus per concordiam tranſactus non attenditur, ſed in ejus locum ſubintraut penultimus, & cæteri anteriores clari. Gratioſe ſubrogatus ſibi acquirit fructum, & effectum vocum Collitiganti competentium.

SUMMARIUM.

1 *Literæ* pro præſentato *juſtificatæ exequi debent*.

2 *Juſpatronatus tranſit cum univerſitate bonorum*.

3 *Aſſignatio Juriſpatronatus in dotem ſine conſenſu Ordinarii nulla eſt*.

4 *Ad præſcriptionem quaſi poſſeſſionis in Jure præſentandi ſufficit quadragenaria*.

5 *Ultimus ſtatus per concordiam tranſactus non attenditur; ſed in illius locum ſubintrant ſtatus penultimus, cæterique anteriores clari*.

6 *Quaſi poſſeſſio Juris præſentandi tranſit in hæredem univerſalem*. & ſub n.11.

7 *Vox competens in Jure præſentandi tranſit cum hæreditate ceſſa etiam per viam permutationis*.

8 *Gratioſe ſubrogatus in Juribus Collitigantis defuncti ſibi acquirit fructum, & effectum vocum ipſi Collitiganti competentium*;

9 *Et quamvis Collitigans ante obitum liti renuntiaverit, ſi tamen ſubrogatio obtenta fuerit in Jure, quod Collitigans habebat tempore ceſſionis, ſeu obitus, non obſtat renuntiatio, & ceſſio*.

10 *Exceptio altioris indaginis rejicitur ad petitorium*.

11 *Qui majorem partem vocis unius Columnelli habet, cenſetur habere integram vocem*.

12 *In judicio inſtitutionis, qui poſſeſſorio deſtituti ſunt, habentur pro extraneis*.

13 *Ex præſentationibus effectum non ſortitis quaſi poſſeſſio præſentandi non acquiritur*.

14 *Ex denotatione loci originarii diſtinguuntur perſonæ ejuſdem nominis, & cognominis*.

DECISIO CV.

INterpoſita appellatione per Victorium Nogueiras adverſus ſententiam prolatam a Rmo P. D. Calcagnino Decano, qua mediante ad formam deciſionum prius ab eo editarum, *altera ſub die* 4. *Martii anni* 1735., *altera die* 5. *Decembris ejuſdem anni* pronuntiatum fuerat, nedum *Gratiam pro præſentato* obtentam a Bartholomæo Gonzalez Feixoo eſſe exequendam, ſed etiam ejuſdem literas ſubrogationis in Juribus Antonii Guerrero olim tertii competi-

toris in hoc certamine, eoque perdurante defuncto, cum mihi directa fuiſſet ulterior commiſſio cum clauſula *alteri, qui ad legitimam*, interrogavi DD. meos in hodierna audientia, utrum procedendum eſſet ad legitimam executionem earundem literarum Apoſtolicarum, & reſponſum retuli *affirmativum*.

Merito autem; præſuppoſita enim hæreditaria qualitate Patronatus, de quo quæſtio eſt, & ſubalterna ſeptenaria vocum diviſione elicita non ſolum ex Inſtrumento diviſionis celebrato inter Eleonorum Petrum, Ferdinandum, Franciſcum, Lopeſium, Leonellum, & Joannem filios numero ſeptem Gundiſalvi Mendez Feixoo olim unici Patroni, verum etiam ex rebus judicatis in antiquioribus ſtatibus annorum 1589. 1608. 1639., & 1644. proditis juxta ea, quæ probat *prima cauſæ deciſio a* §.5. *ad* 10.; Quemadmodum ſubinde ex his ſeptem vocibus ſex indubitanter ſibi adſcribere valet antedictus Bartholomæus, ita ejus literæ *pro præſentato*,
1 pluſquam plene juſtificatæ apparent, conſequenterque executioni demandandæ; *Cap.ſi Capitulo de conceſſ. præbend.*, *Rot.in rec. dec.*141. *n.*3. *par.*19., *coram Duran. dec.*98. *n.*1., *cor. bon. mem. Molines dec.*488. *n.*1. *tom.*2., & *dec.*1047. *n.*2. *tom.*5.

De iſtis verò ſex vocibus in ſpecie agendo, primo loco dubitare nefas eſt, quin vox Eleonoræ integra computanda ſit favore dicti Bartholomæi ex præſentatione ab eo obtenta a Didaco Feixoo; Ipſe enim Didacus Primogenitus eſt, poſſidetque majoratum ordinatum in Teſtamento a Baccalaureo Victorio Feixoo, in quem hæc Elenoræ vox tranſitum fecit, ut declaravit ſententia prodita in dicto ſtatu anni 1589.; Propterea que evidenter patet, hanc integram vocem ceſſiſſe favore ejuſdem Bartholomæi tanquam præſentati a memorato Didaco Feixoo, in quem una cum univerſitate bonorum dicto majoratui
2 ſuppoſitorum, tranſiit certo certius vox etiam dictæ Eleonoræ ejuſdemque vocis exercitium; ad tradita per *Rot. cor. Buratt. in dec.*368. *n.*14., & 15., & *in dec.*567. *n.*9., & 10., *coram Duran. dec.*198. *n.*10., *cor. Bichio dec.*28. *n.*9., *cor. Merlin. dec.*550. *n.*1., & *ſeqq.*, & *cor. Priol. dec.*43. *n.*4.

Spreta replicatione, quod conditor majoratus ante exaratum Teſtamentum aſſignaſſet hanc ejus vocem pro dote Agneti de Naboa, ejuſque filiis abſque vinculo majoratus, ex quo argui ſolet hoc Juſpatronatus libere tranſiiſſe tam in primogenitos, quam in ſecundogenitos; Etenim præterquamquod non docetur hanc aſſignationem factam fuiſſe
3 cum conſenſu Ordinarii, atque ideo pro infecta, nulliuſque momenti reputari debet, ut firmat dicta *prima cauſæ deciſio* §.12. In omnimodam objecti everſionem illud notatum eſt, quod ad exercitium hujus vocis per longiſſimum tempus ſemper admiſſi fuerunt primogeniti acriter contradicentibus ſecundogenitis, ut pandunt ſententiæ editæ in ſtatibus annor. 1608., 1638., 1640., & 1657., ideoque nil ultra deſiderari poſſe viſum fuit pro comprobanda pertinentia hujus vocis antedictis majoratus Poſſeſſoribus, cum de cætero
4 ad præſcribendam quaſi poſſeſſionem in Jure præſentandi ſufficiat quadragenaria, ſicuti ultra allegatos in citata prima cauſæ *deciſione* §.14. advertunt; *Lotter. de Re Beneſic. lib.*1. *quæſt.*34. *n.*45., *Vivian. de Jurepatr. lib.*7. *cap.*8. *n.*14., *Rot. cor. Celſo dec.*303. *n.*11., *cor. Ubald. d c.*73. *n.*3., & *coram Bichio dec.*382. *n.*4.

Nil faceſcente, quod hujuſmodi obſervantia cedere debeat locum recentiſſimæ ſtatus anni 1695., qui ultimus eſt, & in quo inſtituti non fuerunt Alvarus, aut Hieronymus Sandias præſentati a Philippo Feixoo primogenito, ſed Michael Henriquez præſentatus ab Emanuele Guerrero cauſam habente a ſecundogenitis. Quoniam in facto certum eſt, quod, licet partes de hoc tempore renuntiaſſent cuidam priori concordiæ in hoc ſtatu inter ipſas perfectæ, ad aliam tamen tranſactionem in eodem ſtatu anni 1695. devenerunt, ut funditus probat *ſecunda cauſæ deciſio* §.11. 12., & 13.; Quamobrem in Jure
5 pariter indubitatum eſt de hoc ultimo ſtatu per ſimilem concordiam tranſacto, nullum faciendum eſſe caſum favore

vore ſecundogenitorum, illiuſque locum ſubingredi ſtatum penultimum, cæteroſque anteriores claros, citata prima cauſæ deciſio §.16., & præter ibi allegatos; *Vivian. de Jurepatr. par.2. lib.5. cap.4. n.37.*, *Rot. cor. Pamphil. dec.652. n.2.*, *& in rec. dec.268. n.14. par.11., dec.136. n.12. par.14., dec.63. n.16. par.19.*, *& cor. bon. mem. Molin. dec.516. n.5. tom.2.*

Verum ſi ex hucuſque dictis patet, vocem Eleonoræ computandam eſſe favore dicti Bartholomæi, pari claritate demonſtratur idem de vocibus dictorum Franciſci, Petri, & Ferdinandi filiorum præcitati Gundiſalvi Mendez Feixoo; Siquidem conſtat eas deveniſſe ad Gomeſium Tarpa, ut declaratum habetur in ſententiis annorum 1589., & 1608.; Deinde probatur tranſitum feciſſe in ipſius Gomeſii filium; non dubitatur propterea, quin ab iſto deſcenderit in Joſephum de Arauxo, cujus ſucceſſive hæredes univerſales cum fuiſſent
6 fratres de Corvillon, qui præſentarunt præfatum Bartholomæum, hinc eorundem quaſi poſſeſſio in Jure præſentandi quoad has voces clare refulget, conſequenterque de earum vocum computatione favore dicti Bartholomæi a dictis fratribus præſentati dubitari nequit; ex notatis per *Garz. de Benefic. part.9. cap.2. n.257.*, *Rot. coram Peutinger. dec.246. n.8.*, *& dec.19. n.1. par.11. rec.*, *& in Melevitana Juriſpatronatus 29. Aprilis 1701. §. Potiſſime cor. cl. mem. Card. de la Tremoille.*

Haud refragante, quod vox Franciſci non tranſiſſet in Petrum, & Ferdinandum, a quibus poſtea deveniſſet in prædictum Gomeſium Tarpa; Quia ſi in ſuperius dicto Inſtrumento diviſionis exarato inter ſeptem filios Gundiſalvi, ipſemet Franciſcus portionem hæreditariam ejuſdem Gundiſalvi communis Patris, & originarii Patroni ſibi ſpectantem aſſignavit Petro, & Ferdinan-
7 do, licet hoc per viam permutationis feciſſet, nihilominus, quia fratribus aſſignavit de facto totam portionem, quæ ſibi ſpectabat *ex hæreditate ſuorum genitorum*, procul dubio iiſdem aſſignavit etiam vocem ſibi tangentem in hoc Jurepatronatus, quæ ſemper transfertur cum univerſitate Jurium, & actionum comprehenſarum in hypotheſi ſub portione hæreditatis aſſignata; *Leg. hæreditas ff. de regul. Jur.*, *Tond ut. reſol. Benefic. par.1. cap.32. n.4., & 7.*, *Card. de Luc. de Jurepatr. diſc.23. n.2.*, *Rot. cor. Buratt. dec.783. n.4., & 16.*, *& in Alatrina Juriſpatronatus 15. Junii 1705. §. Ipſe enim coram clar. mem. Card. Scotto.*

Pariter officere nequit, quod antedictæ tres voces eo minus calculandæ ſint favore dicti Bartholomæi, ſtatim ac Joſeph de Arauxo, in quem, ut dictum eſt, ultimo loco pervenerunt, donationem exaravit favore Ferdinandi Rodriguez de Arauxo, cujus hæres fuit Maria Rodriguez de Arauxo, quæ præſentavit Antonium Guerrero defunctum Collitigantem; quandoquidem ultra reſponſiones omnes in radice ſubvertentes hoc objectum, de quibus in citatis *deciſionibus Rmi Decani*; Illa ſuperabundare viſa eſt, quod cum Bartholomæus, defuncto dicto Antonio re-
8 portaſſet a Sanctiſſimo literas ſubrogationis gratioſæ, inde fructum, & effectum iſtarum vocum acquiſiviſſe dignoſcitur ipſemet Bartholomæus, juxta naturam, & indolem dictarum literarum ſubrogationis gratioſæ, de qua appoſite monent; *Lap. allegat.134.*, *Rot. dec.490. n.2. par.4. diverſ., dec.495. n.16., & ſeqq. cor. Dunozett. Junior., dec.122. n.14. cor. Otthob., & dec.686. n.3. cor. bon. mem. Molin. tom.3. par.1.*

Nil juvante, quod Summus Pontifex in iiſdem literis ſubrogari mandaverit Bartholomæum in eo Jure, quod tempore ceſſionis ſeu obitus dicti Antonii eidem competeret, & tamen de tempore obitus jam nullum Jus obtineret ipſe Defunctus ob litis præventivam renuntiationem ab eo expletam, vel quod in omnem caſum Ferdinandi Rodriguez non amplius hæres fuiſſet dicta Maria Rodriguez, aſt Eliſabeth Rodriguez, & Maria Garzia Cavallero ex Teſtamento ipſius Ferdinandi poſtea reperto, quæ Ferdinandi hæredes ſubinde donationes univerſales emiſerunt favore Emanuelis Guerrero ſub dieb.23. April., & prima Maii an.1727.

Nam prima Objecti pars ex eo ſubmo-

moveri viſa eſt, quod quamvis de tem-
pore obitus dictus Antonius liti renun-
9 tiaſſet, nihilominus quia Sanctiſſimus
deprecatus fuit pro ſubrogatione in eo
Jure, quod tempore ceſſionis, ſeu obi-
tus dicti Antonii eidem competeret,
alterum verificare ſufficit, & per conſe-
quens ſat eſt, quod de præexiſtentia litis
cum dicto Antonio non dubitetur de
tempore ceſſionis, etiamſi de tempore
obitus non verificetur, ut reſpondet
prima Cauſæ *Deciſio* §. 28.; Secunda
vero antedicti objecti pars in totum ceſ-
ſare comperta eſt, animadvertendo,
quod ſicuti Victorius Nogueiras primo
faſſus fuit, & acriter ſuſtinuit, pro-
bavitque dictam Mariam Rodriguez
fuiſſe unicam germanam Sororem, &
hæredem ipſius Ferdinandi, jam ſubſe-
cuta exceptio aſſerti Teſtamenti valde
turbida redditur, adeo ut, tanquam ex-
10 ceptio facti altioris indaginis, propo-
ni non mereatur in hoc Judicio Inſtitu-
tionis, ſed ad petitorium rejici debeat;
*Rota dec. 82. n. 1. part. 19. rec., cor. clar.
mem. Cardin. Falcon. deciſ. 17. n. 1. tit.
de reſcript., & in Mediolanen. execut.
literarum Apoſtolicarum 21. Februa-
rii 1707. cor. clar. mem. Card. Scotto.*

His itaque ſic firmatis, ideoque in
tuto poſitis favore dicti Bartholomæi,
quatuor ex prænarratis ſeptem voci-
bus, quæ cæteroquin in caſu ſuffice-
rent, dum Literæ pro præſentato ſuper-
lative juſtificatæ ſunt, gradum nunc fa-
ciendo ex abundanti ad comproban-
dum alias duas, ſuccedit examinanda
vox Lopeſii; Hæc autem ſubdiviſa re-
manſit in quatuor filios quondam Fran-
ciſci de Arauxo, nempe in Annam,
Franciſcam, Mariam, & Balthaxarem,
inde portio, quæ obvenit Mariæ, tran-
ſitum fecit in quinque ejus filios, unde
cum in facto habeatur præfatum Bar-
tholomæum in quinario numero filio-
rum Mariæ ſibi enumerare duas inte-
gras quintas, & tres ex quatuor parti-
bus alterius quintæ ex perſona Franci-
ſci. Item cum in facto pariter certum
ſit portionem Annæ deſcendiſſe in fra-
tres de Corvillon, qui eundem Bartho-
lomæum præſentarunt, deinde ſicuti
ex his patet, quod ipſe Bartholomæus
fere integram quotam vocum hujus Co-
lumnelli Lopeſii reportavit, ita di-
cendum eſt, totam, & integram vo-
cem Lopeſii ſibi adſcribere poſſe, non
obſtante difficultate, quæ forſan inter-
cederet, utrum Balthaxar etiam eum
nominaſſet, eo ipſo enim, quod dicto
11 Bartholomæo datum eſt ſui favore ad-
numerare fere integram hanc vocem
Columnelli Lopeſii, reſidualem quo-
que portionem Balthaxaris abſorbet;
ut præter relatos in dicta prima *Deciſio-
ne* §. 35., probant *Lambertin. de Jure-
patronat. lib. 1. part. 2. quæſt. 1. artic. 27.
n. 2., Lotter. de re beneſic. lib. 2. quæſt. 12.
n. 135., Rot. cor. Cavaler. dec. 436. n. 1.,
& cor. Dunoz. Jun. dec. 956. n. 4.*

Hinc comprobata voce Lopeſii, tran-
ſeundo demum ad vocem Leonelli,
quemadmodum in facto plene juſtifica-
tur, non ſolum hanc vocem ceſſam fuiſ-
ſe de anno 1596. a Maria Nepte ipſius
Leonelli Petro Feixoo Seniori de Na-
boa, ſed etiam demonſtratur, tum ip-
ſum Petrum cum effectu præſentaſſe de
anno 1644., tum Didacum Feixoo de
Loſada illius Nepotem de anno 1695.,
ita Petro Juniori filio, & hæredi ipſius
Didaci de Loſada adſcribenda eſt vox
Leonelli, proptereaque cum Bartho-
lomæus fuiſſet præſentatus ab ipſo
Petro Juniore, hanc vocem quoque
ei licet cumulare, rejectis in hoc Inſti-
tutionis Judicio aſſertis aliis ſucceſſo-
ribus Mariæ, qui utpote poſſeſſorio de-
12 ſtituti pro extraneis ſunt habendi, ut
ultra allegatos in citatis deciſionibus
Cauſæ in prima nempe §. 26., & in ſe-
cunda §. 23. concorditer firmant *Card.
de Luc. de Jurepatronat. diſc. 31 n. 3.,
& diſc. 42. n. 6. & 7., Garz. de benef.
part. 5. cap. 9. n. 54., Rota cor. Dunoz.
Jun. dec. 640. n. 19., & dec. 174. n. 2.
part. 15. recent.*

Replicatione non attenta, quod in
memorata ceſſione facta a Maria Petro
Feixoo Seniori, comprehenſa non fuiſ-
ſet vox Juriſpatronatus, de quo quæſtio
eſt, ex eo, quod tam Antonia filia Ma-
riæ in ſtatu anni 1638., quam altera
Maria Uxor Bartholomæi Cid deſcen-
dens ab Antonia in ſtatu anni 1656. ex-
pleviſſent Præſentationes; nulla quippe
13 ex his præſentationibus effectum ſor-
tita eſt, ut probant ſententiæ Ordinarii
pro

pro dictis temporibus editæ, ideoque ad intentum minime ſuffragari valent, cum per eas quaſi poſſeſſio præſentandi acquiſita eſſe nequeat, ex firmatis per *Corrad. in praxi benef. lib. 4. cap. 4. n. 14., Adden. ad Buratt. dec. 633. n. 18., & concordant Cauſæ Deciſiones* prima §. 36. & ſecunda §. 18.

Ejuſdemque irrelevantiæ detectum eſt poſtremum Victorii diffugium quoad hanc Leonelli vocem, in eo repoſitum, quod antedictus Petrus Senior Feixoo non fuiſſet ipſe Ceſſionarius dictæ Mariæ Neptis Leonelli, ſed alter Petrus Feixoo, qui eſt in deſcendentia ſuperius memoratæ Eleonoræ; Quandoquidem cum in ſtatu anni 1644., & in ſententia tunc temporis edita admiſſus fuiſſet ad præſentandum Petrus Feixoo Incola de Alarix, qualis in Inſtrumento ceſſionis nuncupatur dictus Petrus Senior de Naboa; Idcirco ex hac denotatione Originis, ſeu Domicilii in
14 oppido de Alarix clare patet, quod Ceſſionarius hujus vocis non erat alter Petrus Feixoo de deſcendentia Eleonoræ, qui nominabatur Petrus Feixoo de Podentes, ut conſtat ex Teſtamento Victorii Feixoo illius Auctoris.

Et ita reſponſum fuit, Bartholomæo tantum informante, remiſſive in reliquis DD. ſe habentibus ad præcitatas Cauſæ Deciſiones Rmi Decani.

MONOPOLITANA ASSOCIATIONIS.

Lunæ 28. Aprilis 1738.

ARGUMENTUM.

Reſervatio dominii tribuit remedium aſſociationis. Per lapſum 30. annorum præſcribitur via executiva, ſi contractus non ſit juratus; Si vero ſit juratus, præſcribitur per lapſum 40. annorum; & talis præſcriptio viæ executivæ cepta contra defunctum perficitur contra ſucceſſores, & currit etiam contra agere non valentem, ad differentiam præſcriptionis ipſius crediti, vel alterius negocii principalis.

SUMMARIUM.

1 *Ob nullitatem, vel injuſtitiam datur reſtitutio in integrum.*

2 *Venditori competit aſſociatio in vim reſervationis dominii;*

3 *Et eſt remedium executivum.*

4 *Per lapſum 30. annorum præſcribitur via executiva, ſi contractus non ſit juratus;*

5 *Si vero ſit juratus, per lapſum 40. ann.*

6 *Contra agere non valentem non currit præſcriptio;*

7 *Currit tamen, prout etiam contra ignorantem, ſi tempus ſit longiſſimum.*

8 *Contra non valentem agere non currit præſcriptio Crediti, & negocii principalis, currit tamen præſcriptio viæ executivæ;*

9 *Eaque cepta contra defunctum perficitur contra ſucceſſores.*

10 *Ad effectum obtinendi aſſociationem, Creditum debet eſſe certum, & liquidum in quantitate tam ſortis, quam fructuum.*

11 *Quouſque in executionem pacti bona per Peritos non æſtimantur, eorum pretium remanet incertum.*

12 *Non probata moderna poſſeſſione penes reum conventum non conceditur aſſociatio;*

13 *Talis autem poſſeſſio non probatur ex ſuſtentatione litis, quando reus negat ſe poſſidere; ſecus quando alias exceptiones affert.*

DECISIO CVI.

A Mandato de aſſociando in prima Inſtantia relaxato ab A. C. ad poſſeſſionem Operarum 58. Olivarum ſitarum in Territorio Civitatis Monopoli in loco nuncupato *di S. Luca* favore Conventus, & PP. Carmelitarum Diſcalceatorum S. Thereſiæ ejuſdem Civitatis, uti hæredum quondam Viti de Aloyſiis in vim reſervationis Dominii appoſitæ in Inſtrumento venditionis earundem operarum factæ anno 1647. a dicto Vito bon. mem. Abbati Julio Acquavivæ ab Aragonia ad effectum ſe ſe ſatisfaciendi de pretio in eadem venditione convento, ac fructibus recompenſativis contra Monaſterium, & Moniales S. Martini ejuſdem Civitatis prætenſos dd. Bonorum detentores, fuit mihi a Signatura Juſtitiæ Cauſa commiſſa cum clauſula: *De Cauſis*: Unde a me hodie propoſita ſub conſueto dubio:

bio : An conſtet de Cauſis reſtitutionis
in integrum, ſeu potius de re judicata:
prodiit reſponſum: Conſtare de Cauſis:
tam ex Capite nullitatis, quam Injuſti-
1 tiæ, quod viam aperit reſtitutioni in
integrum; ad ſæpe firmata per Rot. &
ſignanter cor. Otthobon. dec.161. n.2.,
cor. Cerro dec.3. n.1., & cor. bon. mem.
Molines dec.217. n.1.

Et ſane ex Capite nullitatis; quia di-
ctum remedium aſſociationis, quod in
2 vim reſervationis Dominii Domino rei
venditæ competit, ex rationibus cu-
mulatis per Rotam cor. Coccin. dec.2235.
3 a n.1. ad.7., & eſt executivum, ut fir-
mavit Rota coram bon. mem. Lancetta
dec.645. n.5., fuit intentatum per PP.
ſupradictos poſt lapſum annorum 90.,
qui ſunt decurſi ab anno 1647., quo ſe-
cuta fuit ſupernuntiata venditio, &
reſpective reſervatio Dominii, & con-
ſequenter cum per ſolum lapſum 30. an-
4 norum præſcribatur Via executiva, ubi
contractus munitus non fuerit Juramen-
to; Scacc. de commerc. §.7., Gloſſ.7. n.2.,
Carleval. de Judic. lib.1. tit.3. diſput.4.
n.1., Rota cor. Carill. dec.208. n.5., &
in Romana Quindenniorum 14. Janua-
rii 1726. §. Quamvis igitur cor. Emi-
nentiſſ. Aldrovando, & ubi Juramen-
5 tum fuerit interpoſitum per ſpatium
40. annorum, Rot. deciſ.572. num.2.
part.19. tom.2. rec., & in Interamnen.
Cenſus 10., Januarii 1710. §. Perperam
igitur cor. clar. mem. Card. Priolo, mul-
to magis præſcripta dici debet in hoc
caſu, in quo ut dictum eſt a die factæ
venditionis ſunt effluxi anni 90. & ul-
tra, ait Rota cor. bon. mem. Lancetta
dec.643. num.1.

Nec obſtat, quod PP. Carmelitæ
ignoraverint exiſtentiam hujus crediti,
quodque pro illius ſolutione agere non
potuerint ante annum 1725., cum dum-
taxat hoc anno adiverint hæreditatem
Roſæ Covelli, ad quam ſpectabant bo-
na ut ſupra vendita a Vito, & ſic etiam
recenſitum Creditum; dum contra non
6 valentem agere non currit præſcriptio,
ut per Text. in leg. Abſentia ff. de regul.
Jur., Rota in Urbevetana Salviani 28.
Februarii 1707. §. Demum neſcientes
cor. clar. mem. Cardinali Priolo: Quo-
niam omiſſo, quod ubi, ut hic tem-
7 pus eſt longiſſimum, præſcriptio currit
abſque ſcientia, & afficit etiam igno-
rantes, leg. ſicut in fin. Cod. de præ-
ſcript. 30. vel 40. Annor., Onded. con-
ſil.83. n.50. lib.1., Mareſcott. var. re-
ſol. cap.41., n.19., & ſequen. lib.1.,
Merlin. de legitim. lib.5. tit.2. quæſt.10.
n.26., Rota cor. Arguell. dec.87. n.12.
8 cum in ſubjecta hypotheſi agatur ſim-
pliciter de præſcriptione Actionis, præ-
miſſa nullam merentur reflexionem,
cum illa ad terminos Text. in cap. fin. de
Præſcript. ſolummodo percutiant præ-
ſcriptionem ipſius Crediti, vel negocii
principalis, non autem hoc remedium,
ſive actionem executivam, ad cujus ef-
fectum attenditur ſola negligentia de fa-
9 cto, ita ut talis præſcriptio cepta
contra defunctum, & ſic contra perſo-
nam habilem bene perficiatur cum ſuc-
ceſſoribus: Capic. Latr. conſult.6. n.118.,
Card. de Luc. de Credit. diſc.117. n.17.,
& 18., Rota cor. bon. mem. Lancetta
dec.263. n.9., & 10., & in rec. dec.99.
n.17. part.18.

Clarior nullitate apparuit injuſtitia
ſupradicti Judicati, deſumpta tum ex
eo, quod Creditum, pro quo fuit pe-
tita aſſociatio, non erat certum, in-
10 dubitatum, atque liquidum in præ-
ciſa, & determinata quantitate ejus
ſortis Principalis, & propterea nec mi-
nus quoad fructus recompenſativos in
ſequelam ejuſdem ſortis liquidandos,
ut ad hujuſmodi effectum perneceſſe
exigitur; Pacific. de Salvian. interd. in-
ſpect.1. cap.5. n.2., Rot. cor. Bich. de-
ciſ.709. n.3. & 4., & in recen. dec.191.
n.7. part.18., & in Bonon. Legati 1. Ju-
lii 1709. §. Ratio cor. bo. me. Anſaido;
Stante quod licet die 1. Januarii an-
ni 1647. facta fuerit venditio bonorum
controverſorum pro certo, ac deter-
minato pretio Ducatorum 3917., ni-
hilominus eadem die mediante alio In-
ſtrumento fuit declaratum idem pre-
tium non fuiſſe ſolutum, ſed ſimulate
11 ſtabilitum fuiſſe in præcitata ſumma,
quodque ad eruendum verum pretium
bona prædd. intra menſem æſtimari de-
berent per Peritos hinc inde eligendos;
quod legitime factum fuiſſe doctum
non extitit, & propterea pretium eo-
rundem bonorum adhuc remanet in-
cer-

Digitized by Google

certum; *ad celebrem Conſtitutionem Juſtiniani in l. fin. Cod. de contrahen. emption.* magiſtraliter examinatam per *Rot. in dec. 567. cor. Merlin.*

Tum ulterius ex eo, quod PP. Carmelitæ non probarunt Moniales reas
12 Conventas poſſidere eadem bona, de quibus loquitur ſupra enuntiata venditio, ſicuti etiam probare neceſſe eſt in Judicio aſſociationis, alias tale remedium nunquam conceditur; *Cravett. conſil. 111. n. 5., & ſequen., Saluſt. Tyber. in Praxi lib. 2. cap... n. 22., Pacific. de Salvian. interd. inſpect. 1. cap. 6. n. 3., Ridolphin. in Prax. part. 2. cap. 6. numer.* 87. 88. 89.

Non relevante, quod eadem probatio oriatur ex ipſa litis ſuſtentatione, quia hoc procederet, quotieſcunque Mo-
13 niales in hac lite non negarent ſe ſe poſſidere bona, de quibus loquitur ſuprad. venditio, & litem ſuſtinerent, deducendo alias exceptiones præter illam defectus poſſeſſionis penes ipſas, ac non probatæ identitatis bonorum; At cum ipſæ negaverint, & negent poſſidere dd. bona, hæc ſuſtentatio moleſtiarum eis a PP. Carmelitis illatarum, probat quidem ipſas tales moleſtias pati, ſed tamen non concludit, eas poſſidere bona, ut ſupra, vendita, & iſta eſſe illamet, quæ actualiter a Monialibus poſſidentur in contrada *di S. Luca*, ut optime declarando tradunt *Pacific. de Salvian. interd. Inſpect. 1. cap. 6. n. 7., Ridolphin. in Prax. part. 2. cap. 6. n. 85.*, & firmavit *Rot. in Romana, ſeu Signina Salviani ſuper reſervatis 5. Aprilis 1737. §. Nec ad concludendum cor. Me.*

Et ita utraque &c.

ROMANA LEGATI SUPER SEQUESTRIS.

Die 16. Maii 1738.

ARGUMENTUM.

Sequeſtrum apponi nequit, ubi quantitas crediti non eſt liquida, apponibile autem eſt etiam ſuper fructibus fideicommiſſi ad debitum non obligati, ubi pertineat ad debitorem.

SUMMARIUM.

1. *Sequeſtrum appoſitum pro executione judicati tolli non debet, niſi poſt integram ſatisfactionem debitoris.*
2. *Ubi quantitas crediti non eſt liquida, ſequeſtrum non ſuſtinetur.*
3. *Sequeſtrum eſt ſpecies executionis; atque ideo ubi fieri poteſt executio, apponi etiam poteſt ſequeſtrum.*
4. *Sequeſtrum apponibile eſt ſuper fructibus fideicommiſſi ad debitum non obligati, ubi pertinent ad debitorem.*
5. *Ex citatione a debitore expedita ad recipiendum creditum oritur confeſſio debiti, & acceptatio judicati, ac mandati expediti*; & num. ſeq.
6. *Unde amplius impugnari nequit validitas, & juſtitia mandati, nec reclamari a ſequeſtro in ejus executionem appoſito.*
7. *Sac. Rota difficilius revocat ſequeſtrum, ubi debitor nimis durum ſe oſtendit in ſolvendo debito.*

DECISIO CVII.

Sequeſtra facta pro parte Monaſterii, & Monialium B. Mariæ Virginum Urbis ſuper fructibus bonorum hæreditariorum, tam Timothei Junioris, quam Timothei Senioris de Ximenes poſſeſſorum a Philippo, & aliis fratribus pariter de Ximenes ad effectum conſequendi ſatisfactionem Legati ſcutor. 3000. eidem Monaſterio relicti ab Hortenſia Ximenes — *Non eſſe revocanda* — hodie DD. reſponderunt, quia cum illa facta remanſerint Inquilinis, & conductoribus dd. bonorum vigore mandati ab hoc Sac. Auditorio relaxati contra eoſdem fratres de Ximenes memoratæ Hortenſiæ debitores, uti poſſeſſores bonorum, tum pro legitima ei debita ſuper bonis Timothei Junioris communis Patris, ejuſque fructibus ad rationem taxæ legalis, tum pro octava parte dotis ſc. 800. Hieronymæ pariter communis Matris, & ſic pro executione Judicati, tolli non debent
1 donec, & quouſque non fuerit ſecuta totalis, atque integra ſatisfactio creditoris; Hæc namque eſt natura ſequeſtri facti pro executione Judicati; *Jaſon. in leg. ſi fidejuſſor. §. Final. n. 17. ff., qui ſat.*

*ſat. dar. cogant., Sabell. reſol.95. n.15.,
& 16., Ridolph. in prax. par.1. cap.14.
n.171., & ſeqq., Magon. dec. floren.31.
n.5., Rot. poſt Zacch. de obligat. Came-
ral. dec.118. n.9.10., & 11., & cor.
Buratt. dec.653. n.1., & ſeqq.*

Nec obſtat, quod recenſita credita
legitimæ, & dotis ad Hortenſiam ſpe-
ctantia, licet ſint certa in genere;
2 nihilominus incerta, & illiquida ſint
quoad eorum quantitatem, ideo dicta
ſequeſtra non ſuſtineantur, quæ cum
ſint ſpecies executionis, omnino requi-
runt præcedentem crediti liquidatio-
nem; ut ex prædictis authoritatibus, &
in ſpecie dicta *dec.653. n.3., & 4. cor.
Buratto*.

Ceſſare namque viſum fuit objectum,
tum ex ſtatu hæreditario ſupradicti Ti-
mothei Junioris de ordine Sac. Audito-
rii firmato, & ab omnibus Collitiganti-
bus approbato, atque acceptato in ſuc-
ceſſiva transactione anni 1715., tum in-
ſuper ex deciſione in hac cauſa edita ſu-
per negocio principali *die 6. Maii* 1729.
§.22. *cor. bon. mem, Epiſcopo Corduben.*,
ubi quantitas dotis Hieronymæ pro ra-
ta tangen. Hortenſiæ liquidatur in ſcu-
tis 1000.: tum denique ex mandato Ro-
tali in horum ſequelam pro certa, &
determinata ſumma a Monialibus ob-
tento, ac reſpective expedito, quo in
ſtatu exiſtente exequibili, ſicuti rite
3 potuiſſet fieri executio, ita ejuſdem vi-
gore fieri potuerunt ſupradicta ſeque-
ſtra, quæ executionis ſpeciem impor-
tant; *Bald. in cap.1. n.9. de ſequeſtr.
poſſeſſ., & fruct., Rebuff. de ſequeſtr.
artic.1. Gloſſ.2. n.3., Card. de Luc. de
Judic. diſc.13. n.2., Rota poſt Conſtan-
tin. ad Statut. Urb. dec.32. n.6., cor. Bu-
ratto d. dec.653. n.3., & cor. bon. mem.
Molines dec.1134. n.2., & 3.*

Minuſque relevat, quod d. ſequeſtra
facta potiſſimum ſuper fructibus bono-
rum fideicommiſſariorum Timothei Se-
nioris jure proprio ad Fratres de Xi-
menes ſpectantibus, quæ obligata non
ſunt, nec pro credito legitimæ, nec
pro altero credito dotis, ſuſtineri non
debeant uti facta in bonis alterius,
quam debitoris. Animadverſum ſiqui-
dem fuit, quod dd. Fratres, non ob-
ſtante cautela Angeli per ipſos allega-
ta etiam vigore d. fideicommiſſi con-
demnati fuere ad conſignandam Mo-
naſterio ſupradictam legitimam, & ra-
tam dotis ſub pœna mandati de gra-
vando, & reſpective executivi pro eo-
rum pretio, & quantitate, quatenus id
adimpletum non fuiſſet, & conſequen-
ter cum iidem Fratres in hoc adimple-
mento defecerint, & quidem per inte-
grum ſpatium unius anni cum dimidio,
& ultra, retinendo ſemper, prout actu
retinent bona hæreditaria Timothei
Junioris obnoxia oneri recenſitæ dotis,
& legitimæ, jure quidem in his circum-
ſtantiis exiſtimarunt DD. ſequeſtra ſer-
vanda eſſe etiam ſuper fructibus bono-
4 rum fideicommiſſariorum Timothei Se-
nioris, uti ſuper effectibus propriis
dd. Fratrum de Ximenes ex facto pro-
prio, & ob ipſorum moroſitatem debi-
torum, ut in proximis terminis adver-
tit; *Rot. cor. Gregor. dec.316. per tot.*

Eoque facilius in iſtum ſenſum ve-
nerunt, tum quia reflectendo ad fru-
ctus totius integræ hæreditatis Timo-
thei Junioris per dd. Fratres a die obitus
Patris huc uſque perceptos, agnoverunt
eoſdem Fratres etiam ex iſta cauſa in
magna ſumma debitores de proprio;
Tum quia aliæ facti circumſtantiæ con-
currunt; Nimirum, quod iidem fratres
poſt expeditum mandatum, & poſt fa-
cta ſequeſtra, citarunt inquilinos ſeque-
5 ſtratarios ad ſolvendum penſiones ſe-
queſtratas favore d. Monaſterii, atque
ulterius ſubinde citarunt etiam ad reci-
piendam octavam partem Bonorum hæ-
reditariorum Timothei Junioris Com-
munis Patris in eo, quod reſpicit legi-
timam; unde ex actibus hujuſmodi im-
portantibus confeſſionem proprii debi-
ti, & acceptationem rei Judicatæ, ac
expediti mandati, *ad Text. in leg. cum
fidem, ubi Bald. n.2. verſic. aut dubita-
tur C. de non numer. pecun., Bartol. in
leg., ſi cui res ff. de legat., Menoch.
præſumpt.135. n.18. lib.3., Rot. in rec.
dec.450. n.12. par.13.*, ſicuti ſublata
fuit facultas eiſdem fratribus impugnan-
6 di validitatem, & juſtitiam ſupradicti
mandati, ita quoque præcluſus extitit
aditus reclamandi a prædictis ſequeſtris
rite factis in ejuſdem mandati executio-
nem, & quibus aſſenſum præſtitiſſe no-
ſcun-

ſcuntur iidem fratres de Ximenes, eo ipſo, quod citarunt, ut dictum fuit, Inquilinos pro conſignatione penſionum ſequeſtratarum favore Monaſterii creditoris, ut præter ſupra congeſta melius ad rem dixit *Rota cor. Puteo dec.73. in fin.lib.1., & 249.etiam in fin.lib.2., cor. Pæn. deciſ.1250. n.4.tom.2., & in rec. dec.420. n.24.part.4.tom.4.*

Et tandem moti quoque fuerunt DD. ad denegandam petitam revocationem
7 ſequeſtrorum, ex quo agnoverunt nimiam duritiem dd. Fratrum in aſſignando octavam partem Bonorum; dum poſt inſtantiam ab eis factam de menſe Januarii proximi præteriti ſuper receptione d. octavæ partis Bonorum pro legitima, ac reſpective ſuper deputatione Periti ad effectum eandem ſeparandi portionem, ſpreverunt prorſus devenire ad illius, ut par eſt, effectuationem, mediante opera Periti jam electi, & loco iſtius ſeſe verterunt ad petendam revocationem ſequeſtrorum ad unicum finem ſeſe confovendi in perceptione dd. fructuum, & in longum pro viribus protrahere debitam executionem Rei Judicatæ Rotalis in notabile detrimentum Monaſterii, quod uti Juſtitiæ diſſonum nequaquam DD. tolerandum putarunt.

Et ita utraque &c.

ROMANA SALVIANI.

Veneris 16. Maii 1738.

ARGUMENTUM.

Immiſſus inSalviano ubi non excipit de ſuo credito ad effectum retinendi, ſed ob inſufficientiam fructuum perceptorum agit adverſus alia bona debitoris, tenetur de iiſdem fructibus rationem reddere, & inſufficientiam oſtendere; nec ſtatur ejus notulæ juratæ. In Prædiis ruſticis probata aſſociatione præſumitur perceptio fructuum. Ubi debita & credita in unam eandemque perſonam coaluerunt eſt locus compenſationi, & præſumitur animus compenſandi; ſecus in diverſitate perſonarum.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio in Salviano exigit creditum omnino certum, & liquidum;*
2 *Alias ea denegatur.*
3 *Sine redditione rationis nemo conſtitui poteſt Creditor.*
4 *Immiſſus in Salviano ubi non excipit de ſuo credito ad effectum retinendi, ſed ob inſufficientiam fructuum perceptorum agit adverſus alia bona Creditoris, tenetur de iiſdem fructibus rationem reddere, & inſufficientiam oſtendere, nec ſtatur ejus notulæ juratæ.*
5 *Nemo præſumitur jactare ſuum.*
6 *In Prædiis ruſticis probata aſſociatione perceptio fructuum præſumitur; an vero idem ſit in prædiis urbanis, remiſſive.*
7 *Citatio litis conſortium a debitoribus Cenſus emiſſa pro petenda reintegratione comprehendit omnes Aſſociatos etiam expreſſe non nominatos.*
8 *Transactio non intervenienti non nocet;*
9 *Satisfactio tamen, aut illiquiditas ſortis principalis Crediti conſociorum eu ea apparens ipſi etiam obſtat.*
10 *Acquieſcientia longi temporis eſt argumentum illius ſatisfactionis.*
11 *Ubi Creditum & debitum in unam eandemque perſonam coaluerunt, eſt locus compenſationi, & præſumitur animus compenſandi;* & num.14.
12 *Secus in diverſitate perſonarum.*
13 *Suſcipiens in ſe debitum cum promiſſione relevationis ab omni moleſtia, & damno, efficitur principalis debitor.*

DECISIO CVIII.

Denegavit Sac. Auditorium, reſpondendo conſueto Dubio in hac cauſa hodie a Me propoſito: *Negative*: Joſepho, ac aliis de Ceraſolis Immiſſionem in poſſeſſionem cujuſdam Domus hic in Urbe ſitæ, & detentæ a Petro Paulo de Sixtis, quam in vim utilis Salviani Interdicti eiſdem de Ceraſolis, uti mediatis hæredibus Hieronymi Ceraſoli Ceſſionarij Hæredumque Lutii Calderini in prima Inſtantia conceſſit A.C., ad effectum ſe ſe ſatisfaciendi de annua decurſa rata ſcutor.5. fructuum Cenſus ſortis principalis ſc.5000. anno 1602. impoſiti favore Fratrum de Cocchis a Nicolao, & aliis de Francionibus olim dominis ſupra enuntiatæ Domus, & reſpective, ut aſſerebatur, venditæ ab eiſ-

eiſdem de Cocchis memorato Calderi-
no pro ſumma ſc.400.

Rationem ita decidendi DD. conſti-
tuerunt in eo, quod ad hoc, ut locus
ſit Immiſſioni in vim d. utilis Interdi-
cti, ultra alia illius nota requiſita, pri-
mario, ac principaliter exigitur, quod
1 creditum, pro cujus ſatisfactione illa
petitur, ſit ita certum, atque indubi-
tatum, tam in ejus ſubſtantia, quam
in ejus quantitate, ut nullam in ſe ſe
contineat notam vel turbiditatis, vel
illiquiditatis; *Scapucc. de Salviano lib. 2.
qu. 5. n. 5., Rot. poſt. Pacific. de Salvian.
Interdict. deciſ. 203. n. 1., & 3., & poſt
Merlin. de Pignor. deciſ. 122. n. 18. &
ſequen., cor. Duran. dec. 50. n. 15., cor.
Bich. dec. 504. n. 4., & cor. cl. me. Card.
Falconer. tit. de Salvian. Interdict. de-
ciſ. 15. ſub n. 12.*; Cum autem ſupra
enuntiatum creditum Ceraſoli non ſit
talis qualitatis, ſed potius ex omni par-
2 te turbidum, ac illiquidum, merito de-
negata fuit petita Immiſſio; ut alias di-
xit *Rot. cor. bon. mem. Lancett. dec. 613.
n. 6., dec. 824. n. 12., dec. 1001. n. 7., & in
rec. dec. 214. n. 7. par. 19.*

Turbiditas d. Crediti apparuit ex ip-
ſomet Inſtrumento condito die 16. Fe-
bruarii 1621., in quo Lutius Calderi-
nus pro Francionibus debitoribus Cen-
ſus perſolvit d. ſc.400. in cauſam ejus
fructuum illis de Cocchis Creditoribus,
qui reſpective donec, & quouſque fa-
cta fuiſſet reſtitutio ejuſdem ſummæ,
ceſſerunt Lutio annuam ratam ſc.52.
fructuum longe majoris quantitatis ejuſ-
dem Cenſus, ſtante quod Francioni De-
bitores in ipſo, eodemque Inſtrumen-
to aſſociarunt tam eoſdem de Cocchis,
quam eundem Calderinum ad poſſeſſio-
nem duarum Vinearum, ex quarum fru-
ctibus unicuique ſatisfieri deberet pro
rata eorum crediti: Unde cum prædi-
cti in hac poſſeſſione, & retentione Vi-
nearum continuaverint uſque ad an-
num 1651., quo Francioni mediante
Judiciali Sententia reintegrati fuere ad
dd. Vinearum poſſeſſionem, ex fructi-
bus hoc intermedio tempore perceptis
memoratus Lutius vel præſumitur inte-
graliter ſatisfactus de prædicto ſuo Cre-
dito, vel ſaltem ita illud redditur illi-
quidum, ut pro eo agi nequeat in hoc
alio Judicio, niſi prius reddita fuerit
ratio fructuum perceptorum, cum ſine
3 iſta Ceraſolus ejuſdem Lutii ceſſionarius
non poſſit judicari in aliquo Creditor;
*Rot. poſt Pacific. de Salvian. Interdict.
dict. dec. 203. n. 4. & 5., cor. Cavaler. de-
ciſ. 539. n. 5., cor. Celſ. dec. 295. n. 12., cor.
bon. mem. Lancett. dec. 551. n. 9., & 10.,
& in recent. dec. 175. n. 5., & dec. 320.
n. 20. par. 16.*

Quando enim aſſociatus, vel in Sal-
viano immiſſus non excipit de ſuo Cre-
dito ad effectum retinendi, ſed varian-
4 do, & ſub prætextu inſufficientiæ fru-
ctuum perceptorum agit pro ſatisfactio-
ne adverſus alia bona Debitoris, tunc
tenetur ſemper reddere rationem de
fructibus perceptis, & oſtendere ſibi de
illis non fuiſſe ſatisfactum, ita ut nec
minus ſtetur ejus notulæ juratæ, alias
autem eo ex illius parte non adimpleto,
ſemper viget præſumptio ſatisfactionis,
vel ſaltem urget exceptio præmiſſa illi-
quiditatis Crediti; ut diſtinguendo tra-
dunt; *Merlin. de Pignor. lib. 5. qu. 77.
n. 45., Rot. poſt Conſtantin. ad Stat.
Urbis dec. 185. n. 2. & in rec. dec. 451.
n. 12. par. 13., & dec. 175. n. 8. par. 16.*

Fortius dum petita a Francionibus
debitoribus, & dominis Vinearum d.
anno 1641. reintegratione ad illarum
poſſeſſionem, iſta conceſſa extitit ab
A. C., ſive Judice ab eo deputato, re-
ſervata liquidatione fructuum perce-
ptorum, in modum, ut illi de Coc-
chis coacti fuerint ſub die 24. Novem-
bris 1651. devenire cum Francionibus
ad novam tranſactionem, in qua, enun-
tiata illiquiditate eorum crediti etiam
quoad ſortem principalem cenſus, tam
ex capite fructuum perceptorum, quam
ex capite deteriorationis Vinearum, re-
duxerunt ſortem principalem d. cenſus
alias ſcut.5000. ad ſolam quantitatem
ſcut.2000., in quibus circumſtantiis eo
magis d. creditum Calderini dici debet
vel ſatisfactum, vel illiquidum, nam
in caſum contrarium, nec conceſſa
fuiſſet recenſita reintegratio, nec Coc-
5 chi reduxiſſet cenſum, ut ſupra, cum
nemo præſumatur jactare ſuum; juxta
*Text. expreſſum in l. cum de indebito ff.
de probat.*

Spreta reſponſione, quod memorata
aſſo-

aſſociatio non habuerit effectum quoad Calderinum, quodque inſuper ipſamet non concludat crediti ſatisfactionem, niſi aliunde doceatur tum de effectiva exactione, tum de perceptione fructuum in ea quantitate, quæ creditum abſorbeat; Quia quidquid ſit quoad hoc ultimum, an nempe ex ſola immiſſione
6 præſumenda ſit fructuum perceptio, vel potius ad eam concludendam exigatur effectiva probatio perceptionis forſan procedens in bonis urbanis de ſui natura non fructiferis juxta *dec.53.par.14. recen.*, allegatam a Ceraſolis, non autem in prædiis ruſticis, & vineis, ut hìc; de effectuatione ſupradictæ aſſociationis, ac fructuum perceptione conſtitit, tum ex præcitato Inſtrumento an.1621., tum inſuper ex præd. judiciali ſententia anni 1651., ac denique ex d. cenſus reductione eodem anno facta per viam tranſactionis a creditoribus cenſus ex cauſa illiquiditatis etiam ſortis principalis ob fructus perceptos, ac deteriorationem vinearum; Nec ſubſiſtit, quod ſupradicta ſententia reintegrationis emanaverit ſolum contra eoſdem de Cocchis, nec in ea citatus fuerit Calderinus, quia in illa ultra dd. de Coc-
7 chis citati etiam fuere *alii litis conſortes*, quod intelligi nequit, niſi de Calderino, qui una cum eiſdem de Cocchis aſſociatus fuerat ad poſſeſſionem vinearum, & conſequenter erat conſors d. litis promotæ a debitoribus cenſus ſuper reintegratione ad eandem poſſeſſionem.

Et licet Lutius Calderinus non intervenerit in ſupradicta tranſactione
8 anni 1651., & per conſequens illa ei non noceat; nihilominus hoc non tollit, quod, ſicuti ex illa apparet de ſatisfactione, aut illiquiditate crediti
9 etiam ſortis principalis cenſus quoad illos de Cocchis tranſigentes, atque cenſum reducentes; ita ex hoc eorum facto argui non valeat ad ſatisfactionem, & illiquiditatem crediti ejuſdem Calderini conſocii in aſſociatione vinearum, ut alias dixit *Rot. cor. cl.mem. Card. Falconer. tit. de retinend. poſſeſſ. dec.11. n.8., & in Hortana Præeminentiarum 16. Junii 1704. §.Final. cor. bon. mem. Kaunitz.*

Eoque fortius præmiſſa veniunt attendenda, ſtante ſilentio, ſive acquie-
10 ſcentia Calderini, ejuſque Succeſſorum uſque ad hodierna tempora in non agendo, ac proponendo opportunas inſtantias pro ſatisfactione controverſi crediti, quod pariter argumentum præſtat illius ſatisfactioni, quia credibile non eſt, quod quatenus ea ſecuta non fuiſſet, acquieviſſet per adeo longum tempus; *Rot.cor.Duran. dec.409. n.22., cor.bon. mem.Lancett. dec.477. n.4., & in rec. dec.124. n.2. par.2., & in Ariminen. Fideicommiſſ Bandi de Bandis 10.Januarii 1701. §.Quod verò. coram clar. mem. Card. Scotto.*

Præter hæc animadverſum etiam fuit, quod Cocchi anno 1659. vendiderunt quandam apothecam pretio ſcut.750. Hieronymo Ceraſolo, qui ex hac pretii quantitate apud ſe retinuit ſummam
11 ſcut.600. pacto adjecto, quod hanc ſummam perſolvere non teneretur, niſi poſtquam illi de Cocchis abſolverint litem, quam habere poſſent cum Calderinis; ideoque cum ſucceſſive ideſt anno 1662. idem Hieronymus acquiſiverit ab eiſdem de Calderinis ſupra expreſſum creditum promanans ex recenſito Inſtrumento anni 1621., & e converſo nunquam ſolverit eiſdem de Cocchis recenſita ſcut.600., eo certius tale creditum Calderini incertum, atque illiquidum remanet, cum undique veriſimile ſit Hieronymum eandem acquiſitionem feciſſe animo illam compenſandi cum dicta ſumma ſcut.600. per eum ut ſupra retenta; *Rot.cor.bon.mem. Lancett. dec.1749. n.3., & in recen. dec.338. n.5. par.15., & dec.389. n.3. par.16., & in Fanen. Fideicommiſſ 25. Januarii 1719. §. Tanto minus. coram bon. mem. Anſaldo.*

Quantumvis in origine creditum Calderini non reſpiceret illos de Cocchis
12 creditores dd. ſcut.600., ſed quidem illos de Francionibus debitores cenſus, & ſic compenſatio locum habere nequeat; Quia cum illi de Cocchis in
13 alia tranſactione inita cum Francionibus anno 1651. ſuſceperint in ſe idem creditum Calderini, promittendo relevare indemnes eoſdem de Francionibus ab omni, & quacunque mo-

letitia, & damno, quod pati valuiſſent, per hunc actum effecti dicuntur principales debitores, ac ſi ab initio iidem de Cocchis pro hoc debito ſeſe obligaſſent; *Rot. poſt Cenc. de Cenſ. dec.547. n.1., & 2., cor. Otthobon. dec.74. n.13., & cor. bo. mè. Lancett. dec.628. n.18.*, conſequenterque cum in his circumſtantiis Hieronymus Ceraſola repræſentando perſonam ſæpedd. de Cocchis, a quibus ſupradictam apothecam emit, ex una parte dici poſſit debitor illorum de Calderinis propter memoratam crediti ſuſceptionem, & ex alia eorundem de Cocchis creditor ex cauſa præfatæ acquiſitionis ab eiſdem de Calderinis
14 factæ, & dd. credita, & debita coaluerint in unam eandemque perſonam, bene ſit locus compenſationi, & ſubſiſtit illam Hieronymum facere voluiſſe; *Ruin. conſil.148. n.1., & ſequen. lib.1., Amat. reſol.17. n.2., & ſequen., Cartar. dec.62. n.2., & ſequen., Rot. cor. bon. mem. Lancett. deciſ.1077. n.12., & 13., & in rec. dec.427. n.6. 7., & ſequen. par.19. tom.2.*

Et ita &c. utraque &c.

MELEVITANA BENEFICII.

Lunæ 27. Januarii 1738.

ARGUMENTUM.

Donatio Juriſpatronatus eſt nulla ſine Ordinarii conſenſu, qui tamen ex lapſu 40. annorum præſumitur. Confirmatio donationis munitæ juramento cum promiſſione de eam non revocando retrotrahitur ad diem ipſius donationis, licet ſupervenerit poſt mortem tam Donantis, quam Donatarii, etiam in præjudicium intermediæ donationis ab Ordinario approbatæ; ſecus ſi prædictum juramentum, & promiſſio non interceſſerint. Clericatus ſufficit quod adſit tempore præſentationis; neque Patroni tenentur conditionem Clericatus apponere in ipſo actu nominationis. Ut expreſſio Clericatus verificata cenſeatur, ſufficit, quod adſit tempore datationis gratiæ. Valida eſt nominatio pueri, ſi Patroni conditionem apponant prius obtinendi diſpenſationem ætatis. Quoties compræſentato habili eſt jus quæſitum vel ob lapſum quadrimeſtris, vel ob legem fundationis habilitatem requirentis tempore nominationis, aut præſentationis, tunc in ſupplicatione pro gratia derogationis medietatis vocum debet fieri mentio tam ejuſdem compræſentati, quam litis pendentis.

SUMMARIUM.

1 *Arbitrium Judicis a Jure regulatur; unde poſita juſtificatione Literarum Apoſtolicarum, Judex non poteſt arbitrari pro retardanda earum executione.*

2 *Præſentatus a deſcendentibus illius, qui medietatem Patronatus acquiſivit, dicitur juſtificaſſe expreſſionem, quod habeat pro ſe medietatem vocum.*

3 *Donatio Juriſpatronatus ſine conſenſu Ordinarii eſt nulla, & Juſpatronatus tranſit in hæredes Donantis;*

4 *Conſenſus tamen ex lapſu 40. annorum præſumitur interceſſiſſe.*

5 *Confirmatio donationis ab Ordinario reportata etiam poſt mortem tam Donantis, quam Donatarii convalidat* ex tunc *primum actum ipſius donationis:*

6 *Quod ſi intermedio tempore deventum fuerit vel per Donantem, vel per ejus hæredes ad alteram donationem approbatam ab Ordinario, tunc ſi prima donatio eſt ſimplex, & non munita juramento, ac promiſſione de eam non revocando, valet intermedia donatio, nec ullius roboris eſt confirmatio primæ;*

7 *Si vero firmata fuerit juramento, & promiſſione, valet confirmatio, & conſenſus Ordinarii retrotrahitur ad ipſam diem donationis, nec habetur ulla ratio donationis intermediæ:*

8 *Prædicta tamen retrotractio nocet hæredi Donantis, non autem Tertio;*

9 *Dicitur autem Tertii figuram gerere ille, qui jure proprio ſuccedit in Juſpatronatus, & independenter a primo Donante.*

10 *Cauſam habens ab alio, revocare, & intervertere nequit actum, quem nec revocare, nec intervertere poterat ejus author.*

11 *Clericatus non eſt neceſſe, ut adſit de tempore nominationis, neque Patroni in ipſo nominationis actu tenentur conditionem Clericatus adjicere, ſed ſuffi-*

ſufficit, ut dicta qualitas verificetur tempore præſentationis.

12 *Ad incurrendam pœnam privationis juris iterum nominandi requiritur ſcientia incapacitatis Præſentati clara, & palpabilis, ac dolum importans; ita ut ſufficiat quælibet cauſa, ac ignorantia, quamvis minus vera, nec a jure approbata præſertim in Patronis laicis.*

13 *Ut expreſſio Clericatus verificata dicatur, ſufficit, quod adſit tempore datationis gratiæ.*

14 *Ut Beneficiatus ſit capax recitandi Officium Divinum, ſat eſt, ut latine legere ſciat, etiamſi non intelligat, quid legit;*

15 *In recitatione enim Officii Divini major non requiritur capacitas, quam in recitatione Officii parvi.*

16 *Diſpenſatio recitandi Officium parvum pro Officio Divino ad effectum capacitatis pro habendo beneficio bene ſupervenit etiam poſt lapſum quadrimeſtre, & pendente lite.*

17 *Valida eſt nominatio pueri laici, ſi Patroni conditionem apponant obtinendi prius diſpenſationem Apoſtolicam pro ætate, & Ordinar[illegible]ent ad conferendum primam [illegible]ram ante inſtitutionem;*

18 *Et conſequenter valida eſt etiam ſubſequens gratia pro Præſentato cum derogatione medietatis vocum, prævia diſpenſatione a defectu ætatis.*

19 *Quando compræſentato habili non eſt quæſitum jus vel per lapſum quadrimeſtris, vel per legem fundationis habilitatem requirentis de tempore nominationis, aut præſentationis, tunc petens diſpenſationem mentionem facere non tenetur de capaci ab altera medietate Patronorum præſentato, & de lite pendente.*

20 *Omnis benigna interpretatio capienda eſt pro Præſentato, qui ſit de ſanguine Patronorum, & fundatoris in concurſu cum Præſentato penitus extraneo.*

DECISIO CIX.

BEneficium Juriſpatronatus, quod uſque ab anno 1558. fundavit Simeon Caxar favore Paulæ ejus uxoris, & iſtius deſcendentium, delatum inde fuit pro medietate ad Joannem Mariam Bigeni Nepotem, & pro altera ad Æmiliam nuptam in Familia Camilleri neptem ejuſdem Simeonis Fundatoris; anno autem 1693. præfatus Joannes Maria Bigeni indubitatus Patronus ſuam medietatem Patronalem tranſtulit in Michaelem Bigeni ejus Filium titulo irrevocabilis, ac juratæ donationis, quæ licet tunc fortaſſe authoritate Ordinarii confirmata fuiſſet, ad majorem tamen cautelam alia ſuperacceſſit ratificatio, ſeu confirmatio Epiſcopi Melevitani die 22. Septembris anni 1735.

Vacato itaque eodem menſe, & anno controverſo beneficio per obitum Michaelis Caxar, Georgeus, Gratius, & Antonius Fratres, & filii ejuſdem Donatarii, nominarunt Joannem Bigeni ejuſdem Georgii filium, qui cum ob ejus puſillam ſtaturam ad Clericalem Tonſuram initiari nequiverit ab ejus Ordinario, iidem tres Fratres, & Patroni, durante adhuc quadrimeſtris tempore ad aliam devenerunt nominationem favore Michaelis Bigeni filii pariter ejuſdem Georgii, qui, prout in ejus nominatione cautum fuerat, obtenta prius Clericali Tonſura, reportavit ſubinde etiam in eodem quadrimeſtris tempore diſpenſationem Apoſtolicam ſuper defectu ætatis, una cum gratia pro Præſentato, ſeu derogatione medietatis vocum.

Interea autem cum Maria Zammit, authumans tres partes habere in integro hujuſmodi Jurepatronatus, nempe unam medietam vigore donationis a Joanne Camillerio reportatæ, ac aliam medietatem alterius medietatis ſpectantis Joanni Mariæ Bigeni vigore pariter conſimilis donationis ſibi factæ ab Angelica, Victoria, & Gratia hæredibus Urſulæ olim hæredis dicti Joannis Mariæ Bigeni, nominaverit ad idem Beneficium Antonium Zammit ejus filium, conteſtata idcirco fuit lis coram Vicario Generali Melitæ, cui etiam directæ fuerunt Literæ Apoſtolicæ Michaelis, qui cognita verificatione earundem literarum, ſententiam protulit pro illarum executione, a qua interpoſita appellatione, directaque mihi com-

Digitized by Google

commiſſione examinandum Dominis propoſui dubium -- *An intret arbitrium pro retardanda executione literarum Apoſtolicarum, ita ut ſit danda inſtitutio Antonio in caſu &c.*—quod *Negative in omnibus* reſolverunt.

Cum enim literæ Apoſtolicæ, quas obtinuit Michael Bigeni, in omnibus
1 ſuis partibus juſtificatæ reperiantur, nunquam intrare valet arbitrium, quod a Jure regulatur ad effectum retardandi earundem literarum executionem, per *Text. in cap. literis de reſcript.*, *&* *in cap. Si Capitulo de conceſſ. præbend. in 6.*, & in ſimilibus terminis firmavit *Rot. dec.297. n.1. cor.bon.mem.Molin., dec.21. n.1.*, *&* 2. *de Jurepatr. coram clar. mem. Card.Falconer.*, *&* *in Nolana Beneficii* 11.*Februarii* 1729. §.*Eo quidem cor. R.P.D. Nunez*.

Conſiſtit enim præcipuum gratiæ fundamentum in eo, quod Michael Bigeni fuerit præſentatus a medietate ſaltem Patronorum; hujuſmodi ſane expreſſio ſatis verificata apparuit, dum certum eſt in facto, quod Juſpatronatus controverſi beneficii pro medietate in Joannem Mariam Bigeni devenit, & pro altera in Æmiliam ejus ſororem nuptam in domo Camilleri; cum autem idem Joannes Maria anno 1693. dona-
2 verit dictam ſuam medietatem Michaeli filio, a quo ortum duxerunt Georgeus, Gratius, & Antonius moderni Patroni, qui eundem Michaelem præſentarunt, palam inde fit, quod ſatis verificata remanet expreſſio, quod ipſe Michael præſentatus fuerit a medietate ſaltem Patronorum, habeatque pro ſe medietatem vocum, ſub cujus narrativa gratiam pro Præſentato obtinuit, cum derogatione alterius medietatis vocum; *Rota in Cæſaraugustana Cappellaniæ* 21. *Martii* 1735. §. *Hinc propterea cor. R.P.D. Buſſio*, *&* 27.*Februarii* 1736. §. *Pro verificatione cor. R. P. D. Nunez*, *&* *in Lauden. Beneficii* 21. *Aprilis* 1738. *coram R. P. D. Peralta*.

Fruſtra autem in dubium revocabatur validitas ejuſdem donationis ob de-
3 fectum conſenſus Ordinarii, qui ſicuti inficit ipſummet actum donationis, ita operatur, quod Juſpatronatus poſt obitum Donantis tranſierit ad illius hæredes, de quo proinde Angelica, Victoria, & Gratia hæredes mediatæ dicti Joannis Mariæ Bigeni recte potuerint titulo donationis ab Ordinario approbatæ dictum Juſpatronatus transferre in Mariam Paulam Zammit, quæ præſentavit Antonium filium ſuum.

Quoniam omiſſa inſpectione ſuper viribus ejuſdem donationis reportatæ a Maria Paula Zammit, objectum compertum fuit inſubſiſtens penitus, ac minus habens tam in Jure, quam in facto; in Jure quidem, quia cum a die dona-
4 tionis factæ a dicto Joanne Maria Bigeni anno 1693. ad annum 1735., quo obiit ultimus beneficii poſſeſſor, interceſſerit lapſus quadraginta, & ultra annorum, ſtatim inſurgit præſumptio Juris ſuper interventu ejuſdem conſenſus Ordinarii in ipſo actu donationis; juxta *Text. in cap. cura, ubi Gloſſ. verb. legitima de Jurepatron.*, *Vivian. eodem tractat. par.1. lib.4. cap.1. n.30.*, *Barboſ. de Offic.*, *&* *Poteſt. Epiſcop. par.3. allegat.71. n.8.*, *Rota deciſ.206. n.9. par.13. recen.*, *&* *dec.803. n.13. cor. Emer. Jun.*

In facto quoque, quia ad abundantiorem cautelam, &, quatenus opus
5 eſſet, reportarunt moderni Patroni de anno 1735. confirmationem prædictæ donationis ab Ordinario, quæ, licet ſupervenerit poſt mortem tam Donatoris, quam Donatarii, adhuc tamen convalidavit *ex tunc* primum actum ejuſdem donationis; per *Text. in cap. ſuggeſtum de Jurepatr.*; tradunt communiter *Pignatell. conſult. Canon.96. n.9. tom.2*, *Sanminiat. controver.197, ſub n.43.*, *&* 55., *Rot. dec.17. n.5.*, *&* 6. *de Jurepatron. in antiqu., dec.415. n.5. cor. Durano*, *&* *dec.40. n.21.*, *&* *dec.41. n.10. de Jurepatron. cor. clar. mem. Card. Falconer.*

Non attento, quod de anno 1735., quo ſupervenit confirmatio, res amplius non erat integra, eo quia aderat intermedia donatio, & quidem ab Ordinario approbata, facta a prædictis Angela, Victoria, & Gratia filiabus Urſulæ filiæ, & hæredis Joannis Mariæ Bigeni favore Mariæ Paulæ Zammit, in cujus præjudicium nulla ratio habe-

Digitized by Google

ri poteſt conſenſus Ordinarii poſtea ſuperventi, & re non amplius integra.

Siquidem hoc procedere poſſet, quoties ageretur de donatione ſimplici nul-
6 lo juramento, & promiſſione de eam non revocando munita, quo caſu conſenſus Ordinarii poſt factam ſecundam donationem ſuperventus retrotrahi non poſſet uſque ad diem primæ donationis in præjudicium ſecundæ, quia ſicuti ante conſenſum Ordinarii Juſpatronatus, nec quoad poſſeſſionem, neque quoad proprietatem abdicatur a perſona Donantis, ita ante eandem confirmationem poteſt transferri idem Juſpatronatus in alium, ſive per ipſummet Donantem, ſive per ipſius hæredes, ut loquuntur *Cardin. de Luc. de Jurepatron. diſcurſ.56. n.10., & ſequen., Adden. ad dec.46. n.57., & ſequen. part.9. recen., Rot. poſt Vivian. de Jurepatr. dec.151. n.8., & ſeq., dec.430. n.12., & ſeq. par.9., dec.372. n.26., & ſequen. par.11. recen., dec.277. per tot, cor. Bichio, dec.15. n.7. cor. Caprara, & dec.40., & 41. de Jurepatron. cor. clar. mem. Card. Falconer.*

Aſt diverſimode res ſe habet in concreto caſus, quo Joannes Maria Bige-
7 ni ſuam donationem firmavit juramento, ac expreſſa promiſſione de eam non revocando; in his enim terminis conſenſus Ordinarii poſtea ſuperventus retrotrahitur ad ipſum diem donationis, etiam in præjudicium ſecundæ factæ vel ab ipſo Donante, vel a ſuis hæredibus; quippe quia per ipſum juramentum abdicatum penitus remanſit omne Jus, quod habebat Donator, & ejus Succeſſores cauſam ab eo ducentes, ob effectum realem, quem parit juramentum quoad robur donationis, licet perſonalem quoad vinculum animæ, ita ut eadem ex parte eorum, ipſius juramenti virtute illico, & uſque ab initio evaſerit irrevocabilis ante conſenſum etiam Ordinarii, qui propterea poterat quandocunque ſupervenire, & ſuum operari effectum; ut in puncto tradunt diſtinguendo caſus *Decius conſil.639. per totum*, & ſignanter *n.6., Vivian. de Jurepatron. lib.4. cap.1. ſub n.39., & 44., Pignatell. Conſult. Canon.96. n.10., & 12., & ſeq. tom.6., Campanil. diverſ. Jur. Canon. rubr.11. cap.13. n.371., & n.374., Antunez. de Donat. Reg. lib.3. cap.28. num.93., Sanminiat. controv.136. n.59., Piton. de contr. Patron. alegat.40. ſub n.10., & 29., Rot. dec.17. de Jurepatron. in antiqu. per tot., dec.23., & 24. lib.13. de Jurepatron. in Mantiſſ. apud Card. de Luc. tom.4., dec.80. per tot. par.17. recen., dec.464., & dec.502. cor. bon. mem. Molines, dec.56. cor. bon. mem. Lancetta, & dec.148. n.13. cor. bon. mem. Kaunitz.*

Spreta penitus replicatione, quod iſta retrotractio conſenſus Ordinarii ad
8 diem donationis admitti poteſt in præjudicium hæredum, non autem Tertii; nam Maria Paula Zammit tanquam Donataria filiarum Urſulæ non poteſt figuram Tertii gerere, cum filiæ Urſulæ ſint hæredes hæredis Joannis Mariæ Bigeni primi Donantis; & tunc
9 Tertii figuram induere poſſet, quoties ipſa ſucceſſiſſet in dicto Jurepatronatus Jure proprio, & independenter a primo Donante; ut erat caſus in *Melevitana Juriſpatronatus cor. Molines, & Lancetta, poſt Card. de Luc. dec.25., 26., & 27. in Mantiſſ. lib.13. tom.4.*; Quapropter ſicuti Joannes Maria Bigeni primus Donator, & Author mediatus Mariæ Paulæ Zammit, ſive ipſius hæredes facultatem nullimode habebant revocandi primam juratam donationem ob ejus irrevocabilitatem etiam ante conſenſum Ordinarii, ita non poteſt eandem primam donationem in-
10 tervertere eadem Maria Paula, quæ cauſam habet ab hæredibus primi Donantis, quam intervertere, & revocare non poterant ejus Authores, ut docent *Sanminiat. dicta controv.196. per tot.*, & ſignanter *n.63., Pignatell. dicta conſult.96. n.12. tom.6., Piton. dicta allegat.40. n.11., & 12. de controv. Patron.*

Probata itaque validitate donationis, inutiliter opponebatur, quod Georgeus, Gratius, & Antonius Patroni deciderint pro hac vice a Jure iterum præſentandi, ex quo primo loco nominarunt Joannem Bigeni laicum abſque conditione aſſumendi Clericatum, quique irregularis quoque erat ob patentem

ſui

ſui corporis defectum, nempe quia puſillus erat, & per conſequens ad alteram nominationem devenire nequibant.

Pro eo enim, quod attinet ad primam objectionis partem, placuit re-
11 ſponſio, quod neceſſe non erat, ut clericalis qualitas intercederet de tempore nominationis, neque, ut Patroni in ipſo nominationis actu hujuſmodi Clericatus conditionem adjicerent, ſed ſat erat, ut ſimilis conditio verificata fuiſſet, & eodem tempore, quo nominatio exhibenda erat coram Ordinario pro inſtitutione, prout revera fecit ipſemet Joannes, qui comparendo in actis Curiæ, nominationemque ſuam exhibendo petiit -- *Ut poſtquam ipſe exponens fuerit prima Clericali Tonſura initiatus, prout ad hunc effectum preces jam porrexit Illuſtriſſimo &c. inſtitui per hanc magnam Curiam in dicto Jurepatronatus &c.*, ut in ſimilibus terminis alias firmavit *Rot. in Melevitana Beneficiorum* 10. *Junij* 1712. *coram Emo Domino Cardinali Aldrovando impreſſ. penes Piton. de Controv. Patron. alleg.*10. *n.*436., *& ſequen.* cum aliis ibi allegatis.

Altera verò objectionis pars quoad prætenſam irregularitatem ſtatim ſubmovebatur ex eo, quod defectus ſtaturæ Joannis Bigeni primi nominati non erat adeo certus, & indubius ob ejus teneram ætatem, ut abſolute, & ſecundum communem reputationem illum redderet incapacem nedum ſeptem Ordinibus, ſed etiam Clericali Tonſura; hoc enim repoſitum erat in arbitrio ipſius Ordinarii, quod cum Patronis ignotum penitus eſſet, dici proinde nequit eos incurriſſe graviſſimam privationis pœnam iterum non nomi-
12 nandi pro illa vice; ad quam ſane incurrendam requiritur ſcientia clara, & palpabilis, dolumque poſitivum importans, ita ut ad eos excuſandos admittatur quælibet cauſa, ac ignorantia, quamvis minus vera, & non approbata a Jure, & præſertim in Patronis laicis, qui non ita exacte, ſicuti Patroni Eccleſiaſtici, Præſentati capacitatem exquirere tenentur; juxta magiſtralem *Gloſſ. in Cap. Cum vos verb. Maneas idonee, & ibi Abb. n.*22. *de Offic. Ordin., Lambert. de Jurepatr. par.*1. *artic.*3. *quæſt.*10. *n.*1., 18., *&* 22. *lib.*2., *Vivian. eodem tract. lib.*6. *cap.*7. *n.*68., *Card. de Luc. de Jurepatron. diſc.*43. *n.*11., *Piton. de Controv. Patron. allegat.*2. *ſub num.*13., *& allegat.*81. *ſub num.*8., *Rot. dec.*459. *num.*28., *&* 29. *par.*19. *recen.*, *dec.*91. *n.*5. *cor. Priolo*, *dec.*72. *n.*9., *&* 19. *cor. Anſald.*, *deciſ.*465. *n.*16. *cor. Caprar.*, *& in Colonien. Decanatus* 14. *Junij* 1723. §. *Neque cor. Illmo Corio*, *&* 28. *Januarii* 1729. §. *Satisfecit*, *&* §. *Demum cor. bon. mem. Gamaches*.

Ex hucuſque deductis abunde verificatum remanet præcipuum gratię fundamentum in narrativa Summo Pontifici per Michaelem Bigeni expoſitum, quod nempe ipſe præſentatus fuerit a medietate ſaltem Patronorum; eadem, immo majori facilitate juſtificatæ apparuerunt eædem literæ Apoſtolicæ Michaelis in altera parte, in qua expoſita fuit qualitas Clericatus, & quidem antecedenter ad diem datæ gratiæ. Eo quia licet tempore nominationis Clericali Tonſura ipſe Michael inſignitus
13 non eſſet, adhuc tamen de tempore, quo gratia Pontificis datata fuit, jam Clericus erat effectus, & proinde hoc exuberat, ut quoad expreſſionem Clericatus eædem literæ qualificatæ dicantur, cum ſufficiens ſit, ut gratia de tempore datæ inveniat de facto, & re ipſa ſubjectum capax ejuſdem gratiæ, quemadmodum indubitabile eſt, de eo tempore fuiſſe Michaelem, ut in fortioribus terminis docent *Campanil. in diverſ. Jur. Canonic. rubr. dicto cap.*6. *n.*3., *Ventrigl. in Prax. part.*2. *annot.*6. §.1. *a n.*8., *Lotter. de Re Benefic. lib.*2. *quæſt.*47. *n.*92., *Piton. de Controv. Patron. allegat.*1. *n.*15., *Rot. deciſ.*175. *n.*25., *& ſeq.*, *cor. Caprar.*, *& dec.*136. *n.*16. *cor. bon. mem. Kaunitz*.

Juſtificatio demum earundem literarum in expreſſione idoneitatis ejuſdem Michaelis ad recitandum Divinum Officium in diſcrimen pariter revocari non poterat; nam cum executor in literis deſignatus teſtetur eundem Michaelem aptum reperiiſſe ad recitandum Officium parvum, & callentem lin-

linguam latinam, capax per conſequens dicendus eſt quoque pro recitatione Officii Divini, dum ad hunc effectum
14 alia non requiritur aptitudo, quam ut Beneficiatus ſciat legere, ſeu recitare latine eodem modo, quo requiritur in recitatione Officii parvi, abſque eo quod ſciat capere, quod legit, & recitat; ut juxta communem Theologorum ſententiam late tradunt *Navar. Oration. cap.*11. *n.*38., *Suar. de Relig. tom.*2. *lib.*4. *de Hor. Canonic. cap.*27. *n.*5., *&* 6., *Trullench. Oper. Moral. tom.*1. *lib.*1. *cap.*7. *dub.*29. *n.*1., *&* 6., *Sanch. conſ. moral. lib.*7. *cap.*2. *dub.*50. *n.*1., *&* 3., *&* *dub.*51. *n.*3. Nec alia intercedit differentia inter recitatio-
15 nem Officii parvi, & Officii Divini, quam circa majus, vel minus incommodum, dum Officium parvum facile recitari poteſt, Officium verò Divinum nonniſi cum magno incommodo, & per multas horas; ut proſequitur *Suar. dicto cap.*27. *n.*6., *Trullench. dicto dub.*29. *num.*6., *&* *Sanchez. dicto lib.*7. *cap.*2. *dub.*51. *n.*3.

Cæterum & in omnem caſum omnis ceſſat difficultas, quia ſucceſſive ſupervenit Pontificis diſpenſatio ab hoc onere recitandi Divinum Officium, qui loco ipſius ſub motivo; *ut Orator litterarum ſtudiis commodius incumbere valeat* indulſit, ut recitare poſſit Officium parvum uſque ad ætatem quindecim annorum; non obſtante quod hæc diſpenſatio ſupervenerit poſt jam lapſum quadrimeſtre, & pendente lite in partibus; quoniam cum hujuſmodi diſpenſatio univoce reſpiciat intereſſe Eccle-
16 ſiæ, & augmentum Cultus Divini, in cujus gratiam ſtatuta fuit recitatio Officii Divini, nec ullo unquam modo tangat, ſeu percutiat ſubſtantiam gratiæ, & intereſſe Antonii Zammit, cui nullum irrogatur præjudicium, ſi Michael loco Officii Divini utatur Officio parvo; idcirco diſpenſatio iſta quocunque tempore etiam pendente lite poterat ſupervenire, cum per eam nulli fiat injuria; ſed tantum remittatur illud Jus, quod Pontifici competebat, quodque conceſſum erat in gratiam Eccleſiæ, cujus eſt Caput ipſe Summus Pontifex; ut juxta doctrinam *Abbatis* tradunt *Oldrad. conſil.*109. *n.*9., *&* *conſil.*299. *ſub n.*4. *verſ. unde quando aliquis*, *&* *ſequen.*, *Lotter de Re Beneſ. lib.*2. *quæſt.*31. *n.*23., *&* *ſequen.*

Quibus ita conſtabilitis, fruſtra redarguebatur etiam nominatio facta in Perſonam Michaelis, ex quo hic nondum erat Clericus; neque legitimam habebat ætatem ad aſſequendum Beneficium; ſiquidem Patroni ſolliciti fuerunt expreſſam apponere conditionem
17 in actu nominationis reportandi prius per eundem Michaelem Apoſtolicam diſpenſationem ſuper defectu ætatis, & ſimul rogarunt Epiſcopum, ut ante inſtitutionem eum Clericali Tonſura inſigniret, prout evenit; & ob id nominatio legitime peracta fuit, licet de ipſius tempore Clericus non eſſet, ac valida per conſequens fuit etiam ſub-
18 ſequens gratia, quam Pontifex, prævia diſpenſatione a defectu ætatis, conceſſit cum derogatione alterius medietatis vocum, ad tradita per *Lotter. de Re Beneſ. lib.*2. *quæſt.*97. *n.*92., *Ventrigl. in prax. par.*2. *annot.*6. §.2. *n.*8., *Garz. de Beneſic. cap.*1. *par.*7. *n.*28., *&* 29., *Vivian. de Jurepatron. lib.*5. *cap.*7. *n.*50. *part.*2., *Card. de Luc. de Jurepatron. diſc.*45. *n.*7., *&* *diſc.*70. *n.*18., *Rot. dec.*4. *per tot. cor. Pœnia*, *&* *in dicta Melevitana Beneficiorum* 10. *Junii* 1712. §.*Pro remotione coram Emo D. Card. Aldrovando relat. per Piton. de Controv. Patron. dicta allegat.*100. *n.*437.

Sicuti etiam inutili diffugio opponebatur vitium ſubreptionis earundem
19 literarum ob ſubticitam præſentationem Antonii Zammit factam ab altera medietate Patronorum, quique erat idoneus ad aſſequendum dictum Beneficium abſque ulla diſpenſatione, & ob omiſſam quoque litis mentionem; hujuſmodi enim omiſſiones tunc inducere poſſent ſubreptionem, quando Antonio Zammit alteri Compræſentato habili, & capaci fuiſſet jam quæſitum Jus, vel ob lapſum temporis, nempe quadrimeſtris, vel ob legem fundationis habilitatem requirentis de tempore præſentationis; ſed cum in caſu, de quo agitur, nulla adſit lex fundationis Jus tribuens habilitatem habenti de tem-

tempore nominationis, aut præſentationis, cumque gratia pro Præſentato reportata fuerit intra terminum ejuſdem quadrimeſtris adhuc durantis, in his terminis, ſicuti nullum Jus certum, & radicatum quæſitum erat Antonio Zammit, tum ob deficientiam legis fundationis; tum ob continuationem quadrimeſtris; ita de nullo ſubreptionis vitio redargui poſſunt literæ Apoſtolicæ Michaelis obtentæ abſque expreſſione alterius capacis præſentati ab altera medietate Patronorum, & abſque mentione litis, ut diſtinguendo caſus docent *Piton. de Controv. Patron. allegat.2. ſub n.17. §. In caſu, Lotter. de Re Benef. lib.2. quæſt.51. n.52., Roſ. de execut. liter. Apoſtol. part.1. cap.5. n.120., Card. de Luc. de Benef. diſc.54. n.3., Rot. dec.239. n.22., & ſequen. par.16. recen., dec.937. n.19., & 20. cor. bon. mem. Molines, in Aretina Beneficii 24. Januarii 1735. §.9. coram R.P.D. Peralta, & in Cæſaraugustana Cappellaniæ 27. Februarii 1736. §. Reſpectu cor. R. P. D. Nunez.*

Quæ omnia eo libentius admiſſa fuerunt, quia Michael Bigeni reperitur
20 eſſe de ſanguine tum Patronorum, tum ipſiuſmet Fundatoris, in cujus gratiam per conſequens omnis ſumenda eſt interpretatio favorabilior, ac omnis de eo benigna eſt habenda ratio in concurſu Antonii Zammit penitus extranei; ex animadverſis per *Piton. de Controv. Patron. allegat.4. n.1., & allegat.20. n.7., Rot. dec.992. n.38. cor. bon. mem. Molines, dec.11. ſub n.17. de Jurepatr. cor. clar. mem. Card. Falconer., & in Pennen. Beneficii 20. Junii 1727. §. Non obſtante cor. R. P. D. Mittino.*

Et ita utraque &c.

SUTRINA PECUNIARIA.

Lunæ 9. Junii 1738.

ARGUMENTUM.

Cautela Angeli ab hærede allegata ratione prætenſi crediti, non verò ex cauſa dominii apta non eſt ad retardandam executionem mandati contra bona hæreditaria relaxati. Ex ſimplici promiſſione ſolvendi debita hæreditatis non amittitur beneficium Inventarii; amittitur tamen ex tranſactione, in qua hæres obligando propria bona aliquid utilitatis percipiat.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum non conceditur niſi concurrente læſione, ſive injuſtitia Judicati.*

2 *Qui allegat cautelam Angeli approbare cenſetur ſententiam, & mandatum.*

3 *Cautela Angeli allegata ab hærede ratione prætenſi crediti, non ex cauſa dominii bonorum, apta non eſt ad retardandam executionem mandati relaxati contra bona hæreditaria.*

4 *Hæreditas præſumitur opulenta, & ſolvendo.*

5 *Beneficium Inventarii præſervat hæredem a damno;*

6 *Non verò efficit, ut ille quicquam lucretur in damnum Creditorum hæreditariorum.*

7 *Probato, quod hæreditas opulenta ſit, & ſolvendo, exceptio inſufficientiæ bonorum rejicitur.*

8 *Actus, & declaratio peracta ad inſtantiam alicujus, & plene executioni demandata contra eum abſolutam probationem conſtituit.*

9 *Binæ probationes per ſe exuberantes ſi una concurrant, clarior inſurgit veritas.*

10 *Calculus hæreditarius non afficit, neque probat contra non citatum, nec in electione Periti, nec in diſcuſſione ſtatus hæreditarii, nec in relatione Periti.*

11 *Status activus bonorum hæreditariorum firmandus eſt habito reſpectu ad tempus aditionis hæreditatis;*

12 *Cum de uno ad aliud tempus non bene fiat illatio.*

13 *Peritia in pluribus partitis erronea attendi nequit, præſertìm collata cum contrariis concludentibus probationibus.*

14 *Tranſactio ſolemniter exarata cum promiſſione ſolvendi certas annualitates uſufructuario uſufructum renuntianti, oſtendit opulentiam hæreditatis.*

15 *Ex ſimplici promiſſione ſolvendi debita hæreditaria non amittitur beneficium In-*

Inventarii; *amittitur tamen ex tranſactione*, *in qua hæres obligando propria bona aliquid utilitatis percipit*.

DECISIO CX.

Prævio Beneplacito Apoſtolico per organum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium conceſſo inita fuit ſub die 13.Junii anni 1721. tranſactio inter quond. Catherinam Vannucci hæredem uſufructuariam quond. Michaelis Angeli Taddei ex una parte, & Conventum, ac PP. S. Franciſci Ordinis Minorum Conventualium Terræ Capranicæ ex altera, in qua præfata Catherina ceſſit, ac renuntiavit prædictis Conventui, & PP. eundem uſumfructum, & quidquid aliud ex quacunque cauſa ei competeret, & competere poſſet contra dictam hæreditatem ſua vita durante, & e converſo Conventus, ac PP. in vim ſupradicti Beneplaciti, ſive facultatis Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium promiſerunt, & ſeſe obligarunt perſolvere eidem Catherinæ anno quolibet, pariter illius vita durante, ſcuta viginti, nec non tradere in eadem Terra Capranicæ ſalmas quinque vini, & inſuper promiſerunt, ſeſeque obligarunt ſatisfacere omnibus, & ſingulis Creditoribus ſupradictæ hæreditatis.

Eiſdem Creditoribus hæreditatis dimiſſis, recuſarunt Conventus, & PP. S. Franciſci perſolvere dicta annua ſcuta viginti; ac tradere ſalmas quinque vini eidem Catherinæ, excepto primo anno poſt expletam tranſactionem; quapropter ea defuncta, & ſcripta ſibi hærede Catherina Porta, iſta judicialiter egit, commiſſaque cauſa a Sanctiſſimo Domino Noſtro fæliciter Regnante Rmo P. D. A. C. cum Voto RR. PP. DD. Locumtenentium, qui procederet ſola facti veritate ſuſpecta, & appellatione remota, obtinuit ſententiam definitivam ſuper executione, & obſervatione enuntiatæ tranſactionis, ac ſuper ſolutione annualitatum decurſarum a die 1. Maii 1722. uſque ad diem 2. Februarii 1734., pro quibus in eadem ſententia relaxatum extitit mandatum executivum contra bona hæreditaria memorati Taddei Teſtatoris, quod ob tranſitum dictæ ſententiæ in rem judicatam fuit etiam expeditum.

Ad impediendam verò dicti mandati executionem iidem Conventus, ac PP. allegarunt ſolitam cautelam Angeli, contendentes eadem omnia bona hæreditaria retinere pro debitis in eadem hæreditate repertis, atque ab ipſis dimiſſis; ſed exceptio hujuſmodi ab eodem Rmo P.D.A.C. pariter cum Voto eorundem RR. PP. Locumtenentium rejecta remanſit: devoluta tamen cauſa ex Reſcripto Signaturæ Gratiæ in gradu appellationis ad hoc Sac. Auditorium, & mihi commiſſione directa cum clauſula -- *De cauſis* -- conſuetum hodie DD.meis propoſui dubium -- *An conſtet de re judicata*, *ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum* -- cui reſponſum reddere non dubitarunt -- *Conſtare de re judicata*.

Et optimo quidem Jure, quia quotieſcunque conſtat de juſtitia rei judi-
1 catæ, nunquam locus eſt reſtitutioni in integrum, quæ nullo modo conceditur, niſi concurrente læſione, & ſic injuſtitia præcedentis Judicati; ut ſæpius dixit *Rota*, & præſertim *in Salamantina Pecuniaria* 28. *Februar*.1735. §.*Juſtitia*, & *in Toletana Jurium Parochialium* 7.*Maii* 1736. §.1. *cor. Me*.

Juſtitia autem ſupradictæ rejectionis cautelæ Angeli, præſcindendo a juſtitia alterius præcedentis ſententiæ, ſive mandati relaxati favore Catherinæ pro ſolutione annualitatum decurſarum, quam PP. amplius in quæſtionem revocare non poſſunt, non ſolum quia eadem ſententia, ut dictum eſt, pariter tranſitum fecit in rem judicatam; ſed etiam ex eo, quod recenſiti PP. adverſus executionem dictæ ſententiæ, ſeu manda-
2 ti allegarunt cautelam Angeli, de qua nunc eſt quæſtio, cenſentur eandem ſententiam, ac mandatum approbaſſe, ut advertit *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de dote dec*.8. *n*.6., oriri viſa fuit, ex qua eadem cautela Ange-
3 li non fuit a PP. allegata ratione dominii bonorum per ipſos detentorum, ſed unice ratione crediti per ipſos prætenſi ſuper bonis hæreditariis ex cauſa dimiſſionis creditorum hæreditariorum,

rum, & acquiſitionis eorum jurium poſt aditionem ipſius hæreditatis, & conſequenter apta non eſt retardare executionem, atque conſumationem ſupradicti mandati dumtaxat relaxati contra bona hæreditaria; *Cenc. de Cenſ. quæſt.9. n.16.*, *Poſth. de manut. obſervat.56. n.9.*, *& plurib. ſeqq.*, *& reſolut. civil.72. n.48.*, *& ſeq.*, *Card. de Luc. de Judic. diſc.30. n.13.*, *Rot. poſt Cenc. de Cenſ. dec.231. n.4.*, *& ſeq.*, *& dec.232. n.18.*

Non relevante, quod detractis dictis creditis, ac bonis hæreditariis pro eorum intranti quantitate non adſint alia bona hæreditaria, ſuper quibus conſequi poſſit ſuum creditum; quia omnis præſumptio viget, quod hære-
4 ditas ſit opulenta, & ſolvendo; atque etiam capax ſolutionis dd. annualitatum; ut ultra ſupra allegatos tradit; *Burſat. conſil.9. n.24. lib.1.*, *Nat. conſil.214. n.15.*, *Thomaſ. de Inventar, tit.13. de effect. Invent. cap.16. n.220.*, *& cap.22. n.365.*, *Rot. coram Duran. dec.213. n.13.*, & propterea ſub tali prætextu eadem ſolutio impediri ne-
5 quit; cum beneficium Inventarii præſervet quidem hæredem a damno; *Adden. ad Gregor. dec.418. ſub n.15.*, *Rot. cor. Mantic. dec.326. n.5.*, *& cor. Coccin. dec.8. n.8.*, *& cor. Duran. dec.245. n.5.*, non autem efficit, ut ille aliquid
6 lucretur in præjudicium Creditorum; *Thomaſ. de Inventar. loc. cit. n.23.*, *Gregor. dec.67. n.12.*, *Mantic. d. deciſ.326. n.5.*

Quæ omnia ſi procedunt in terminis ſolius præſumptionis, eo magis procedere viſa fuerunt DD. in caſu præſenti, in quo conſtitit, & probatum fuit ex parte Catherinæ, etiam detractis creditis a PP. prætenſis, d. hæreditatem eſſe opulentam, & ſolvendo,
7 atque capacem pro ſolutione etiam iſtius crediti Catherinæ, qua concurrente probatione, eo fortius adducta exceptio rejicienda venit; ut firmavit *Rot. cor. Mantic. dicta dec.326. ſub n.4. verſic. neque etiam*, *& cor. Seraphin. dec.1394. n.1.*, *& cor. Gregor. dicta dec.67. n.11.*

Conſtare autem de opulentia hæreditatis DD. deduxerunt, tum ex ſupplici libello a PP. porrecto in Sac. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium pro obtinendo Beneplacito, ſive facultate tam tranſigendi cum Authrice Catherinæ, quam pro imponendo cenſu ad effectum extinguendi omnia debita hæreditaria; in quo PP. aſſeruerunt hæc omnia cedere in evidentem utilitatem Conventus; Tum ex definitivo decreto Rmi Epiſcopi Sutrini, qui executionem dedit eidem Beneplacito ſibi ſub ſolita forma commiſſaria remiſſo a dicta Sac. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, & quidem procurato, & dato ad inſtantiam dd. PP., in quo idem Rmus Epiſcopus non oſcitanter, ſed re ſedulo, matureque diſcuſſa, ac viſis Juribus, necnon Teſtium depoſitionibus, aliiſque probationibus pro illorum parte deductis ſolemniter declaravit conſtare de evidenti utilitate Conventus, & propterea decrevit reſcriptum Sac. Congregationis prædictæ eſſe exequendum, & licentiam, ac facultatem tranſigendi, atque imponendi cenſum ad effectum, de quo ſupra, impartitus fuit; Iſta itaque attenta declaratione Epiſcopi tot ſolemnitatibus emiſſa ad inſtantiam eorundem PP., nequit amplius dubitari de opulentia hæreditatis, ejuſque capacitate ſolvendi controverſas annualitates, detractis etiam debitis hæreditariis, nec id controverti amplius poteſt ab eiſdem PP., qui omnino ſtare
8 tenentur antedictæ declarationi plenarie executioni demandatæ contra ipſos pleniſſimam probationem conſtituenti; *Alexand. conſ.79. n.6. lib.1.*, *Decian. conſ.141. n.1.*, *Rot. coram Seraphin. dec.443. n.7.*, *cor. Coccin. dec.391. n.3.*, *cor. Emerix Jun. dec.903. n.2.*, *& cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de legat. dec.4. ſub n.6.*

Huic probationi addita quoque fuit alia conſimilis; dum Conventus poſt impoſitum cenſum ſcut.1300. pro extinguendis debitis in vim recenſitæ facultatis, & volens alium pariter imponere ad eundem effectum in ſumma ſcut.1500. ſupplicavit eidem Sac. Congregationi pro facultate in illius impoſitione obligandi etiam bona propria ejuſdem Conventus, & ad oſtendendum de-

denuo hoc cedere in illius evidentem
utilitatem, Triennio poſtquam delata
fuerat hæreditas eidem Conventui, &
ſtante poſſeſſione bonorum hæredita-
riorum fructus perceperat; de anno
nempe 1723., enuntiato etiam illo
novo cenſu ſc.535. favore illorum de
Accorambonis poſt primum Beneplacitum
detecto, coram eodem Epiſcopo
Sutrino Judice executore Jura produ-
xit, quibus mediantibus comprobavit,
præfatam hæreditatem eſſe, non ob-
ſtantibus debitis prædictis, opulentam,
& aſcendere ad pretium ſcutor.5000.,
atque ad reditum annuum ſcut.192.,
hiſque attentis idem Epiſcopus peti-
tam facultatem concedere non dubita-
vit; ideoque ſi ſuper opulentia hære-
ditatis concurrit etiam hoc novum, &
ſucceſſivum judicatum, ſive declara-
tio ejuſdem Epiſcopi a PP. prædictis
pariter procurata, obtenta, executioni
etiam demandata, ac obſervata cum
ſubſecuta cenſus impoſitione, in qua
obligata fuerunt bona Conventus, tan-
to fortius de opulentia, atque ſufficien-
tia ſæpedictæ hæreditatis amplius du-
bitatum non fuit; ubi namque concur-
runt duplicatæ æque de per ſe exube-
9 rantes probationes, ad exuberantiam
quoque probata dici debet veritas fa-
cti, de quo quæritur; *Leg. diſcretum Cod. qui Teſtam. facere poſſ.*, *& in Auth. itaque Cod. commun. de ſucceſſ. cum reliqu. apud Barboſ. Axiom.79.*, *& Rot. dec.91. n.5. cor. Anſald.*

In concurſu mox adductarum pro-
bationum opulentiæ hæreditatis, ac
ſufficientiæ bonorum hæreditariorum
etiam pro ſatisfactione ſupradictarum
annualitatum non viſa fuit attendenda
quædam aſſerta peritia, ſive ſtatus hæ-
reditarius tam activus, quam paſſivus
hæreditatis memorati Michaelis An-
geli Taddei, ac ejus redditionis ra-
tionis efformatus coram Epiſcopo Su-
trino uti Judice ſubdelegato ab A.C.,
ex qua contendebatur deduci ſtatum
paſſivum, ſive debita hæreditatis ſu-
perare ſtatum activum in ſumma ſcu-
tor.1750.80., tum quia ſupradicta Ca-
10 therina non fuit citata, nec in ele-
ctione Periti, nec in diſcuſſione dicti
ſtatus hæreditarii, nec in ejuſdem Pe-
riti relatione, & conſequenter iudicii
calculus hæreditatis non afficit, nec
ullo modo probat contra eandem Ca-
therinam actricem; *Barthol. in l. Teopompus n.9. verſ. Quandoque ſtat. ff. de dot. prælegat.*, *Rot. coram Emer. Jun. dec.445. n.5.*, *& in rec. dec.554. n.1. par.2.*; Tum etiam quia id evenit poſt
aliquot annos tam a die celebratæ tran-
ſactionis, quam etiam a diebus, qui-
bus emanarunt præcitata decreta Epi-
ſcopi Sutrini, approbantia opulentiam
hæreditatis, nempe anno 1730., quan-
do de cætero ſtatus activus bonorum
11 hæreditariorum firmandus eſt habito
reſpectu ad tempus aditionis hæredi-
tatis, cum regulare ſit, quod de uno
12 tempore ad aliud non ſit tuta illatio;
ad *Text. in leg. pretia rerum §. Finali ff. ad l. Falcid.*, *Rot. cor. Gregor. dec.553. n.4.*, *& in rec. dec.457. ſub n.2. par.2.*; *& dec.46. n.16. par.6.*; Tum deníque,
quia doctum fuit ex parte Catherinæ
eandem prætenſam peritiam eſſe erro-
13 neam, atque inſubſiſtentem in quam-
pluribus partitis, & ſic eo magis non
attendendam e conſpectu ſupradicto-
rum decretorum Epiſcopi Sutrini con-
cludenter probantium opulentiam hæ-
reditatis conſtituen. ſortem ſcut.3000.
annui reditus ſcut.192., ut ſupra vi-
ſum eſt; *Rot. cor. bon. mem. Lancetta dec.474. n.8.*, *& cor. bon. mem. Molines dec.1131. n.19.*, *& in rec. dec.62. n.10. par.19.*

In quem ſenſum eo facilius inclina-
runt DD. ſtante ſupradicta tranſactione
14 cum promiſſione Conventus adeo ſo-
lemniter facta perſolvendi hæredi uſu-
fructuariæ tranſigenti, & quæ renun-
tiavit eorum favore uſumfructum ſibi
relictum, dictas annualitates, quæ pa-
riter cum præſeferat opulentiam hære-
ditatis, ita magis operari debet, ut
junctis aliis probationibus, de quibus
ſupra, ſolutio retardanda non ſit ſub
prætextu inſufficientiæ bonorum exi-
gentis altiorem indaginem; *Ureeol. de tranſact. quæſt.80. ſub n.12. in fin.*, *Rot. poſt Cenc. de Cenſib. dec.251. n.7.*, *& in rec. dec.720. ſub n.1. par.3.*

Et hinc DD. conſtito de opulentia
hæreditatis ſupervacaneum exiſtima-
runt examinare quæſtionem illam exci-
ta-

Digitized by Google

citatam a Conventu; an videlicet per dictam promiſſionem ipſius de ſolvendo, ut ſupra, quam Catherina aſſerebat ipſum etiam de propriis bonis emiſiſſe, & negabat Conventus, cenſeri debeat amiſſum beneficium Inventarii, ita ut de illo excipere non valeat dictus Conventus juxta affirmativam opinionem *Angeli in l. eum hæreditas ff. ad Trebell.*, & alteram negativam *Cin. in l. final. Cod. ad l. Falcid.* regulariter non procedentem niſi in ſimplici promiſſio-
15 ne ſolvendi debitum hæreditarium, non autem in tranſactione, ex qua hæres obligando ſua propria bona aliquod commodum, ſeu utilitatem, vel lucrum aſſecutus fuit; juxta diſtinctionem, de qua *Card. de Luc. de dot. diſcurſ.* 28, *per tot.*, *& de hæred. diſc.* 8. *n.* 12., *& ſeq.*, *Fontanell. dec.* 192., *& dec.* 491. *per tot.*, late etiam *Rota in Mantiſſ. ad Card. de Luc. lib.* 6. *dec.* 6. *n.* 3., *& plurib. ſequen. vol.* 4., cum hæc inſpectio extranea ſit ab hypotheſi, in qua mandatum fuit petitum, & relaxatum contra bona propria ipſiuſmet Conventus hæredis, & promittentis ut ſupra.

Et ita &c. utraque &c.

ÆSINA DOMORUM.

Veneris 13. Junii 1738.

ARGUMENTUM.

Res vendita, vel in ſolutum data ſi gravata comperiatur, ſit locus reſciſſioni contractus, reſtitutioni pretii, ac refectioni omnium damnorum, & intereſſe; neque hujuſmodi rem recipiens cogitur ad recipiendam loco pretii rem aliam. Ex ſubſtitutione omnium deſcendentium tam maſculorum, quam fæminarum in perpetuum, prohibitione alienationis, ut bona ſemper remaneant in familia, ac pluribus gradibus ſubſtitutionum oritur fideicommiſſum perpetuum, & progreſſivum. Contractus perfectus nullam conditionem, vel gravamen admittit in damnum alterius ex contrahentibus diſſentientis.

SUMMARIUM.

1 *Datio in ſolutum ſequitur regulas venditionis; unde in ſolutum dans debet rem tradere;*

2 *Ac liberam a quocunque onere ſervare;*

3 *Quia res vendita, ac in ſolutum data, ſi non eſt libera, habetur pro non tradita;*

5 *Proindeque ſi ſubjecta ſit oneri, ſit locus reſciſſioni contractus, ac ſolutioni pretii, & refectioni omnium damnorum, & intereſſe* & num. 11.

6 *Res fideicommiſſaria nunquam libere tradi poteſt.*

7 *Ex ſubſtitutione omnium deſcendentium tam maſculorum, quam fæminarum in perpetuum, ac prohibitione alienationis, ut bona ſemper remaneant in familia, & demum ex pluribus gradibus ſubſtitutionum oritur fideicommiſſum perpetuum, & progreſſivum;*

8 *Maxime ſi ultimus ſubſtitutus ſit locus pius.*

9 *Bona fideicommiſſaria non efficiuntur libera niſi in ultimo ex gravatis, & poſt expiratum fideicommiſſum.*

10 *Confeſſio propria ſuperat omne genus probationum.*

11 *Ex cauſa rei libere non traditæ efficitur quis creditor æſtimationis ac pretii, & damnorum, ac intereſſe;*

12 *Nec cogitur loco pretii recipere rem aliam.*

13 *Summa in dotem libere promiſſa, & abſque onere inveſtiendi pro ſecuritate dotis, libere viro ſolvenda eſt.*

14 *Contractus perfectus nullam admittit conditionem, vel gravamen in damnum alterius ex contrahentibus diſſentientis.*

DECISIO CXI.

Pro rata ſcut. 1000. Dotis ab Angelo Antonio de Miſturis anno 1719. conſtitutæ Luciæ ejus filiæ, nuptæ Franciſco de Benignis aſſignatæ fuere ab eodem Donante, prævia Peritorum communiter electorum æſtimatione, quinque Domus ſitæ in Civitate Anconæ ſub promiſſione earum libertatis; Cum autem ex poſt detectum fuerit eaſdem Domos ſic aſſignatas neutiquam eſſe liberas, ſed ſubjectas duobus perpetuis Fideicommiſſis ordinatis a Franciſco, & Joanne Baptiſta de Cocchis, hinc ſupradictus Sponſus egit judicialiter contra Franciſcum, aliosque filios, & hæredes

redes ſupra enuntiati Dotantis pro præſtatione indemnitatis earundem Domorum, & ſic ſolutione ſupradictæ quantitatis ſcut. 1000., & poſt emanata quatuor Judicata, alterum nempe coram Vicario Generali Æſij, alterum coram A. C., tertium coram R. P. D. de Signoribus, & quartum cor. R. P. D. Sacripante; quorum primum diſcordat præ cæteris in hoc, quod dicta ſumma ſcut. 1000. non ſit libere ſolvenda Franciſco de Benignis Actori, ſed reinveſtienda pro ſecuritate Dotis Luciæ ejus Uxoris, cauſa devoluta fuit ex reſcripto plenæ Signaturæ ad hoc Sacrum Auditorium, & mihi commiſſa, propoſui in hac Rota Dubium: *An conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum, & quomodo facienda ſit ſolutio*: & Franciſco dumtaxat informante reſponderunt Domini: *Conſtare de re judicata, & ſolutionem eſſe libere faciendam eidem Franciſco*.

Quod enim attinet ad primam Dubii partem tangentem Domum in Plana Sancti Petri ſuaſit ad reſpondendum, ut ſupra, nimis evidens dictæ rei judicatæ Juſtitia, quæ omnem præcludit viam conceſſioni reſtitutionis in integrum, & patenter ex eo oriebatur, quod præfatus Angelus Antonius de Miſturis, ſive ejus Hæredes tenentur tradere dd.
1 Domus in ſolutum datas, qui contractus venditioni æquiparatur, eodemque jure cenſetur; *leg. vel ſolvendi ff. de pub.ic. in re act., leg. eleganter in princip. ff. de pignorat. act., leg. ſi Prædium 4. Cod. de evict., Afflict dec. 335. ſub n. 18., Rota cor. Seraphin. dec. 1333. n. 2.*, & quidem liberas, atque immunes a quocun-
2 que onere, & uti tales manutenere tam de jure; *leg. ex empto ff. de act. empt., leg. ſi ita 25. in fin. ff. de contrahen. empt., Urceol. de tranſact. quæſt. 42. n. 25., Rota cor. Rembold. deciſ. 85. n. 2., cor. Dunozzett. Jun dec. 303. n. 4., & cor.*
3 *Celſo dec. 290. n. 1.*, præſertim favore Dotis; *l. Promittendo §. A debito ff. de Jur. dot., leg. quoties 17. Cod. eodem, Gratian. diſcept. Forenſ. cap. 689. n. 11., Rot. poſt Urceol. de tranſact. dec. 5. n. 13., & in Piſauren. Pecuniaria 10. Maii 1726. §. In ceſſionibus cor. R.mo P. D. meo Decano, & in Senogallien. Evictionis Cenſus, & Dotis 30. Aprilis 1736. §. Fragilis cor. R. P. D. meo Peralta*; quam etiam vigore pacti, ſive promiſſionis libertatis in eodem contractu emiſſæ, cum, quando res vendita, vel in ſolu-
4 tum data non eſt libera, habeatur pro non tradita; *leg. ſi in emptione §. Vacua & §. Fin. ff. de act. empt., Aldobrandin. conſ. 19. n. 2., & ſeq., Surd. conſ. 36. n. 9., Rot. cor. Duran. dec. 112. n. 3.*

Quapropter cum Domus ſupradictæ ſubjectæ reperiantur Fideicommiſſis Franciſci, & Joannis Baptiſtæ de Cocchis, hinc plane ſuccedit, ut memorato Franciſco de Benignis competat actio
5 pro reſciſſione enuntiati contractus, ac ſolutione præfatorum ſc. 1000., atque refectione omnium damnorum, & intereſſe; *leg. dicta ff. de evictiion., leg. ſi controverſia Cod. eodem, Urceol. conſult. Forenſ. cap. 2. n. 30., Rot. in rec. dec. 214. n. 1. part. 18., & in Senogallien. Evictionis, ſeu Præſtationis Fundi liberi 8. Februarii 1732. §. Rimata cor. E.mo D. meo Cardinali Rezzonico, & in Peruſina Evictionis, ſeu Pecuniaria 2. Aprilis 1734. §. Poſſeſſio coram R. P. D. meo Milino*; Res namque fi-
6 deicommiſſo ſubjecta nunquam libere tradi poteſt; *Amat. conſ. 58. n. 12., & 13., Altograd. conſ. 12. n. 38., & ſeq. lib. 1., Caren. reſolut. 210. n. 11. ad 16., Rot. in rec. dec. 324. n. 12. & 13. par. 14., & dec. 40. n. 4. par. 15.*

Quod autem eædem Domus obnoxiæ ſint vinculo dictorum Fideicommiſſorum, apparuit ex Teſtamento Franciſci de Cocchis condito anno 1643., in quo inſtituto Hærede univerſali Joanne
7 Baptiſta ex prædefuncto Fratre Nepote ei ſubſtituit omnes ejus Deſcendentes maſculos in perpetuum ſub prohibitione alienationis ad hoc, ut bona ſemper remaneant in ſua familia, & decedente præfato Joanne Baptiſta ſine filiis maſculis eis ſubſtituit cum eadem prohibitione, & Fideicommiſſo ejus filias fœminas, & ſuorum filiorum; & in caſu, in quo idem Joannes Baptiſta decederet abſque filiis, & filiabus ſimile Fideicommiſſum ordinavit favore Catherinæ ex dicto prædefuncto Fratre Neptis, ejuſque filiorum maſculorum, & in iſtorum defectum fœminarum, per quam diſpo-

diſpoſitionem ſic conceptam clarum eſt Fideicommiſſum eſſe perpetuum, & progreſſivum; *Rota cor. bon. mem. Molines dec.*13. *n.*10., *& in rec. dec.*354. *n.*54. *par.*11., *& dec.*306. *n.*17. *par.*12., *& dec.*278. *n.*4. *par.*18.

Idemque apparuit quoad alterum Fideicommiſſum conditum a Joanne Baptiſta Cocchi ex ejus Teſtamento facto anno 1703., in quo reliquit Hęredem uſufructuarium ſupradictum Angelum Antonium de Miſturis Dotantem, & qui controverſas Domus dedit in ſolutum, proprietarios vero omnes ejus filios maſculos cum perpetuo Fideicommiſſo favore Deſcendentium Maſculorum in perpetuum, quibus defectis ſubſtituit Monaſterium S. Pelagię Anconę; Ideoque cum hic, & nunc adſint vocati ad recenſita bona Fideicommiſſaria, eorumque Deſcendentes, & aderit quoque ſemper reſpectu Fideicommiſſi ordinati a Joanne Baptiſta, in quo, ut viſum eſt, pro ultimo ſubſti-
8 tuto datum fuit prędictum Monaſterium quod nunquam moritur; Inde ſuccedit, ex omni parte innegabile eſſe eaſdem Domos eſſe ſubjectas vinculis eorundem Fideicommiſſorum, cum bona Fideicommiſſaria non efficiantur
9 libera, niſi in ultimo ex vocatis, & poſt expiratum Fideicommiſſum; *l. cum Pater* 77. *§. Libertis*, *& leg. qui ſolidum* 78. *§. Prædium ff. de legat.*2., *Natt. conſ.*191. *n.*4.; *Rot. cor. Gregor. dec.*542. *n.*8. *in fin.*, *& in rec. dec.*366. *n.*12.

Nec dubitatum fuit de provenientia dictarum Domorum ab Hęreditatibus ſupra memoratorum Fideicommittentium; dum id conſtitit ex Inſtrumentis diviſionum, & acquiſitionum, atque ex Inventariis factis a vocatis ad Fideicommiſſa relatis in Summario Actorum, ac denique ex ipſamet confeſſione Reorum vonventorum, qui pendente
10 hac Lite inſteterunt coram Emo Pro-Auditore Sanctiſſimi pro liberatione earundem Domorum a nexu prędnarratorum Fideicommiſſorum, ex qua quidem probatio eruitur ſuperans omne genus probationum; *leg. cum precum* 9. *Cod. de liberali Cauſa*, *leg. cum te la* 2. *Cod. de Tranſact.*, *Rot. coram Mantic. dec.*132. *n.*1., *cor. bon. mem. Molines dec.*234. *n.*3., *& in rec. dec.*515. *n.*5., *& dec.*675. *part.*18., *& deciſ.*81. *n.*9. *part.*19.

Quibus poſitis obſtare non poterit, quod Hæredes Dotantis propter dictum onus nequeant cogi ad ſolutionem pretii Domorum, ſed unice admitti debeant ad præſtationem Fundi liberi per ſubrogationem aliarum Domorum liberarum; Quia Franciſcus Benignus
11 ex dicta Cauſa rei libere non traditæ Creditor effectus eſt ejus æſtimationis, ac pretii una cum damnis, & intereſſe; *leg. Titius* 44. *ff. de action. empt.*, *Andreol. controv.*10. *n.*1., *Mangil. de eviction. quæſt.*106. *n.*5., *Rot. cor. Emerix Jun. dec.*176. *n.*1., *cor. Caprar. deciſ.*515. *pariter n.*1., *coram Falconer. dec.*4. *n.*4. *tit. de empt.*, *& in Bononien. Evictionis* 21. *Martii* 1732. *§. Momento cor. Illmo D. meo Corio Almæ Urbis Gubernatare*, & propterea cogi nequit
12 invitus loco pretii recipere alias domos; ad *Text. in l.*2. *§. Mutui datio ff. ſi cert. petat.*, *l. fina. Cod. de compenſat.*, *Bartol. in l. ſi convenerit* 18. *ff. de pignor. action.*, *Rot. cor. Coccin. dec.*65. *n.*4.

Deveniendo modo ad aliam dubii partem, exiſtimarunt DD. ſolutionem faciendam eſſe etiam pro aliis quatuor domibus ex eiſdem rationibus ſuperius expenſis, & quidem libere Franciſco Actori; nam cum talis ſumma fuerit eidem in dotem Luciæ ſuæ uxoris libe-
13 re promiſſa, & abſque ullo onere eam inveſtiendi pro ſecuritate ejuſdem dotis, libere quoque eidem ſolvenda eſt; *Leg. ſi §. Fin. ubi Barto. ff. de reb. cred.*, *leg. debitorum pactionibus Cod. de pact.*, *Rocc. diſput. Jur. ſelect. cap.*127. *n.*4., *Giurb. dec.*79. *n.*17., *Fontanell. dec.*540. *n.*3.; Quando enim contractus ab ini-
14 tio libere perfectus fuit, inde non admittit ullam conditionem, vel gravamen in præjudicium alterius ex contrahentibus diſſentientis; *Leg. perfecta Cod. de donat. quæ ſub mod.*, *l. eo quod* 10. *Cod. ſi cert. petat.*, *l. non ſolum* 50. *ff. de act.*, *& obligat.*

Et ita reſponſum fuit informante ſolum Franciſco, reis conventis fruſtra dilationem petentibus, poſtquam ſæpe ſæpius fuere legitime moniti, & congruo tempore expectati &c.

FUL-

FULGINATEN, SEU SPOLETANA ALIMENTORUM.

Veneris 13. *Junii* 1738.

ARGUMENTUM.

Aſcendentes, & deſcendentes omnes tenentur ſe ſe invicem alere; taxa vero alimentorum relinquitur Judicis arbitrio. Concurrentibus litibus, hujuſmodi alimenta peti poſſunt extra domum alere debentis, ſed iſte non tenetur ad plus, quam quod in domo propria impendiſſet; alimenta debita officio Judicis, non vero ex cauſa miſerationis, non debentur niſi a die motæ litis.

SUMMARIUM.

1 *Aſcendentes, & deſcendentes omnes, præſertim Parentes, ac Filii, tenentur ſe ſe invicem alere.*

2 *Inter alimenta nobilis mulieris, ultra cibaria, veſtes, ac medelas, recenſetur quoque ſervitium famulorum, ac ancillarum.*

3 *Prudenti Judicis arbitrio remiſſa eſt taxa alimentorum, habita ratione qualitatum perſonarum, & virium patrimonii.* & n.6. & n.12.

4 *Primogenitura tranſverſalis de jure non tenetur ad dotes, & alimenta:*

5 *Ubi tamen agitur pro alimentis contra obligatos, non contra eadem bona, non reſpicitur provenientia bonorum, ſed obligatio, & reditus ab iiſdem obligatis poſſeſſus.*

6 *In præſtatione alimentorum ultra qualitates perſonarum, & vires patrimonii habetur etiam ratio loci, in quo præſtanda ſunt.*

7 *Mater petere poteſt alimenta extra domum filiorum concurrentibus litibus.*

8 *Ubi alimenta præſtantur non ex cauſa miſerationis, ſed ex officio Judicis, non taxantur pro ſola neceſſitate naturæ, ſed pro dignitate alimentarii.*

9 *Obligatus ad præſtanda alimenta in propria domo, ſi ex juſta cauſa decernantur extra domum, non tenetur ad plus, quam quod in domo propria impendiſſet.*

10 *Alimenta, quæ a filiis debentur parentibus, petuntur officio Judicis, non jure actionis;*

11 *Unde non debentur niſi a tempore motæ litis.*

12 *Inter alimenta computatur etiam habitatio, uſuſque mobilium, & argentorum, rerumque ſimilium.*

13 *Ad evitandas ulteriores lites Rota ſolet alimenta aſſecurare ſuper aliquo fundo.*

14 *Ubi filii reſtituunt Matri dotem, alimenta proportionabiliter minuenda ſunt.*

DECISIO CXII.

PRo alimentorum præſtatione Comitiſſa Maria Gabriellia Ferretti Vidua relicta a Columnello Joanne Baptiſta de Valentibus de Trebia Germano fratre bon. mem. R. P. D. Antonii Franciſci de Valentibus jam emeriti hujus Sacri Tribunalis Auditorii, & inde SSmi D.N. Clementis XII. fæliciter Regnantis Datarii, nec non Maria Anna ejus filia egerunt coram A.C. contra Comitem Jacobum, & Abbatem Philippum pariter de Valentibus ejuſdem Comitiſſæ Mariæ Gabrielliæ, & Mariæ Annæ filios, ac fratres reſpective, mandavitque idem Judex, reſervatis juribus præfatis Actricibus ſuper dotibus, ac aliis prætenſionibus actu pendentibus, eidem Comitiſſæ Mariæ Gabrielliæ præter domum habitationis in Civitate Fulginei, & mobilia neceſſaria in executione deſtinanda, præſtari alimenta in annua ſumma ſcut. 330., ac dictæ Mariæ Annæ in annuis ſcut. 150.; Acquieſcente hac ultima dictæ taxationi, & ab illa reclamantibus tam Comitiſſa Matre, quam filiis reis conventis, cauſa in gradu appellationis ad me devoluta remanſit, illamque hodie propoſui ſub dubio -- *An, & quomodo, & in qua ſumma ſint taxanda alimenta, & quæ alia ſint præſtanda in caſu &c.*, & fuit datum; *Affirmativum* reſponſum *in omnibus juxta modum* inferius exprimendum.

Cum enim hic agatur de Matre alimenta petente a filiis, nulli eſt dubium, quin iſta ei debeantur; dum abſolutiſſimi Juris eſt, filios, immo deſcenden-
1 tes omnes, & reſpective aſcendentes mutuam, indeclinabilemque habere obligationem ſeſe ad invicem alendi,

& ſi-

& ſignanter de filiis reſpectu Matris adeſt; *Text. in leg. ſi quis a liberis ff. de liber. agnoſcen.*, *leg. Tutor §. Final. ff. de adminiſtrat.*, *& pericul. Tutor.*, *Rot. cor. Dunozett. Jun. dec.* 449. *n.* 57., *& cor. bon. mem. Molin. dec.* 735. *n.* 7.

Circa verò illorum quantitatem convenerunt DD. cum ſenſu Judicis præcedentis inſtantiæ, quod videlicet ea præſtanda ſint in dicta annua ſumma ſc. 330. ea ducti animadverſione, quod hìc agitur de nobili muliere, quæ pro
2 ſui manutentione ultra cibaria, veſtiarium, medelas, ac alia ſimilia, indiget quoque ſervitio famulorum, & ancillarum, quod etiam venit ſub nomine alimentorum, cum non deceat nobilem mulierem ſibi ipſi inſervire: *Leg. habitatio ff. de ventr. in poſſeſſ. mitten.*, *Zacch. de Salar. quæſt.* 17., *&* 18. *n.* 9., *Rot. cor. Bich. dec.* 21. *n.* 2., *cor. Emer. Jun. dec.* 95. *n.* 6., *&* 7., *& in rec. dec.* 341. *n.* 34. *par.* 9., atque etiam, quod res eſt de patrimonio filiorum ſatis pingui, dum bona, & loca montium ab ipſis in Urbe poſſeſſa ſunt annui reditus ſcutor. 2000., & ultra, præter quamplura alia bona ſtabilia exiſtentia in Territorio Trebiæ, aliiſque locis finitimis.

Quibus omnibus conſideratis viſum fuit eiſdem DD., quorum prudenti ar-
3 bitrio juxta qualitatem perſonarum, & vires patrimonii remiſſa eſt ſimilis taxa alimentorum; per *Text. in leg. fin. Cod. de ord. cognit.*, *Surd. de Aliment. tit.* 4. *quæſt.* 18. *n.* 9., *Rot. cor. Priol. dec.* 36. *n.* 6., *cor. Emer. Jun. d. dec.* 95. *n.* 5., *& in Cæſenaten. Alimentorum 6. Maii* 1720. *§. Aſt in tanto cor. Illmo D. meo Almæ Urbis Gubernatore* in præſenti caſu eadem alimenta non poſſe taxari in minori ſumma dd. ſcut. 330.

Non obſtante quod ſtatus hæreditarius bon. mem. Joannis Baptiſtæ de Valentibus viri Comitiſſæ Actricis ſit valde tenuis, & plura bona ab eiſdem filiis
4 poſſeſſa proveniant a primogenitura tranſverſali non obligata de Jure ad dotes, & alimenta; Quia cum Comitiſſa ſuam actionem pro aſſecutione alimentorum non dirigat contra bona viri, & ad præfatam primogenituram, ſed ſolum contra eoſdem filios ad eadem alimenta de Jure obligatos, nulla eſt habenda ratio de bonorum provenientia,
5 ſed unice de prædicta obligatione filiorum, qui cum ſint abſoluti Domini fructuum adeo pinguium, juncto etiam patrimonio eorum Patris, cujuſcunque ſit quantitatis, unice attendenda venit ad effectum firmandi congrua alimenta a Comitiſſa Matre petita, ut optime tradunt; *Mareſcott. var. reſolut. lib.* 2. *cap.* 83. *n.* 4. *verſ. dicit, quod cum Frater*, *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 563. *n.* 21., *Molin. de Primogenit. Hiſpan. lib.* 2. *cap.* 15. *ſub n.* 59., *Rot. cor. Caprar. dec.* 477. *n.* 19., *cor. Dunozett. Jun. dec.* 499. *n.* 67., *& in rec. dec.* 538. *n.* 4., *&* 5. *par.* 1., *& dec.* 194. *n.* 67. *par.* 7.

Nec DD. putarunt, eadem alimenta eſſe augenda uſque ad annuam ſummam ſc. 600., ut contendebatur a ComitiſſaMaria Gabriellia; quandoquidem agitur in præſenti de alimentis præſtandis in Civitate Fulginei, in qua expenſæ manutentionis etiam perſonarum nobilium ſolent eſſe valde inferiores illis, quæ exiguntur in Urbe, aliiſque magnis Civitatibus, in quibus majori cum luxu, ac diſpendio vivendum eſt propter majus pretium rerum comeſtibilium; unde ex omni parte ſufficiens dijudicata fuit recenſita ſumma ſc. 330.,
6 ad hunc enim effectum, ultra qualitatem perſonarum, & vires patrimonii inſpicienda eſt qualitas loci, ubi alimenta præſtanda ſunt, & ubi pro iſtis minores exiguntur expenſæ; ad *Text. in leg. ſi cui ff. de annu. legat.*, *Surd. de Aliment. tit.* 4. *quæſt.* 18. *n.* 1., *& ſeq.*, *Rot. in rec. dec.* 418. *n.* 6. *par.* 8., *dec.* 410. *n.* 1. *par.* 9., *& dec.* 166. *n.* 22., *& ſeq. part.* 12. Potiſſime dum decernitur eadem alimenta eſſe præſtanda in pecunia numerata, & anticipate de trimeſtri in trimeſtre ſpatium, ut infra.

Quantumvis ab eadem Comitiſſa ſubjungeretur, eandem quantitatem ſcut. 330., ut ſupra, ſtabilitam non ſufficere juxta ejus gradum, & nobilitatem pro manutentione etiam currus, quo ſemper uſque modo uſa eſt; dum quia, quidquid ſit de hoc, patrimonium fratrum de Valentibus non conſtat eſſe adeo pingue, ut detractis oneribus, & congrua illorum manutentione ſit capax ſuſtinendi quoque hoc novum onus

ma-

manutenendi particularem currum pro
d. Comitiſſa Matre; tum inſuper, quia
hæc alimenta petuntur extra domum
filiorum, ubi ipſi proprium retinent
currum, & in alio loco, ſicque licet
7 hæc petitio alimentorum extra domum
filiorum dici poſſit juſtitiæ conſentanea
propter diverſas lites inter matrem, &
filios exortas, & eorum actio profici-
ſcatur non ex cauſa miſerationis, ſed
8 ex officio Judicis, propter quod taxatio
non eſt ita rigide facienda pro ſola ne-
ceſſitate naturæ, ſed ſecundum gradum,
& dignitatem perſonæ, quæ alenda eſt,
Rot. coram Duran. dec.95. n.52., & dec.148. n.3., & 4., & in rec. dec.30. n.22. par.7., & d.dec.166. n.27. par.12.
Nihilominus hæc apta non ſunt grava-
re filios d. alio onere, quo certe non
gravarentur, quatenus Mater contenta
eſſet eadem alimenta recipere in domo
eorundem filiorum; nam tunc uti poſ-
ſet ipſorum curru, cum obligatus præ-
9 ſtare alicui alimenta in propria domo
non teneatur ad plus, quod in ea im-
pendiſſet, quotieſcunque alimenta pe-
tantur ex juſta cauſa, & decernantur eſſe
præſtanda extra domum; *Bartol. in l. Cajo §. Imperator ff. de aliment., & cibar. legat., Ruin. conſ.101. n.1. tom.2., Rot. in rec. dec.320. n.5., & 8. par.19.*

Ulterius cenſuerunt DD. alimenta
non deberi niſi a tempore motæ litis;
etenim cum alimenta hæc prætendi ne-
10 queant Jure actionis, ſed ſimplici Ju-
dicis officio; *Surd. de Aliment. tit.3. quæſt.2. n.11., & 16., Mar. Medic. deciſ. ſenen.89. n.18.*, ſuccedit inde, ut
non debeantur niſi a d. tempore, &
11 non antea; *Gratian. diſcept. forenſ. cap.60. n.19. 20., & 21., Sabell. var. reſol. cap.86. n.14., & 15., Carol. Anton. de Luc. adde Franch. dec.48. n.4., Mar. Medic. d. dec.89. n.19., & 20., Sperell. dec.138. ſub n.40. verſ. at ſecus eſt, Rot. cor. bon. mem. Anſald. dec.15. num.10.*

Ultra autem præfatam annuam quan-
titatem dictum fuit, eſſe Comitiſſæ dan-
dam habitationem in d. Civitate Ful-
12 ginei una cum mobilibus, argentis;
aliiſque rebus ſpecialiter à prudenti
DD. arbitrio deſignatis in folio a me
ſubſignato, & partibus tradito, habi-
to reſpectu ſimili modo ad qualitatem
Comitiſſæ, & quantitatem dd. rerum
in domo de Valentibus exiſtentium, &
numerum filiorum, ac illorum manu-
tentionem, cum pręmiſſa etiam veniant,
& danda ſint in cauſam alimentorum;
Rot. cor. Cerr. dec.474. n.15., cor. Kaunitz dec.206. n.17., & cor. Molines dec.725. n.19., & in recen. dec.815. n.23., & 24. par.18.

Tandem additum fuit, quod d. ali-
menta a filiis præſtentur, ut ſupra, in
pecunia numerata, & ſolvantur anti-
cipate de trimeſtri in trimeſtre ſpatium,
13 & aſſecurentur pro ſumma enuntiata
ſc.300. ſuper locis Montium Urbis poſ-
ſeſſis a Fratribus de Valentibus ad evi-
tandas ulteriores lites inter Matrem, &
Filios, cum venter non patiatur dilatio-
nem, ut in terminis alias demandavit;
Rot. cor. Pæn. dec.1154. n.2., & cor. Dunoz. Jun. dec.449. n.69., & in Firmana Manutentionis 14. Martii 1710. §. Aſſignationi cor. clar. mem. Card. Priolo; Maxime cum hæc aſſecuratio non
gravet notabiliter filios propter conſi-
derabilem numerum dd. locorum Mon-
tium ab ipſis poſſeſſorum; & demum
quod eo ipſo, quod filii Comitiſſæ Ma-
14 tri reſtituant dotem, eadem quantitas
ſcut.330. proportionabiliter minuatur,
quod juſtitiæ conſonum eſt; ad tradita
per *Surd. de Aliment. tit.4. quæſt.20. n.6., Conciol. de hæred. art.3. n.162., de Franch. dec.489. n.23., Rot. coram bon. mem. Molines dec.11. n.5., & dec.41. n.7., & in rec. dec.369. n.10. par.18.*

Et ita juxta hunc modum DD. reſpon-
derunt utraque &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSORUM SUPER DOTE.

Lunæ 16. Junii 1738.

ARGUMENTUM.

Deficientibus bonis liberis, mulieri com-
petit actio pro ſua dote contra fidei-
commiſſum aſcendentale; immo ſi ul-
tima ſit de ſuo Columnello, everti po-
teſt pro ejus congrua dotatione totum
fideicommiſſum ejuſdem Columnelli;
& quæ dos congrua dicatur.

SUMMARIUM.

1 *Deficientibus bonis liberis, mulieri competit pro ſua dote actio contra fideicommiſſum aſcendentale;*

2 *Et conſequenter retentio, ſi poſſideat.*

3 *Ad dignoſcendam congruitatem dotis, præ cæteris inſpici debet ſolitum familiæ:*

4 *His tamen temporibus ob excreſcentem luxum augentur etiam dotes.*

5 *Fœminæ ultimæ ſuperſtiti in ſuo Columnello debetur dos pinguior;*

6 *Immo pro congrua ejus dotatione everti poſſet totum fideicommiſſum ſui Columnelli.*

7 *Unde nullo modo in tali caſu de exceſſivitate notari poteſt dos non tranſcendens ſolitum familiæ;*

8 *Prout notari de eadem nequit dos prævio compromiſſo aſſignata.*

9 *Hæres gravatus nihil aliud eſt, quam adminiſtrator cum utilitate fructuum, uſufructuario non diſſimilis.*

10 *Exceptio nimis ſerotina promota potius cenſetur ad protrahendam litem, quam ad ejus opportunitatem.*

DECISIO CXIII.

IN judicio Immiſſionis in vim fideicommiſſorum conditorum ab Argeſilao Seniore, & Nicolao de Mareſcottis introducto a Comite Alexandro, & inde eo defuncto proſecuto ab ejus filiis, ultra detractiones Creditorum, de quibus in mea contemporanea deciſione, excepit etiam Comitiſſa Maria Anna Chriſtina de Mareſcottis rea conventa filia unica Argeſilai Junioris, per cujus obitum purificata fuere memorata fideicommiſſa favore ejuſdem Comitis Alexandri, & poſſidens illam ratam bonorum fideicommiſſi conditi a prædicto Argeſilao Seniore obventam Argeſilao Juniori ejus Patri, excepit, in quam, de ſuæ dotis detractione in quantitate Librarum 46000. monetæ Bononien. conflantium ſcut.9200. monetæ Romanæ jam ſibi aſſignatæ, ac conſtitutæ in Laudo Judicis Compromiſſarii electi tam ab ipſo, quam a Maria Thereſa Zani ejus Matre; & hæc detractio fuit eidem Comitiſſæ denegata tam a Rota Bononien., quam ab A.C., ſed tamen admiſſa in gradu appellationis ab hoc Sac. Auditorio mediante definitiva ſententia lata ab Emo D.Card. Rezzonico, ibi tunc temporis laudabiliter ſedente, ex fundamentis enuntiatis in duabus *deciſionibus coram eo editis ſub diebus* 24.*Januarii*, & 27.*Junii anni* 1735.; Commiſſa autem in gradu ulterioris appellationis mihi hac cauſa, interrogavi hodie DD. -- *An d.Sententia Rotalis eſſet confirmanda, vel infirmanda* --, & reſponſum fuit -- *eſſe confirmandam*.

Non controverſa enim validitate d. ſententiæ, juſtitia illius ſatis evidenter apparuit ex eo, quod præſuppoſita indubitabili, ac omnimoda deficientia bonorum liberorum Argeſilai Junioris Patris Comitiſſæ Mariæ Annæ, ut probat *utraque Deciſio edita cor. Emo Rezzonico, illa nempe* 24. *Januarii* 1735. §.3. *cum duobus ſequen.*, & *alia* 27.*Junii ejuſdem anni* §.21. *in principio*, ſtatim eidem Comitiſſæ competit actio
1 ſuper detractione ſuæ dotis ex bonis controverſis, utpote provenientibus ex aſcendentali Fideicommiſſo Argeſilai Senioris de Mareſcottis; ex notiſſima ſanctione *Text. in Authentic. Res, quæ Cod. commun. de legat.*, & conſequenter eo ipſo, quod eadem Comitiſſa bona
2 hujuſmodi poſſidet, eidem etiam competit eorum retentio, quæ facilius datur, quam actio; ut ultra *dd.deciſiones Emi Rezzonici* tradunt, *Menoch. conſ.*272. *n.*51., & *conſil.*300. *n.*49., *Manſ. conſult.*102. *n.*43., *Rot. in deciſ.*473. *n.*12. *par.*19. *tom.*2. *rec.*

Et quidem in d. quantitate Librarum 46000., in quibus, ut dictum eſt, d. Comitiſſæ in prænarrato Laudo conſtituta, & aſſignata fuit eadem dos, ſtante quod doctum fuit, Nobilem Familiam Mareſcotti præteritis temporibus conſueviſſe dotare fœminas non ſolum in recenſita quantitate Librarum 46000., ſed etiam in longe majori, ut advertit *prima deciſio* hujus cauſæ *cor. Emo D. meo Card. Rezzonico* 24. *Januarii* 1735. §.*Attamen*; & propterea ſi pro congrua dotatione fœmina-
3 rum attendi præ cæteris debet ſolitum familiæ; *Rot. cor. Duran. dec.*226. *n.*15., *cor. bon. mem. Lancett. dec.*353. *n.*10., in

*in rec. dec.*111., *& dec.*376. *utrobique n.*3. *part.*15., procul dubio moderno tempore dos aſſignata Comitiſſæ in dd. Libris 46000., in quibus dotatæ fuere aliæ fœminæ, dijudicari debet potius mitior, quam exceſſiva, & incongrua, dum hiſce temporibus, ſicuti luxus in
4 dies excreſcit; ita etiam augentur dotes propter graviores expenſas, quas quis ſubire cogitur; *Gratian. diſcept.*452. *num.*20., *Michalor. de Frat. part.*3. *cap.*3. *num.*18., *Rot. cor. Zarat. dec.*83. *num.*20., *& in recen. dec.*48. *num.*29. *par.*12., *& dec.*260. *num.*17., *& ſeq. part.*15.

Potiſſimum conſiderato, quod Comitiſſa Maria Anna eſt unica filia ſuperſtes ſui Columnelli, ideſt Argeſilai Junioris Patris, & ultimi Poſſeſſoris, quo
5 caſu eidem deberetur major, ac pinguior dos; *Boſ. de Dot. cap.*11. *n.*9., *Gobb. de Jur. inteſt. ſucceſſ. obſerv.*44. *n.*39., *Rot. poſt Torr. de Pact. futur. ſucceſſ. dec.*135. *n.*6., *coram Benincaſ. dec.*236. *n.*8., *cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de dot. dec.*18. *n.*7., & obſervant *deciſiones præcedentes coram Emo Rezzonico*, ita ut ſi pro congrua dotatione eſſent neceſſaria omnia bona fidei-
6 commiſſaria ſui Columnelli, hæc utique ad talem effectum aſſignari poſſent, nulla habita conſideratione everſionis totius fideicommiſſi; ut in terminis dotis conſtituendæ fœminis hujus familiæ de Mareſcottis dixit *Rot. in rec. dec.*28. *n.*1. 10., *& ſeq. par.*5., *& in Perusina, ſeu Urbevetana Fideicommiſſorum, & Dotium* 27. *Junii* 1733. *§. Final. cor. R. P. D. meo Nunez*, & probat *prima deciſio Emi Rezzonici* 24. *Januar.* 1735. *§. Nullatenus*; Unde ſi eidem Comitiſſæ conſtituta fuit eadem numero dos, quæ
7 præteritis temporibus data fuit aliis fœminis habentibus alias ſorores, & fratres, eo magis illa de nulla incongruitate, aut exceſſivitate notari valet, ex ſolide firmatis *in dd. præcedentibus deciſionibus Emi Card. Rezzonici*.

Et eo certius, dum conſtitutio dotis in dicta quantitate ſecuta fuit prævio
8 Compromiſſo, & Laudo prolato a Judice Compromiſſario, omnibus circumſtantiis conſideratis, ut ex illius voto impreſſo, & exhibito approbato ab Executoribus Teſtamentariis relictis ab Argeſilao ejus Patre, in quibus terminis nullus amplius remanet dubitandi locus ſuper congruitate ejuſdem dotis; ut loquendo de alio conſimili Laudo ait; *Rot. cor. bon. mem. Lancett. dec.*1133. *num.*4.

Non relevante objecto, quod ex retentione dotis in dicta ſumma Librarum 46000. non ſolum evertitur integrum fideicommiſſum aſcendentale Argeſilai Senioris obligati ad dotationem, ſed etiam pars fideicommiſſi tranſverſalis Nicolai de Mareſcottis huic oneri non obnoxii, proptereaque nullo modo locus ſit eidem retentioni, niſi prius ſeparata fuerint bona utriuſque fideicommiſſi, atque etiam firmatus illorum ſtatus; quia viſum fuit objectum hujuſmodi non ſubſiſtere in facto; dum bona reperta in hæreditate Nicolai, & deſcripta in illius Inventario confecto poſt ejus obitum anno 1624. ſunt illamet provenientia a fideicommiſſo Argeſilai Senioris ejus Patris, & pariter deſcripta in Inventario iſtius hæreditatis expleto anno 1618. ut apparuit, comparando utrumque Inventarium; Ideoque extranea reputata fuit a ſubjecta hypotheſi, & nullatenus admittenda petita ſeparatio bonorum, eo ipſo quod bona poſſeſſa a Nicolao fuerunt illamet Argeſilai Senioris fideicommittentis; cum licet idem Nicolaus fuerit illius hæres gravatus, non per hoc tamen evaſit Dominus ejus bonorum; hæres namque gravatus eſt unice Ad-
9 miniſtrator bonorum fideicommiſſariorum cum utilitate fructuum uſufructuario non diſſimilis; *Valenzuol. conſ.*60. *n.*21., *& conſ.*69. *n.*193., *Peregr. de fideicomm. art.*45. *n.*14., *Card. de Luc. de Credit. diſc.*36. *n.*15., *Torr. de Majorat. par.*1. *cap.*13. *n.*22., *Rot. cor. Arguell. dec.*55. *n.*8., *& cor. Zarat. dec.*72. *n.*23.

Replicatione non attenta, quod cum Nicolaus eſſet filius d. Argeſilai Senioris, jus haberet conſequendi Legitimam ſuper illius bonis, ſuper qua proinde bene ordinari potuerit fideicommiſſum ab eodem Nicolao; etenim cum Legitima in hæc liquidata fuerit in Libris 28000., ut firmavit *Rot. in recen. dec.*

dec.272. par.5. tom.1., & integre conſumpta in diverſis Legatis ab eo factis in quantitate etiam ſuperiori, & excedente dd. Libr.28000., ut ex eadem *Rot. cor. Duran. dec.124. in princip.*, & *d. dec.272. par.5. rec.*; deſcendit ſu neceſſariam conſequentiam, quod nulla etiam minima bona ſupereſſent ex patrimonio proprio Nicolai, pro cujus ſeparatione inutilis proinde remanet poſtulata per Actores firmatio ſtatus, maxime dum petitur nunc poſt lapſum 30. fere annorum a die motæ litis, quæ
10 circumſtantia eo fortius impulit DD. ad rejiciendam d. inſtantiam, quæ uti nimis ſerotina videtur potius promota ad protrahendam cauſam, quam ad illius opportunitatem; *Rot. cor. bon. mem. Lancett. dec.266. n.6.*, & *in Baren. Concurſus 30. Martii 1699. §. Illa autem cor. clar. mem. Card. de la Tremoill.*

Et ita approbando in reliquis deducta in præcedentibus Emi Rezzonici reſponſum fuit, utraque &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSORUM SUPER DETRACTIONIBUS.

Lunæ 16. Junii 1738.

ARGUMENTUM.

Exceptiones turbidæ retardare nequeunt Immiſſionem. Jura R. Fabricæ locum non habent, niſi prius interpellatis debitoribus legatorum, aſſignatoque termino, intra quem de eorum adimplemento non doceatur. Annua onera ſolvenda ſunt ex fructibus fideicommiſſi a gravato, ita ut contra ejus hæredes actio maneat, non contra fideicommiſſum.

SUMMARIUM.

1 *Verificata exiſtentia Fideicommiſſi, ejuſque purificatione, ac bonorum identitate, denegari nequit Immiſſio*;

2 *Quam retardare nequit exceptio detractionum turbidarum, & illiquidarum*; ſub num.9., & 11.

3 *Jura Rever. fabricæ locum non habent, niſi prius interpellatis debitoribus legatorum, iiſque aſſignato termino, intra quem de eorum adimplemento non doceatur.*

4 *Per appellationem ſuſpenditur effectus ſententiæ, eaque ita remanet, ac ſi nunquam emanaſſet.*

5 *Ob perceptionem fructuum poſt motam litem, creditum efficitur illiquidum, ac inſufficiens ad retardandam Immiſſionem.*

6 *Annua onera ſolvenda ſunt ex fructibus fideicommiſſi a gravato, contra cujus proinde hæredes agi debet, non contra fideicommiſſum.*

7 *Per decurſum longi temporis Monialis integre ſatisfacta præſumitur de ſuis livellis.*

8 *Ex centenaria oritur præſumptio extinctionis debiti*;

9 *Immo ex lapſu minoris temporis.*

10 *Centenaria præſcribit actionem ad legitimam.*

11 *Statutum Bononiæ excludit fœminas a ſucceſſione propter maſculos.*

DECISIO CXIV.

Purificatis favore Comitis Alexandri de Mareſcottis fideicommiſſis conditis ab Argeſilao Seniore, & Nicolao de Mareſcottis, Judicium inſtruxit idem Comes Alexander ſuper Immiſſione in poſſeſſionem bonorum Fideicommiſſariorum detentorum a Comitiſſa Maria Anna Chriſtina de Mareſcottis coram R.P.D. Vice Legato Bononiæ, inde proſecutorum tam a dicto Comite Alexandro, quam, iſto defuncto, a Comitibus Vincentio, & Joanne ejus filiis in Rota Bononien. coram A. C., & poſtmodum in hoc Sacro Auditorio, prius coram Emo D. Cardinali Cincio, & ſecundo loco coram Emo Cardinali Rezzonico; Cumque præfata Comitiſſa Rea conventa ad eandem Immiſſionem impediendam, & obtinendam retentionem, excepiſſet de pluribus Detractionibus, iſtæ fuerunt in parte admiſſæ, & in alia parte rejectæ, & juxta hanc formam conceſſa remanſit in ſequelam Deciſionum deſuper editarum ab eiſdem DD. meis Cincio, & Rezzonico Immiſſio ſupradictis Comitibus Actoribus.

In gradu ulterioris appellationis ex reſcripto plenæ Signaturæ Cauſa hæc mihi commiſſa extitit, & propoſito a me hodie, ultra aliud ſuper Dote, de

quo in alia mea contemporanea deciſione, hoc Dubio: *An conſtet de re judicata, & reſpective de tribus, ſeu potius de Cauſis reſtitutionis in integrum*: dictum fuit: *Conſtare de re judicata, & reſpective de tribus*: ob concurſum dictæ Rei judicatæ, & trium conformium, earumque validitatem non controverſam, juſtitiam *pariter amplius non im-*
1 *pugnatam quoad immiſſionem in genere*, indubitanter verificatis ſolitis extremis pro ea obtinenda, exiſtentiæ ſcilicet Fidicommiſſorum, eorumque purificationis, ac bonorum identitatis, de quibus late in præcedentibus *Deciſionibus*, & in ſpecie *in illa*, nempe 7. *Decembris* 1733. §. *Omiſſa enim cum pluribus ſequen. cor. Emo Cincio, & in alia* 25. *Junii* 1734. *cor. Emo Rezzonico*, ſolumque impugnatam ex Cauſa detractionum *de quibus infra*; Sed inutiliter, dum iterum compertum fuit, illas vel non ſubſiſtere, vel eſſe adeo
2 turbidas, & illiquidas, ut nullo modo aptæ ſint retardare eandem Immiſſionem; ut pariter firmant eædem *præcedentes Deciſiones*, & ſignanter *ultima* 27. *Junii* 1735. *cor. Emo Rezzonico*, & ultra illas *Rot. in Recen. dec.* 147. *n.*26. *part.*11., *dec.*254. *n.*13. *part.*16., & *in Mantiſſ. ad Card. de Luc. tit. de fideicom. dec.*51. *n.*8., & *ſeq.*

Deſcendendo modo ad ſingulare examen earundem detractionum viſa fuit inſubſiſtens pro nunc *Prima conſiſtens* in Juribus Comitiſſæ Mariæ Annæ Chriſtinæ ceſſis a Reverenda Fabrica S. Petri pro tot legatis non adimpletis; Quia non poteſt dici conſtare de tali credito,
3 niſi fuerint interpellati Comes Alexander, ejuſque filii ad docendum de adimplemento præfatorum legatorum cum præfixione alicujus termini ad hunc effectum, & niſi infra talem terminum illi de eodem adimplemento non docuerint; ut probat *Deciſio Emi Rezzonici die* 24. *Januarii* 1735. §. *Eandemq.*

Quin relevet, quod præfixio termini prædicti appareat ex ſententia Rotæ Bononien.; Siquidem ab hac ſententia appellatum fuit, & conſequenter dicti termini præfixio in nulla eſt habenda conſideratione, cum per ap-
4 pellationem ſuſpendatur effectus ſententiæ, quæ remanet in tali ſtatu, & habetur ac ſi non emanaſſet; *l.*1. §. *Final. ff. ad Senat. Conſult. Turpill., Bald. in l. ita demum Cod. de Procurator., Jaſon. in l. tale pactum* §. *Qui procuravit ff. de pact., Rot. cor. clar. mem. Cardinali Falconer. de Aliment. dec.*8. *n.*6., & *de Salvian. Interdict. deciſ.*16. *ſub num.*11., & 12.

Ulterius idem creditum, etiamſi ſubſiſteret, effectum fuiſſet illiquidum, vel
5 abſorptum a fructibus a Comitiſſa Maria Anna perceptis poſt motam litem, & ſic undique inſufficiens ad retardandam prædictam Immiſſionem; ut tradunt *Rot. coram Celſ. dec.*124. *n.*9., & *dec.*167. *n.*7., & *in rec. dec.*330. *n.*2. *par.*16., & *in Peruſina Immiſſionis* 12. *Januarii* 1725. §. *Final. coram R.P.D. meo Nunez*.

Ejuſdem qualitatis ſunt *alia bina credita deſumpta*, tum a ceſſione reportata a Monaſterio S. Agnetis Bononiæ pro livellis debitis Sorori Mariæ Thaddææ de Mareſcottis filiæ Argeſilai Senioris Fideicommittentis; Tum ex altera ſimili ceſſione reportata a Monaſterio S. Margaritæ pro aliis livellis debitis alteri Sorori Mariæ Ferdinandæ de Mareſcottis, pariter filiæ dicti Argeſilai; Quoniam hæc livella, uti an-
6 nua onera, ſolvenda erant ex fructibus bonorum Fideicommiſſariorum, & ab hæredibus gravatis, qui illos perceperunt, & pro tempore Fideicommiſſum poſſederunt, & per conſequens pro illorum conſecutione competit quidem actio d. Comitiſſæ Mariæ Annæ Ceſſionariæ contra hæredes pro tempore Poſſeſſorum Fideicommiſſi, non autem illam dirigere poteſt adverſus proprietatem bonorum Fideicommiſſariorum in præjudicium Vocatorum; ex adductis per *Peregrin. de Fideicom. Artic.*50. *n.*20., & *ſeq.*, *Manſ. Conſult.*142. *n.*22., *Rot. cor. Bich. dec.*583. *num.*7. cum aliis relatis per dictam *Deciſ.*24. *Januarii* 1735. §. *Idemque cor. Emo Rezzonico*; Juncto præſertim quoad ceſſionem Livellorum ſororis Mariæ Ferdinandæ lapſu temporis, quo illa petuntur, nempe ab anno 1622., quo eadem Monialis ingreſſa fuit Monaſterium uſque ad annum 1666., quo deceſſit; Per de-

decurſum enim adeo longævi temporis præſumptio eſt, quod præfata Monia-
7 lis integre ſatisfacta remanſerit; *Gob. conſult.68. n.9.*, & proſequitur *eadem Deciſio Emi Rezzonici eodem §. Idemque Verſ. Maxime*.

Occurrit *quart.* creditum libr.2222. ceſſumComitiſſæ Mariæ Annæ Reæ conventæ a Monaſterio prædicto S. Margaritæ pro conſucceſſione debita recenſitæ Sorori Mariæ Ferdinandæ de Mareſcottis in hæreditate Thaddæi Fratris ſuper Juribus Dotalibus Thaddææ Foſcherariæ communis Matris, ſuper qua bonorum ſpecie contenditur, quod eadem Soror Maria Ferdinanda impedita non eſſet a Statuto Bononien. ſuccedere una cum Nicolao Fratre, & ulterius allegatur Tranſactio inita anno *1626.* inter d. Monaſterium, & Vincentium Mareſcottum præſentium Actorum Biſavum, qui talem conſucceſſionem favore Mariæ Ferdinandæ approbavit, promiſitque debitam portionem Monaſterio perſolvere.

At quidquid ſit de allegata diſpoſitione Statutaria, hoc unum pro rejectione hujus crediti ſufficere exiſtimarunt DD. quod, cum a die ſtipulatæ Tranſactionis, & promiſſæ ſolutionis effluxerint centum, & ultra anni, militat favore Actorum omnis favorabilis præſumptio
8 ſolutionis, cum hæc ſit virtus centenariæ etiam in hac materia extinctionis debiti; ut alias tenuit *Rot. cor. Dunozzett. Jun. deciſ.612. n.18.*, *& cor. Bich. dec.72. n.13.*, *& 14.*, *& cor. bo. me. Ariſtid. dec.60. n.6. & 7.*, *& coram clar. mem. Card. Falconerio Tit. de Cenſ. deciſ.13. n.3.*, licet etiam præſumptio
9 inducatur ex lapſu minoris temporis; & proinde Creditum hujuſmodi habens contra ſe hanc Centenariam ſolutionem præſumentem, utique allegabile non eſt pro obtinenda bonorum Fdeicommiſſariorum retentione, pro qua requiruntur, ut ſupra firmatum fuit, credita omnino liquida, & certa, itaut nullam in ſeſe contineant dubietatem.

Quo vero *ad quintum creditum* depromptum ex ceſſione Jurium reportata a Senatore Joſepho de Foſcherariis ex perſona Iſabellæ Albergatæ Foſcherariæ, cui contenditur debitam fuiſſe legitimam in bonis Nicolai Mareſcotti alterius Fideicommittentis, & d. Iſabellæ Nepotis, ultra Conſucceſſionem ab inteſtato in bonis Thaddæi Fratris ejuſdem Nicolai, pariter illud viſum fuit turbidum, atque illiquidum pro impedienda petita Immiſſione. Quia non apparuit per integrum decurſum annorum centum unquam fuiſſe promotam actionem pro conſecutione legitimæ prædictæ, quo ſtante poteſt di-
10 ci actio præſcripta ad illam hic, & nunc petendam; *ad Text. in Cap. ad aures de præſcription.*, *& firmata in dicta Deciſione Emi Rezzonici 24. Januarii 1735. §. Quovero*, & reſpectu conſucceſſionis in bonis Thaddæi, vel Iſabella cedens ab ea remanſit excluſa ex Diſ-
11 poſitione ſupradicti Statuti Bononien. excludentis Fæminas a Succeſſione propter Maſculos; vel ſaltem uti hoc dependens a dubio Articulo ſuper d. Statuto diverſimode interpretato ab hoc Sacro Auditorio, dicitur requirere altiorem indaginem, quod ſufficit, ut non valeat retardare ſupradictam Immiſſionem; ſicuti concludit ſæpedicta *Deciſio Emi Rezzonici §. Finali*.

Et ita &c. utraque &c.

FAVENTINA IMMISSIONIS SUPER RESERVATIS.

Ven. 20. Junii 1738.

ARGUMENTUM.

Expreſſa prohibitio alienationis efficit, ut qualitas hæreditaria etiam deſtituta beneficio legis, & Inventarii non ſit apta ad retardandam fideicommiſſario Immiſſionem, ad differentiam caſus fideicommiſſi ſimplicis ſuper primogenitura, & fideicommiſſo particulari in quo peti nequeunt detractiones, niſi in ſubſidium, cujus caſum eveniſſe probandum eſt a petente detractiones: quod tamen ſine Inventario fieri nequit, & conſequenter nec detractionum prætextu impediri Immiſſio, Folia quando Inventarii defectum ſupplere non valeant.

SUMMARIUM.

1 *Verificata exiſtentia fideicommiſſi, ejuſque purificatione, ac bonorum identitate, immiſſio denegari nequit.*

2 Con-

Digitized by Google

2 *Concurrente expreſſa prohibitione alienationis, qualitas hæreditaria etiam deſtituta beneficio legis, & Inventarii non eſt apta ad retardandam fideicommiſſario Immiſſionem*:

3 *Contra vero eſt in terminis ſimplicis fideicommiſſi expreſſa alienationis prohibitione carentis*.

4 *Acquiſitiones ab alienantibus factæ in dubio, ac contraria voluntate non demonſtrata, factæ præſumuntur in compenſationem bonorum alienatorum*;

5 *Aut ſaltem actori competit ſuper eiſdem retentio pro reintegratione*.

6 *Relationi Periti judicialiter electi ſtandum omnino eſt*.

7 *Peritia debito tempore non impugnata, ſed cum qua ad ulteriora in cauſa proceſſum fuit, cenſetur acceptata, & approbata, ita ut nec amplius impugnari, nec de errore redargui valeat*;

8 *Niſi ille evidentiſſime probetur*.

9 *Status hæreditarius in uno judicio a Rota approbatus, detecto errore in alio reprobari valet*.

10 *A propria confeſſione nunquam diſcedi poteſt non exhibitis clariſſimis probationibus erroris*.

11 *Detractiones peti nequeunt ſuper primogenitura, & fideicommiſſo particulari niſi in ſubſidium*;

12 *Cujus eaſum eveniſſe, probandum eſt a petente eaſdem detractiones*;

13 *Quod tamen ſine Inventario fieri nequit, & conſequenter nec detractionum prætextu impediri Immiſſio*;

14 *Præſertim ubi Inventarium doloſe omiſſum videtur, hoc eſt contra præceptum Teſtatoris, illius confectionem injungentis*.

15 *Folia immediate poſt mortem Teſtatoris non confecta, ſed biennio poſt, ſupplere non valent defectum legitimi Inventarii*;

16 *Prout pariter quando defectibus, & omiſſionibus ſubſtantialibus ſcatent*.

17 *Detractiones turbidæ retardare non valent Immiſſionem*.

DECISIO CXV.

Cum clauſula -- *Conſtito de tribus* -- adverſus tres uniformes ſententias, alteram Vicarii Generalis Faventiæ, aliam A.C., ultimam hujus Sac. Auditorii coram R̃mo P. D. meo Decano ſubrogato in locum R. P. D. mei Nunez tunc abſentis, concedentes Marcello Severoli Actori Immiſſionem in poſſeſſionem quorundam bonorum prativorum exiſtentium in Territorio Solaroli, & detentorum a Com. Dominico Mazzolano, in vim primogenituræ, ſeu fideicommiſſi particularis conditi a Juſtiniano Seniore de Severolis, fuit mihi a Signatura Juſtitiæ cauſa commiſſa in gradu ulterioris appellationis, eaque a me propoſita ſub ſolito dubio -- *An conſtet de tribus* in Rota diei 18., Aprilis anni currentis, ob ſuffragiorum paritatem nulla capta extitit reſolutio; At renovato certamine, factoque melius dilucidato pro parte defenſorum ejuſdem Marcelli in præſenti propoſitione non hæſitarunt DD. reſpondere -- *Conſtare de tribus* -- ob earum validitatem, & patentem juſtitiam.

Nulla namque cadente controverſia ſuper prima, effulſit ſecunda, nempe juſtitia, ex incontrovertibili verificatione extremorum, exiſtentiæ ſcilicet
1 primogenituræ, ſeu fideicommiſſi, ejuſque purificationis, ac bonorum identitatis, quibus concurrentibus nunquam immiſſio denegari ſolet; ut firmant omnes deciſiones præcedentis inſtantiæ *cor. R.P.D. Nunez, & R̃mo P.D. meo Decano, & nuper dictum fuit in Bononien. Fideicommiſſorum ſuper Detractionibus 16. hujus menſis §. In gradu, coram Me*.

Quin illa retardari valuerit ex illis tribus exceptionibus a Com. Reo convento in præteritum adductis, & rejectis, ac iterum in præſenti repetitis, quod nempe Actor ſit hæres mediatus Marcelli Junioris, qui alienavit, atque diſtraxit bona controverſa in Authores d. Comitis, & conſequenter, niſi ille rationem reddat de bonis hæreditariis ejuſdem Marcelli alienantis, vel ex iſtis refundat recenſito Comiti Poſſeſſori pretium eorundem bonorum alienatorum, ei non competat dicta Immiſſio; itemque, quod idem Actor jam poſſideat totum, ac integrum complementum primogenituræ, cujus vigore agit, ſicque fruſtra petat, quod intus habet; Et denique, quod eidem Com. Reo

convento debeatur retentio ex cauſa detractionum debitarum Marcello Seniori primo hæredi gravato.

Siquidem prima exceptio qualitatis hæreditariæ iterum viſa fuit irrelevans ex eo, quia ſupradictus Juſtinianus Teſtator, atque Conditor primogenituræ
2 expreſse, ac literaliter prohibuit vocatis alienationem, & diſtractionem omnium, & quorumcunque bonorum eidem primogenituræ ſubjectorum, in quo caſu quemadmodum alienationes factæ favore Comitum de Mazzolanis remanent nullæ ipſo Jure, ita ut ipſi in vim illarum nullum Jus, titulum, aut dominium acquiſiverint; ita etiam non poſſunt ad retardandam petitam Immiſſionem excipere de antedicta qualitate hæreditaria alienantis reſpectu Actoris, ac redditione rationis bonorum hæreditariorum; Quia cum hæc exceptio requirat altiorem indaginem, de ea agendum eſt in petitorio; & quidem in alio judicio contra ipſum hæredem intentando, interimque non eſt retardanda Immiſſio, ſalvis tamen Juribus dd. Comitibus de Mazzolanis experiendis contra bona hæreditaria præfati Marcelli Junioris alienantis, *ut probant Rub. de Conf. ſ. Jur. cap.*24. *n.*40., *Urceol. de Tranſact. quæſt.*80. *n.*28., *&* 30., & alias firmavit *Rot. coram Dunozet. Jun. dec.*846. *n.*38., *&* 39., ubi quod hoc procedit etiam ceſſante Inventarii Beneficio, *& coram Priol. dec.*222. *n.*15., *&* 16., *cor. Royas, dec.*482. *n.*11., *cor. Bich., dec.*56. *n.*14., *cor. Molines dec.*641. *pariter n.*14., *cor. clar. mem. Card. Caprar. dec.*426. *n.*8., *& diverſ. dec.*110. *per tot. par.*2., *& in rec. dec.*363. *n.*44., *& ſequen. part.*10. *cum aliis reaſſumptis in deciſ. R.P.D. mei Nunez* 27. *Februarii* 1733. §.14., cum qua pertranſierunt aliæ ſucceſſivæ deciſiones emanatæ tam coram eodem, quam coram R̃mo P. D. meo
3 Decano; procedentibus authoritatibus in contrarium allegatis pro parte defenſorum Comitis Mazzolani in terminis ſimplicis fideicommiſſi nullam in ſe ſe continentis ſpecialem prohibitionem alienationis reddentem factum alienantis ipſo Jure nullum, ac ita procedere, & eſſe intelligendas declaravit; *Rot. diverſ. dicta dec.*110. *n.*32. *part.*2.

Et eo maxime, dum ultra hoc conſtitit, Jacobum Actoris Patrem, & filium reſpective ſupramemorati Marcelli alienantis fuiſſe illius hæredem cum beneficio legis, & Inventarii, ac ſatis, ſuperque reddidiſſe rationem, nedum ex facto concordato inter Collitigantes, ſed etiam ex relatione periti Curialis ab hoc Sac. Auditorio electi ad inſtantiam Comitis Mazzolani ad hunc præciſum finem firmandi ſtatum hæreditarium Juſtiniani Senioris, & recognoſcendi, an bona fideicommiſſi univerſalis pariter ab illo inſtituti præter ſupradictam primogenituram ſatis fuiſſent pro detractionibus ad hæredes gravatos ſpectantibus, de quibus infra, & reſpective, an bona actu poſſeſſa per Actorem attingerent complementum ejuſdem primogenituræ, ſtante quod ex eiſdem facto concordato, & relatione Periti apparuit omnia bona in Inventario d. Marcelli Junioris deſcripta eſſe illamet obnoxia fideicommiſſo univerſali, & primogenituræ conditis a memorato Juſtiniano Seniore, & mobilia, veluti parvi momenti abſorpta remanere ab expenſis ultimæ infirmitatis, nec non funerum, & veſtium lugubrium.

Haud attento, quod duo corpora deſcripta in d. Inventario Marcelli Junioris, nempe Palatium Faventiæ exiſtens, & aliud Palatium rurale pretii ſcut.750. non ſint hæreditaria ſupradicti Juſtiniani Fideicommittentis, & quod prædicta mobilia fuerint æſtimata ſcut.1000., nec integre erogata dici poſſunt pro expenſis antedictis, dum de præciſa iſtarum quantitate doctum non fuit ab Actore; quia cum dd. bona, ac major pars dd. mobilium fuerint acquiſita non a præfato Marcello Juniore, ſed a præcedentibus hæredibus gravatis, qui ob inſignes alienationes factas de bonis fideicommiſſariis, & primogenialibus ſunt debitores pro illorum reintegratione in valde conſiderabili ſumma, ut retulit Peritus, omnis
4 præſumptio urget quod hæ acquiſitiones in dubio, & contraria voluntate acquirentium non demonſtrata, factæ præ-

præſumantur in locum bonorum alie-
natorum ; ut tradunt *Peregrin. conſ.35.*
n.7. lib.3., *&* *de fideic. art.44. n.28.*,
verſic. Aut. Sumus, *Giurb. ad conſue-*
tudin. Meſſ. cap.12., *Gloſſ.2. par.1.*,
Roſ. conſult.22. n.4., *Roee. diſput.Jur.*
ſelect. cap.46. n.38., aut ſaltem eidem
5 Actori competit dd. bonorum retentio
pro d. reintegratione , ut ſubdit idem
Peregrin. d.conſ.35. n.8., *&* *ſeq. lib.3.*,
Fuſar. de Subſtit. quæſt.636. n.5., &
firmant omnes deciſiones præcedentis
inſtantiæ .

Ejuſdem irrelevantiæ cognitum fuit
eſſe ſecundum objectum , quod Severo-
lus actu poſſideat totum , ac integrum
complementum primogenituræ ; Quia
ex relatione Periti ſuprad. ad hunc præ-
ciſum finem electi conſtitit ad rein-
tegrandam eandem primogenituram ,
adhuc deficere conſiderabilem ſum-
mam fere ſcut.14000. , & huic relatio-
6 ni Periti , uti judicialiter electi omni-
no ſtandum eſt ; *Rot. cor. Molin. de-*
ciſ.557. n.3., *cor. Rm̃o Criſpo*, *dec.302.*
n.2., *cor. clar. mem. Card. Falconer.*, *tit.*
de Invent. dec.4. n.1., *&* *cor. Herrer.*
dec.149. n.3. ; Potiſſimum quia conſi-
derato , quod non ſolum electio d. Pe-
riti fuit petita ad prædictum finem , &
ſuis ſumptibus a Comite Reo convento,
atque eidem ex benignitate hujus Sa-
cri Auditorii etiam in hoc judicio privi-
legiato Immiſſionis indulta , ſed etiam,
quod poſt editam eandem peritiam
idem Comes Mazzolanus ab ea non re-
clamavit , & paſſus fuit cauſam proſe-
qui , & ad ulteriora procedi coram
Rm̃o P. D. meo Decano in tertia inſtan-
tia ; in quibus circumſtantiis eo fortius
viſum fuit omnem fidem huic peritiæ
eſſe præſtandam . Etenim peritia , a
7 qua non fuit reclamatum tempore de-
bito , imo permiſſum , ut juxta ejus te-
norem procederetur ad ulteriora in
cauſa , cenſetur acceptata , & approba-
ta, ita ut non liceat amplius illam impu-
gnare , ac de aliquo errore redarguere;
ad Text. in leg. non diſtinguemus §.Cum
quidem 7. de recept. arbitr., *Rot. cor.*
Priol. dec.234. n.2., *&* *3.*, *cor. Duno-*
zett. Jun. dec.669. n.3., *cor. Anſald.*
dec.63. n.14., *cor. cl. mem. Card. Caprar.*
dec.302. n.4., *cor. Benincaſ. dec.362.*
n.7., *cor. Lancett. dec.848. n.1.*, *&* *in*
rec. dec.183. n.4. par.15., *&* *dec.251.*
n.19. par.17., *&* *firmatum fuit in de-*
ciſione Rm̃i P. D. mei Decani §.In pro-
banda .

Non ſuffragante , quod recenſitus Pe-
ritus in firmando ſtatu activo , & paſſi-
vo Fideicommittentis , & Conditoris
primogenituræ dubitative proceſſerit ,
eoſdem ſtatus modo præfiniendo , &
determinando in una ſumma , & modo
in altera , ſecundum diverſas Colliti-
gantium inſinuationes , & ideo uti nil
certi determinans nullam mereatur re-
flexionem ; hoc namque viſum fuit cor-
ruere ex ipſa relatione Periti , in qua
re diſcuſſa , & examinata , recognitis
omnibus documentis , tandem conclu-
dit , quod quatenus ſecernendæ eſſent
illæ prætenſiones excitatæ a Com. Maz-
zolano , primogenitura pro ſui reinte-
gratione remanet creditrix in ſc.10000.,
& quatenus hæc ſecretio facienda non
eſſet , creditum ejuſdem primogenitu-
ræ aſcendit ad ſupradictam ſummam
ſc.14000. , quod nullam continet du-
bietatem , vel incertitudinem .

Minuſque , quod d. peritia ſit erro-
nea ex quibuſdam calculis exhibitis a
Com. Mazzolano . Quandoquidem ſi-
8 milis exceptio contra Peritum ab ex-
cipiente electum , ejuſque relationem
acceptatam , ac approbatam , nunquam
admittitur , niſi error plene , & con-
cludenter , ac manifeſtiſſime fuerit com-
probatus ; *Rot. cor. Emer. Jun. dec.1086.*
n.11., *cor. clar. mem. Card. Falconer. tit.*
de uſur. dec.29. n.4., *&* *in rec. dec.533.*
n.1. part.3., *dec.324. n.14.*, *&* *16.*
par.10., *dec.211. n.52. par.19.* ; Et pro-
batio hujuſmodi nequit dijudicari facta
ex dd. calculis , tum quia illi fuerunt
efformati a d. Comite Reo convento ,
atque ad ejus placitum; tum etiam quia
illi fundantur in quibuſdam foliis an-
ni 1623. Status hæreditari Fideicom-
mittentis , qui eſt prorſus erroneus , ut
recte oſtendunt præcedentes *deciſiones*
cor. R. P. D. meo Nunez ; & licet folia
dicti ſtatus in hoc Sac. Auditorio fue-
rint in alio judicio approbata , hoc ni-
9 hilominus non prohibet, quod illa pro-
pter errores ex poſt detectos in hodier-
no judicio reprobentur ; tum demum

quia ſuper dicto ſtatu, ac aliis præten-
ſionibus inter Collitigantes fuit concor-
datum factum coram R. P. D. meo Nu-
nez, & juxta tenorem ejuſdem facti
concordati prodiit ſupraenuntiata pe-
ritia; Unde eo magis hodie datum non
eſt Reo convento ſimilibus extrajudi-
cialibus calculis impugnare præfatam
peritiam, eamque notare de aliquo er-
rore, & ſic proprium factum, & con-
10 feſſionem eludere, a qua nunquam
eſt diſcedendum, non exhibitis in con-
trarium clariſſimis, & concludentiſſi-
mis probationibus; *Rot. coram Rm̃o
Criſpo dec.302, a n.3. ad 6., & coram
clar. mem. Card. Falcon., tit. de fideic.
dec.49. n.13.*

Poſtremo inutilis apparuit repetitio
Tertii objecti prætenſæ per Mazzola-
num retentionis controverſorum bo-
norum primogenituræ ſubjectorum ex
cauſa detractionum competentium pri-
mo hæredi gravato; quia cum hìc aga-
11 tur de primogenitura, & fideicom-
miſſo particulari, ſuper iſto fieri non
poſſunt detractiones, niſi in caſum ſub-
ſidii, & inſufficientiæ fideicommiſſi uni-
verſalis; *Rot. cor. Ubag. dec.16. n.28.,
& ſeq., & in recen. dec.399. n.21.,
& 22. par.9., & dec.12. n.37. par.10.*,
12 qui caſus omnino probandus eſt ab
eodem Comite Mazzolano, ut diſtin-
guendo tradunt; *Argel. de acquiren.
poſſeſſ. artic.40. a n.1060., uſque ad
n.1093., Gobb. conſult.121. n.39.,
Adden. ad Ludoviſ. dec.266. n.46., Rot.
cor. Cavaler. dec.246.*, cum aliis cumu-
latis in deciſione præcedentis inſtantiæ,
*cor. R. P. D. meo Nunez 27. Februa-
rii 1733. §. Nullo prorſus.*

Atque in hac probatione deficere
Reum conventum, non fuit dubitatum,
cum Marcellus Senior primus hæres
gravatus, ex cujus perſona petuntur
detractiones, nullum confecerit Inven-
13 tarium de bonis hæreditariis Juſtinia-
ni Fideicommittentis, & Conditoris
Primogenituræ, ſine quo dari non
poteſt dicta probatio, & ſub prætextu
detractionum impediri Immiſſio, ut in
hoc præciſo caſu Fideicommiſſi parti-
cularis, quidquid ſit quoad Immiſſio-
nem petitam in vim Fideicommiſſi uni-
verſalis, firmat *Rot. cor. Cerr. dec. ultim.
n.11., & ſeq., cor. Priol. dec.348. n.4.,
cor. Coccin. dec.1358. n.9., cor. Dunoz-
zett. Jun. dec.800., & 815. per tot.,
& in rec. dec.47. n.2., & dec.77. n.2.,
3. part.5., & dec.12. n.37., & ſeqq.
par.10.*, probantque omnes deciſiones
præcedentis Inſtantiæ cor. eodem R.P.D.
meo Nunez, & Rm̃o P. D. meo Deca-
no, ſignanter dum idem Inventarium
14 videtur doloſe omiſſum propter ſpre-
tum præceptum memorati Teſtatoris
Marcello injunctum illud conficiendi,
quod adauget rationem impoſſibilitatis
d. probationis, & non retardandi prop-
ter illam petitam Immiſſionem; *Gra-
tian. diſcept. foren. cap.570. n.21., Rot.
cor. Duran. deciſ.165. n.19., & de-
ciſ.194. n.5., & 6., & dec.238. n.14.,
& dec.239. n.8., & cor. Dunozett. Jun.
dec.681. num.5.*

Nec idem Inventarium ſuppleri po-
tuit ex quibuſdam foliis Status hæredi-
tarii Juſtiniani jam ſupra enuntiatis, &
confectis anno 1623. inter recenſitum
Marcellum Seniorem hæredem grava-
tum, & ejus fratrem; Tum quia folia
prædd. non fuerunt confecta immediate
15 poſt obitum Teſtatoris, ſed biennio
poſt, & conſequenter loco legitimi In-
ventarii haberi nequeunt; *Rot. in Eu-
gubina Fideicommiſſi 24. Martii 1710.
§. Final., cor. clar. mem. Card. Scotto,
& in eadem ſuper Detractionibus, &
Melioramentis 16. Martii 1711. §. Nec
vices cor. eodem, confirmata cor. cl. me.
Card. Falconerio, tit. de Inventar. de-
ciſ.2. n.1.*; Tum etiam, quia, ut ſupra
dictum eſt, & expenditur in *Deciſio-
nibus R. P. D. mei Nunez*, dd. folia
16 pluribus ſcatent defectibus, & omiſſio-
nibus ſubſtantialiſſimis, ut dubio pro-
cul ſupplere nequeant vices legitimi In-
ventarii; *Rota in dicta Eugubina Fi-
deicommiſſi ſuper Detractionibus, &
Melioramentis 16. Martii 1711., eo-
dem §. Nec vices cor. eodem Card. Scot-
to, & in Peruſina Aſſociationis 3. De-
cembris 1736. §. Hæc præmiſſa, coram
R.P.D. meo Buſſio*; Hæc autem omnia
17 turbidas reddunt dd. Detractiones,
quæ proinde ex omni parte inefficaces,
& ineptæ dijudicatæ fuerunt ad retar-
dandam petitam Immiſſionem, *ut alias
dixit Rot. in rec. dec.12. n.44. part.10.*

Et

Digitized by Google

Et ita DD. rejecta etiam Inſtantia Comitis Mazzolani ſuper electione Periti tamquam incongrua in hiſce circumſtantiis ſuper dicto puncto complementi Primogenituræ reſponderunt utraque &c.

NARNIEN. FIDEICOMMISSI.

Veneris 20. Junii 1738.

ARGUMENTUM.

Filii in conditione poſiti cenſentur ob prædeceſſum patris diſpoſitive vocati, ubi pater ſubſtitutus erat, ſecus ubi ipſe quoque ſimpliciter in conditione erat poſitus: Data vero ſubſtitutione patris, filiorum vocatio ob ejus prædeceſſum inducitur, ſi alias ipſi inhabiles remaneant ad acquirendam legitimam ſucceſſionem ejus, cui pater ſubſtitutus fuerat. Ex quibus conjecturis inducatur, vel non vocatio poſitorum in conditione.

SUMMARIUM.

1 *Deficiente vocatione Immiſſio nunquam conceditur.*

2 *Poſiti in conditione ſimpliciter ad excluſionem ſubſtituti, ceſſante vocatione a ſtatuto inducta, diſpoſitive vocati non cenſentur.*

3 *Tunc prædecedente Patre filii in conditione poſiti cenſentur diſpoſitive vocati, ubi pater fuerit ſubſtitutus, & vocatus in defectum hæredis gravati, ita ut ob ejus mortem filii privati remaneant legitima ſucceſſione*, vid. num. 11.

4 *Secus vero ubi ipſe quoque Pater ſimpliciter in conditione poſitus fuit ad excluſionem ſubſtituti.*

5 *Dictio* Quandocunque *importat compendioſam, ſub qua Fideicommiſſa continetur.*

6 *Ex compendioſa adjecta perſonis parentum reciproce ſubſtitutorum non deducitur argumentum pro vocatione filiorum in diſpoſitione poſitorum.*

7 *Ex poſitione in conditione tam filiorum, quam Nepotum non cenſetur in filiis repetitum gravamen reſtitutionis injunctum parentibus abſque filiis decedentibus:*

8 *Quo deficiente etiamſi Nepotes fuerint in conditione poſiti, non per hoc filii diſpoſitive vocati cenſentur.*

9 *Vocatio non inducitur ex ſimplici aſſertione prætenſi vocati;*

10 *Non vocato autem ſucceſſio non debetur.*

11 *Ut filii in conditione poſiti ob prædeceſſum patris vocati non cenſeantur, ſufficit, quod iis præſervata remaneat legitima ſucceſſio ejus, cui pater ſubſtitutus fuerat.*

12 *Nepotes quoad legitimam ſucceſſionem Aviæ intrant in locum Parentum defunctorum.*

13 *Subſtitutio ordinata ſub conditione obitus hæredis ſine filiis, ea non eveniente, evaneſcit, & bona libera manent apud eundem hæredem.*

14 *Ubi deficiant contemplatio agnationis, ac digreſſus ad plures gradus ſubſtitutionum, vel ſaltem altera ex hiſce duabus conjecturis non concurrat, ceteræ, puta reciproca inter hæredes, & etiam inter ſubſtitutos, qualitas legitimitatis, ſubſtitutio proximiorum minus dilectorum, Clauſula Codicillaris, alia Clauſula* omni meliori modo, *inefficaces ſunt ad inducendam vocationem poſitorum in conditione etiam in fideicommiſſo aſcendentali.*

15 *Ex vocatione filiorum ſine qualitate maſculinitatis, & ex ſubſtitutione filiarum excluditur contemplatio agnationis.*

16 *Subſtitutiones dependentes ab eadem conditione* ſi ſine liberis *pro unica habentur.*

DECISIO CXVI.

Contendentes Philippus, & Juſtina de Alvis poſt obitum Joſephi Franciſci Patris eorum favore ſecutam fuiſſe purificationem Fideicommiſſi conditi Anno 1649. ab Andrea Moricotto de Terra S. Gemini, Judicium Immiſſionis in poſſeſſionem medietatis quorundam Bonorum ab hæreditate Fideicommittentis provenientium, & de an. 1706. alienatorum a Martha illius filia, & Paulo Antonio, atque Joſepho Franciſco iſtius filiis in perſonam Joannis Georgei de Tertiis pretio ſc.2250., inſtruxerunt cor clar. mem. Card. Anſideo

ſideo tunc in ſubſellis A. C. laudabiliter ſedente, ſed hæc eorum Inſtantia rejecta remanſit, mediante definitiva ſententia, quæ etiam ob non interpoſitam appellationem tranſitum fecit in rem judicatam, adverſus quam obtenta a dd. Actoribus reſtitutione in integrum, cauſa hæc devoluta remanſit ad Sac. Auditorium, quod coram bon. mem. Ratto Dubio propoſito in Rota diei 2. Julii 1731. reſpondit: *conſtare de re Judicata*; ex fundamentis enucleatis in deciſione per eundem evulgata.

Conceſſa autem nova Audientia, Ego uti ſubrogatus in locum d. bon. mem. Ratto eandem repropoſui Cauſam in Rota 14. Junii ſuperioris anni ſub conſueto Dubio: *An eſſet ſtandum, vel recedendum a deciſis*; & ob ſuffragiorum paritatem nulla fuit capta reſolutio: Hodie vero denuo idem repropoſui dubium, & DD. concluſerunt: *ſtandum eſſe in deciſis*: moti ex defectu vocatio-
1 nis actorum, quæ præcipuum eſt requiſitum pro obtinenda Immiſſione, & qua non verificata, illa nunquam competit, nec conceditur; *Ineſeb. de adipiſcen. poſſeſſ. remed. 4. n. 724.*, *Card. de Luc. de Judic. diſc. 44. n. 39.*, *Rota cor. Coccin. dec. 2218. n. 1.*, *& in rec. deciſ. 405. n. 15. par. 9.* & firmat præterita deciſ. cor. bon. mem. Ratto *quæ revidetur* §. *Nullo autem*.

Licet enim memoratus Andreas Teſtator Hieronymo, ac Laurentio ſuis filiis hæredibus univerſalibus inſtitutis obeuntibus abſque filiis legitimis, & & naturalibus ſubſtituerit tres ejus filias, nempe Martham Uxorem Fælicis Antonii Alvi, Mariam Franciſcam, & Liviam ſub his verbis: *& ſi aliquis dd. ſuorum filiorum decederet abſque filiis legitimis, & naturalibus ex ſe genitis ſubſtituit alterum, & ambobus decedentibus ſine filiis legitimis, & naturalibus, ut ſupra ſubſtituit in ejus hæreditate, & Bonis &c. DD. Martham Uxorem D. Fælicis Antonii Alvi, Mariam Franciſcam, & Liviam ejus filias legitimas, & naturales*, quemadmodum de facto ex poſt verificato dicto caſu, nempe obitu filiorum Andreæ abſque filiis, ſubſtitutio hæc habuit ſuum effectum in Martha, & Livia filiabus ſuperſtitibus, quibus hæreditas Teſtatoris delata fuit, & inter eaſdem diviſa; Et licet etiam idem Teſtator in hoc caſu purificatæ ſucceſſionis in dd. ejus filiabus ſubdiderit: *& unaquaque ipſarum quandocunque decedente ſine filiis legitimis, & naturalibus ſubſtituit alteram, earumque filios, & filias, & omnibus ſupradictis ejus filiabus, earumque filiis, & nepotibus ejuſdem Teſtatoris morientibus abſque filiis legitimis, & naturalibus in ejus hæreditate Proximiores Conſanguineos de Cippo Domus.*

Non per hoc tamen, quod medietas dictæ hæreditatis delata remanſit ad ſupradictam Martham, ut mox dictum eſt, & ex illa ultra Paulum Antonium ortus fuit Joſeph Franciſcus, & ex iſto orti fuerunt memorati Actores, dici poteſt, quod iſti in præfata teſtamentaria diſpoſitione, ſive fideicommiſſo ſint vocati, cum inſpecto toto illius contextu, ac tenore appareat, atque conſtet filios dictæ Marthæ, ac iſtorum filios
2 fuiſſe unice poſitos in conditione ad effectum excludendi proximiores Conſanguineos de Cippo domus ultimo loco ſubſtitutos, & conſequenter, ceſſante ſtatutaria diſpoſitione in contrarium, non cenſentur diſpoſitive vocati; juxta ſatis notam *Gloſſam in l. Lucius la 2. ff. de hæred. inſtituen.*, *& ex illa Card. de Luc. de fideicom. diſc. 34. num. 13.*, *Adden. ad Buratt. dec. 834. n. 18.*, *Rot. cor. Merlin. dec. 447. n. 11. cum aliis adductis in d. præterita deciſ. bon. mem. Ratto §. Multo autem minus*.

Nec officit, quod quando Pater ſubſtitutus, & vocatus ſub conditione -- *ſi ſine filiis* -- præmoritur Teſtatori, vel hæredi gravato, ut evenit in caſu præſenti, in quo Joſeph Franciſcus Pater Actorum prædeceſſit Marthæ ejus Matri, tunc filii illius, etſi poſiti in conditione cenſentur diſpoſitive, & per fideicommiſſum invitati; Quandoquidem limitatio hæc procedit, & recipi-
3 tur unice in eo caſu, in quo Pater prædecedens fuerit ſubſtitutus, & vocatus in defectu hæredis gravati, & illius filii in conditione poſiti per talem prædeceſſum privati remaneant ſucceſſione, ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento in iis bonis, in quibus ſi Pater ſubſtitutus ſu-

Digitized by Google

ſupervixiſſet, & ſucceſſiſſet, ipſi filii ſuccedere etiam, ut ſupra, potuiſſent, & ſic hæreditas Jure ejuſdem fideicommiſſi ex dicto prædeceſſu devolvatur ad ſubſtitutum extraneum, ut bene declarant *Fuſar. de Subſtitut. quæſt.437. n.71.*, *bon. mem. Anſald. in annot. ad dec.89. n.91.*, *Rota poſt Conſtant. ad Stat. Urb. dec.111. ſub.n.20.*, *cor. Benineaſ. dec.225. n.7.*, *cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de fideicomm. dec.17. n.4.*, *& dec.18. n.3.*, *& ſeqq.*, *& cor. Rmo Criſpo dec.323. per tot.*, & in dd. terminis loquuntur omnes authoritates ab Actoribus allegatæ.

Neutrum ex his verificari in ſubjecta hypotheſi viſum fuit, & propterea eſſe penitus extraneam ab illa ſupraenuntiatam regulæ limitationem; Et ſane non primum circa directam ſubſtitutionem, ſive vocationem per fideicommiſſum memorati Joſephi Franciſci reſpectu portionis bonorum obventæ Marthæ Matri; nam in hac parte filii ejuſdem Marthæ ſolum leguntur poſiti in
4 conditione ad effectum excludendi reliquas duas ſorores reciproce ſubſtitutas ibi — *Et unaquaque ipſarum quandocunque decedente ſine filiis legitimis, & naturalibus ſubſtituit alteram* —; Unde recurrit, quod idem Joſeph Franciſcus, ac reliqui filii ejuſdem Marthæ uti poſiti in conditione nullo modo cenſeri poſſunt vocati per fideicommiſſum ad eandem portionem hæreditatis ad dictam Martham devolutam ex ſupra firmatis.

Haud relevante, quod Teſtator in dicta reciproca filiarum ſubſtitutione mentionem fecerit earum mortis ſub
5 eo verbo — *quandocunque* — quod regulariter importat ſubſtitutionem compendioſam includentem in ſeſe fideicommiſſariam; quia idem verbum fuit adjectum perſonis filiarum reciproce
6 ſubſtitutarum morientibus abſque filiis, Ideoque ex dicta ſubſtitutione compendioſa non valet deduci argumentum ad vocationem filiorum in conditione poſitorum; *Rot.poſt Merlin. dec.129. n.5.*, *cor.Cavaler. dec.469. n.7.*, *& ſequen.*, *cor.Cerro dec.516. n.15.*, *cor.bon. mem. Molines dec.243. n.6.*, *plene in Fanen, Immiſſionis 18. Februar.1724. §.Quantum enim coram Emo Aldrovando*, *& 16. Februarii 1728. coram R.P.D. meo Millino.*

Minuſque relevantibus verbis ſucceſſivæ ſubſtitutionis proximiorum Conſanguineorum de Cippo domus Teſtatoris, in quibus non ſolum habetur mentio filiorum Marthæ, ſed etiam iſtorum filiorum ibi — *Et omnibus ſupradictis ejus filiabus, earumque filiis, & nepotibus ejuſdem Teſtatoris morientibus abſque filiis legitimis, & naturalibus ſubſtituit in ejus hæreditate proximiores Conſanguineos de Cippo Domus* — Quia verba hæc demonſtrant quidem dictam Proximiorum ſubſtitutionem fuiſſe a Teſtatore ordinatam ſub duplici conditione *ſi ſine filiis*; Altera nempe quatenus Martha, & reliquæ ſorores obirent *ſine filiis*, ac altera quatenus iſtarum filii ſine filiis decederent; ſed tamen non important, quod illud grava-
7 men reſtituendi Proximioribus in litera injunctum eiſdem ſororibus obeuntibus abſque filiis, cenſeatur repetitum in iſtarum filiis in conditione poſitis, eo ipſo, quod hoc gravamen reſtitutionis expreſſe, atque nominatim hiſce filiis in conditione poſitis non legitur demandatum, & propterea hoc defi-
8 ciente, etſi etiam filii filiorum ſororum fuerint poſiti in conditione, non dicuntur per hoc eorum Patres diſpoſitive vocati, nec ſubſtituti ſupradictæ Marthæ; juxta *Bartol. in leg.ſed etſi ff. de legat.3.*, *Bald. in l. ab eo n.8. Cod.de fideicomm.*, *Peregrin. conſil. 33. n.10. lib.3.*, *Bellon. Jun. conſil.26. n.59.*, *Fuſar. de Subſtitut. quæſt.437. n.147.*, *Fontanell.de pact. nupt. tom.1. clauſ.4.*, *Gloſſ.24. n.6.*, *Mantic. de conject. ult. volunt. lib.11. tit.3. ſub n.2. verſ. hæc autem*, *Faber. in Cod. lib.6. tit.22. de fideicomm. defin.2.*, *Rot. cor. Cavaler. dec.454. n.3.*, *& in rec. dec.119. n.6.*, *& ſeqq. par.17.*, & articulo ſedulo diſcuſſo *in Avenionen. Fideicom. 9. Martii 1731.*, *& 7.Decembris ejuſdem anni cor. Emo D. Card. Aldrovando.*

Nec promeruit reflexionem, quod d.Joſeph Franciſcus Actorum Pater in venditione horum bonorum aſſeruerit ſeſe vocatum una cum Matre ad hoc fideicommiſſum, & in ſeſe illud expiraſſe;

raſſe; quia conſtitit ex præmiſſis nullo
modo d. Joſephum Franciſcum fuiſſe
diſpoſitive vocatum, ac ſubſtitutum
9 Matri, proptereaque non potuit hæc
vocatio, ac ſubſtitutio induci ex dicta
aſſertione; *Rot. coram Royas dec.117.*
n.33., cor.Celſo dec.410.n.17., cor.bon.
mem.Molin. dec.581.n.6., & dec.616.
n.14., & in rec. dec.98.n.16.par.10.,
& dec.112.n.3.par.11.

Itidemque deficere, ac non verifi-
cari compertum fuit ſupradictum alte-
rum extremum, quod filii Joſephi Fran-
ciſci ob iſtius prædeceſſum privati re-
manſerint legitima ſucceſſione in bonis
Marthæ delatis; Tum quia ſi, ut ſupra
viſum eſt, Joſeph Franciſcus non fuit
ſubſtitutus, nec vocatus ad portionem
Matris, etiamſi ſupervixiſſet, nil pe-
nitus prætendere potuiſſet de dd. Bo-
10 nis, cum non vocato non debeatur
ſucceſſio; ut ultra ſupra adductos tra-
duut *Altograd. Jun. con.97. n.4., Pe-*
regrin. de fideicomm. artic.43. num.2.,
& 35., Rota cor. Seraphin. dec.1486.
n.1., & cor. Priol. dec.124. n.2.; Tum
11 etiam quia, ubi adhuc vocatus fuiſſet,
ejus prædeceſſus non obfuiſſet illius fi-
liis quoad legitimam ſucceſſionem,
quæ remanentibus Bonis apud eandem
Martham eorum Aviam, eiſdem uti
ſubintrantibus in locum Patris defun-
12 cti, & occupantibus primum gradum
legitimæ ſucceſſionis reſpectu ejuſdem
Marthæ ſemper competiiſſet; *§. Cum fi-*
lius inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. de-
fer., Gloſſ. in leg. cum ita §. In fideicom-
miſſo verb. primo gradu ff. de Legat.2.
Jaſon. in leg.2. n.4. Cod. de ſucceſſ. edict.,
Rota in rec. dec.5. n.20. par.6.

Non obſtante ſucceſſiva vocatione
Proximiorum Conſanguineorum de Cip-
po Domus Teſtatoris; Quia cum iſta,
13 ut viſum eſt, ordinata fuerit ſub du-
plici conditione obitus ſine filiis, eo ip-
ſo, quod hoc non evenit, & filii tam
Marthæ, quam Joſephi Franciſci exti-
terunt, dicta ſubſtitutio Proximiorum
evanuit, ac expiravit, & Bona Mar-
thæ obventa libera remanſerunt apud
ipſam, & totaliter immunia a quacun-
que reſtitutione favore proximiorum;
juxta celebre *Conſilium Oldradi* 21.
communiter receptum ut apud *Faſar.*
de ſubſtit. quæſt.480. n.1., & ſequen.,
Rota cor. Pamphil. dec.442.n.2., coram
Coccin. dec.564. n.6., cor. Emer. Jun. de
ciſ.203. n.3., & in rec. deciſ.568. n.6.
part.18. tom.2.

Tum denique quia venditionem con-
troverſorum Bonorum factam favore il-
lorum de Tertiis a Paulo Antonio, tam
nomine ſuo proprio, quam nomine ſu-
pradictæ Marthæ Matris, atque etiam
nomine Joſephi Franciſci illius Fratris,
& Patris reſpective Actorum, idem Jo-
ſeph Franciſcus approbavit, & ratifi-
cavit, recipiendo ab Emptoribus ſc.230.
pro ſua rata in pecunia numerata, &
reſervando ſibi Jus petendi ſupplemen-
tum contra d. Paulum Antonium Fra-
trem principalem venditorem; Ideo-
que ſi præfatus eorundem Actorum Pa-
ter etiam Bona vendidit, & aſſecutus
fuit pretium, ſuamque portionem, ex
facto ceſſare viſum eſt dd. Actorum
ſuppoſitum, quod ille morte præven-
tus, nil de fideicommiſſo conſecutus
fuerit.

Excluſo hoc fundamento per Actores
deducto tanquam primario, & princi-
paliter, ac uti de per ſe etiam ſufficien-
te ad demonſtrandam eorum vocatio-
nem, fruſtra inde recurrebatur ad alias
14 conjecturas, ex quibus contendebatur
etiam erui eandem eorum vocationem,
deſumptam ex reciproca ordinata tam
inter filios primo loco inſtitutos, quam
inter filias ſubſtitutas, ex qualitate eo-
rum legitimitatis, ex ultima ſubſtitutio-
ne favore Proximiorum de Cippo Do-
mus minus dilectorum Teſtatori, ex
Clauſulis Codicillaribus, *& omni me-*
liori modo, & ex quo demum agatur de
Teſtamento ab Aſcendente condito;
Quandoquidem conjecturę hujuſmodi,
aliæque ſimiles ſunt leviſſimæ, & undi-
que inefficaces ad inducendam voca-
tionem filiorum in conditione poſito-
rum, quotieſcunque, ut hic, una
cum illis deficiant illæ duæ, quæ ſunt
principales in hac materia, nempe con-
templatio agnationis, & digreſſus ad
plures gradus ſubſtitutionum, aut ſal-
tem altera ex eis non concurrat, etiam
ſi agatur inter deſcendentes; *Conſtan-*
tin. ad Stat. Urbis annot.36. artic.2.
n.161. & 162., Rot. cor. Royas dec.110.

n.2.

n.2., & dec.123. n.2. & 3., late coram cla. me. Card. Falconer. tit. de fideicom. dec.40. per tot., ubi rejiciuntur omnes præmiſſæ conjecturæ, & firmat *præterita deciſio bon. mem. Ratto* §. 10. *& ſequen.*, ubi pariter præfatæ conjecturæ ſingillatim refelluntur.

Quod autem ſæpedictus Teſtator non habuerit rationem conſervandi agnationem, patefit ex tenore recenſitæ
15 ejus Teſtamentariæ diſpoſitionis, atque ex ſimplici vocatione ejus filiorum abſque ulla expreſſione maſculinitatis, ac ſubſequenti ſubſtitutione filiarum; *Caſtald. conſult. Forenſ.*34. *n.*7. & 8., *Rot. cor. Peutinger. dec.*258. *n.*7., & *in rec. dec.*241. *n.*5., & *dec.*423. *n.*6., & 7. *part.*9., & *dec.*287. *pariter n.*6., & 7. *part.*19., & proſequitur eadem *præterita deciſio, quæ revidetur* §. *Aſſumendo*: Et quod inſuper non devenerit ad plures gradus ſubſtitutionum, conſtat ex eo, quod illæ binæ ſubſtitu-
16 tiones a Teſtatore factæ dependent a prima conditione filiorum morientium abſque filiis, quæ pro unica ſubſtitutione reputantur; ut pariter probat dicta *præterita Deciſio* §. *Multoque minus*, & ultra eandem *Bellon. Jun. conſi.*26.*n.*62. *in fine*, *Giovagnon. conſi.*82.*n.*20.*lib.*1., *Rota in recent. dec.*401.*n.*19.*part.*9.

Et ita DD. in hac ſecunda Propoſitione reſponderunt, in reliquis ſeſe remiſſive habendo ad præcedentem deciſionem bon. me. Ratto, & utraq. &c.

GRAVINEN. CENSUS.

Lunæ 23. Junii 1738.

ARGUMENTUM.

Cenſu nullo exiſtente unice ob non impetratum Beneplacitum apoſtolicum, debentur ab Imponente fructus loco damnorum, & intereſſe; etiamſi creditor uſque ab initio certior fuerit de invaliditate contractus proveniente ex defectu d. Beneplaciti, ad differentiam caſus, ubi pariter uſque ab initio noverit invaliditatem cenſus orientem ex defectu Dominii fundi in Imponente, vel facultatis per eundem impetrandæ a Domino. In inveſtimentis activis locorum piorum non requiritur nec Beneplacitum Apoſtolicum, nec auctoritas Ordinarii.

SUMMARIUM.

1 *Quoties Cenſus non eſt nullus ob non ſervatam formam præſcriptam in Conſtitutione S. Pii V., ſed ratione materiæ ob non reportatum Beneplacitum Apoſtolicum, tunc adminiſtrator loci pii impoſitor Cenſus tenetur ad ſolutionem fructuum loco damnorum, & intereſſe.*

2 *Et quamvis fructus non debeantur, quoties Creditor Cenſus uſque ab initio novit invaliditatem contractus;*

3 *Tamen id procedit, ubi nullitas provenit ex defectu Dominii fundi in Imponente, vel facultatis per ipſum reportandæ a Domino; non vero ubi oritur ex defectu Beneplaciti Apoſtolici;*

4 *Quia iſtud poteſt ſubſequi contractum, & impetrari eum retrotractione, & revalidatione uſque ab initio;*

5 *Unde ille remanet in implicito ſtatu validitatis, & Creditor in bona fide, ac conſequi valet fructus loco damnorum, & intereſſe.* & num.9.

6 *Adminiſtrator loci pii cenſum imponens debet Beneplacitum Apoſtolicum impetrare, licet ad illud obtinendum teneatur Creditor.*

7 *Maxime ſi Epiſcopus ei impoſuerit onus ſervandi debitas cautheias.*

8 *In Inveſtimentis activis non requiritur nec Beneplacitum Apoſtolicum, nec authoritas Ordinarii.*

9 *Si a neutra parte impetratum fuerit d. Beneplacitum, Adminiſtrator Cenſum imponens ad fructus tenetur uſque ad diem declaratæ nullitatis.*

10 *Quoties Cenſum imponens ſe obligat ad ſolutionem fructuum loco damnorum & intereſſe in caſu invaliditatis ex quocunque capite provenientis, eos de facto ſolvere tenetur, ſive Beneplacitum Apoſtolicum impetratum non fuerit ob ejus negligentiam, ſive ob negligentiam Creditoris ipſius Cenſus.*

DECISIO CXVII.

IMpoſuerunt ſub die 18.Maii 1731.Canonicus Angelus Paſſamonti, Pius Lamanna, Salvator Caprio, Joſeph Benchi, & Nicolaus Bleo uti Adminiſtratores, ſeu Procuratores tam Seminarii, quam nonnullarum Cappellarum exi-

ſtentium in Eccleſia Cathedrali Gravinæ ſuper tamen iſtarum Cappellarum bonis cenſum in ſorte principali ducatorum 3000. ad rationem ducatorum quatuor cum dimidio pro quolibet centenario, & anno favore Conventus, & PP. Ordinis Prædicatorum ejuſdem Civitatis.

Licet autem in facultate, ſive licentia creandi eundem cenſum ſuper bonis præfatarum Cappellarum a Pro-Vicario Generali Gravinen. conceſſa, injuncta fuiſſet conditio in ea ſervandi neceſſarias cautelas. Attamen recenſiti Adminiſtratores, ſeu Procuratores neglexerunt tam ante, quam ex poſt obtinere a S. Sede ſolitum Beneplacitum Apoſtolicum; Quin imo cum agnita ex hujus defectu nullitate præfati cenſus impoſitionis ipſimet PP. Creditores recurriſſent prius ad SSmum Dominum Noſtrum fęliciter Regnantem, & inde ad Sac. Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, cui remiſſus extitit ſupplex libellus eidem Sanctiſſimo porrectus pro ſanatione ejuſdem cenſus, eadem Sac. Congregatio ſub die 18. Septembris anni 1733. reſpondit -- *Nihil de ſanatione, & partes utantur jure ſuo.*

Qua de re iidem PP. in hoc ſtatu convenerunt ſupradd. Procuratores coram A. C. pro reſtitutione ſortis principalis cenſus ducatorum 3000., & ſolutione ejus fructuum decurſorum, & obtinuerunt relaxationem mandati executivi pro reſtitutione d. ſummæ, reſervato jure agendi pro conſecutione fructuum loco damnorum, & intereſſe, a quo Judicato devoluta ad inſtantiam dd. Procuratorum cauſa ad hoc Sac. Auditorium, eaque commiſſa R.P.D. meo Nunez, & propoſita in Rota diei 10. Martii currentis anni 1738., præfati Procuratores nedum condemnati fuere ad reſtitutionem ſortis memorati cenſus, verum etiam ad ſolutionem fructuum.

Adhuc vero eiſdem Procuratoribus reclamantibus, & directa pro eorum parte mihi nova commiſſione in gradu ulterioris appellationis, propoſui hodie conſuetum dubium -- *An Sententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda* --, & prodiit reſponſum pro illius *confirmatione*.

Quæſtio enim nulla fuit ſuper validitate dictæ ſententiæ, ejuſque juſtitia quoad reſtitutionem ſupra enunciatæ ſummæ ducatorum 3000., ſed tota contentio ſtetit ſuper ſolutione fructuum, ad quam Procuratores teneri, DD. iterum exiſtimarunt; quandoquidem impoſitio ſupradicti cenſus ſecuta ſuper bonis Cappellarum abſque Beneplaci-
1 to Apoſtolico non fuit nulla ex defectu formæ præſcriptæ in nota Conſtitutione S. Pii V. ſuper cenſibus, ideſt ob deficientiam numerationis pecuniæ, vel ob non factam deſignationem certi fundi; ſed nulla tantum apparuit ex defectu materiæ, nempe ſolemnitatis ob non reportatum Beneplacitum Apoſtolicum, conſequenterque debitores non obſtante hac nullitate adſtricti remanent ad ſolutionem fructuum dicti cenſus loco damnorum, & intereſſe; ad tradita per *Cenc. de cenſ.* qui unum caſum ab altero diſtinguit *quæſt.*88. *n.*15., & pariter diſtinguendo firmavit; *Rot. cor. Emerix Jun. dec.*582. *n.*4., *& ſequen.*, *& dec.*626. *per tot.*, *cor. bon. mem. Molines dec.*763. *n.*8., *in rec. dec.*11. *n.*26., *&* 30. *par.*12., *deciſio* præcedenti inſtantiæ *R. P. D. mei Nunez* §. *Conſtabilito*.

Nec relevat, quod PP. Dominicani certi fuerint uſque ab initio de invali-
2 ditate contractus, ſive cenſus, eo ipſo, quod illius impoſitionem permiſerunt abſque Beneplacito Apoſtolico ſuper bonis Cappellarum, proptereaque dd. fructus non debeantur; juxta *Cenc. de Cenſ. quæſt.*106. *n.*4., *&* 8., *Card. de Luc. pariter de cenſ. diſc.*8. *n.*5., *&* 6., *Rot. cor. Dunozett. Jun. dec.*414. *n.*8., *&* 9., *& dec.*972. *n.*7., *& cor. Cerro dec.*32. *n.*6., *& ſeq.*, *& cor. bon. mem. Molines, dec.*82. *num.*9. Quoniam hoc
3 procedit in explicita ſcientia nullitatis provenientis ex defectu aliarum facultatum penes debitorem imponentem, & non valentem ſine illis cenſum imponere, ut quia non ſit Dominus fundi, vel imponens non habeat talem facultatem a Domino illius; non autem reſpectu nullitatis deſcendentis ex defectu Beneplaciti Apoſtolici, quod ad
4 differentiam dictarum aliarum facultatum poteſt etiam ſubſequi, & ex poſt im-

impetrari cum retrotractione, & revalidatione reſpective actus uſque ab initio; *Card. de Luc. de alienat. diſcurſ. 1. n. 56., & ſeq., Sperell. dec. 155. n. 7., & ſeq., & n. 19., Rot. coram Coccin. dec. 374. n. 3., & per tot., & cor. Duran. dec. 397. n. 9., & ſeqq.*, & cujus reſpectu ſicuti Creditor ſub ſpe futuræ
5 impetrationis illius ſemper dicitur eſſe in bona fide, & contractus ſtare ſub implicito ſtatu validitatis; ita omnino conſequi valet fructus cenſus loco damnorum, & intereſſe; ut alias firmavit in his terminis articulo plene diſcuſſo hoc Sac. Auditorium, ut videre eſt ex *dec. 229. poſt Cene. de Cenſ., & cor. Emerix Jun. dec. 575., 582., & 726.*

Spreta replicatione, quod d. Beneplacitum Apoſtolicum eſſet impetrandum a PP. Dominicanis, & ſic ſi ipſi neglexerunt illud obtinere, debeant etiam pœnam luere in fructuum amiſſione; tum quia Adminiſtratores, ſeu Procuratores nomine Eccleſiæ, & Lo-
6 corum Piorum impoſuerunt cenſum ſuper illorum bonis, & ideo pro validitate iſtius actus illi quoque tenebantur idem Beneplacitum impetrare; *Emus Petra ad Conſtit. 6. Benedicti XII. n. 4., & ſeq. tom. 4., Sperell. dec. 155. n. 18., & ſequen., Panimoll. dec. 54. annot. 1. n. 40., & ſeq.*, ſignanter dum in facul-
7 tate ab Epiſcopo dd. Procuratoribus conceſſa injunctum eiſdem extitit onus ſervandi debitas cautelas, & ita etiam impetrandi d. Beneplacitum Apoſtolicum, quo onere nullo modo gravabantur PP. eorum pecunias ad cenſum tradentes, cum in hiſce favorabilibus
8 inveſtimentis non exigatur nec Beneplacitum Apoſtolicum, nec authoritas Ordinarii; *Genuenſ. in Prax. cap. 73. n. 8., Ciarlin. contr. foren. cap. 183. ſub n. 107., Monacell. formul. legal. practic. tom. 2. tit. 14. formul. 6. n. 1.*

Tum etiam quia in caſu, quo a neutra ex partibus fuerit impetratum Be-
9 neplacitum Apoſtolicum, nulliter imponens abſque illo cenſum ſemper tenetur ad illius fructus uſque ad diem declaratæ nullitatis, uti fructus cenſuales, propter uſque tunc retentum ſtatum implicitum validitatis cenſus, & ex poſt ad fructus loco damnorum, & intereſſe, ut in ſpecie, ac in terminis concludunt *Authoritates allegatæ ſuperius §. Non relevat. in fine.*

Cæterum ceſſat omnis difficultas ex illa animadverſione, quod dd. Procu-
10 ratores in ipſomet Inſtrumento impoſitionis cenſus ſeſe obligarunt ad reſtitutionem ejus ſortis, & ſolutionem fructuum loco damnorum, & intereſſe nedum in caſu evictionis, vel reſciſſionis contractus, ſed præciſe in alio illius invaliditatis ex quocunque capite provenientis, ſub quo clarum eſt comprehendi etiam præſentem caſum invaliditatis ex defectu Beneplaciti Apoſtolici, atque ideo concurrente hac ſpeciali promiſſione, & obligatione Procuratorum, eo magis ipſi tenentur ad ſolutionem dd. fructuum loco damnorum, & intereſſe, non curato an illius non impetratio provenerit potius ex culpa unius, quam alterius contrahentis; ut egregie firmat *deciſio R.P.D. mei Nunez §. Potiſſimum cum ſeqq.*

FERRARIEN. EVICTIONIS.

Veneris 25. Junii 1738.

ARGUMENTUM.

In venditione præſtanda eſt evictio ex ipſa natura contractus. Fructus in exceſſu percepti ipſo jure imputantur in ſortem in cambiis, aliiſque ſimilibus creditis fructiferis, non vero in cenſibus, quorum reſpectu copulative neceſſariæ ſunt interpellatio, & declaratio debitoris cenſus, & acceptatio Creditoris, qui cogi nequit ad recipiendam niſi medietatem ſaltem ipſius ſortis.

SUMMARIUM.

1 *A judicato injuſto conceditur reſtitutio in integrum.*

2 *In venditione præſtari debet evictio ex ipſa natura contractus.*

3 *Evictio præſtanda eſt, quoties adeſt promiſſio, & obligatio eam præſtandi.*

4 *Imputatio ipſo jure in ſortem fructuum in exceſſu perceptorum locum habet in cambiis, & aliis creditis fructiferis, non vero in cenſibus;*

5 *Quorum reſpectu copulative neceſſariæ ſunt ad hunc effectum interpellatio, & declaratio debitoris cenſus, & acceptatio Creditoris;*

6 *Cum ſors cenſus ſit irrepetibilis;*

7 *Nec debitor cogere poſſit Creditorem ad recipiendam ſortem minutatim, ſed teneatur offerre ſaltem medietatem ejuſdem.*

8 *Sub generica ceſſione omnium jurium ſuper aliquo fundo competentium veniunt ad ſenſum juris dominium, & proprietas, non vero cenſus;*

9 *Non obſtante relatione ad Inſtrumentum acquiſitionis, ſi pariter hæc generica fuerit, & abſque expreſſione temporis, ac Notarii:*

10 *Maxime in odium venditoris, cujus culpa prævalet cuicunque negligentiæ emptoris in non perquirenda qualitate rei ceſſæ;*

11 *Sicque fructus cenſus in exceſſu percepti non intelliguntur percepti animo compenſandi ſortem, ſed jure dominii.*

12 *Ubi de voluntate quæritur, ſpectandum eſt quid contrahentes cogitaverint.*

13 *Promiſſio præſtationis evictionis obligat ad reſpiciendum totum id, quod intereſt rem fuiſſe evictam.*

DECISIO CXVIII.

CEnſum in ſorte principali ſcut. 2000. monetæ veteris Ferrariæ, & annui redditus ſcut. 160. ejuſdem monetæ impoſuit *die* 17. *Aprilis anni* 1617. Galeatius Gualenghi favore clar. mem. Card. Caroli Emmanuelis Pio a Sabaudia ſuper Palatio, ac Viridario ſitis in Civitate Ferrariæ, eorumque annexis. Cum autem idem Gualengus Debitor defeciſſet in ſolutione fructuum dicti Cenſus, hinc Princeps Aſcanius frater, & hæres memorati Cardinalis *anno* 1650. a Curia Legationis Ferrarien. immiſſus fuit in vim utilis Salviani Interdicti ad poſſeſſionem dicti Palatii, ac Viridarii, ad effectum ſibi ex illorum penſionibus ſatisfaciendi de eiſdem fructibus decurſis ab anno 1647. uſque ad diem petitæ Immiſſionis.

Hic Cenſus cum omnibus ſuis Juribus, etiam dictæ Immiſſionis *die* 29. *Decembris anni* 1658. a cl. me. Card. Carolo Pio a Sabaudia Juniore hærede memorati Principis Aſcanii ceſſus remanſit Julio, Nicolao, & Joanni fratribus de Rimbaldeſiis, qui poſt adeptam poſſeſſionem ſupradicti Palatii, & Viridarii fundi cenſiti, & præciſe anno 1670. poſtquam etiam in eadem poſſeſſione quiete, & pacifice fuerant ſpatio annorum *duodecim*, ceſſerunt, ac vendiderunt Comiti Lelio Roverelli omnia, & quæcunque Jura dd. fratribus competentia, ac competitura ſuper antedd. Palatio, ac Viridario, nec non melioramenta cujuſvis generis, qualitatis, ac quantitatis, ſuper eiſdem Palatio, ac Viridario per ipſos Venditores facta: Cujus quidem Comitis Lelii fuerunt, ac ſunt hæredes Marchiones de Malvetiis, qui Palatium prædictum per eoſdem melioratum anno 1703. conceſſerunt Comiti Herculi de Varanis ad uſum appropriabile pro pretio ſcut. 5000.

Sequuta evictione enuntiati Palatii cum ſuis annexis, ab eodem Com. Hercule detenti pro parte Pauli, & aliorum fratrum de Puteobonellis uti Creditorum anteriorum recenſiti Galeatii Gualenghi vigore antiqui Cenſus conſtituti anno 1616., dictus Comes Hercules Varanus ob evictionem paſſam ſeſe vertit coram Locumtenente Generali Legationis Ferrariæ pro præſtatione dictæ evictionis contra eoſdem Marchiones de Malvetiis, qui coram eodem Judice in jus vocarunt pro liberatione a moleſtiis fratres de Rimbaldeſiis, qui ſimili modo moleſtias ejuſmodi denuntiarunt Principi Gisberto Pio a Sabaudia, & in hac controverſia Judex prædictus condemnavit Marchiones de Malvetiis ad præſtandam evictionem favore Comitis Herculis Varani; & e contra pro eorum reintegratione condemnavit fratres de Rimbaldeſiis, relaxando conſimile mandatum iſtorum favore contra dictum Principem Gisbertum Pium a Sabaudia, quod Judicatum confirmavit A. C. Furiettus in gradu appellationis. Sed devoluta cauſa vigore Commiſſionis a Tribunali Signaturæ reportatæ cum clauſula -- *de appellatione* ad R. P. D. Origum, iſte revocavit dd. bina præcedentia judicata, declarando non teneri fratres de Rimbaldeſiis ad ullam evictionem favore Marchionum de Malvetiis, & conſequenter nec minus

Prin-

Principem Pium liberare eoſdem fratres de Rimbaldeſiis, & in hoc ſenſu quoque fuit hoc Sac. Auditorium coram R. P. D. meo Creſcentio; Nam propoſito *die* 22. *Junii anni* 1736. Dubio – *An debeatur evictio* – fuit reſponſum – *Negative* –, & ad iſtius normam prolata Sententia.

Commiſſa mihi Cauſa in gradu reſtitutionis in integrum, propoſui hodie ſolitum dubium – *An conſtet de Cauſis reſtitutionis in integrum, ſeu potius de re judicata* – & dubitatum non fuit reſpondere – *Conſtare de Cauſis* – attenta injuſtitia ſupradicti ultimi judicati,
1 ex qua ſicuti oritur læſio, ita locus eſt reſtitutioni in integrum; ad *Text. in leg. ſi ex cauſa judicati ff. de minor, Rot. cor. Otthobon. dec.* 205. *n.*2., *& cor. Emer. Jun. dec.*103. *pariter n.*2., *& dec.*163. *n.*1.

Cum enim Fratres de Rimbaldeſiis, ut ſupra notatum eſt, anno 1670. vendiderint, ac ceſſerint Com. Roverellio Auctori March. de Malvetiis jura per ipſos acquiſita a Card, Pio, ac ſibi competentia ſuper dd. Palatio, ac Viridario, nec non etiam omnia *melioramenta* in eis facta, Ac inſuper hęc omnia fuerint avocata, & evicta pro parte illorum de Puteobonellis, omne jus exigit, ut dd. Fratres Venditores debeant, ac teneantur omne, & quodcunque damnum, ac intereſſe, ex hoc perventum reficere, atque emendare dictis Marchionibus de Malvetiis, tum ex natura ipſiuſmet contractus venditionis
2 inducentis obligationem præſtandi evictionem rei, vel juris ceſſi; *leg. non dubitatur* 6. *Cod. de evict., Peregrin. conſ.*93. *ſub n.*17., *Mangil. de evict. q.*2. *n.*4., *Sard. deciſ.*290. *n.*13., *&* 14., *Rot. cor. Ludoviſ. dec.*25. *n.*3., *cor. Benincaſ. dec.*336. *n.*1., *& cor. Anſald. dec.*80. *n.*10., *& in rec. dec.*383. *n.*10., *& ſeq. part.*17., *& deciſ.*163. *n.*32., *&* 33. *part.*19., tum etiam ex literali
3 obligatione per dd. Fratres emiſſa pręſtandi d. evictionem; *leg. ſciendum ff. de evict., Mangil. de evict. quæſt.*179. *n.*20., *Rot. cor. Lancett. dec.*1395. *n.*2., *&* 3., *& in Recent. dec.*552. *ſub n.*10. *part.*3., *& deciſ.*181. *ſub n.*1. *part.*4., *dec.*330. *n.*3., *&* 8. *part.*10.

Nec obſtat fundamentum amplexum *in Deciſione præcedentis inſtantiæ cor. R.P.D. meo Creſcentio*, & repetitum in hodierna propoſitione, quod March. de Malvetiis per d. evictionem nullum damnum, ac intereſſe paſſi fuerint, ex eo quia, cum penſiones ſupradictorum Palatii, ac Viridarii annuatim exceſſerint fructus d. Cenſus impoſiti favore Card. Caroli Pii, & ceſſi a prędictis Fratribus de Rimbaldeſiis favore Com. Roverelli, hic cenſus per Calculum imputationis eorundem fructuum excedentium in ſortem, ut dicitur a *Scaletta*, in omnibus extinctus remanſerit. Quia, prętermiſſa inſpectione ſuper verificatione mox d. allegati exceſſus, uti requirente altiorem indaginem, per DD. animadverſum fuit, quod quatenus ſubſiſteret, ille nil prorſus relevaret; Nam
4 imputatio fructuum in exceſſu perceptorum in ſortem ſolum ipſo Jure, & & miniſterio Legis procedit, & admittitur in cambiis, aliiſque ſimilibus Creditis fructiferis ad evitandum curſum uſurarum, in quibus terminis ſeſe habet *Text. in leg.*1. *cod. de pignorat. act., & loquuntur Neguſan. de Pignor. memb.*1. *part.*5. *n.*1., *Rot. cor. Buratt. dec.*160. *n.*11., *& cor. Molin. dec.*1255. *n.*5., *& in Peruſina Reintegrationis* 7. *Maii* 1734. *§. Finali cor. R. P. D. meo Nunez*, nunquam vero militat in caſu cenſus, de quo hic agitur.

Reſpectu namque Cenſuum, ac imputationis fructuum exceſſive ſolutorum in ſortem, non operatur jus, aut lex, ſed neceſſaria eſt expreſſa declara-
5 tio, ac interpellatio ipſius met Debitoris Cenſus, quodque talis interpellatio, ac declaratio acceptetur a Creditore, nec ſufficit voluntas unius tantum, ex quo ex natura Cenſus, & juxta Bullam Pianam, nec Creditor poteſt cogere Debitorem ad extinguendum Cen-
6 ſum, cum iſtius ſors ſit ex parte illius irrepetibilis, & uti mortua, nec Debitor cogere Creditorem eam recipere
7 minutatim, ac in fruſta, ſed ſaltem tenetur offerre medietatem ejuſdem ſortis, eamque perſolvere, & hiſce deficientibus remanet quidem Debitor Cenſus Creditor ratę exceſſive ſolutę; At Cenſus nunquam remanet extinctus;

ctus; ut per d. rationem concludunt *Rodriquez de Ann. redit. tom.2. qu.18. n.9., Cenc. de Cenſib. quæſt.88. n.6., & quæſt. 108. n.4., & 5., Mertin. de Pignor. lib.5. tit.1. quæſt.6. num.12., Vrceol. conſult.61. n.14., & ſeq., Card. de Luc. de Credit., & Debit. diſc.46. n.8., & diſc.134. n.15., Berſan. de compenſat quæſt.17. n.5., Paulut. diſſertat. Forenſ.80. n.73., Bonden. collect. legal.43. n.1., Cenſal. dec. Lucen.11. n.8., & ſeq.*, & fuit firma Sententia hujus Sac. Tribunalis, de qua *cor. Dunozett. Jun. dec.291. n.4. 6., & 8., cor. Peutinger. dec.424., cor. Priol. dec.278. numer.16., & ſeq., cor. Bich. deciſ.415. n.10., & ſeqq., cor. Benincaſ. dec.97. n.15., cor. Lancett. deciſ.151. n.4., & dec.1309. n.15., & in Rec. deciſ.29. n.13. part.9., & dec.63. n.6., & deciſ.316. n.3. part.18., & dec.427. pariter n.3. part.19. tom.2.*

In hac vero hypotheſi nedum non conſtitit de d. uniformi voluntate Fratrum de Rimbaldeſiis cedentium, & reſpective Dom. Roverelli Ceſſionarii, & emptoris ſuper compenſatione, ſeu imputatione aſſertorum fructuum exceſſivorum in diminutionem, ac extinctionem Cenſus, ſed potius apparuit de contrario ex ipſomet Inſtrumento Ceſſionis, ſeu venditionis; In iſto enim expreſſe, ac explicite non venditur, nec ceditur d. Cenſus, ſed unice ceduntur a dictis Fratribus de Rimbaldeſiis omnia jura eis competentia ſuper dd. Palatio, & Viridario vigore acquiſitionis ab ipſis factæ a Cardinali Pio, quæ Jura ſicuti in hac genera-
8 litate intelligi potuerunt de dominio, & proprietate dd. Palatii, & Viridarii, juxta etiam ſenſum Juris; *Surd. conſ.13. n.29.*; non obſtante relatione habita
9 ad inſtrumentum acquiſitionis, cum cum pariter fuerit generica, & abſque ulla expreſſione temporis, ac Notarii,
10 qui illud ſtipulavit, maxime in odium venditoris, qui tenetur diſtincte, ac ſpecifice certiorare emptorem de qualitate rei venditæ, & cujus culpa ſemper prævalet cuicunque negligentiæ Emptoris in non perquirendo qualitatem rei ceſſæ, ſeu venditæ; *Leg. quæritur 14. §. Final. verbo fuiſſet ff. de Ædilit. Edict., Alexand. conſ.14. n.9. lib.5., Surd. conſ.13. n.29. 34., & ſeq., Torr. var. reſolut. tit.13. diffinit.5. n.18., & ſeqq., Paulut. diſſert.55. art.4. n.125., Rot. in Recent. deciſ.393. n.5. part.16.* fortius quia in Inſtrumentis ſolutionum reſidualis pretii reportatarum per ipſos de Rimbaldeſiis venditores, fuit ſuppoſitum, quod venditum fuit Palatium.

Sic hujuſmodi venditio (quidquid ſit an præſtet actionem evictionis pro Pa-
11 latio) ſaltem aperte excludit quamlibet voluntatem compenſandi, ut ſupra, & potius iſta quoad acquiſitionem fructuum uſque ab initio referenda eſt ad titulum dominii, & proprietatis, quam ad d. cenſum, quem in hac lite declaratum fuit unice venire ſub venditione, & de quo in eadem venditione Com. Roverellius explicite non fuit certioratus. Quando enim quæritur de
12 voluntate, ſolum ſpectandum eſt, de quo contrahentes cogitaverint; *Leg. Servo manumiſſo, ubi DD. ff. de condict. indebit., leg. quo loco §.1. ff. de hæred. inſtit., leg. qui Romæ §. Duo Fratres circa finem ff. de verbor. obligat. Cravett. conſ.90. n.15.*

Hiſce rationibus convictis Fratribus de Rimbaldeſiis, non placuit reſponſio ab ipſis data, quod ſecuta, ut ſupra, evictione Palatii, & Viridarii, dici poſſit quidem, quod ſit evictus fundus cenſitus, dum ſuper illis cenſus fuit impoſitus, minime vero hic cenſus, qui a nullo Creditore anteriore, vel Cardinalis Pii, vel dd. Fratrum avocatus remanſit e manibus March. de Malvetiis, & conſequenter agi quidem poſſit ex d. evictione, ſi quæ ſiut, non autem pro evictione d. cenſus, ac ſolutione ejus ſortis, ac fructuum, niſi doceatur iſta conſequi non poſſe ſuper aliis bonis generaliter obligatis ab illis de Gualenghis originariis impoſitoribus.

Quia ultra quod hæc ratiocinatio non applicatur quoad melioramenta in dd. corporibus facta a dd. Fratribus de Rimbaldeſiis, & pariter vendita Comiti Roverellio Auctori Marchionum de Malvetiis, & ſimili modo evicta, ſeſe offert ponderandum, quod Fratres de Rimbaldeſiis non vendiderunt ſimpliciter cenſum, ſed jura ſuper Palatio, & Viridarii

rida,

ridario, ac melioramenta prædd., & cum ſpeciali ſtipulatione rurſus ipſimet ſeſe obligarunt eadem jura ſuper Palatio, & Viridario, ac melioramentis prædd. ibi -- *tam in poſſeſſione, quam in proprietate legitime perpetuo ab omni perſona &c. manutenere, auctorizare, defendere, & disbrigare in judicio, & extra, omnibus ipſorum DD. de Rimbaldeſiis, & ſuorum &c. judiciis, periculis, ſumptibus, & expenſis, & omnem litem &c. ſi qua ullo unquam tempore moveretur &c. de d. re in toto, vel in parte &c. in ſe ſuſcipere*: remiſſa etiam obligatione denuntiandi, alias antedd. de Rimbaldeſiis teneri voluerunt ibi -- *In omni, & ſingulo caſu præmiſſi contrario de omni, quacunque d. rei evictione univerſali, vel particulari*.

Cum autem, ſequuta evictione d. Palatii cum omnibus ſuis annexis per ſubhaſtationem, ac deliberationem ad inſtantiam d. Creditoris anterioris, nedum avocata remanſerit marchionibus de Malvetiis proprietas, ac poſſeſſio melioramentorum per illos de Rimbaldeſiis nominatim venditorum, ſed jura cenſualia iidem experiri amplius nequeant ſuper dd. Palatio, ac Viridario evictis, & per conſequens ablata ipſis remanſerit Proprietas, ac Poſſeſſio Jurium Cenſualium ſuper recenſitis corporibus.

Hinc eſt, quod deficientibus dd. de Rimbaldeſiis in d. promiſſa manutentione, præſtanda eſt per eoſdem evictio in d. Inſtrumento, tam generaliter, quam particulariter promiſſa ſuper dd. Palatio, ac Melioramentis, de qua evictione generice loquitur dubium originali-
13 ter concordatum, quæ importat, ut refici debeat Marchionibus de Malvetiis totum id, quod ipſorum intereſt Palatium prædictum cum Viridario, ac Melioramentis fuiſſe evictum; juxta expreſſa jura *in leg. Titius cum decederet 44. circ. finem ff. de act. empt., leg. Venditor 8., & leg. Si in Venditione 60., leg. Emptor 67., leg. Evicta res 70. ff. de evict., Guzman. de evict. quæſt. 13. n. 68., alliſque cumulatis Rot. cor. Falconer. tit. de Empt. dec. 4. num. 4.*

Et ita &c. utraque &c.

ROMANA CAMBII.

Ven. 27. Junii 1738.

ARGUMENTUM.

Accollatio a Poſſeſſore ſuſcepta tacitam conditionem incluſam habet, quatenus nempe bona poſſeſſa a Creditis, & hypothecis anterioribus non abſorbeantur. Emptor ſimul, ac Creditor facit fructus ſuos ratione dominii, & ab eorum petitione repellit Creditores poſteriores in vim anterioritatis; nec unus titulus alium deſtruit. Cætera habes in argument. Decif. LXXVIII.

SUMMARIUM.

1 *Contra bona devicta ab anteriori hypotheca ceſſat actio realis.* & n. 6.

2 *Accollatio a Poſſeſſore ſuſcepta eſt occaſionalis, & cauſativa, continetque tacitam conditionem, quatenus nempe bona poſſeſſa, ſeu ipſorum integrum pretium a Creditis, & hypothecis anterioribus non abſorbeatur:*

3 *Unde hujuſmodi conditione deficiente, ceſſat actio perſonalis ex accollatione prædicta deſcendens.* & num. 6.

4 *Sub obligatione evictionis veniunt expenſæ litis loco damnorum, & intereſſe, & creditum ab iis oriens deſumit anterioritatem a die aſſignationis fundi.*

5 *Creditum expenſarum pro defenſione Prædii factarum gaudet prælatione, & potioritate ſuper eodem fundo, etiam adverſus Credita hypothecaria.*

7 *Sententia ad inſtantiam alicujus emanata, in judicatum tranſacta, & acceptata, ſemper ei obſtat, donec per aliam ſententiam inter eaſdem perſonas revocetur;*

8 *Cum non ſufficiat, ſi inter diverſas perſonas, & in alia ſeparata Cauſa, in qua diverſa ratio concurrat, revocatio contingat.*

9 *Emptor idem, ac Creditor anterior facit fructus ſuos ratione dominii, & ab eorum petitione repellit Creditores poſteriores in vim anterioritatis ſui Crediti; nec unus titulus alium deſtruit.*

10 *Ceſſio tranſlativa tribuit Ceſſionario ſubingreſſum in jura cedentium.*

11 *Ceſſio Crediti certi, & liquidi facta per viam Tranſactionis initæ poſt longam litem prodeſt pro toto Credito ceſſo, licet Ceſſionarius minus ſolveret;*

12 *Sicuti pariter pro toto Credito prodeſt Ceſſio, quoties a Ceſſionario allegatur per viam exceptionis, non per viam actionis.*

13 *Contrarium procedit, ubi creditum eſſet turbidum, & litigioſum; & ita explicatur* Urceol. conſult.5 1. n.23. & ſeqq.

14 *Si enim Creditum ſit liquidum, Ceſſio prodeſt pro toto Credito ceſſo, etiam adverſus tertios Creditores hypothecarios.*

DECISIO CXIX.

A Judicio PP. patefacto in deciſione coram Me promulgata die 14.Maii ſuperioris anni, in qua ad tramites concordati dubii declaratum extitit, non aliud eſſe creditum, nullamve actionem penes Fratres de Amadeis Actores adverſus Sinibaldum tertium Poſſeſſorem nonnullorum ſtabilium a Rubimarca debitore emptorum, niſi pro ſola ſumma ſc.82., & ob.29., impartita Actoribus nova audientia, & cauſa denuo revocata ad examen, iterum hodie putarunt Domini perſiſtendum eſſe *in decisis*.

Sub eo valido fundamento, quod non impugnato credito dd. Fratrum in prænuntiata ſumma ſc.82. 29., cum altercatio conſiſteret ſuper reliqua petita ſumma ſc.778. 75., denuo compertum extitit, nullam pro iſta actionem extare adverſus Reum coventum; cum, ſive iſte conſideretur in linea meri tertii Poſſeſſoris ex acquiſitione dd. ſtabilium a Rubimarca, ſive conſideretur in terminis Accollatarii ejuſdem petitæ ſummæ ex Inſtrumentis initis cum Fratribus de Amadeis de annis 1718., & reſpective 1728., ſemper ſit verum, quod ſupervenerunt credita cum hypotheca anteriora, pretium integrum venditorum ſtabilium abſorbentia, & quod per conſequens ceſſavit illico in memo-

1 ratis Fratribus de Amadeis tam actio realis Immiſſionis ad dd. Bona devicta ab anteriori hypotheca; quam perſonalis vigore contractus reſoluta, ex quo ſupradicta accollatio uti facta a Sinibal-

2 do Poſſeſſore dignoſcitur ſine dubio occaſionalis, & cauſativa, cauſa nempe, & occaſione poſſeſſionis emptorum ſtabilium, & ſic ſub tacita conditione, quatenus illa poſſeſſa Bona, ſeu ipſorum integrum pretium a creditis, & hypothecis anterioribus non reperirentur abſorpta; unde cum anteriora advenerint credita, & iſta quidem ſint talia, ut pretium integrum venditorum ſtabilium abſorbuerint; defecit utique tacita illa ſubintellecta conditio, ſub qua

3 unice ſtipulatum remanſerat, & hac defecta conditione, ſicuti corruit conditionalis Sinibaldi obligatio; ita penitus ceſſat perſonalis actio, quæ ex ea deſcendebat in illos de Amadeis Actores; ut ex fuſius congeſtis *in Deciſione, quæ revidetur ſub §. Quo vero*.

Inter autem ſuperventa credita anteriora viſum eſt Dominis recenſendum potiſſime creditum illud Monachorum Farfenſium liquidatum ex Sententia noſtri Sac. Auditorii in ſc.2014., quod uti ſua deſumens initia ab anno uſque 1634., longe ſane in anterioritate præcedit Cambium illorum de Amadeis a Rubimarca creatum de anno 1704.; Cumque hoc Monachorum creditum per ceſſionem tranſlativam transfuſum remanſerit in Sinibaldum mediante Datione in ſolutum, quam iſte fecit de ſuis ſtabilibus favore dd. Monachorum cedentium, merito exinde reſponſum extitit, eidem Sinibaldo Ceſſionario confirmandam eſſe retentionem prædictorum emptorum ſtabilium, ad excluſionem Fratrum de Amadeis Creditorum Rubimarchæ longe poſteriorum in tempore.

Ac ulterius in ejuſdem anterioritatis ordine putarunt DD. numerandum aliud creditum Sinibaldi proveniens ex cauſa expenſarum factarum in ſubſtentatione litis cum recenſitis Monachis Farfæ pro defenſione Prædiorum ſub vocabulo *le Cerreta*, *& Prata Caſciara*, ad quæ iidem Monachi pro aſſecutione præfati ipſorum crediti ſc.2014. Immiſſionem intentaverant in vim utilis Salviani interdicti; ſiquidem animadverſum fuit, eadem ſupradicta Prædia *le Cerreta*, *e Prata Caſciara* aſſignata fuiſ-

fuiſſe Sinibaldo ab illis de Rubimarca pro Dote Juliæ ipſorum filiæ conſtituta de anno uſque 1674. ſub ſpeciali obligatione evictionis generalis in forma; Unde propterea, licet expenſæ iſtiuſmodi ſint poſteriores in tempore uti factæ in d. lite cum Monachis inchoata de anno 1722., hoc idem expenſarum creditum apparet illico anterius, & potius

4 alio prætenſo credito dd. Actorum: ſive quia anterioritatem deſumit a die aſſignationis dd. Prædiorum pro Dote, cum expreſſa obligatione evictionis, ſub qua memoratæ expenſæ loco damnorum, & intereſſe in ſtipulatum deſcendunt; *Conſtant. ad Stat. Urb. annot.59.art.7. num.321., & ſeq., Rot. deciſ.1190. n.9. Coccino, dec.384. n.7. cor. Royas, & dec.110. n.7. part.17. rec.*

Sive quia in ſubſtantia eædem expenſæ factæ apparent pro univerſali defenſione bonorum omnium a Rubimarca provenientium, pro illis nempe eximendis a vinculo antiquiſſimæ illius hypothecæ, quod ſuper his omnibus ex prædicto Monachorum credito erat

5 infixum; & ſic pro tali credito, ac pro iſtis expenſis uti factis pro dd. ſtabilium defenſione, ac liberatione, competit ſane ſuper eiſdem defenſis ſtabilibus potioritas, atque prælatio; ut firmat Deciſio, *quæ revidetur* §. *Poſtremo*.

Ex duabus hiſce partitis provenientibus ab integro ceſſo credito Monachorum ſc.2014., & ab expenſis in ſupradicta cauſa defenſionis Bonorum liquidatis quidem in ſc.760., ſed poſtmodum ad effectum in præſenti compenſandi a noſtro Sac. Auditorio redactis ad ſola ſc.545., conflatur illico ſumma ſc.2559., & his ſuperaddita alia partita ſc.1000. Sinibaldo pariter compenſanda pro totidem ſolutis debitis anterioribus Rubimarchæ venditoris ad formam accollationis aſſumptæ in ipſomet venditionis contractu: Jam inde conſurgit, quod ſolum hæc tria anteriora, & potiora credita aſcendunt in totum ad conſpicuam ſummam ſc.3559. longe abſorbentem pretium controverſum

6 bonorum poſſeſſorum ſtabilitum in ſcutis 3100., & ſic penitus ab intentata actione repellentem Actores; *leg. etiam* §. *Ex cauſa ff. de Minor.*, *leg. Alumnæ* §. *Seja ff. de Aliment. legat.*, *Cald. in l. Petens n.49. ff. de pact.*

Nec his viſa ſunt adverſari repetita objecta prædictorum Actorum; dum obſtabant ſingulis reſponſiones datæ in d. præcedenti mea Deciſione; Nimirum quoad poſtremam partitam ſcutor.1000. per Siuibaldum accollatam in Inſtrumento emptionis; Fruſtra denuo contendebatur, demendam eſſe ſortem principalem ſc.300., una cum fructibus Cenſus debiti Conſervatorio S. Euphemiæ de Urbe, ex quo pro ipſomet Cenſu denegata fuit Sinibaldo retentio in alio Judicio Immiſſionis in hoc noſtro Sac. Auditorio, ad Inſtantiam prædd. Monachorum Farfæ excitata, prout *in Farfen. Immiſſionis 23. Junii 1727. cor. R. P. D. meo Creſcentio*; Siquidem recurrebat reſponſio diverſitatis rationis in uno, ac altero caſu, & ulterius, quod eiſdem præcipue Actoribus obſtat Sententia A. C., in qua firmata anterioritate d. Cenſus pro tota d. integra ſumma ſc.1000. retentio conceditur Sinibaldo: Et hæc quippe Sententia uti emanata ad inſtantiam

7 eorundem Actorum, in Judicatum tranſacta, & a Partibus acceptata, ſemper Fratribus de Amadeis obſtaculo erit, donec & quouſque per Sententiam inter eaſdem Partes revocata non fuerit; ex fuſius deductis *in Deciſione, quæ revidetur* §. *Aſſumptum*.

Quin ſubnecti mereretur, quod talis revocatio habeatur a prædictis poſterioribus deciſionibus emanatis *in dicta cauſa Farfen.* inter Sinibaldum, & Monachos, cum ſimiliter redeat reſponſio data, videlicet; quod deciſiones hujuſ-

8 modi uti emanatæ inter diverſas Perſonas, & in alia ſeparata cauſa, ubi diverſa decidendi ratio recurrebat, vim non habeant, & nequaquam aptæ ſint revocare prænuntiatam ſententiam in Judicatum tranſactam, & acceptatam a partibus, inter quas emanavit; *Rot. dec.190. n.9. par.15. rec., & dec.1104. n.6. cor. bon. mem. Molin., dec.19. n.11. in Miſcell. cor. clar. mem. Card. Falconer., & dec.584. n.9. cor. bon. mem. Lancetta.*

Rurſus adverſus creditum, & ceſſionem, quam Marius Sinibaldi reporta-

vit a Monachis, duo hæc alia replicabantur; Primo,quod idem Marius debitor erat Rubimarchæ in ſc.1436., nempe in ſc.800. pro rata pretii, quod penes ſe retinuerat in actu emptionis, & in aliis ſc.736. pro fructibus decurſis, & non ſolutis, ex quo inferebatur, quod cum ipſe ſolverit de pecuniis propriis ſui debitoris, non poterat reportare a Monachis translativam ceſſionem Jurium in præjudicium ſignanter aliorum Concreditorum Rubimarchæ.

Sed hujuſmodi inefficax reperta eſt replicatio, dum quoad partitam prætenſorum fructuum, ſi ratio habeatur de illis decurſis ad totam diem 8. Februarii 1717., docentur iſti a Sinibaldo ſoluti mediante receputa, & quietantia a Rubimarca exarata die 9.ejuſdem menſis Februarii; Alii ſucceſſive maturati uſque ad tempus paſſæ evictionis comprehenſi apparent in obligatione facta a Sinibaldo ſuper ſolutione ſc.250. favore illorum de Amadeis, qui de facto pro parte exegerunt, & pro parte non exacta jam a noſtro Sac. Auditorio relaxatur actu mandatum, ut in præcedenti deciſione *ſub* §. *In executionem*; ac tandem quoad alios fructus perceptos poſt d. paſſam evictionem viſa fuit, ut dixi, replicatio inefficax; quia Sinibaldus in præſenti caſu duplicem ſuper controverſis bonis repræſentat perſonam, emptoris
9 ſcilicet, & creditoris anterioris in vim ceſſionis translativæ Jurium reportatæ a prædictis Monachis, unde qua emptor eſt, fructus utique facit ſuos in ſequelam dominii ex præcedenti venditione quæſiti; qua vero Creditor eſt anterior, & potior, in vim d. ceſſionis Jurium repellit a petitione dd.fructuum prænuntiatos Fratres de Amadeis Creditores poſteriores, nec unus ex iſtis titulis deſtruitur ab altero, quia non uno, eodemque tempore operantur; ut plene dixit *Rot. in Romana Immiſſionis 2. Decembris 1726. §. Non prævaluit, & in illius confirmata 21. Junii 1328. §. Facile coram Rmo P. D. Calcagnino Decano*.

Quo vero ad aliam partitam ſc.800. provenientem ex rata pretii, quam Sinibaldus penes ſe retinuerat pro ſui ſecuritate in caſum moleſtiarum, & evictionis bonorum; ea ſimiliter libera evaſit ejuſdemmet Sinibaldi, eo ipſo, quod iſte paſſus fuit moleſtias, quarum cauſa coactus extitit in ſolutum tradere præfatis Monachis dicta bona ſtabilia, ut ſic ab ipſis ceſſionem translativam Jurium reportaret; quamobrem, cum ea ſit rei veritas, quod nempe ceſſionem hanc translativam reportavit Sinibaldus a Monachis mediante traditione dd. ſuorum ſtabilium, ceſſat illico objectio quælibet dd.Actorum, dum non ſubſiſtit in facto, quod hujuſmodi ceſſio reportata ſit cum ſolutione pecuniarum ad Rubimarcam debitorem ſpectantium, nec verum ſit dicere, quod ſupradicta rata pretii ſc.800. affecta ſit amplius Creditoribus poſterioribus Rubimarchæ, eo ipſo, quod libera eva-
10 ſit Sinibaldi emptoris, qui in vim ceſſionis in cedentium jura ſubingreſſum obtinuit; *l. Final. C. de Jur. Phiſc., Alexand. conſ. 13. n. 16. lib. 1., Rot. deciſ. 172. n. 7. part. 18. rec., dec. 107. n. 6. coram Priol., & dec. 1243. num. 7. car. bon. mem. Molines*.

Secundo repetebatur, quod eidem Mario in præjudicium Creditorum poſteriorum prodeſſe non poterat enuntiata ceſſio, niſi ad tramites ſoluti pretii, & non pro integro ceſſo credito. Aſt ſimiliter objectio iſthæc reperta eſt minus habens; cum valide obſiſtat reſponſio data in d.præterita Deciſione *ſub §. Quin, & §. Verum*; nimirum quod
11 Monachorum creditum erat omnino certum, & liquidum in prænuntiata ſumma ſcut.2014., & creditum iſtud ita certum, & liquidum ceſſum translative fuit in d. Marium per viam ſolemnis Tranſactionis initæ poſt ſatis longum, & diſpendioſum litigium, qui ſunt apprime termini, in quibus Doctores conveniunt, proficuam eſſe ceſſionem pro toto ceſſo credito, quamvis Ceſſionarius minus ſolverit; ut præter Authoritates in d. *mea præterita Deciſione congeſtas ſub dicto §. Quin; Cenc. de Cenſib. qu. 72. n. 19., Duard. de Cenſ. §. 2. quæſt. 25. n. 19., Giurb. dec. 117. n. 4., Sanſelic. dec. 120. n. 3., Rot. poſt Olcam de ceſſ. Jur. dec. 46. n. 3., & dec. 47. n. 7., & poſt Cenc. de Cenſib. dec. 357. n. 14.*

Et

Et ſubſiſtit ſimiliter validior illa re-
ſponſio, quod Sinibaldus ceſſione in
12 præſenti utitur, non per viam actio-
nis agendo, ſed per viam exceptionis;
eam nempe allegando pro tuitione, &
munimine ſuæ poſſeſſionis, quæ alia eſt
limitatio, in qua pro integro ceſſo cre-
dito ceſſio eſt allegabilis; ad normam
celebris diſpoſitionis *Text. in l.ab Ana-
ſtaſio, & l.per diverſas C. mandati cum
aliis adductis in deciſione, quæ revide-
tur ſub d. §.Verum*, & alias in terminis
firmavit *Rot. apud Conſtant. ad Statut.
Urb.dec.22.n.18., & 19.*

Nec in oppoſitum facit *Urceol.conſult.
cap.51.n.23., & plur.ſeqq.*, cum aliis
13 in contrarium adductis; cum iſtorum
opinio intelligenda tantummodo ſit in
eo caſu, quo ageretur de ceſſione cre-
diti, quod eſſet in ſe litigioſum, ac tur-
bidum, & non alias, prout in præſenti
caſu, in quo verſamur in credito omni-
no liquido, & claro, ac pro tali etiam
a Sac. noſtro Auditorio approbato in
deciſionibus editis *cor. clar. mem. Emo
Falconerio in Farfen.Immiſſionis 11.Ja-
nuarii, & 18.Junii 1723., cor.R.P.D.
Creſcentio 23.Junii 1727., & cor.Rmo
Corio 11.Martii 1729., & 14.Novem-
bris 1730.*; Nam in his terminis ſtat
contra Urceol. Sententia Sacræ Rotæ,
quod nempe etiam adverſus tertios Cre-
14 ditores hypothecarios ceſſio pro toto
credito ſuffragetur; ut explicando *Text.
in l.qui a debitore C.de his, qui potior.
in pignor.hab.*, dixit *Rota in ſupra alle-
gata dec.22. poſt Conſtantin. in fin., &
in Romana Concurſus ſuper Prælatio-
ne 3.Junij 1737.§.18. coram R.P.D.
meo Vaio.*

Et ita in reliquis, DD. ſeſe remiſſi-
ve habentibus ad meam præcedentem
deciſionem iterum deciſum fuit utra-
que &c.

ROMANA CENSUUM.

Veneris 27.Junii 1738.

ARGUMENTUM.

Tutor cum Decreto Judicis alienare poteſt bona immobilia Pupilli, ac ſuper iis cenſum imponere, & ceſſiones etiam ad ſui commodum reportare, modo non ſint de juribus litigioſis, & acquirantur pro quantitate juribus ceſſis æquivalenti, non vero minori, quia alioqui ceſſiones Pupillo acquiruntur. Valide quoque Tutor acquirit cenſum contra Pupillum, ſi id fiat mediante alio Tutore ad talem actum ſpecialiter a Judice deputato. Cenſus ſuper bonis Pupillæ impoſitus, pro aſſignanda eidem dote eſt validus etiam ſine ſolemnitatibus. Dotes Monialium non poſſunt conſiſtere niſi in pecunia numerata.

SUMMARIUM.

1 *Pro fructibus cenſuum non ſolutis, ac ex obligatione debitis mandatum exequendum eſt.*

2 *Tutor cum Decreto Judicis valide alienare poteſt bona immobilia Pupilli;*

3 *Ac cenſum ſuper iis imponere.*

4 *In ſubhaſtatione res viliori pretio diſtrahi ſolent.*

5 *Tutor reportare nequit ad ſui commodum ceſſiones contra Pupillum, alioqui nullæ, & inefficaces remanent, ita ut ipſimet Pupillo acquiſitæ dicantur:*

6 *Sed hoc demum procedit, ubi ceſſio mala fide acquiſita fuerit; prout quando Jura ceſſa ſunt litigioſa, vel quando ceſſio obtinetur pro minori ſumma; contra enim eſt, ſi creditum ſit clarum, & palam acquiſitum pro eadem quantitate.*

7 *Tutor valide acquirit cenſum contra Pupillum, ſi hoc fiat mediante alio Tutore ad talem actum a Judice ſpecialiter deputato.*

8 *Cauſa aſſignandæ dotis Pupillæ validat impoſitionem cenſus factam ſine ſolemnitatibus.*

9 *Ex impoſitione cenſus prævio Judicis Decreto facta, oritur præſumptio inexiſtentiæ in patrimonio Pupilli pecuniæ, vel mobilium, vel aliorum bonorum minoris momenti aptorum ad venditionem, ſeu ſolutionem.*

10 *Dotes Monialium conſiſtere nequeunt niſi in pecunia numerata.*

11 *Cenſus bene imponitur ſuper bonis Pupilli, quando ob pendentiam litis, vel emptor non invenitur, vel non ita facile.*

12 *Exceptio rationis tutelæ non redditæ non admittitur ad impediendam ſolu-*

Digitized by Google

tionem fructuum cenſus muniti obligatione Camerali, & ſeparati, ac diverſi ab adminiſtratione, ac tutela;

13 *Solumque Pupillo, & Domino rei adminiſtratæ ſalva manent in alio congruo judicio jura ſuper redditione rationis:*

14 *Præſertim ubi fructus petuntur poſt ceſſatam adminiſtrationem.*

DECISIO CXX.

SUam hæreditatem erogandam in Pauperum beneficium Canonicus Jacobinus reliquit Congregationi Operariorum divinæ Pietatis Urbis compoſitæ ex viris probis, ac integris non minus ſedulo, quam ſumma cum vigilantia ſemper commendabili incumbentibus ad hoc eorum pium Inſtitutum Pauperum anguſtias ſublevandi; ne autem hoc Teſtatoris votum etiam in minima parte fruſtratum remaneat, laudati Pii Operarii cum invenerint in hæreditate præ cæteris binos cenſus debitos a Lucia Tubaldella nunc Moniali Profeſſa ſub nomine Mariæ Violantis in Monaſterio S. Cæciliæ, alterum nempe in ſorte principali ſc.520. a d. Lucia creatum die 13.Februarii 1715. favore Sacerdotis Petri Galli, & inde ab iſto pro eadem quantitate ceſſum præfato Canonico Jacobino Teſtatori; Et alterum in ſorte principali ſcut.1000. pariter ab eadem Lucia creatum die 22. Novembris anni 1719. favore ejuſdemmet Teſtatoris, ſolutionem fructuum decurſorum, quam amicabiliter conſequi non valuerunt ab eadem Moniali, judicialiter petierunt coram R. P. D. Viceſgerente, & reportarunt relaxationem mandati executivi, a quo ex Reſcripto Signaturæ Juſtitiæ commiſſa mihi cauſa in gradu appellationis, propoſui hodie ſolitum dubium -- *An mandatum R. P. D. Viceſgerentis ſit exequendum* -- & piis tantum Operariis informantibus DD. reſponderunt -- *Mandatum eſſe exequendum.*

Etenim Juſtitia, quæ cauſam dedit hujuſmodi affirmativæ reſolutioni, conſtitit ex tribus publicis Inſtrumentis, duobus nempe impoſitionis cenſuum, & altero ceſſionis unius ex illis, in quorum primis ſupradicta Monialis Rea conventa ſeſe obligavit illorum fructus perſolvere, conſequenterque non docto per eandem de eorundem fru-
1 ctuum jam decurſorum ſolutione, merito idem mandatum venit exequendum; *Rot. in recen. dec.527. n.1., & in Romana Cenſus 6. Decembris 1737. §.Motivum cor. Me.*

Potiſſimum dum de validitate eorundem duorum Inſtrumentorum dubitari non valet, etſi memorata Lucia Tubaldella tunc temporis eſſet Pupilla, & ſub tutela, atque cura ſupraenuntiati Canonici Jacobini: Nam quod attinet ad primum cenſum fortis principalis ſcut.500. creatum die 13.Februarii 1715., iſte fuit impoſitus ab eodem Canonico Tutore cum Decreto Judicis, omnibuſque aliis ſolemnitatibus pro extinguendo cambio in longe majori ſumma creato per Mariam Juliam Pozzonam, ad cujus ſolutionem dicta Lucia uti ejus filia, & hæres univerſalis judicialiter urgebatur ab Auguſtino Ravaſio Creditore, quemadmodum de facto eiſdemmet pecuniis ad cenſum receptis fuiſſe hunc Creditorem dimiſſum, ac ſatisfactum, per dictam Congregationem plene doctum fuit; Quapropter hiſce concurrentibus impoſitio cenſus, quamvis per Tutorem facta, valida eſt, ac ſubſiſtens, & ex illa efficaciter obligata remanſit Tubaldella Pupilla; cum Tutor prævio Decreto Judicis, ac ſervatis aliis ſolemnitati-
2 bus, & pro dimittendo ære alieno, nedum valide vendere, ac alienare poſſit bona immobilia Pupilli; *Leg. ob æs Cod. de Præd. minor., leg.1., & leg. ſi Pupillorum §. Si Prætor ff. de reb. eor. qui, Cyriac. controv.29. n.56., Afflict. dec.87. n.5., Rot. coram Bichio dec.58. n.1., & ſeq., & in rec. dec.253. n.1.*
3 *par.18.*, ſed etiam ſuper illis imponere cenſum, *Montan. de Tutor. cap.33. n.6., & ſeq.*, late *Cene. de Cenſ. quæſt.15. n.31., & fere per tot., Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de Cenſ. dec.4. n.2., & in recen. dec.341. n.3. part.9.* Hoc namque utilius reputatur, quam quod Pupillus patiatur ſuorum bono-
4 rum ſubhaſtationem, in qua res viliori pretio diſtrahi ſolent; ut advertunt *Mangil. de Subhaſtat. quæſt.56. n.7.,*

Rocc.

*Rocc. diſput. Jur. ſelect. cap.*154. *n.6.*, *Franc. dec.*54. *n.*10., *Rot. poſt Poſth. de Manut. dec.*323. *n.*7., & *cor. bon. mem. Molines dec.*756. *n.*20.

Nec obſtat, quod ceſſio ſuprad. cenſus reportata a Canonico Jacobino Tutore ſit nulla, & inefficax, nullamque det actionem agendi contra Pupillam, cum Tutor non poſſit reportare ceſſio-
5 nes contra Pupillum, & eas reportando, illæ remaneant inefficaces, & invalidæ, ita ut ipſimet Pupillo acquiſitæ dicantur; juxta diſpoſitionem *Textus in Auth. Minoris debitor Cod. qui Tutor, dar. poſſ.*, *ibique Barthol.*, & *Salicet. n.*3., *Montan. de Tutor. cap.*9. *n.*56., *Andreol. controv.*419. *n.*17., & *ſequen.*; Quoniam hoc procedit in illis
6 ceſſionibus a Tutore procuratis mala fid, & animo, atque, ut lucrum faciat in præjudicium Pupilli, veluti eſt, quando ceſſio reſpicit jura, & prætenſiones contra Pupillum litigioſas, vel quando obtinetur pro minori ſumma, quod potius ad commodum Pupilli procurare debebat; Id autem in præſenti nullatenus verificatur; dum dictus cenſus, ut ſupra creatus, eſt creditum liquidum, certum, & clarum, fuitque a Canonico acquiſitus publice, & palam mediante publico Inſtrumento, & pro eademmet quantitate, pro qua creatus fuerat, ut declarando tradunt *Oliban. de Act. par.*2. *lib.*1. *cap.*4. *n.*37., *Prat. in Addit. ad Paſcal. de Patr. poteſtat. par.*1. *cap.*3. *n.*13., *Oſea de Ceſſ. Jur. tit.*2. *quæſt.*6. *n.*13., *Card. de Luc. de Tutor. diſc.*12. *n.*3.4., & *ſeq.*

Eandem validitatem, ac ſubſiſtentiam præſefert impoſitio ſecundi cenſus ſcut.1000. directe facta favore memorati Canonici Jacobini; tum quia facta fuit ab alio Tutore ſpecialiter ad
7 hunc actum a Judice deputato; juxta §. *Inter Tutorem Inſtit. de authorit. Tutor.*, *Montan. de Tutor. cap.*30. *n.*57., & *ſeq.*, *Groſſ. de Contract. Minor. inſpect.*4. *quæſt.*8. *n.*2., & 3., *Rot. poſt Pich. ad Statut. Urb. dec.*49. *n.*8., *Rot. cor. Coccin. dec.*1664. *n.*2. *ad* 13., & *in rec. dec.*218. *n.*7. *verſic. adhuc non potuit par.*2.; Tum etiam quia facta remanſit pro illa neceſſaria, & utili cauſa dandi dotem ſupradictæ Luciæ Pupillæ occaſione ejus Monachationis in Monaſterio S. Cæciliæ Urbis, prout de facto cum eiſdem pecuniis ad cenſum receptis dos Monaſterio ſoluta extitit;
8 quæ cauſa eſt adeo efficax, & neceſſaria, ut faciat etiam ſubſtinere actum, licet ſolemnitates non intervenerint, cum iſtæ non alia de cauſa, quam inquirendæ neceſſitatis actus, ac procurandæ Pupilli utilitatis inventæ fuerint; *Leg.*3. *in princip. verſic. pignori*, & §. *Sequen. ff. de reb. cor. qui*, & *in leg. ſi prædium* §. *Emptor Cod. de præd. minor.*, *Merlin. Pignatell. centur.*2. *cap.*74. *n.*40., & 41., *Rot. cor. Ludoviſ. dec.*31. *n.*9., & *cor. Bich. dec.*588. *n.*17. cum aliis collectis in *deciſ.*253. *n.*11. *par.*18. *recen.*, & in terminis dotis *Mantica de Tacit.*, & *Ambig. convent. lib.*4. *tit.*6. *n.*6., *Cenc. de Cenſ. quæſt.*15. *n.*28., & 29., *Rot. poſt eandem dec.*23. *n.*4.

Non attento, quod non doceatur pro parte Tutoris in patrimonio Pupilli non adfuiſſe pecunias, vel mobilia, quibus venditis conſuli potuerit prædictis indigentiis, abſque eo quod eſſet deveniendum ad eorundem cenſuum impoſitionem, quæ eſt ſpecies alienationis; Immo potius pro illius dote aſſignari potuerint Monaſterio bona ſtabilia, & in omnem caſum iſta alienari; Quia primum objectum evertebatur, ex eo, quod cum cenſus ſuppoſitio ſe-
9 cuta fuerit prævio Judicis Decreto, præſumptio eſt, in eodem patrimonio non extitiſſe pecunias, vel mobilia, aut alia bona minoris momenti idonea, & apta ad venditionem, ſeu ſolutionem; *Alb. conſ.*205. *n.*24., & *ſequen.*, *Imol. conſ.*99. *n.*6. *in fin.*, *Corn. conſ.*109. *n.*6. *lib.*6., *Mantic. de Tacit. dict. lib.*4. *tit.*6. *ſub n.*3., *verſic. Sed tamen*, *Rota cor. Bichio dec.*58. *n.*10. *ad* 15.; Secundum verò ex eo, quod dotes Monia-
10 lium ex pluribus reſolutionibus Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium dari debent in pecunia numerata, non autem in ſtabilibus, vel aliis bonis; ut eas referendo tradunt *Nicol. in Floſcul. verb. dos n.*8., *Tamburin. de Jur. Abbat. diſput.*5. *quæſt.*7. *n.*2., *Pellizar. de Monial. cap.*3. *ſect.*2. *n.*6.; Quodque quatenus bona ſtabilia ad

Digitized by Google

ad hunc effectum diſtrahi voluiſſent,
11 non fuiſſet repertus, vel ſaltem non
ita faciliter emptor ob litis pendentiam ſuper patrimonio Pupillæ cum Patribus S. Mariæ in Campitellis in hoc Sac. Auditorio, ut conſtat ex deciſionibus *in Romana Immiſſionis* 24. *Januarii*, & 3. *Junii* 1719. *cor. Rmo P. D. meo Decano*, & 10. *Februarii* 1730., & 26. *Januarii* 1731. *cor. bon. mem. Ratto*, & in terminis ponderavit alias *Rot. poſt Cenc. de Cenſ. dec.* 23. *n.* 7.

Denique nullius eſt momenti exceptio non redditæ rationis tutelæ exercitæ per ſupradictum Canonicum Jacobinum; Tum quia hoc compertum fuit non ſubſiſtere in facto, dum eadem adminiſtratio ceſſavit anno 1728., in quo factis computis idem Tutor repertus fuit Creditor in ſcut. 484. 64., & de hac ſumma in parte ſatisfactus a dicta Moniali; Tum inſuper, quia creditum
12 dictorum cenſuum uti vallatum obligatione Camerali, & ſeparatum, ac diverſum ab adminiſtratione, ac tutela prædicta non admittit prænarratam exceptionem, ſed ſemper ſolvendi veniunt fructus, firmis remanentibus Ju-
13 ribus Domino rei adminiſtratæ competentibus ſuper redditione rationis in alio congruo Judicio; *Bald. conſ.* 152. *in fin. verſ. ex his apparet lib.* 3., *Roſ. conſult.* 37. *n.* 2., & *ſeq.*, *Merlin. de Pignor. lib.* 3. *tit.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 40., *Card. de Luc. de Credit. diſc.* 62. *n.* 5., *Rot. in rec. dec.* 74. *n.* 27. *par.* 10., & *dec.* 527. *n.* 16., & *ſeq. par.* 19. *tom.* 2.;
14 Præſertim cum iidem fructus petantur poſt ceſſatam dictam adminiſtrationem per Canonicum Jacobinum exercitam.

Et ita &c. utraque &c.

ROSSANEN. CELEBRATIONIS MISSARUM.

Lunæ 30. *Junii* 1738.

ARGUMENTUM.

Dignitates, Canonici, & Presbyteri deficiente contraria conſuetudine tenentur per ſe ipſos Divina Officia adimplere; quod ſi legitime impediantur, non poſſunt ſubſtituere niſi perſonas ejuſdem ordinis.

SUMMARIUM.

1 *Tam Canonici, quam Dignitates, deficiente legitimo impedimento, tenentur per ſe ipſos, & non per ſubſtitutos celebrationes Miſſarum, & alia Divina Officia adimplere:*

2 *Quod tamen limitatur concurrente contraria conſuetudine.*

3 *Diſtinctio ordinum introducta fuit ad elegantiorem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ dignitatem;*

4 *Unde ad vices impediti ſupplendas ſubſtitui debet perſona ejuſdem ordinis;* & num. 6., & 7.

5 *Ceremoniale Epiſcoporum habet vim legis.*

7 *Supradicta de vicibus impediti ſupplendis per alterum ejuſdem ordinis procedunt, etiamſi Dignitates, Canonici, & Presbyteri non conſtituant inter ſe diverſum corpus, ſed dumtaxat efforment lineam nobilioris, vel inferioris gradus.*

DECISIO CXXI.

PRætenſionem excitarunt Dignitates Eccleſiæ Metropolitanæ Roſſanenſis, ſeſe non teneri per ſe ipſas celebrare Miſſas Conuentuales, aliaque Divina officia obire in diebus proprii Turni, & hæc omnia adimplere poſſe per alios, ſive Presbyteros ad libitum ſubſtituendos, eaque prætenſione impugnata per Canonicos ejuſdem Eccleſiæ, & in Judicium deducta coram Emo D. Cardinali de Gentilibus, tunc laudabiliter in Tribunali A. C. ſedente, prodiit ab eo Sententia, qua dictum fuit, præfatas Dignitates teneri per ſe ipſas, & non per alios Subſtitutos canere dictas Miſſas, ac reliqua Divina officia obire, ſecluſo legitimo Impedimento, quo concurrente eſſe quidem locum ſubſtitutioni aliorum, ſed tamen hanc eſſe faciendam dumtaxat in perſonis aliarum Dignitatum ejuſdem Ordinis & gradus, & non licere ſubſtituere alios Canonicos, ſive alios Presbyteros, ac Portionarios,

Conceſſa facultate a Signatura Juſtitiæ R. P. D. A. C. Furietto Succeſſori dicti Eminentiſſ. de Gentilibus iterum Collitigantes audiendi, non obſtante præ-

Digitized by Google

præmiſſa Sententia, ille poſt emiſſam a Dignitatibus renuntiationem conceſſioni remiſſoriæ, atque declarationem, quod Cauſa decidenda eſſet juxta diſpoſitionem Juris, mediante alia Sententia convenit cum præcedenti in reſpicientibus celebrationem Miſſarum, & ſervitium Chori omnino adimplenda per ſe ipſos, non autem per Subſtitutos, excepto caſu legitimi impedimenti; In reliquis vero abiit in diverſum ſenſum, declarando in caſu legitimi impedimenti teneri Canonicos ſupplere gradatim vices ultimæ dignitatis impeditæ,

Verum, devoluta Cauſa ad hoc Sacrum Auditorium, mihique commiſſa, propoſui Dubium: *An Dignitates Eccleſiæ Roſſanenſis æque, ac illius Canonici celebrare teneantur per ſe ipſos Miſſas Conventuales, aliaque Divina Officia obire in diebus proprii Turni* —, & datum fuit *affirmativum Reſponſum juxta modum*, ſic explicatum nempe -- *vices ſupplendas ab alio ejuſdem Ordinis*.

Atque præſcindendo a puncto conſuetudinis ex ratione, de qua ſupra, pro eo, quod ſpectat ad celebrationem Miſſarum, & alia Divina officia, res certa, & indubitata viſa fuit, quod tam

1 Dignitates, quam Canonici, non dato legitimo impedimento, teneantur per ſe ipſos, & non per Subſtitutos illa adimplere, ac ſatisfacere; Sic enim diſponunt Sacri Canones in *cap. licet*, *& in cap. Extirpandæ §. Qui vero de Præben.*, *Cap. Quia nonnulli. de Clericis non reſiden.*, *& Sac. Conc. Trident. ſeſſ. 22. cap. 4. de reformat.*, *& ſeſſ. 24. cap. 12. pariter de reformat.*, & pluries illis adhærendo reſolvit Sac. Congregatio Rituum, ſignanter in *Comen. 11. Junii 1595.*, *& in Abulen. 18. Maii 1602.* aliaſque reſolutiones etiam Sac. Congregationis Concilii referunt, ac de illis teſtantur *Garz. de Benef. par. 3. cap. 2. n. 494.*, *& ſeq.*, *Monet. de diſtribut. part. 2. quæſt. 19. n. 19.*, *Azor. par. 2. lib. 9. cap. 8. quæſt. ultim.*, *Rot. in rec. dec. 189. n. 7.*, *& ſeq. par. 11.*

Quibus non contradicunt aliæ reſolutiones Sacrar. Congregationum allegatæ a dignitatibus, & firmantes quod Dignitates, vel Canonici præſentes in Civitate, ubi Cathedralis eſt, vel in ejus ſuburbiis habeantur pro præſentibus, & reſidentibus, & ſic pro decantandis Miſſis, aliiſque Divinis Officiis obeundis poſſint ſeſe ad invicem, & ad libitum ſubſtituere, etiam ſecluſo caſu cujuſvis legitimi impedimenti, dummodo tamen Subſtituti eo tempore ex propria, & particulari obligatione ad Chori ſervitium non teneantur; quia hæc loquuntur, & procedunt in iis ter-

2 minis, in quibus libertas hujuſmodi ſubſtituendi fuit legitime introducta, & legitime præſcripta ex antiquiſſima probata conſuetudine, quæ cum juxta declarationem factam a Dignitatibus in hoc caſu penitus deficiat, ita ab illa extraneæ remanent eædem reſolutiones, ut illas declarat *Monacell. formul. legal. practic. tom. 2. tit. 13. formul. 2. n. 64.*, & adhærendum eſt ſupradictæ Juris diſpoſitioni, nullum prorſus obicem habenti in contrarium *§. 1. ff. qui, & a quibus manumiſſ. &c.*, *Rota in recen. dec. 379. ſub. num. 3.*, *& dec. 108. n. 17. part. 7.*

In caſu vero legitimi impedimenti, quod ſubſtitutio facienda ſit de aliis perſonis ejuſdem ordinis, & gradus deductum fuit ex eo, quod in hac Eccleſia Cathedrali juxta *Capitulum ſtatuimus de maiorit.*, *& obedien.* adeſt diſtinctio Ordinum inter Dignitates, Canonicos, & Presbyteros participantes; interque iſtos quoad ſervitium Eccleſiæ ſervatur turnus, ſive hebdomada; Unde, cum hæc Ordinum diſtinctio intro-

3 ducta ſit ad elegantiorem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Dignitatem, ut dixit *Rot. in dec. 37. n. 8.*, *& dec. 308. n. 2. par. 17. rec.*, hinc ſequitur, quod ad hanc ſer-

4 vandam omnino in caſu legitimi impedimenti ſubſtitutio facienda ſit de ea perſona illius ordinis, cujus eſt impeditus, ut clariſſime diſponit *Ceremoniale Epiſcoporum lib. 1. cap. 26.*, ubi poſtquam injunxit Superiorum vices eſſe ſupplendas ab inferioribus, hoc tamen limitat -- *In iis, quæ ſunt ordinis peculiaria, velut ſi in aliqua Eccleſia gradus, & ordines diſtincti ſint, nempe Dignitates, Canonici, Preſbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, tum Beneficiati,*

5 *& Clerici* -- quod quidem Ceremonia-

niale habet vim Legis tanquam deciſorium; ad notata per *DD. in cap. Conſuluit de Ser. non ordinad.*, & in ſpecie *Hoſtien. n.7.*, *Lotter. de re benef. lib.1. quæſt.16. n.123.*, *Gratian. diſcept. forenſ. cap.151. n.7.*, *Sperell. dec.179. n.23. tom.2.*, *Panimoll. dec.1. annot.3. ſub n.4.*

Et revera, quod data diſtinctione ordinum, & graduum, talis ſit diſpoſitio præfati Ceremonialis Epiſcoporum, quod quilibet unius ordinis ſup-
6 pleat vices alterius impediti de eodem ordine, declaravit *Sac. Congregatio Rituum in dicta Abulen. 18. Maii 1602, relat. a Barboſ. de Canonic. cap.31. n.6.*, *Pignatell. conſult. 133. n.12. tom.4.*; Signanter dum adeſt numerus capax in quolibet Ordine ad prædd. vices ſupplendas; dum dignitates ſunt quatuor, Canonici viginti, & viginti quatuor Presbyteri Participantes.

Nec relevat, quod Dignitates non conſtituant corpus diverſum a cæteris Canonicis, & Presbyteris, ſed omnes ſimul juncti efforment unum, idemque corpus, nempe Capitulum; Ideoque
7 non procedat ſupradicta limitatio Ceremonialis; Iſtud etenim expreſſe diſtinguit Dignitates a cæteris Canonicis non in ratione conſtitutivi diverſi corporis, ſed in linea efformativa nobilioris gradus, & nihilominus diſponit, quod onera unius gradus transferri nequeant in gradum, & ordinem omnino diverſum; Propterea, cum adſit talis clara diſpoſitio ejuſdem Ceremonialis deciſiva principalis controverſiæ, hæc unice attendi debet ex ratione ſupra expreſſa.

Et ita &c. utraque &c.

ROSSANEN. CELEBRATIONIS MISSARUM SUPER ASSISTENTIA QUOAD REMISSORIAM.

Lunæ 27. Junii 1738.

ARGUMENTUM.

In materia profana, ubi concurrat relevantia articulorum, ſemper conceditur remiſſoria, etiam abſque fumo materiæ articulatæ. Ceremoniale Epiſcoporum quoad abrogationem immemorabilis procedit circa clare, & literaliter in illo diſpoſita, ſecus circa caſus dubios.

SUMMARIUM.

1 *In materia profana, ubi concurrat relevantia articulorum, remiſſoria conceditur etiam abſque ullo fumo materiæ articulatæ:*

2 *Quoties autem non agitur ſuper titulo Beneficii, qualibet cauſa dicitur profana.*

3 *Immemorabilis habet vim privilegii, & ex ea allegari poteſt quilibet melior titulus.*

4 *Ceremoniale Epiſcoporum quoad abrogationem immemorabilis procedit circa clare, & literaliter in illo diſpoſita, ſecus circa caſus dubios.*

5 *Non facta expreſſa, & ſpeciali mentione immemorabilis, ea nunquam comprehenditur ſub diſpoſitione reſpiciente in genere quamcunque conſuetudinem.*

6 *Declaratur Reſolutio* S. Cong. Conc. in Sarnen. 5. Martii 1633.

7 *Ad concedendam remiſſoriam non requiritur exacta diſcuſſio meritorum cauſæ, ſed ſufficit, quod materia articulata aliquo modo conferre poſſit ad ejus determinationem.*

DECISIO CXXII.

PRæter controverſiam ſuper celebratione Miſſarum Conventualium, atque adimplemento aliorum Divinorum Officiorum facienda, & reſpectivè ineundo per ipſaſmet Dignitates, & Canonicos Metropolitanæ Eccleſiæ Roſſanen., excepto caſu legitimi impedimenti, in quo vices impediti ſupplendæ ſunt per alium, ejuſdem Ordinis tamen, & gradus, cujus eſt impeditus, de qua in alia mea contemporanea deciſione ſuper hoc puncto celebrationis Miſſarum, orta etiam fuit alia; Num nempè Canonici, Diaconi, & Subdiaconi teneantur per ſe ipſos aſſiſtere Dignitatibus, & Canonicis celebrantibus, ne dum in diebus feſtis ſolemnioribus, ſed etiam in aliis minus ſolemnibus, nempè diebus Dominicis, ac aliis feſtis, & contendentibus Canonicis ſibimet ipſis aſſiſtere conſuetudinem immemorabilem non præſtandi eandem aſſiſtentiam, niſi in eiſ-

Digitized by Google

eiſdem diebus feſtis ſolemnioribus,eamque comprobare volentibus mediante formali examine Teſtium ad formam articulorum productorum: Quapropter propoſui etiam in præſenti Rota in hac alia controverſia duplex dubium, alterum nempe ſuper negocio principali, ideſt = *An, & in quibus diebus Canonici, Diaconi, & Subdiaconi aſſiſtere teneantur per ſe ipſos Dignitatibus,& Canonicis Presbyteris Miſſas Conventuales per ſe ipſos celebrantibus* =, & alterum ſuper Remiſſoria per eoſdemmet Canonicos petita, & DD., dilata primi Dubii reſolutione, cenſuerunt, *concedendam eſſe Remiſſoriam*.

Quoniam, cum hìc agatur de materia profana,& concurrat relevantia articu-
1 lorum, ſemper in his terminis Sacrum Auditorium ſolet Remiſſoriam concedere, etiam abſque ullo fumo materiæ articulatæ;*Rota cor. Emer. Jun. dec.33. n.3., & dec.4. n.3.,cor. bo. me. Molines dec.921. n.1. & 2.*, & inter eoſdemmet litigantes in *Roſſanen. Tranſactionis ſuper Remiſſoria die 25.Junii 1736.§.Certum namque coram R.P.D. Vicecomite.*

De qualitate materiæ,ſive quod Cauſa ſit profana, nulla cadit dubitatio;
2 dum talis dicitur quælibet Cauſa,in qua non agitur ſuper Titulo Beneficii; *Rota cor.Carill. dec.209. n.1.,cor.Emer.Jun. dec.498. n.2., & dec.1063. n.3.*, ſicuti nec etiam de relevantia articulorum, qui cum reſpiciant probationem immemorabilis, ſic ea probata, oritur favore Canonicorum omnis juſta cauſa non præſtandi dictam aſſiſtentiam, niſi in dd. diebus ſolemnioribus, cum con-
3 ſuetudo hujuſmodi habeat vim Privilegii, & ex ea allegari poſſit melior titulus de Mundo; *Gabriel. de præſcript. concluſ.1. n.44., Rot. cor. Emer.Jun. dec.33. n.1. 2. & 9., & in rec. dec.614. n.1. part.2.*

Nec obſtat, quod in *Ceremoniali Epiſcoporum* fuerit abrogata quælibet conſuetudo etiam immemorabilis tam in præteritum, quam in futurum, & propterea inutilis ſit ſupradicta conceſſio Remiſſoriæ; Hoc namque procedit in
4 caſu claro, & quatenus nempe literaliter illud injungeret, a Canonicis eſſe præfatam aſſiſtentiam præſtandam tam in diebus Feſtis Solemnioribus, quam in aliis minus ſolemnibus; At cum *Ceremoniale in lib.2. cap.17.* in hac parte loquatur in litera tantum de Solemnitate Purificationis B. Mariæ Virginis, ſemper dubium remanet, an hoc idem ſervandum veniat in aliis diebus Dominicis, & Feſtis minus Solemnibus, & propterea dicta derogatio immemorabilis ad hunc ſpecialem caſum ita dubium extendi non valet; ad tradita per *Card.de Luca in Miſcell. diſc.37. n.10., Rot.cor. Dunoz. Jun. dec.585. n.14., & in rec. deciſ.102. n.12. & 13. & ſeq. part.10.*

Minuſque obſtat, declaratum fuiſſe per Sac. Cong. Rituum, eandem diſpoſitionem Ceremonialis ſe ſe extendere æqualiter tam ad dies Feſtos Solemniores, quam ad dies Dominicos, alioſque minus ſolemnes, & derogationem illius comprehendere etiam contrariam conſuetudinem immemorabilem ex illius reſolutionibus *in Hydruntina 24. Septembris 1628.,in Sarnen. 5. Martii 1633., & in Brundiſina 6. Julii 1641.*, nam prima, & ultima ex iſtis nempe Hydruntina, & Brunduſina ſo-
5 lum ſe ſe habent in genere de quacunque contraria conſuetudine, & conſequenter non comprehendunt immemorabilem, quæ, ubi de illa non fuerit facta expreſſa, & ſpecialis mentio, ſemper cenſetur reſervata; *Rot. cor. Coccin. dec.864. n.4. & 5., cor. Emer. Jun. deciſ.33. n.1.,& dec.498. n.4., & in Trojana Delationis Crucis ſuper bono jure 10. Decembris 1708. §. Neque bonum jus cum ſeq. coram. Emo Aldrovando*; & dicta altera reſolutio *in Sarnen.*, etſi deroget etiam conſuetudini immemo-
6 rabili, loquitur ſolum de Canonico ſolemniter celebrante, nulla facta indicatione Feſtivitatis, an nempe eſſet de ſolemnioribus, vel de ſolemnibus,& ideo cum poſſit intelligi de immemorabili conſuetudine in diebus Feſtis ſolemnioribus,veluti dubia,& æquivoca nil concludit quoad dies feſtos minus ſolemnes, de quibus unicè in præſenti quæritur.

Cæterum, rebus ſic ſtantibus, ſemper ſubſiſtit, quod probatio ſupradictæ Immemorabilis aliquo modo poteſt con-
7 ferre ad determinationem hujus Cauſæ,

quod tantum videtur ſufficere pro conceſſione Remiſſoriæ, nec requiritur rigoroſa diſcuſſio meritorum Cauſæ unicè habenda poſt factam hanc probationem; ut alias reſpondit *Rot. cor. Otthobon. deciſ.* 119. *n.*4., *cor. Emer. Jun. deciſ.* 1197. *n.*8., *& in Cæſar auguſtana Portionis de Pinha ſuper Remiſſoria, & Compulſoria* 28. *Aprilis* 1738. *§. final. coram R.P.D. meo Millino*.

Et ità &c. utraque &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSORUM.

Lunæ 30. *Junii* 1738.

ARGUMENTUM.

Privilegium *Auth. res quæ* non habet locum niſi in ſubſidium, & probata deficientia bonorum liberorum a petente detractionem, ſi agatur de dote detrahenda. In legitimam filii imputatur quicquid ipſe ex ſubſtantia Patris obtinet. Ex ſimplici conteſtatione litis ante purificationem fideicommiſſi non inducitur mala fides. Sententia Immiſſionis retrotrahitur ad diem petitionis quando eſt pura, ſecus quando eſt conditionalis. Hæres uſufructuaria gravati conſequitur fructus fideicommiſſi uſque ad diem reſtitutionis ejuſdem, puta ad diem declarationis a fideicommiſſario faciendæ, an velit fideicommiſſum acceptare.

SUMMARIUM.

1 *Ex Statuto Bononiæ binæ Sententiæ habent vim trium, etiam quoad cauſas, & perſonas Eccleſiaſticas.*

2 *Privilegium* Auth. res quæ *non habet locum niſi in ſubſidium, & probata deficientia bonorum liberorum; & ſub num.*9.

3 *Hujus autem probationis onus ubi agitur de dote detrahenda, incumbit detrahere volenti,*

4 *Inventarium bonorum Debitoris confectum a Creditore plene contra ipſum, & habentes cauſam ab eo probat tam exiſtentiam bonorum in hæreditate, quam pertinentiam ad Debitorem.*

5 *Bona libera in hæreditate gravati reperta præſumuntur ſufficientia ad ſolutionem legitimæ, & dotis;*

6 *Ad probandam vero inſufficientiam requiritur exacta firmatio ſtatus hæreditarii:*

7 *Hæreditas enim ſemper præſumitur opulenta, nec ſtatur contrariis enuntiativis hæredum,*

8 *Quod ſemel approbatum eſt, nequit amplius impugnari.*

9 *Quicquid filius obtinet ex ſubſtantia parentum, in ejus legitimam imputatur.*

10 *Pro excludendo fideicommiſſario non admittitur exceptio detractionum, niſi ſit omnino liquida, & certa;*

11 *Unde exceptio legitimæ tanti non putatur,*

12 *Non probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe.*

13 *Immiſſio non conceſſa niſi poſt emiſſam declarationem a fideicommiſſario, an ſcilicet fideicommiſſum ſibi retinere velit, intelligitur conceſſa ſub conditione ſuſpenſiva, purificanda in die tantum ejuſdem declarationis.*

14 *Unde fructus niſi ab eodem die debentur,*

15 *Ante implementum conditionis nullum jus acquiritur ad immiſſionem;*

16 *Proindeque nec ad fructus, qui in ejus ſequelam veniunt.*

17 *Ex ſimplici conteſtatione litis ante purificationem fideicommiſſi non contrahitur mala fides,*

18 *Tunc Sententia Immiſſionis retrotrahitur ad diem petitionis, quando eſt pura, ſecus quando eſt conditionalis,*

19 *Hæres uſufructuaria gravati conſequitur fructus uſque ad diem, quo facienda eſt reſtitutio fideicommiſſi.*

DECISIO CXXIII.

CONtra geminas Sententias, alteram A. C., & alteram hujus Sac. Auditorii coram R.P.D. meo Creſcentio concedentes Immiſſionem Com. Julio Sighizzio Blanchetti in poſſeſſionem illius ratæ Bonorum Fideicommiſſariorum Joannis, & Jacobi de Blanchettis olim obventæ Co. Cæſari Jun. de Blanchettis abſque filiis defuncto, cum hoc tamen, quod idem Com. Actor priùs declarare deberet, velle retinere, vel Patrimonium Fideicommiſſarium Familiæ de Blanchettis, vel alterum Patrimonium ſubjectum Primogenituræ ordinatæ a Franciſco Gambalunga, & per

per dictum Com. Actorem ad præſens poſſeſſum nomine, & jure proprio; alterum vero nomine Adminiſtratorio Co. Laurentii ejus filii ob ejuſdem Co. Actoris incapacitatem utrumque fideicommiſſum aſſequendi, reclamavit in plena Signatura Juſtitiæ Com. Thereſia Balduzzi defuncti Com. Cæſaris Uxor, ac hæres uſufructuaria, & fiduciaria reſpective, atque poſſeſſionem retinens dictorum Bonorum, non in ea parte Immiſſionis, ut ſupra, conceſſæ, ſed in altera, in qua eidem denegata extitit retentio ex cauſa detractionum, de quibus infra, & facta fuit condemnatio reſtitutionis fructuum a die motæ litis. Quapropter commiſſa mihi Cauſa cum clauſula -- *Conſtito de duabus* --, & propoſito a me hodie dubio commiſſioni conformi, prodiit reſolutio -- *Conſtare de duabus juxta modum* inferius exprimendum; & merito quidem, quia ex diſpoſitione tam Statuti Bononiæ *in Rubrica de appellat.* §. *Præterea*, quam *Conſtitutionis ſan. mem. Gregorii XV.*
1 idem Statutum extendentis etiam ad Cauſas, & perſonas Eccleſiaſticas, binæ Sententiæ, conſtito de illarum validitate, & juſtitia, habent vim trium; ut in terminis *Rot. cor. Benincaſa dec.* 334. *n.* 1., *cor. bo. me. Anſa. d. deciſ.* 2. *pariter n.* 1. *cum ſeq.*, *cor. bo. me. Lancetta deciſ.* 1309. *n.* 2. *&* 3., *& in rec. dec.* 15. *n.* 1. *& ſeq. part.* 18.

Prætermiſſo itaque examine validitatis, ſuper qua nulla aderat inter Collitigantes controverſia, & aſſumpta inſpectione juſtitiæ, iſta viſa fuit undique ſubſiſtere in eo, quod ſpectat ad retentionem petitam a Com. Thereſia ſuper Bonis Fideicommiſſariis pro rata legitimæ competentis Julio ſuo mediato Authori ſuper dote Armellinæ Gambalunghæ ejuſdem Julii Matris, & reſpective olim Uxoris Cæſaris nuncupati *il Venerabile*; Quandoquidem etſi ſupra recenſita fideicommiſſa condita a ſupradictis Joanne, & Jacobo ſint aſcendentalia, & ab eiſdem Teſtatoribus deſcendat Cæſar prædictæ Dotis Debitor, non per hoc tamen vigore notiſſimæ *Auth. res quæ Cod. Commun. de legat.* detrahi poteſt Dos prædicta a memoratis fideicommiſſis, niſi doctum fuerit, quod nulla Bona Cæſaris Debitoris, ſeu u. e-ra pro ejus ſatisfactione exiſtant, cum
2 Privilegium indultum in dicta *Auth. res quæ* ſit ſubſidiarium, & non exercibile ſuper Bonis fideicommiſſi aſcendentalis, niſi concurrente dicta probatione; *Rot. cor. Coccin. dec.* 2800. *n.* 6., *& in rec. dec.* 330. *n.* 9. *par.* 1., *& in Bononien. Fideicommiſſi Alexii de Urſis ſuper portione Annibalis* 13. *Maii* 1719. §. *Iidemque cor. Emo Aldrovando*, *& firmant Deciſiones cor. R.P.D. meo Creſcentio*, *prima nempe* §. *Verum etiam*, *& ultima* §. *Secunda ratio*.

Potiſſimum dum non agitur de Dote jam detracta, ſed de Dote, quam Co-
3 mitiſſa detrahere contendit ex bonis dd. fideicommiſſorum, in quo caſu ſemper ejus eſt onus plene, & concludenter demonſtrandi defectum Bonorum liberorum ſui debitoris; juxta diſtinctionem, de qua *Bald. in d. auth. res quæ n.* 16. *Cod. Commun. de legat.*, *Rot. cor. Zaratt. dec.* 15. *n.* 75., *& in rec. dec.* 210. *n.* 8. *part.* 6., *dec.* 123. *n.* 27. *part.* 16., *& in Romana Immiſſionis* 18. *Novembris* 1709. §. *Neque cor. Emo Aldrovando*, & advertit *ultima Deciſio R. P. D. mei Creſcentii* §. *ſin ali*.

Nedum autem a prædicta Comitiſſa probatus non remanſit idem defectus bonorum liberorum, ſed potius conſtitit de contrario ex Inventario bonorum hæreditariorum ſupradicti Cæſaris *il Venerabile* exhibito pro parte Com. Actoris, in quo ultra quamplura ſtabilia deſcripta, reperiuntur etiam animalia, & mobilia conſiderabilis pretii, & magna quoque quantitas fructuum collectorum, atque in eſſe exiſtentium;
4 Cumque idem Inventarium expletum fuerit etiam a memorato Julio Creditore controverſæ legitimæ in dote materna, plene contra ipſum, atque habentes cauſam ab eo, veluti eſt Com. Thereſa, probat & exiſtentiam dictorum bonorum in hæreditate debitoris dotis, & quod iſta ad eundem debitorem pertineant; *Decian. conſ.* 76. *n.* 8. *lib.* 3., *Peregr. conſ.* 48. *lib.* 1. *n.* 5., *Fuſar. de Subſtit. quæſt.* 618. *n.* 1., *Rot. cor. Duran. dec.* 337. *n.* 9., *& cor. Emerix Jun. dec.* 116. *n.* 2.

Quin dicatur, quod dicta bona ſint in-

inſufficientia pro ſatisfactione recenſitæ dotis; & hoc apparere tum ex concordia inita anno 1656. inter ſupradictum Julium, & Georgium Ludovicum filios Armellinæ; tum inſuper ex compoſitione ab hiſce Fratribus reportata anno 1660. a Rev. Fabrica S. Petri ſuper aliquibus Legatis Piis relictis in ſuo teſtamento ab enuntiato Cæſare *il Venerabile* ejuſdem Armellinæ viro, & debitore ejus dotis; quia ex prima nempe concordia potius apparuit contrarium, dum in illa, excitata prætenſione per Julium ſuper rata legitimæ dictæ dotis Armellinæ Matris, licet fuerit enuntiatum in hæreditateCæſaris debitoris tunc non adeſſe pecunias promptas pro ejus ſolutione, fuit nihilominus literaliter dictum adeſſe bona ſtabilia hæreditaria, qui modus loquendi præſupponit, eadem bona eſſe undique capacia ad ſolutionem dictæ legi-
5 timæ, ſeu dotis, prout etiam præſumitur, *Andreol. controv.*101. *n.*10., *Rot. poſt Urceol.de Tranſact. dec.*179. *n.*11., & 12., & *in recen. dec.*457. *n.*12., & 13. *par.*19., & quoad compoſitionem Rev. Fabricæ S. Petri, urget duplex reſponſio amplexa quoque in ultima deciſione R. P. D. mei Creſcentii; Altera, quod aſſertio in illa emiſſa ſuper inſufficientia patrimoniiCæſaris debitoris dotis unice facta fuit ab altero ex ejus filiis ad effectum evitandi ſolutionem Legatorum Piorum, & conſequenter ex omni parte inepta remanet; cum ad effectum eandem inſufficien-
6 tiam concludendi exigatur rigoroſa firmatio ſtatus hæreditarii, ſine qua ſem-
7 per viget præſumptio opulentiæ hæreditatis, nec ſtandum eſt ſimilibus enuntiativis ab hæredibus emiſſis; *Rot. cor. Bich. dec.*449. *n.*6., *cor.Dunozett.Jun. dec.*235. *n.*7., *cor. bon. mem. Lancetta dec.*1016. *n.*25., & 26., *dec.*1140. *n.*8., & 9., & *in rec. dec.*17. *n.*15. *part.*16., *dec.*285. *n.*4. *par.*18.

Et altera reſponſio eſt, quod in calculo d. hæreditatis efformato cum Commiſſario Rev. Fabricæ, ultra quamplures errores diſtincte adnotatos a Scribentibus pro parte Com. Actoris, una ex præcipuis partitis, quæ ponuntur ad debitum hæreditatis, eſt legitima debita filiis ſæpedicti Cæſaris ſuper dote Armellinæ; Ideoque ſi partita hujus dotis, ſeu legitimæ jam allegata fuit ab hæredibus ejuſdem Cæſaris pro retinendis ejus bonis in excluſionem Rev. Fabricæ, ſequitur non poſſe hodie allegari inſufficientiam patrimonii d.
8 Cæſaris pro illius ſolutione; ex regula *Text. in leg. quod ſemel ff. de regul. Jur., Rot. cor. bon. mem. Lancetta dec.*882. *n.*8., & *cor. clar. mem. Card. Falconer. dec.*5. *n.*2. *de uſufructu*.

Fortius dum Cæſar in ejus patrimonio præ cæteris reliquit prædium cum Palatio in communi Ozzani, quod poſtea Julius ejus filius dedit in ſolutum Com. Mariæ Diolatazzi ejus uxori in cauſam reſtitutionis dotis; Ex quo facto clare conjicitur, eandem detractionem legitimæ fuiſſe conſumptam, & ſolutam, juncto præſertim, quod Armellina Mater Julii dimiſit plura iſtius debita cum ceſſione tranſlativa Jurium, quod pariter ſicuti imputandum eſt, accedit in eandem legitimam, prout im-
9 putatur quidquid filius obtinet ex ſubſtantia Parentum; *Leg. in quantum ff. ad leg. Falcid., Gratian. diſcept. forenſ. cap.*50. *n.*14., *Rot. cor. Ludoviſ. dec.*658. *n.*6., & *in rec. dec.*685. *n.*8. *par.*18.; Ita eo magis ſubſiſtere videtur dicta conſumptio, niſi doceatur de condonatione ſummæ, ut ſupra, ſolutæ, vel expreſſa, vel ſaltem tacita, ex urgentibus nempe, & concludentibus conjecturis deducta, in hoc caſu omnino deficientibus, ut optime probat *ultima deciſio R. P. D. mei Creſcentii diei 9. Decembris* 1737. §. *Ex eo autem*; Quapropter ſi dicta legitima Armellinæ Matris fuit jam ſatisfacta ex bonis liberis debitoris ejus dotis, inutile eſt, quod proponatur ejus detractio ex bonis fideicommiſſariis, quæ non tenentur ad dotem, niſi in ſubſidium, ut ſupra viſum eſt; Maxime ad impediendam immiſſionem ad eadem fideicommiſſa vocato claram, & expeditam
10 actionem habenti, pro quo excludendo nunquam admittitur ſimilis detractionum exceptio, niſi ſit liquida, & certa, & nullam in ſeſe contineat dubietatem; *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de fideicom. dec.*5. *n.*8., & *de uſu-*

uſufruct. dec.6. ſub n.23., & *in Bonon. Fideicommiſſorum ſuper detractionibus 16. Junii currentis §. In gradu in fine coram Me*, & innuunt *deciſiones præcedentis inſtantiæ cor. R. P. D. meo Crecentio*.

Nec obſtat, quod, defuncto Georgeo
Ludovico Fratre ſupradicti Julii, conceſſa fuerit Eliſabethæ Blanchetti filiæ
ejuſdem Georgei legitima pro rata illi
competente ex cauſa recenſitæ dotis
Armellinæ ſuper bonis fideicommiſſariis ex judicio hujus Sac. Auditorii, ut
ex *dec.311. part.14. rec.*, tum quia ex
illa potius patet contrarium, dum firmatum fuit, d. exceptionem legitimæ
11 non eſſe ſufficientem ad retardandam
immiſſionem, & licet admiſſa fuerit retentio certi corporis, nihilominus hoc
evenit per modum proviſionis, & ſalvis juribus ſuper ſatisfactione ejuſdem
legitimæ; tum etiam quia inibi nunquam actum fuit de ſufficientia bonorum Cæſaris, eorumque exiſtentia, ſuper quibus fieri poterat detractio d. dotis Armellinæ, ut oſtenditur modo ab
Actoribus, & ſupra pariter viſum eſt,
imo ex d. præſervativa, videtur hoc
examen reſervatum in poſterum; Ideoque ex eo, quod per modum proviſio-
12 nis fuit firmatum in eadem deciſione,
nil deduci poteſt ad cauſam præſentem,
in qua principaliter agitur, & probatur
d. detractionem ſuper bonis fideicommiſſariis non competere; ex ſolidiſſimis
motivis, de quibus ſupra ex regula;
Text. in leg. Natales C. de probat., *Rot. cor. Emer. Jun. dec.1170. n.3.*

Ex his deſcendendo ad reſtitutionem
fructuum cenſuerunt DD. illos non deberi niſi a die declarationis ab Actore
faciendæ ad formam Sententiæ A. C.,
& alterius R.P.D. mei Creſcentii; nam
cum immiſſio eiſdem conceſſa non fuerit niſi facta prius in actis d. declaratio-
13 ne, & ſic ſub tali conditione, quæ eſt
ſuſpenſiva, & non antea purificanda,
quam in die declarationis præd.; *Calderin. conſ.9. de verb. ſignif.*, *Rot. cor. Verallo dec.150. n.3. par.1.*, & *in rec. dec.306. n.3. par.18.*, & *dec.202. n.11. par.10.*, & *dec.184. n.3. par.12.*, & *dec.344. n.5. par.17.*, & *dec.451. n.2. par.19.*; Ideo ſequitur, fructus non eſſe
14 reſtituendos niſi a die illius; *Rot. cor. Cerro dec.54. n.2.*, & *cor. bon. mem. Lancetta dec.297. pariter n.2.*, & *ſequen.*, ſicuti namque ante adimplementum d. conditionis nullum jus acquiſi-
15 tum remanſit Actoribus quoad immiſſionem; ad tradita per *Menoch. conſil.388. n.17.*, & *ſequen.*, *Cephal. conſil.118. n.9.*, & *Card. de Luc. de fideicom. diſc.151. n.10.*, *Rot. cor. Seraph. dec.338. n.3.*, & *4.*, *in recen. dec.567. n.2.*, & *3. par.3.*, ita tanto minus quoad
16 fructus, qui unice veniunt in ſequelam ejuſdem Immiſſionis, & uti ejus
Acceſſorii; *Rot. cor. Merlin. dec.330. n.2. 3.*, & *7.*, & *in recen. dec.614. n.7.*, & *8. par.19. tom.2.*

Minime ſuffragante mala fide, quæ
a Comitiſſa nunquam contracta dici va-
17 let ex ſimplici litis conteſtatione, &
ante adimpletam prædictam conditionem, ante quam Actores capere non
poterant bona fideicommiſſaria; *Leg. in fideicommiſſaria hæreditatis reſtitutione ff. ad Sen. conſ. Trebell.*, *Peregr. de fideicom. art.48. n.20.*, *Rot. coram clar. mem. Card. Falconer. tit. de fideicom. dec.47. n.4.*, & *dec.48. n.3.*

Non attento, quod Sententia Immiſſionis, retrotrahatur ad diem petitio-
18 nis, quippe hoc procedit in Sententia pure, & ſimpliciter Immiſſionem
concedente, non autem in conditionali, ut ſupra, quæ cum pernecesse ſit
a parte ante adimplenda; ita nunquam
retrotrahitur ad diem petitionis; ad
Text. in leg. ſi uxorem Cod. de condition., *Bartol. in leg. ſi is, qui pro Emptore n.47. ff. de uſucap.*, *Caſtr. conſil.446. n.1. lib.2.*, *Tuſch. lit. C. concl.199. n.5.*, *Mantica de tacit.*, & *ambig. convent. lib.14. tit.46. n.11.*

Prout nec etiam, quod Comitiſſa
Rea conventa tanquam extranea intereſſe non habeat ſuper purificatione d.
conditionis mediante prædicta declaratione; Illa enim eſt hæres uſufructuaria
19 hæredis gravati, illumque repræſentat, propterea que Jus habet conſequendi fructus uſque ad diem, qua eſt facienda reſtitutio bonorum fideicommiſſariorum, & ſic uſque ad d. diem
ſecutæ declarationis; *Leg. mulier 22. §. Si hæres ff. ad Trebell.*; *Gabriell. conſ.*

*conſ.*121. *n.*58., *Mantica de conjeƈt. lib.*7. *tit.*10., *Peregrin. de fideicomm. art.*48. *num.*20., *Coſt. de ration. rat. quæſt.*192. *n.*4., *Rodulph. allegat.*92. *n.*3., *Rot. cor. Anſald. dec.*36. *n.*2., & *in rec.dec.*189. *n.*11. *par.*7., & *dec.*351. *n.*3. *par.*15.

Et ita DD.; in reliquis ſeſe remiſſive habendo ad præteritas deciſiones R. P. D. mei Creſcentii, juxta modum ſupra expreſſum reſponderunt &c. utraque &c.

ROMANA MANUTENTIONIS.

Veneris 4. *Junii* 1738.

ARGUMENTUM.

In judicio ſummariiſſimo retinendæ manutentio regulatur a poſſeſſione, pro qua demonſtranda admittuntur leviores probationes, & præſumitur retenta jure proprio, non precario, & familiaritatis, ſi actus poſſeſſorii ſint multiplices, & titulus etiam nullus, & invalidus concurrat: immo titulus familiaritatis ex decennali poſſeſſione excluſus remanet, prout ex lapſu ejuſdem temporis vim ſuam ad hunc effectum amittit clauſula *Conſtituti*. Inventarium deficiens in deſcriptione ſtabilium, & mobilium eſt nullum; nullaque conſequenter eſt renuntiatio hæreditatis; ab ea autem ex actibus incompatibilibus, & contrariis receſſum cenſetur.

SUMMARIUM.

1 *In judicio ſummariiſſimo retinendæ manutentio a poſſeſſione regulatur;*

2 *Ex Teſtibus autem deponentibus de habitatione domus ſatis probata remanet poſſeſſio habitantis:*

3 *Quod ſi inſuper deponant de locatione partis ejuſdem domus, & exactione penſionum ab eodem habitante facta, tunc poſſeſſio etiam ſuperabundanter probata dicitur.*

4 *In judicio retinendæ admittuntur leviores probationes, veluti ſunt depoſitiones extrajudiciales;*

5 *Maxime ſi circa factum proprium verſentur.*

6 *Teſti Sacerdoti in dignitate conſtituto magna fides adhibetur.*

7 *Teſtes cum Inſtrumentis publicis convenientes pleniſſime probant poſſeſſionem.*

8 *Poſſeſſio a fratre præſumitur retenta jure familiaritatis, proindeque inefficax eſt ad manutentionem.*

9 *Ex juris præſumptione poſſeſſio retenta cenſetur potius jure proprio, quam alieno, & precario;*

10 *Quod certum eſt concurrente titulo;*

11 *Etiam nullo, & invalido.*

12 *Actus poſſeſſorii, ſi ſint multiplices, facti potius cenſentur jure proprio, quam precario.*

13 *Ex poſſeſſione longi temporis, puta decennali, excluditur præſumptio familiaritatis.*

14 *Clauſula* Conſtituti *ex lapſu decennii omnem vim amittit ad effectum manutentionis;*

15 *Maxime ſi appoſita ſit in renuntiatione erronea, & enormiſſime læſiva.*

16 *Apocha renuntiationis ab advena exarata ante diſpunctionem rationum ſub ſuppoſito peſſimi ſtatus patrimonii renuntiati, eſt ſuſpecta de falſitate.*

17 *Renuntiatio emiſſa relative ad Inventarium erroneum, & defectuoſum eſt erronea, & deceptionem includit;*

18 *Et eſt nulla ex defectu conſenſus, in quo conſiſtit ſubſtantia contractus, quique in errante eſſe nequit;*

19 *Quæ regula limitatione caret.*

20 *Quoties ex conſenſu damnum aliquod conſentienti infertur, ille non præſumitur, ſed præſumitur error;*

21 *Quin immo iſte probatus remanet, eo ipſo, quod actus diverſus eſſe debuerat, ac geſtus eſt.*

22 *Inventarium deficiens in deſcriptione ſtabilium, & mobilium eſt defectuoſum, & nullum;*

23 *Proindeque nulla pariter, & erronea eſt renuntiatio hæreditatis, quæ ad illud relativa dici debet.*

24 *Renuntiatio enormiſſime læſiva nulla eſt.*

25 *Ex actibus incompatibilibus, & contrariis receſſum cenſetur a præcedenti renuntiatione.*

DECISIO CXXIV.

A Mandato de manutenendo relaxato in prima inſtantia ab A.C. favore Mauritii Nepotis, & hæredis Joannis Bapti-

Baptiſtæ Marini, ac reſpective ceſſionarii Dominici ſui fratris alterius ex cohæredibus d. Jo: Baptiſtæ, una cum contemporanea Sententia, in qua declaratur nullum jus in poſſeſſorio competere d. Dominico Collitiganti, ejuſque Jura ſuper prætenſa læſione controverſæ renuntiationis reſervantur in petitorio Judicio, delegata mihi extitit cauſa in gradu appellationis ex Signaturæ Juſtitiæ Reſcripto cum clauſula — *Alteri cum facultate manutenendi, quem de Jure* — Unde in ſequelam propoſito Patribus conſentaneo dubio — *An, & cui danda ſit manutentio, vel potius obſtet renuntiatio?* — Reſponſum habui in hodierna Audientia — *Manutentionem eſſe dandam Dominico, & renuntiationem non obſtare* —.

Et ratio taliter decidendi quoad primam dubii partem deducta reman-
1 ſit, ex quo agebatur de ſummariiſſimo retinendæ, in quo manutentio regulari ſolet a poſſeſſione, uti ſuo præcipuo fundamento, & principio; *Poſth. de Manut. obſerv.* 15. *n.* 3., *Rot. apud eundem Poſth. dec.* 32. *n.* 1., *dec.* 214. *n.* 4., *& dec.* 251. *n.* 2. Et poſſeſſionem controverſæ domus ad Lungariam hæreditariæ ejuſdem Jo: Baptiſtæ, de qua agitur, extitiſſe ſemper penes d. Dominicum, probatum fuit a pluribus Te-
2 ſtibus, non ſolum deponentibus de habitatione Dominici, ejuſque Familiæ, quod in præſenti ſufficeret; *Bald. in l. Cenſus in* 1. *quæſt. n.* 4. *ff. de uſucap.*, *Menoch. de adipiſcen. remed.* 3. *n.* 161. cum aliis apud *Poſth. de Manut. dec.* 470. *n.* 2.; ſed præcipue teſtantibus eundem
3 Dominicum reliquas manſiones ejuſdem domus, uti de re propria locaſſe, ac penſiones inſimul exegiſſe, ex quibus utique ſimul junctis poſſeſſio dicitur ex abundanti probata; ad *Text. in leg. quamvis* §. 1. *ff. de acquir. poſſeſſ.* dicit *Poſth. de Manut. obſerv.* 23. *n.* 31., *& Rot. poſt eundem dec.* 140. *n.* 9., *& dec.* 141. *n.* 3.

Quin obſtare valeat, quod talis probatio deducatur a ſimplicibus fidibus nonnullorum Teſtium, quæ non videntur in judicio probare. Verſamur nam-
4 que in ſummariiſſimo retinendæ, in quo, cum ſufficiant leviores probationes, admittuntur proinde ſimplices depoſitiones extrajudiciales; *Poſth. de Manut. obſerv.* 38. *n.* 23., *&* 24., *Buratt. dec.* 620. *n.* 2., *Falcon. de Cenſ. dec.* 16. *n.* 4., & fuſius *cor. Me in Nullius, ſeu Meliten. Manutentionis* 18. *Junii* 1736. *ſub* §. *Non officiente*.

Eoque magis admittendi ſunt in præſenti, ubi adducti Teſtes fere omnes fuerunt inquilini controverſæ domus,
5 & ſic ſunt Teſtes de facto proprio deponentes, quibus plenaria fides eſt adhibenda; *Rot. cor. Caprar. dec.* 11. *n.* 3. *par.* 1., *& in Ariminen. Manutentionis* 5. *Decembris* 1707. *ſub* §. *In præſenti autem cor. clar. mem. card. Scotto*. Immo cum ex eis alter ſit Sacerdos in
6 dignitate conſtitutus, multum proinde ei eſt deferendum; *Rot. dec.* 276. *n.* 16. *par.* 10., *& dec.* 492. *n.* 23. *par.* 19. *rec.*

Præfatis autem Teſtibus fides omnis eſt ſine dubio adhibenda; ex quo poriſſimum robur recipiunt a diverſis pu-
7 blicis Inſtrumentis locationum ab eodem Dominico ſimiliter factarum, & quidem de d. domo uti propria, ex quibus inſimul junctis, ſuperlative poſſeſſionem probari tradit in puncto; *Rot. cor. Anſald. dec.* 52. *n.* 20., *& cor. Me in d. Nullius, ſeu Meliten. Manutentionis ſub* §. *Maxime circa fin.*

Nec objici poteſt, quod cum ageretur inter fratres, poſſeſſio illa Dominici
8 præſumi poſſit jure ſanguinis, ſeu familiaritatis, quæ cenſetur ad manutentionem inefficax; ad notata per *Poſth. de Manut. obſerv.* 54. *n.* 2., *& ſeq.*

Ultra quod etenim ex Juris præſumptione, juxta quam quis in dubio poſ-
9 ſidere præſumitur potius jure proprio, quam alieno, & precario cenſeri debet retenta poſſeſſio; ad *Text. in leg. Titia ff. de ſolut.*, *Gloſſ. in leg.* 2. *verb. ut Dominum*, *Cod. de acquir. poſſeſſ.*, *Surd. conſ.* 135. *n.* 24., & in puncto *Rot. apud Poſth. de Manut. dec.* 40. *n.* 3. Vincit in præſenti reſponſio, quod verſamur in terminis, in quibus adeſt præcedens ti-
10 tulus Teſtamenti Jo: Baptiſtæ, ex quo æque ad ſucceſſionem vocatur prædictus Dominicus, qui propterea in vim dicti præambuli tituli jure proprio, & non precario poſſediſſe putatur; ad tradita per *Surd. conſ.* 22. *n.* 29., *& ſeq.*, *Ad-*

Adden. ad Buratt. dec. 189. *num.*14.
Adeout ſi procedit concluſio etiam in
11 terminis tituli nulli, & invalidi, *Rot. cor. Gregor. dec.*312. *n.*4., *ibique Adden. n.*9.; militat quippe a fortiori in præſenti caſu, ubi juſtus titulus Teſtamenti reperitur præambulus.

Perpenſum præterea quoque fuit, quod in præſenti non agebatur de mera poſſeſſione deducta a ſolo uſu, & habitatione Dominici, ſed in fortiori elicita a diverſis locationibus prædictæ Domus cum actuali penſionum exactione per Inſtrumenta, & Teſtes concludenter probata: Unde ſimul concurrunt
12 plures, & plures actus poſſeſſorii, qui ipſorum attenta multiplicitate, potius jure proprio, quam alieno facti arbitrantur, *Poſth. de manut. obſerv.*54. *ſub num.*20. *verſ. vel ſi Teſtes deponerent. de actibus locationis*, *Rot. apud eundem Poſth. deciſ.*420. *n.*3., *& in Adden. ad Buratt. d. dec.*169. *ſub n.*14.

Ulterius pariter non eſt dubium, quod per poſſeſſionem longi temporis, qualis eſt decennalis, excluditur quæ-
13 libet familiaritatis præſumptio; *Rot. apud Poſth. de manut. dec.*419. *n.*5., *cor. Cavaler. dec.*631. *n.*6., *& cor. Mc in d. Nullius, ſeu Meliten. Manutentionis* §. *Porro circa fin.*; Quamobrem cum non ſolum de longa poſſeſſione decennali, ſed potius de longiori annorum ſupra viginti in præſenti agatur, de facili intelligitur, quod fortius excluſa cenſetur quælibet prorſus familiaritatis præſumptio.

Neque pro contrario fundamento, ad probandam civilem ſaltem poſſeſſionem in prædicto Mauritio, vis fieri poteſt in clauſula *Conſtituti*, quæ legitur in ea prætenſa renuntiatione de anno 1702.
14 a Dominico facta; dum eſt indubitatum, quod clauſula *Conſtituti* poſt lapſum decennii non eſt amplius pro manutentione operativa, cum per decennii lapſum ſuam vim, & efficaciam amittat; *Rot. apud Poſth. de manut. dec.*4., *& cor. Emer. Jun. deciſ.*61, *utrobique num.*5.

Multoque minus operativa dici poteſt in noſtro caſu, in quo reperitur adjecta in dicta prætenſa renuntiatione, quæ uti evidenter erronea, ac enormiſſime læſiva, nulla ex omni ſui parte
15 detegitur, ac propterea non eſſe attendendam DD. concordi animo reſponderunt.

Erroneam quidem deduxerunt ex eo, quod in eadem prædicta Apocha renuntiationis, quam Dominicus ignarus advena ſubſcripſiſſe ſupponebatur, expreſſa leguntur ea præciſa declaratoria verba — ibi — *Dichiara d'eſſer venuto al detto accordo per la notizia avuta di molti debiti, e peſi, che ancora reſtano, e che dedotti tutti detti debiti &c. difficilmente potrà reſtarci la ſomma concordata* —

Declaratio enim iſtiuſmodi, qua docemur inductum fuiſſe Dominicum ad dictam prætenſam renuntiationem: ul-
16 tra quod vehementem ingerit ſuſpicionem falſitatis totius induſtrioſe compactæ Apochæ, cum non ſit perceptibile, quomodo ignarus forenſis, non dum diſpunctis rationibus, & non viſis Libris, notitiam illico habuerit de peſſimo ſtatu hæreditatis Marinæ, quæ to-
17 ta a debitis abſorberetur; oſtendit illico claram erroneitatem, ac animi deceptionem, ex quo talis notitia haberi certe non poterat, niſi cum relatione ad Patrimonium activum ejuſdem Joannis Baptiſtæ contentum in Inventario facto a præfato Mauritio. Atqui enuntiatum hoc Inventarium ita eſt defectuoſum, ut ne minimam quidem partem Bonorum hæreditariorum contineat; igitur in conſequentiam deſcendit defectuoſam, ſeu verius erroneam eſſe dictam
18 renuntiationem, tali quidem errore, qui actum infringit in radice ex defectu conſenſus, in quo ſtat anima, & ſubſtantia contractus, & nequaquam poteſt eſſe in errante, *leg. Non idcircò Cod. de Juris, & fact. ignor.*, *l. Nihil conſenſui* §. *Nil ff. de reg. Jur.*, ubi Decius notat
19 hanc regulam nullam habere limitationem, *Surd. conſ.*202, *n.*10., *& conſ.* 313. *n.*5., *Manſ. conſult.*450. *num.*25. *&* 26., *Card. de Luc. de Credit. diſc.*74., *& diſc.*1. *n.*3. *de Societat. Offic.*, *Rot. poſt Urceol. de tranſact. dec.*93. *n.*28. *& ſeq.*, *& ad ornat. ejuſdem de Luc. de donat. dec.*33. *n.*1, *&* 2., *& dec.*38. *n.*22., ac magis præciſè *Grat. diſcept.*957. *n.*48. *&* 49., ubi inquit præſumi debere errorem, & non conſenſum, in caſu, quo
20 per

20 per talem conſenſum præjudicium aliquod conſentienti irrogaretur; quinimo quod error probatus remanet, ſtatim ac
21 actus diverſus eſſe debuerat ab eo modo, quo fuit geſtus, idem *Gratian. cap.* 759. *n.*14., *cap.*823. *n.*32., & *cap.*824. *num.*22.

Quod autem defectivum ſit Inventarium, ut ne minimam quidem partem contineat, ſatis quidem, ſuperque demonſtrant Inſtrumenta publica, & publica jura mox deducta per Defenſorem Dominici, ex quibus probatur in hæreditate Jo: Baptiſtæ adſuiſſe hic in Urbe Palatium ad Cloacam Bubali per multos annos conductum a bo. me. Advocato Spreti, aliaſque decem Domos, & duo Officia Vacabilia; ac ulterius extra Urbem extitiſſe diverſa Negotia, Apothecas, & Promptuaria, nimirum in Civitate Veliterna conſpicuum negotium ad uſum *di Pellaria* cum Promptuario omni genere Pellium referto; ac aliud Promptuarium replenum ferro laborato in virgis, & plaſtris, aliiſque ferramentis; Item in latifundio Conchæ diverſa Horrea frumentaria, in quorum altero aderat quantitas Rub.750. cum dimidio frumenti, & Rub.11. Conciaturæ; Ac ſimiliter in latifundio Campi Leonis aliud Negotium ad uſum *di Ferraria* cum quantitate ferri laborati, & fabrica jam incepta ad conſimilē uſum, præter aliud Negotium ad uſum Fornacium; Item in Territorio Neptuni aliud Negotium ad uſum ſimiliter Ferrariæ, & alia frumentaria Horrea, in quorum alio aderant frumenti Rub.80., in alio frumenti Rub.55., ac Rub.28. Farris, & tandem in alio frumenti Rub.187.; Ac ulterius in Territorio Ceri, & Pali *Maeſi a grano* Rub.134. una cum R.8. *di Semente a Biada*, ac Rub.11. cum dimidio *di Semente a Farro*; quæ cum ne-
22 quaquam deſcripta remanſerint in prædicto Inventario, ſequitur inde tale hoc Inventarium uti ita defectuoſum,
23 nullum eſſe & erroneum, ac propterea nullam, & erroneam eſſe controverſam renuntiationem, quæ ad iſtud dicenda eſt relativa, ad regulam *Text. in l. Aſſe toto ff. de hæred. inſtitut. cum concordan. apud Ottobon. dec.*97. *n.*6., & *dec.*272. *n.*4. *par.*10. *rec.*

Famulatur erroneitati prædictæ renuntiationis pluſquam enormiſſima læſio, in qua DD. ſe præcipue fundarunt, conſiderando, quod pro tenui ſumma ſc.200., de quibus centum tantummodo numerata leguntur, extorta remanſit renuntiatio adeo pinguis, & conſpicuæ hæreditatis d. qu. Jo: Baptiſtæ hic in Urbe, & in toto Statu Eccleſiaſtico aſcenden. ad pretium ſcut. 100. circiter millium, ut præſeferunt Jura d. Dominici relata in ejus *Summario*, non comprehenſis Nominibus Debitorum Rationis Bancariæ aliorumque Negotiorum, in quibus forte vis major fieri potuerit.

Et tandem radicitus difficultatem avertit factum poſterius ejuſdem Mauritii, qui bene dignoſcens eandem aſſ. renuntiationem, uti erroneam, & enormiſſime læſivam eſſe penitus ſine robo-
24 re, & ſine ulla efficacia, eidem propterea renuntiaſſe apparet eo ipſo, quod in Judicio tam agendo, quam excipiendo comparuit cum dicto Dominico ejus Fratre, eumque ſemper admiſit uti legitimum cohæredem d. qu. Jo: Baptiſtæ Marini, & ſignanter id apprime feciſſe dignoſcitur anno 1724. tempore quo, cum iidem Fratres Dominicus, & Mauritius uti hær. d. qu. Jo: Baptiſtæ Creditores eſſent Falcari, & Valori in ſumma ſcut.900. pro certo pretio ferracei hæreditarii ejuſdem Jo: Baptiſtæ Teſtatoris, ambo ſimul egerunt pro conſecutione dicti pretii, ambo unitim conſtituerunt ipſorum Procuratorem Petrum Schizzada; ad amborum favorem emanavit Sententia clar. mem. Emi Paulutii, declarantis eoſdem Nepotes ſimul, & hæred. d. qu. Jo: Baptiſtæ, ambo in ſequelam prædictæ Sententiæ expediverunt mandatum; & ambo unitim exegerunt, ſibique pro virili diviſerunt hæreditarias pecunias, prout juſtificatum remanſit.

Quibus utique ſtantibus, & cum ſignanter hæc omnia ſint acta poſteriora ad dictam renuntiationem, & ſint ſimul contraria, & omnino incompatibilia; dum ſtare non poteſt, quod vigeat renuntiatio hæreditatis, & ſimul ille, qui renuntiavit, agat in Judicio cum renuntiatario uti hæres pro conſecutione Bo-

norum hæreditariorum,& bona ſibi hæreditaria dividat; in ſequelam deſcen-
25 dit, quod per actus hujuſmodi incompatibiles, & contrarios cenſeri debeat a præcedenti renuntiatione receſſum; ex plene collectis per *Ciroch.diſcept.*11. *n.*29., *Amat. reſol.*50. *n.*4., *Capye. latr. conſult.*120. *n.*3. 9. *& ſeqq.*

Et ita Dominico tantum informante, & Parte altera dilationem petente, reſponſum fuit &c.

TRICARICEN. DECIMARUM SUPER ATTENTATIS,

Veneris 4. *Julii* 1738.

ARGUMENTUM.

Sequeſtra ab Executore relaxata ante notificationem Literarum Executorialium, & ſuper rebus ſub Mandato Judicis delegantis non comprehenſis, ſunt attentata, & nulla. Ubi non agitur cum forenſibus, ſed cum poſſidentibus bona in loco executioni obnoxio non proceditur pro aſſecuratione Judicii ad ſequeſtrum ante Judicis Mandatum.

SUMMARIUM.

1 *Sequeſtra relaxata ante notificationem Literarum Executorialium ſunt attentata, & nulla*;
2 *Prout attentati ſunt, & nulli actus geſti poſt præſentatam Inhibitionem Rotalem*;
3 *Etiamſi dubium fuerit quid Inhibitio comprehendat, quia recurrendum eſt pro declaratione ad Rotam*;
4 *Et generaliter ad Judicem cauſæ, quo excepto nulli licitum eſt in ejus dicere.*
5 *Executor continere ſe debet intra limites ſuæ Juriſdictionis, nec eam extendere ad bona, ſive res, ſuper quibus non cadunt Mandata Judicis delegantis; alias committitur attentatum.*
6 *Sequeſtrum, & executio facta pro credito illiquido, pro quo nullum Judex relaxavit Mandatum, ſunt attentata.*
7 *Ubi non agitur cum forenſibus, ſed cum poſſidentibus bona in loco executioni obnoxio, non proceditur pro aſſecuratione Judicii ad ſequeſtrum ante Judicis Mandatum.*
8 *Quoties conſtat de bono jure attentatis, nec adeſt violentia doloſa, de praxi Rotæ attentata rigoroſe non purgantur, ſed per viam tantum nullitatis omnium attentate geſtorum.*

DECISIO CXXV.

Firmata per tres uniformes Sententias, quarum prima prodiit in Tribunali A. C., & binæ aliæ prodierunt in hoc Sac. Auditorio coram R.P.D. meo Creſcentio, & coram Me favore Rmi Epiſcopi Tricaricen. competentia Juris decimandi in Oppido, ac Territorio Montis Albani Tricaricen. Diœceſis, quoad decimas perſonales in quarta parte, & quoad decimas prædiales in tertia, comprehenſis etiam decimis provenientibus ex Novalibus cujuſcunque generis tam præſentibus, quam futuris, & ſic orta re judicata expeditæ fuerunt ab eodem Epiſcopo contra Capitulum præfati Oppidi Montis Albani contradictorem ſolitæ Executoriales, quarum executionem factam mediante ſequeſtro ſuper omnibus bonis recenſiti Capituli diſcaſſum ſub congruo dubio DD. declararunt *attentatam, & ita revocandam*.

Plures namque fuerunt rationes talis reſolutionis, & prima quod Pro-Vicarius Generalis ipſiuſmet Epiſcopi proceſſit ad ſequeſtra ſupradicta, atque ad alios ſucceſſivos actus non tanquam Executor Sacræ Rotæ, ſed tanquam Pro-Vicarius; ut clariſſime deprehenſum fuit ex eo, quod ſequeſtra relaxavit per 20. dies antequam notificarentur ſupradictæ literæ executoriales, & propterea quidquid per iſtum geſtum fuit, veluti factum abſque Juriſdictio-
1 ne remanet nullum, & attentatum; *Poſth. de Subhaſt. inſpect.*16. *n.*15., *& ſeqq.*, *Rot. in rec. dec.*9. *n.*1., *& ſeq.*

Secunda eſt, quod ad aliquos ex eiſdem actibus proceſſum fuit etiam poſt
2 præſentatam Inhibitionem Rotalem, & in illius ſpretum, quod pariter cauſat attentatum; *Cap. non ſolum de appellat, in* 6., *Lancellott. de Attentat. part.*2. *cap.*20. *ampliat.*6. *per tot.*, *Rot. coram Carill. dec.*189. *n.*1., *cor. bon. mem. Molines dec.*318. *n.*2., *& dec.*625. *n.*3., *& in recen. dec.*485. *n.*5. *par.*18. non obſtante prætenſione, quod eadem inhibitio unice reſpiceret decimas decur-

curſas pendente lite, non autem decurrendas; quia inhibitio prædicta generaliter ſe ſe habet, & quatenus in ea
3 ineſſet aliqua dubitatio, an unum, vel alterum comprehenderet, recurrendum erat pro declaratione ad hoc Sacrum Auditorium, priuſquam deveniretur ad actus ſupradictos, & cum hoc factum non remanſerit, attentata evitari non poſſunt ſub d. prætextu; *Achil. de Graſſ. dec.29. n.5., & 6. de appellat., Rot. cor. Emerix Jun. dec.84. n.3., cor. bon. mem. Molines dec.575. n.3., in recen. dec.74. pariter n.3., & dec.124. n.5. part.1.* ſemper namque in dubie-
4 tate recurrendum eſt ad Judicem cauſæ, ut illam declaret, ac interpretetur, nec licitum eſt alteri Jus dicere, ut firmavit etiam *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. in Miſcell. dec.42. n.3.*

Tertia tandem ratio reſidet in eo, quod tam res judicata ſupradicta, quam enuntiatæ executoriales ſunt reſtrictæ ad Jus decimandi, ſive decimas, & tamen ſequeſtra, nulla penitus facta diſtinctione decimarum ab aliis bonis propriis Capituli, facta fuere ſuper omnibus bonis, & proventibus, nec non etiam Libris, Inſtrumentis, atque diſtributionibus quotidianis percipi ſolitis ex cantu quoque Litaniarum, quod pariter continet evidens attentatum,
5 cum Judex Executor debeat ſeſe continere intra limites ſuæ delegatæ Juriſdictionis, nec eam extendere ad bona, ſive res, ſuper quibus non cadunt mandata Judicis delegantis; *Rot. cor. Peutinger. dec.160. n.1., cor. Dunozett. Jun. dec.916. n.1., & per tot., & cor. bon. mem. Lancett. dec.466. n.8.*.

Reſponſione non attenta, quod bona, ſive proprii fructus Capituli, & nil commune habentes cum dd. decimis,
5 poſiti fuerint ſub ſequeſtro pro ſatisfactione decimarum poſt introductionem d. litis decurſarum, ad quarum reſtitutionem juxta liquidationem faciendam idem Capitulum in re judicata Rotali condemnatum remanſit; quandoquidem cum talis liquidatio nunquam ſecuta fuerit, nec ullum fuerit relaxatum a Sac. Rota Mandatum pro ſatisfactione earundem decimarum, ut ſupra, decurſarum, non poterat ullo modo
6 pro credito illiquido dd. decimarum fieri ſequeſtrum, quod eſt ſpecies executionis citra apertiſſimum vitium attentatorum; *Rot. cor. bon. mem. Lancett. dec.320. n.1., & dec.1111. n.4., cor. cl. mem. Card. Falconer. tit. de ſubhaſt. dec.15. n.12., & de uſur. dec.23. n.6.*

Minuſque, quod ſequeſtrum etiam aliquando apponatur ab initio, & ante Judicis Mandatum pro aſſecuratione Judicis; tum quia recurrit, quod dum cauſa ſuper liquidatione prædicta pendet in hoc Sac. Auditorio, ad ipſum quoque recurrendum erat pro obtinendo eodem ſequeſtro; tum etiam quia
7 cum Capitulares prædicti non ſint Forenſes, ſed de eodem loco, & Diœceſi, ibique poſſideant, ultra Proventus Capitulares, etiam bona propria, extranei videntur termini d. aſſecurationis, cum ex ſupra præmiſſis ſatis ſuperque cautum ſit Epiſcopo pro ſatisfactione decimarum ſuis loco, & tempore reportanda, *Rot. cor. Coccin. dec.1082. n.5., & 6., cor. Emer. Jun. dec.1443. n.6., & 10., coram bon. mem. Lancett. dec.793. n.18., & 20., & in recent. dec.654. n.3. par.2.*

Conſtito itaque de Attentatis, venit
8 in neceſſariam conſequentiam, illa eſſe purganda; ſed quia in hac parte conſtat de bono jure Epiſcopi propter ſæpedictam rem judicatam Rotalem, & Attentata conjunctam non habeant doloſam violentiam, in quibus terminis proceditur ad eorum purgationem per viam rigoroſam; Ideo DD. mitius agendo ſatis eſſe cenſuerunt demandare illorum purgationem per viam nullitatis, mediante nempe circumſcriptione omnium attentate geſtorum juxta praxim hujus Sac. Auditorii, de qua coram *Cerr. dec.132. n.13., coram bon. mem. Lancett. dec.1147. n.7., & in rec. dec.429. n.9., & 11. par.18.*

Et ita &c. utraque &c.

ROMANA, SEU MEDIOLANEN. LEGATI.

Lunæ 24. Novembris 1738.

ARGUMENTUM.

Legatum conceptum per imperfectum modi conjunctivi cum relatione ad tempus mortis non ſolum comprehen-

dit bona exiſtentia tempore teſtamenti, ſed etiam quæ poſtea acquiruntur & poſſidentur tempore mortis: hunc quoque effectum producit univerſalitas verborum. Plura de comprehenſione bonorum futurorum, præſertim in legato per participium præſens concepto. De jure novo ſuper re legata relinqui poteſt aliud Legatum a Legatario principali præſtandum.

SUMMARIUM.

1 *Præteritum imperfectum modi ſubjunctivi reſolvitur in futurum, & futura complectitur.*

2 *Verba cum relativo conjuncto futuro tempori faciunt conditionem.*

3 *Relativum adjectum diſpoſitioni ſine copula non auget legatum, ſed illud reſtringit ad expreſſa in diſpoſitione; cum copula vero diſpoſitionem ampliat.*

4 *Relativum per copulam conjunctum cum verbis futuri temporis facit conditionem, & diſpoſitionem auget.*

5 *Participium præſens per ſe eſt indifferens ad tempus præſens, præteritum, & futurum;*

6 *Per ſe tamen poſitum, plerumque intelligitur de tempore præſenti, conjunctum vero cum aliis verbis, determinationem temporis ab illis accipit.*

7 *In claris ceſſare debet omnis diſputatio.*

8 *In ultimis voluntatibus participium præſens etiam abſolute poſitum, refertur ad tempus futurum.*

9 *Explicatur Theorica* Bartoli in l. ſi ita legatum 7. ff. de aur., & arg. legat.

10 *Relatione ad tempus mortis habita, comprehenduntur in legato bona futura, etiamſi Teſtator locutus fuerit per actum futurum reperiendi, non vero habendi.*

11 *Explicatur Theorica* Caſtren. in l. cum ſtipulamur num. 3. ff. de verbor. *ſignificatione.*

12 *Concurrente univerſalitate verborum, legatum conceptum per verba præſentis temporis comprehendit etiam bona futura.* & ſub num. ſeq.

13 *In legato Gregis, vel Peculii continentur etiam futura.*

14 *Ex facultate Legatario conceſſa capiendi propria auctoritate conjicitur, legatum etiam per verba præſentis temporis conceptum comprehendere quoque bona futura;*

15 *Sicuti etiam ex titulo inſtitutionis, qui eſt univerſalis, incrementa recipiens, & futura comprehendens;*

16 *Prout ex quo legatum relictum fuit perſonæ conjunctæ;*

17 *Fortius verò ſi Loco Pio;*

18 *Conjecturæ tamen ſuperfluæ ſunt, quando Teſtator legat bona, quæ ipſe vivens, & tempore mortis haberet, quia ſic exprimit tempus præſens, & futurum.*

19 *Ad dignoſcendum, an in legato univerſali comprehendantur bona, quæ poſtea Leganti devenerunt, præcipue inſerviunt verba ab eodem prolata poſt dictorum bonorum acquiſitionem.*

20 *Dicto alii verificatur ſolum de perſonis diverſis ab expreſſis.*

21 *Relationis ea vis eſt, ut contenta in relato repetita ad verbum cenſeantur in referente.*

22 *Contra voluntatem ſatis in litera a Teſtatore declaratam nimis arduum eſt argumentis, & conjecturis pugnare.*

23 *Quilibet bonorum ſuorum eſt moderator, & arbiter.*

24 *In rebus propriis ſtat pro ratione voluntas.*

25 *Onus legatorum ſpectat ad hæredes, nec Legatariis imponi valet.*

26 *Legatum relictum ſuper re legata cenſetur relictum ab ipſo Legatario;*

27 *Juri enim novo id non repugnat in hoc corrigenti jus antiquum.*

28 *Verba intelliguntur juxta finem, ad quem proferuntur, nilque ultra diſponunt.*

29 *Legati revocatio induci nequit ex verbis ad alium finem prolatis, & æquivocis;*

30 *Immo ea per quamcunque interpretationem ſemper eſt excludenda.*

31 *In concurſu duorum Locorum Piorum privilegia privilegiis conquaſſantur.*

32 *Creditum denominationem recipit ab eo loco, in quo ſolvendum eſt.*

DECISIO CXXVI.

Subrogatus cum eſſem Ego in locum Emi Domini mei Cardinalis Rezzonici merito ad Sac. Purpuram evecti, March.

March. Fratres de Lucatellis iterum audiri obtinuerunt adverſus geminas deciſiones evulgatas ſub *diebus 7. Junii, & 9. Decembris anni nuper elapſi, coram præfato Emo Cardinali Rezzonico*; Quapropter in Rota *diei 25. Aprilis anni currentis* propoſui ſolitum dubium -- *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis*; at cum ob paritatem ſuffragiorum nulla capta fuerit reſolutio, illud repropoſui *die 6. Junii proximi præteriti*, in quo perſiſtentibus DD. in conſtanti ſuffragiorum paritate, adſciti fuerunt Quintus, & Sextus ex PP. poſt conſuetum Turnum ſedentibus; Unde cauſam iterum repropoſui *die 4. Julii mox effluxi*. Verum quia ſeſe admitti curarunt ad cauſam Loca Pia Mediolani ſubſtituta in defectum lineæ illorum de Lucatellis, & petierunt una cum præfatis Fratribus dilationem, Sacrum Auditorium libenter eam conceſſit; tandem vero *hodie* repropoſita per Me cauſa, DD. ſteterunt -- *In deciſis*.

Dicti enim de Lucatellis hæredes Teſtamentarii Joſephi Mariæ eorum Fratris detrectantes adimplere Legatum Pium per Teſtatorem relictum favore Conſervatorii Puellarum Divinæ Providentiæ Urbis, poſt varias oppoſitiones, jam diſjectas in dd. duabus præcedentibus deciſionibus, admittendo tandem veritatem, & ſubſiſtentiam Legati, ſubſtiterunt acriter in ejus intelligentia, contendendo, quod illud comprehenderet ſolum bona, quæ Teſtator tempore confecti Teſtamenti Romæ poſſidebat, non autem illa bona, quæ in multo majori quantitate illi ſupervenerunt poſt Teſtamentum ex inteſtata ſucceſſione alterius Fratris prædefuncti, exiſtentia pariter in Urbe. Quæ quidem prætenſio cum jam ſemel examinata, & rejecta fuiſſet in ſecunda propoſitione *cor. Emo Rezzonico*, ut ex *ejus deciſione* ſub dicta *die 9. Decembris 1737. §.3., & ſequen.*, majori tamen conatu per dd. Fratres reaſſumpta fuit, & ejus prætextu novam Audientiam obtinuerunt, per quam replicato examine cum dd. votis adjunctis; prætenſa reſtrictio Legati ad bona præſentia tantum fuit iterum rejecta, uti carens omni fundamento literæ, & voluntatis Teſtatoris.

Litera quidem hanc reſtrictionem non admittit, quia complectitur aperte, & ſine ambiguitate aliqua, tam bona præſentia, quam futura, quæ tempore mortis Teſtator haberet; & ad ſe modo quocunque pertiuerent, ibi -- *In tutti gl' altri beni, e ragioni tutte eſiſtenti in Roma, e Stato Eccleſiaſtico, che io vivente, ed in tempo di mia morte aveſſi, e per qualſivoglia titolo, e cauſa mi ſi apparteneſſero, gli laſcio per legato, e particolare inſtituzione, ed in ogni altro miglior modo, e che ſi poſſano pigliare da ſe &c. al Luogo Pio del Collegio della Divina Providenza di Roma a Ripetta, dove ſi è trattenuta per alcun tempo ritiratamente la Signora Antonia Conti noſtra Madre, e per eſſo Collegio, alli Signori Deputati &c. per valerſi delle rendite in beneſizio, e ſoccorſo di tutti i poveri d' ogni genere &c., e ciò per degni motivi di devoti proponimenti da me fatti in graviſſime occorrenze.*

Aperte igitur Teſtator complexus fuit bona futura, quæ habiturus eſſet tempore ſuæ mortis, perinde ac ſi dixiſſet -- *Laſcio tutti li beni &c. che io vivente, ed in tempo di mia morte averò* --; Nam illa verba -- *che in tempo di mia morte aveſſi* --, cum ſint præteriti imperfecti
1 modi ſubjunctivi, reſolvuntur in futurum, & futura complectuntur; *Surd. conſil. 267. n. 27.*, poſt *Bartol. in leg. Cum quidam 4.*, *& in leg. Quintus Mutius 34. §. Idem ſcribit ff. de aur.*, *& arg. legat.*, *& in leg. Qui Romæ 9. Augerius ff. de verb. oblig.*, *Bald. in leg. 8. n. 23. Cod. de Jur. Codicill.*, *Handed. lib. 1. conſil. 63. n. 83.*, *Altograd. lib. 2. conſil. 77. n. 30.*, *Gabriell. conſil. 113. n. 8. lib. 1.*, *Gratian. cap. 98. n. 13.*, *Peregr. de Fideicomm. art. 46. n. 29.*, *Palm. allegat. 67. n. 61.*, *Mart. de Succeſſ. Legal. par. 4. quæſt. 18. artic. 12. n. 103.*, *Paitell. expedit. civil. 70. n. 34.*, *Rot. cor. Coccin. dec. 48. n. 7.*

Nihil in contrarium faciente allegato *Text. in leg. Stichum, qui meus erit*
2 *ff. de legat. 1.*, ubi habetur, quod verba cum relativo conjuncto tempori faciunt conditionem: Poſito enim, quod illa verba -- *che io vivente, ed in tempo di*

di mia morte &c. — faciant conditionem, ſi & quatenus Teſtator bona tempore mortis haberet, ut in d. Textu dicitur, talis conditio adimpleta, & purificata fuit, quia Teſtator bona, de quibus agitur, tempore mortis habuit.

Nec pariter obſtare viſum fuit, quod relativum illud — *Che* — adjectum ſine copula verbis præſentis temporis, nempe illis — *Eſiſtenti in Roma* — non augeat legatum, ſed illud reſtringat ad illamet bona exiſtentia tempore Teſtamenti, ad *Text. in leg. ea tamen adjectio 46. ff. de legat. 3.*, ubi dicitur, quod

3 relativum — *Qui*, *Quæ*, *Quod* — adjectum diſpoſitioni ſine particula augmentativa — *Et* — reſtringitur ad expreſſa in diſpoſitione; ſi vero adjectum ſit cum particula augmentativa — *Et* — diſpoſitionem ampliat, ut notat ibi *Bartol. in Summa*: In præſenti enim neque diſpoſitio determinata eſt ad bona præſentia, neque relativum illud — *Quæ* — poſitum eſt ſine copula; Etenim eo ipſo, quod Teſtator dixit — *Che lo vivente, & in tempo di mia morte* —, quod exponitur — *Che io vivente, e che in tempo*

4 *di mia morte* — relativum illud — *Quæ* — non aliter conjungitur cum verbo futuri temporis, quam per particulam copulativam — *Et* —, & ſic facit conditionem, juxta *Text. in dict. leg. Stichum, qui meus erit ff. de legat. 1.*, & auget diſpoſitionem, juxta theoricam *Text. in dict. leg. ea tamen adjectio 46. ff. de legat. 3. ubi Bartol., & DD. communiter*, & in terminis *Paitell. expedit. 70. n. 26., & ſequen.*

Et inſpecto ipſo contextu orationis, & ipſa parte diſpoſitiva, nequaquam viſum fuit, illam eſſe reſtrictam ad bona præſentia per illud verbum — *Eſiſtenti in Roma &c.* —; Nam illud participium — *Eſiſtenti in Roma* — determinat quidem locum exiſtentiæ, & neceſſe fuit illud exprimere, quia Teſtator poſſidebat plurima bona etiam extra Urbem, & Statum Eccleſiaſticum; minime tamen determinat præcisè tempus præſens; quia dictum participium — *Eſiſtenti* — per ſe eſt indifferens ad tem-

5 pus præſens, præteritum, & futurum, *Rot. part. 19. rec. dec. 565. n. 21.*; Et licet abſolute poſitum, plerumque intel-

6 ligatur de tempore præſenti, quia diſpoſitio regulariter ad tempus præſens refertur, junctum tamen cum aliis verbis, determinationem temporis recipit a verbis, quibus conjungitur, *Alexand. lib. 6. conſ. 143. ſub num. 2., Caſtrenſ. conſ. 24. lib. 2. n. 3., Bellon. Jun. conſ. 5. ſub n. 18. verſ. non obſtat &c., Gratian. cap. 497. num. 15., Rot. cor. Coccin. dec. 1545. n. 13. & 14. tom. 3.*; In caſu noſtro Teſtator exiſtentiam bonorum expreſſe determinavit ad tempus futurum

7 ſuæ mortis, ita ut in claris ceſſare debet omnis diſputatio, immo in ultimis voluntatibus etiam abſolute poſitum re-

8 fertur ad tempus futurum, juxta *Bart. theoricam in leg. 1. nu. 34. verſ. ſeptimo videndum de participio &c. ff. de condit., & demonſtr., Ruin. lib. 3. conſ. 49. n. 11., & conſ. 81. n. 5., & conſ. 114. n. 4.*

Nec applicabilis viſa fuit allegata theorica *Bart. in leg. ſi ita legatum 7. ff. de aur., & argent. legat.*; nam ibi

9 *Bart.* agit de legato expreſſe concepto bonorum præſentium, quæ tunc, & poſtea reperiri poſſent — ibi — *Lego omnes res meas, quæ ſunt in præſenti, vel poſſint reperiri nunc, ſive in futurum &c.* —, & concludit, quod licet illud verbum — *Poſſunt* — includat futurum; non tamen extendit legatum ad bona futura, quia non refertur ad actum futurum habendi bona, ſed ad actum futurum illa reperiendi, faciens expreſſam differentiam inter actum reperiendi, & actum habendi, eamque theoricam in his terminis, & cum hac differentia inter verbum futurum habendi, vel reperiendi, ſequitur, & declarat *Menoch. lib. 4. præſumpt. 127.*, & ſignanter *n. 22. poſt Fulgoſ., Curt. Jun., Dec., Socin., & alios*, quos ipſe recenſet: Qui omnes nihil pertinent ad caſum noſtrum, quia Teſtator non determinavit legatum ad res præſentes, quæ reperiri poſſent, ſed generaliter legavit omnia bona Romæ exiſtentia, quæ per ipſum tempore mortis haberi poſſent. Imo ſtante hac ex-

10 preſſione temporis mortis, etiamſi Teſtator locutus fuiſſet non per actum futurum habendi, ſed per actum futurum reperiendi, adhuc bona futura comprehendi, firmat ſine ullo dubio poſt *Bero. conſ. 44. lib. 2., Mantic. de Conject. ultim.*

tim. volunt. lib.3. tit.11. ſub n.9. verſ.
ſed ſi Teſtator &c.
Diſſimilem etiam a caſu noſtro DD.
cenſuerunt caſum, de quo reſpondit *Ca-*
ſtrenſ. in leg. cum ſtipulamur n.3. ff. de
verb. ſignif., dicens, quod ſi Teſtator
11 legaverit Hoſpitali quidquid reſtaret
de ſuis pecuniis in Monte, ſolutis prius
ex illis omnibus debitis: ſi tunc reſta-
bant mille, & poſtea per Teſtatorem,
qui diu ſupervixit, plures pecuniæ fue-
rint acquiſitæ, ita ut ſolutis debitis, re-
ſtarent tria millia, ſolum mille deben-
tur Hoſpitali, quia tempus Teſtamenti
inſpicitur, prout etiam conſuluit *Ful-*
goſ. conſ.37. quos refert *Mantic. de Con-*
ject. d. lib.3. tit.11. n.6., & *Menoch.*
lib.4. d. præſumpt.127. n.12., ubi ta-
men dicit, hanc deciſionem eſſe pericu-
loſam. Etenim ibi Teſtator legatum fun-
davit ſuper pecuniis, quas tunc habebat
in Monte Florentiæ, ut detractis debi-
tis, quidquid reſtaret, cederet Legata-
rio, nullumque verbum fecit de pecu-
niis inpoſterum acquirendis. At in caſu
præſenti Legatum videtur expreſſe con-
ceptum tam de bonis tunc exiſtentibus,
quam etiam de omnibus aliis, quæ Te-
ſtator tempore mortis haberet, & ad ſe
quocunque modo, & titulo pertine-
rent, & ſic etiam de bonis futuris, juxta
naturalem, & germanam intelligentiam
verborum, quæ reſpuit prorſus reſtri-
ctionem ad bona præſentia tantum.

Ponderata etiam geminata, & repe-
tita univerſalitate verborum, quibus
legatum conceptum fuit cum titulo etiã
inſtitutionis, & facultate capiendi au-
ctoritate propria – ibi – *In tutti poi gli*
altri beni, e ragioni tutte eſiſtenti in Ro-
ma, e Stato Eccleſiaſtico, che io vivente,
ed in tempo di mia morte haveſſi, e per
qualſivoglia titolo, e cauſa mi ſi apparte-
neſſero, li laſcio per legato, e particolare
iſtituzione, & in ogni altro miglior mo-
do, e che li poſſano pigliar da sè &c. al
Luogo Pio del Collegio della Divina
Providenza &c. –

Hanc enim geminatam univerſalita-
tem verborum tanti Doctores fecerunt,
12 ut etiam in legato concepto per verba
de præſenti crederent comprehendi bo-
na futura, ut poſt multos *Crot. conſ.14.*
n.39. & ſeq. ad fin., in eadem cauſa, in
qua ſcripſit in contrarium *Curt. Jun.*
conſ.277., ubi conjecturam iſtam uni-
verſalitatis verborum non approbavit,
ſed *Rota* in terminis prætulit opinio-
nem *Crot.*, rejecto *Curt.*, ut *cor. Coccin.*
dec.48. n.14., & cum *Croto* ſentiunt *Ce-*
phal. conſ.773. n.15. & ſeq., *Gabriel.*
conſ.120. n.1. lib.1., *Nevizan. conſ.71.*
n.5., *Bero. conſ.44. n.24. lib.2.*, *& quæſt.*
familiar.30. n.5., *Bellon. Jun. conſ.5.*
n.6. & ſeq., *Altograd. conſ.70. n.7. &*
ſeq. lib.1., *Mareſcot. lib.1. cap.30. n.43.*
verſ. ex verbis enim univerſalibus, &
geminatis &c., *Barry de Succeſſ. lib.9.*
de legat. tit.4. ſub n.22. verſ. tertius ca-
ſus, *Balducc. ad Ramon. dec.101. n.14.*
tom.4., *Theſaur. dec.168. n.4.*, *Rot. cor.*
Cavaler. dec.643. n.1. & 2., *& coram*
Coccin. dec.24. n.2., *& dec.48. n.13.*
& 14., *& in rec. dec.565. n.26. & 27.*
part.19.

Faciunt enim talia verba univerſalia
quandam univerſalitatem bonorum, &
quemadmodum in Legato Gregis, vel
13 Peculii, quia natura ſua continet uni-
verſitatem rerum, veniunt etiam futu-
ra, *leg. Grege legato ff. de legat.1.*, *leg.*
Peculium ff. de legat.2., *Mantic. de Con-*
ject. lib.3. tit.11. n.13., hoc etiam effi-
cit univerſalitas verborum, omnia com-
plectentium, ut in terminis dicit *Bart.*
in leg. Certarum rerum 12. n.5. ff. de
teſtament. tutel. poſt *Gloſſ. ibidem*, quam
etiam ſequitur in terminis *Rot. in rec.*
d. dec.565. n.17. part.19.

Concurrentibus etiam aliis conjectu-
ris, quia nempe Teſtator dedit faculta-
14 tem Legatario capiendi authoritate
propria, quam pro comprehenſione fu-
turorum, etiam in legato facto per ver-
ba præſentis temporis, conſideravit *Rot.*
cor. Coccin. d. dec.24. n.6., *& d. dec.48.*
15 *n.15.*; Et legatum fecit etiam ex titu-
lo particularis inſtitutionis, qui eſt ti-
tulus univerſalis, incrementa recipiens,
& futura comprehendens, *Bellon. Jun.*
conſ.5. ſub n.8.; Prout etiam *Rota* con-
16 ſideravit, quod legatum eſſet relictum
conjunctæ perſonæ, *ut in dicta dec.48.*
n.11.; In caſu autem noſtro relictum
17 eſt Loco Pio, ex quo efficacior ad pro-
poſitum comprehenſionis bonorum fu-
turorum naſcitur conjectura, quam ſi
eſſet relictum conjunctæ perſonæ, *Me-*
noch.

noch: lib.4. præſumpt.127. ſub num.18. verſ.favore tamen Piæ Cauſæ &c. Bero, lib.2. conſ.44. n.20., & n.45., Naviz. conſ.71. n.4., Valaſch. de Privil. pauper. in proem. n.27., & par.2. qu.8. n.159., Mantic. de Conject. lib.3. tit.11. n.28., Genuenſ. in pract. Eccl. qu.177. n.1.;

18 Quæ conjecturæ ſuperfluæ ſunt in caſu præſenti, ubi Teſtator expreſſe legavit omnia bona Romæ exiſtentia, quæ ipſe vivens, & tempore mortis haberet, exprimendo ſic tempus præſens, & futurū.

His tamen, & ſimilibus conjecturis majus, & efficacius teſtimonium voluntatis Teſtatoris habetur in ejus Codicillis, quos fecit anno 1732., poſtquam nova bona, de quibus agitur, jam ipſi obvenerant uſque ab anno 1729. ex inteſtata ſucceſſione prædefuncti Fratris Antonii de Lucatellis, cujus hæreditas pervenit pro tertia parte ad ipſum Teſtatorem, & pro duabus partibus ad alios duos Fratres: Dum enim quæſtio promovetur, an in legato univerſali, quod

19 reliquit Conſervatorio Divinæ Providentiæ in ſuo Teſtamento de an. 1727., intellexerit revera comprehendere, prout verba ſonant, etiam bona, quæ ſibi poſtea devenirent, ac tempore ſuæ mortis haberet, nil opportunius, quam audire, & conſiderare verba, quæ ipſe protulit, poſtquam dicta bona ipſi devenerunt.

Teſtator ergo poſt nova bona quæſita dicto anno 1729., quæ pariter exiſtebant Romæ, interpoſito ſubinde ſpatio trium annorum, quo inſpicere potuit quantitatem, & pretium bonorum, ac deliberare, an illa tranſire vellet cum legato jam facto Conſervatorio omnium bonorum, quæ tempore ſuæ mortis haberet; an vero accreſcere, & incorporari ſuæ hæreditati ad beneficium hæredum, fecit primum Codicillum anno 1732., in quo, primo loco enuntiavit, quod dicta bona hæreditaria Fratris ab inteſtato defuncti pro tertia parte ſibi obvenerant, & pro aliis duabus partibus aliis duobus Fratribus ſuis hæredibus; quodque proinde, cum præfati duo Fratres eſſent ſe ipſo ditiores, & ipſe filios in ætate jam provecta non haberet, ideo decreverat de his bonis noviter ſibi obventis opem aliquam ferre aliis conjunctis, aliiſque perſonis, præſertim indigentibus -- ibi -- *Hò ſtimato bene, e convenevole, che ancora io debba beneficare, e ſoccorrere in qualche parte agl'altri parenti, ed altri, maſſime, che conoſco degni, e meritevoli di qualche ſoſſidiaria providenza, e perciò hò voluto fare il preſente Codicillo &c.* --, & hic ſatis declaravit, ſe dicta nova bona nolle relinquere ſuis Fratribus hæredibus, qui erant ſe ipſo ditiores, bene verum ſuccumbere de illis aliis conjunctis, aliiſque perſonis indigentibus; il-

20 la enim dictio -- *Aliis* -- verificatur ſolum de perſonis diverſis ab expreſſis, *Natt. conſ.546. n.2. & ſeq., Gratian. cap.568. num.36., Rocc. ſelect. cap.128. n.38., Rot. in rec. dec.714. n.5. par.2.;* Maxime dum recenſitos Fratres expreſſit ſub qualitate affluentiæ divitiarum, & ſic non indigentes nova acceſſione bonorum, cum ipſe vellet ſuccurrere potius indigentibus.

Deinde memorem ſe profitendo legati Pii relicti Conſervatorio in Schedula ſigillata non aperienda niſi poſt ejus obitum, cum relatione ſcilicet ad ipſam Schedulam omnia in illa contenta confirmavit -- ibi -- *Ed eſſendo ricordevole minutamente di tutte, e ſingole diſpoſizioni fatte nel mio Teſtamento, e nella Scrittura anneſſa, ſigillata, e da me conſegnata al Sig. Carlo Gariboldi Notaro, che fu rogato, quelle tutte confermo, e ratifico, che ſiano adempite, ed in oltre, che ſiano adempiti, e ſodisfatti li legati, e diſpoſizioni tutte, che faccio in queſto Codicillo &c.* --, & conſequenter memor fuit legati relicti in dicta Schedula Conſervatorio cum ſuis omnibus qualitatibus, nempe, quod contineret omnia bona Romæ exiſtentia, quæ ipſe vivens, ac tempore mortis haberet, & illud plene confirmavit per ipſam rela-

21 tionem habitam ad Schedulam, quæ operatur, ut omnia contenta in relato, repetita cenſeantur de verbo ad verbum in ipſo referente, juxta regulam, de qua *Text. in leg. aſſe toto ff. de hæred. inſtituen., & leg. ſi pluribus, in princ. ff. de verb. oblig., Morot. conſ.1. n.13., Rocc. ſelect. cap.131. n.39., Rot. cor. Merlin. dec.583. n.5., cor. Mantic. dec.373. n.3., & cor. Royas deciſ.444. n.5.*

Po-

Poſtremo, quia dicta bona denuo ſuperventa exiſtebant pariter in Urbe, ubi aderant alia ſua priſtina bona, quæ legaverat Conſervatorio, voluit, & diſpoſuit, ut ex omnibus his bonis exiſtentibus in Urbe ſolvenda eſſent nova legata, quæ in eodem Codicillo ordinavit, non autem ex aliis bonis; & ideo ex omnibus ipſis bonis Romæ exiſtentibus in unum quaſi acervum redactis detrahenda eſſet portio tanta, quæ ſufficeret pro adimplendis ipſis novis legatis -- ibi -- *E perche, come hò detto, mi è pervenuto dopo fatto il Teſtamento parte dell'eredità del Sig. Marcheſe Antonio mio Fratello conſiſtente in Roma, e Stato Eccleſiaſtico, voglio, e dichiaro, che li ſeguenti legati di queſto mio Codicillo ſiano adempiti con parte delli beni a me ſpettanti in Roma, e Stato Eccleſiaſtico, e non con altri ſituati altrove, che però ſi dovrà ſegregare dalla maſſa di detti beni di Roma tanta parte di ſomma di eſſi, quanto importi, e baſti per ſodisfare a tutti li legati diſpoſti in queſto mio Codicillo, e così laſcio per ragione di legato &c.* --

Conſiderantes ergo DD. tam verba Legati, quam Codicilli, & advertentes, quod Teſtator in legato reliquerat Conſervatorio -- *Tutti li beni, e ragioni tutte &c. eſiſtenti in Roma, che io vivente, ed in tempo di mia morte haveſſi &c.* --, & in Codicillo poſt ſecutam ipſi ſupervenientiam novorum bonorum profitendo ſe memorem perfecte, & minutatim omnium diſpoſitorum in Schedula ſigillata, ubi continebatur dictum legatum Conſervatorii nulli manifeſtandum ante ſuum obitum, ipſam Schedulam ſigillatam cum omnibus in ea contentis confirmavit, & conſequenter etiam dictum Legatum Pium cum ſuis qualitatibus omnibus, extra omne dubium crediderunt, quod in præfato Legato Pio comprehenſa eſſe voluerit omnia bona Romæ exiſtentia, nedum quæ tempore Teſtamenti habebat, verum etiam alia, quæ poſt Teſtamentum ſibi ſupervenerant, ut ex his omnibus unus acervus fieret, atque ex hoc tantum detraheretur, quantum ſufficeret pro ſolvendis novis legatis in Codicillo diſpoſitis: addita etiam ſignificatione voluntatis, quod de his bonis noviter quæſitis non intelligebat impinguare ſuam hæreditatem, & augere divitias ſuorum hæredum jam ſe ipſo ditiorum poſt ſuperventas illis duas partes hæreditatis communis Fratris.

Et adverſus tam claram voluntatem Teſtatoris inutilia exiſtimarunt argumenta in contrarium ſubtiliter per hæredes deducta a veriſimili, vel inveriſimili per arbitrarias conjecturas; cum
22 nimis arduum ſit pugnare argumentis, & conjecturis ad evertendam voluntatem Teſtatoris in litera ſatis, ſufficienterque declaratam, ut dixit *Rot. coram bo.me. Molines dec.*1225. *num.*19. poſt *Cravet. conſ.*291. *ſub n.*7. *verſ. non obſtat, quod non ſit veriſimile &c., & Caſtren. conſ.*185. *lib.*2., ubi eleganter ait, quod omnia inveriſimilia, quæ ab homine poſſunt opponi, valent quidem arguere Teſtatorem, quod melius facere debuiſſet, quam fecit, non autem infringere, quod fecit, quia prompta eſt
23 reſponſio, quod quilibet bonorum ſuorum eſt moderator, & arbiter, *leg. in re mandata Cod. mandati*.

Quamquam nec aliquid inveriſimile contineri DD. putarunt in enuntiata diſpoſitione, in qua bona eximii pretii uſque ad ſummam ſcutorum centum milliuin, ut hæredes aſſerunt, Loco Pio relinquuntur; Non enim irrationabile videri poteſt, quod Teſtator divitiis affluens, quibus Deus, & Divina Providentia illum ditaverat (nam divitiæ, & paupertas a Domino dantur) non habens filios, quibus illas relinqueret, pro filiis Chriſtum reſpexerit, eique Domino, a quo acceperat, bona moriens reſtituerit in Pauperum perſonis ſub titulo Divinæ Providentiæ in dicto Conſervatorio militantium, & ſic promiſſam eleemoſynis remiſſionem peccatorum impetrare curaverit: neque mirum, & injuſtum videri debet, ſi cariorem habuit animam ſuam divino judicio proximam, quam ſuos Fratres a ſe jam in hæreditate beneficio affectos, & quos per acceſſionem novorum bonorum in duplo majorum, quam ipſe Teſtator acceperat ex inteſtata ſucceſſione Fratris prædefuncti, ſe ipſo ditiores merito exiſtimavit; hoc enim denotant illa verba Codicilli -- *Atteſa la morte ab in-*

inteſtato ſenza figli del Sig. Marcheſe Antonio mio Fratello, eſſendo ſucceduto io egualmente nell'eredità &c. con li altri due miei Fratelli &c. da me anche nel mio Teſtamento iſtituiti Eredi, ed eſſendo queſti più facoltoſi di me, e non havendo io figliuoli, eſſendo in età cadente, e per la divina grazia proviſto ancora io de beni, hò ſtimato ben fatto, e convenevole, che ancora io debba benificare, e ſoccorrere in qualche parte all'altri Parenti, ed altri &c. —

Nullumque inconveniens allegari poteſt, a quo Teſtator in eodem Codicillo, poſt nova legata ibi diſpoſita, diminuerit in parte hæreditatem ſuis Fratribus relictam: Redit enim eadem reſponſio, quod ſic illi diſponere placuit de
24 rebus ſuis, in quibus ſtat pro ratione voluntas. Nec Fratres conqueri poſſunt, quod modicum ipſis reliquerit cum onere, & qualitate majoratus; quia ſi nihil prorſus reliquiſſet, nullam querelam juſtam haberent, maxime dum Teſtator eos, ac eorum agnationem opulentiſſime proviſos agnovit duabus primogenituris majorum actualiter per eos poſſeſſis fortis ſcutorum centum millium pro qualibet, & inſuper acceſſionem bonorum eis obventorum ex hæreditate dicti communis Fratris aſcendentium, juxta ipſorum proprias aſſertiones, ad alia ſcuta biſcentum millia, dum tertiam partem, quæ ad Teſtatorem pervenit, calculant in ſcutis centum millibus.

Nec ſubſiſtere viſum fuit argumentum, quod dum Teſtator ſuper bonis de novo quæſitis Romæ exiſtentibus, nova legata reliquit, & illorum ſolutionem non impoſuit Conſervatorio, quod neque nominavit, nec nominatim expreſſit, ſignum ſit, quod hæc bona non reliquerit Conſervatorio, ſed hæredibus, a quibus adimplenda erant legata ſuper ipſis bonis impoſita; cum de Jure onus
25 legatorum ſpectet ad hæredes, nec poſſit imponi Legatariis, *leg. legatum 116. §.1. ff. de legat.2., & §.1. Inſtitut. de legat.*

Placuit enim reſponſio, quod licet Teſtator onus dictorum legatorum non impoſuerit nominatim Conſervatorio, quod nominare non poterat, attento ejus propoſito, quod legatum pium illi factum remaneret in occulto ante ipſius obitum, ut expreſſe declaraverat in conſignatione Schedulæ facta Notario: Nihilominus, dum ſatis in Codicillo declaravit, quod dicta bona recenter quæſita non deberent accreſcere hæreditati ad beneficium hæredum, ſed potius uniri, & incorporari cum aliis bonis Romæ exiſtentibus, ac Conſervatorio relictis: eo ipſo, quod nova legata ordinavit, ſolvenda præciſe ſuper eiſdem bonis, videtur hoc onus impoſuiſſe ipſi Conſervatorio, quia legatum relictum ſuper re legata cenſetur reli-
26 ctum ab ipſo Legatario præſtandum; *Ruin. conſ.32. n.1. lib.2., Peregrin. de Fideicomm. art.12. n.4., & 5.* Neque repugnat ex novo jure Juſtiniani cor-
27 rigentis jus antiquum, quod legata præſtanda relinquantur ab ipſis Legatariis, ut notat *Gloſſ., & Doctores in §.1. Inſtit. de ſingul. reb. per fideicomm. relict.*, ubi etiam *Vinn. n.1., Graſſ. §.Legatum quæſt.13., Gomez. variar. par.1. cap.12. de Legat. ſub n.54., Peregrin. d. artic.12. n.4., Mart. de Succeſſ. part.4. tom.2. quæſt.18. artic.11. per tot.*

Inutiliter etiam deſumebatur alia contraria conjectura ex ultimo Codicillo facto per Teſtatorem anno 1735. pridie quam decederet, in quo per novum legatum reliquit illis de Stellaris Mediolanen. credita per ipſum contracta ab anno 1734., illa vero contracta poſt annum 1734. eodem titulo legati, ſeu prælegati reliquit Marco Antonio Fratri uni ex hæredibus cum clauſula ſuperaddita excipiente a præfato legato credita contracta Romæ, ut remanerent in hæreditate, ibi — *Laſcio a titolo di legato a' Signori Stellari &c. tutti li miei crediti ò ipotecarj, come d'ogni altra ſorte, da me contratti verſo qualunque perſona, ed anche verſo detto Dottor Stellari, quanto ſia dall' anno 1734. eſcluſivamente retro &c. eccettuati però quelli verſo il Signor Marc' Antonio mio Fraatello &c.* — & infra — *Parimente laſcio al Signor Marc' Antonio mio Fratello a titolo di legato, o prelegato tutti li miei crediti, contratti verſo qualunque perſona, quan-*

quanto ſia dall' anno 1 7 3 4. *incluſivamente in avanti, eccettuati però quelli di Roma, che devono reſtare nella mia credità adempiti li legati perchè così &c.* --, inde iuferendo, quod ſi credita Urbis, adimpletis legatis, remanere debebant in hæreditate, non erant comprehenſa in legato relicto Conſervatorio.

Patet enim evidenter, quod ea verba prolata fuerunt ad finem limitandi legatum relictum memorato Marco Antonio Fratri, ne comprehenderet credita, quæ Teſtator ipſe Romæ contraxerat, & ideo protrahi non debent ad alium diverſum, & diſparatum finem, ut ſuper hac ipſa exceptione dixit *Rota in ſecunda hujus cauſæ deciſione coram Emo Rezzonico* §.13.; nam verba intelliguntur juxta finem, ad
28 quem proferuntur, & nihil ultra diſponunt; *Rot. cor. Gregor. XV. dec.*511. *n.*24.,*cor.Celſ.dec.*222. *n.*2., *cor.cl.mem. Card. Falconer. de Fideicomm. dec.*56. *num.*7., *&* *coram bon. mem. Molines dec.*1038. *n.*111.

Maxime quia præfata verba in ſua generalitate intellecta operarentur, ut etiam credita, quæ Teſtator Romæ contraxiſſet ante conditum Teſtamentum de anno 1727., remanere deberent penes hæredes, & tamen ipſi hæredes non impugnant, quin credita contracta tempore Teſtamenti dubio procul comprehendantur in Legato Pio Conſervatorii. Neque in hoc ultimo Codicillo mens Teſtatoris fuit legatum illud in aliquo revocare, vel reformare; nam in præcedenti Codicillo jam illud plene confirmaverat per abſolutam relationem ad Schedulam ſigillatam, & in hoc etiam ſenſu permanſit in hoc ultimo Codicillo; nam illud exorditur ab expreſſa confirmatione omnium præcedentium diſpoſitionum, ibi -- *Primieramente &c. confermando quanto hò diſpoſto in detto mio Teſtamento, e Codicillo &c.*

Ideoque, ſi ſupradicta verba -- *Eccettuati quelli di Roma &c.* -- habent ſuum ſenſum operativum limitandi, & modificandi legatum, quod in ipſo Codicillo relinquebatur Marco Antonio Fratri, nequaquam trahi debent ad alium ſenſum diverſum, & diſparatum, inducendo etiam correctionem præcedentium diſpoſitionum; nam certum eſt, quod legatum Conſervatorio factum fuit expreſſe de bonis omnibus, & juribus exiſtentibus Romæ, quæ Teſtator vivens, ac tempore mortis ha-
29 beret, & hujuſmodi legati revocatio minime induci poteſt ex verbis ad alium finem prolatis, & æquivocis; *Roland. conſ.*31. *n.*10., *&* *ſequen. lib.*4., *Natt. conſ.*476. *n.*7., *Maſcard. de Probat. concluſ.*1280. *n.*2., *&* *ſequen.*, *Rot. cor. Buratt. dec.*168. *n.*6., & per
30 quamcunque interpretationem ſemper eſt excludenda, *Rot. ibidem n.*2., *&* *ſequen.*

Et magis etiam dum agitur de Legato Pio magna præmeditatione facto, magnaque cautela ſcripto manu propria, & ſigillato, cum enixa voluntate illius executionis demonſtrata pluries in Teſtamento, & continuata confirmatione tam in primo, quam in ſecundo Codicillo, ut propterea non ſit expugnabile levibus conjecturis per hæredes ad proprium commodum expiſcatis; nec moram facere poſſunt executioni Loca Pia Mediolani ad præſentem cauſam nunc admiſſa pro eo, quod ipſorum intereſt; Ipſa enim ad hoc legatum Conſervatorio relictum non concurrunt, cum habeant aliud legatum diſtinctum, in quo illis nullum obicem facit recenſitum Conſervatorium, nec proinde obſtare poteſt regu-
31 la, quod in concurſu duorum Locorum Piorum privilegia privilegiis conquaſſantur; Tum quia, dum legata ſunt diverſa, & ſeparata, quilibet Locus Pius utitur ſuis privilegiis in legato ſuo: Tum etiam quia Jura Conſervatorii non deſumuntur ab aliquo privilegio Piæ cauſæ, ſed ex apertiſſima voluntate Teſtatoris, & litera diſpoſitionis plene confirmata.

Leviſſima demum viſa fuit alia conjectura deſumpta ex prædicto ultimo Codicillo, in quo Teſtator Conſervatorio legavit medietatem crediti, quod habebat contra Abb. Archintum, relinquendo medietatem alteram Hoſpitali Mediolanen. Hoc enim nihil pertinet ad legatum præcedenter factum ſæpe.

Conſervatorio omnium bonorum, & jurium Romæ exſtentium, quia creditum contra Abb. Archintum non dicebatur de creditis Romæ exiſtentibus,
32 ſed potius Mediolani, ubi ſolvendum erat; juxta regulam *Text. in leg. Contraxiſſe ff. de action., & obligat., Rot. cor. Merlin. dec.*824. *n.*17., *& cor. Buratt. dec.*474.*n.*4., & ideo talis exceptio merito rejecta fuit *coram Emo Rezzonico ſub die* 9. *Decembris* 1737. §.16., neque enim docebatur, quod creditum eſſet ſolvendum Romæ, ſed potius juſtificatum fuit contrarium. Cæteræ ſimilis levitatis conjecturæ iterum per hæredes cumulatæ ad evertendum Legatum Pium, examinatæ jam fuerunt, & rejectæ *in præteritis binis deciſionibus Emi Domini mei Rezzonici*, quibus DD. adhæſerunt.

Et ita, Quinto, & Sexto extra Turnum ſuffragantibus in hoc tertio repetito acerrimo Partium contradictorio, reſponſum fuit &c.

NEAPOLITANA FUNERUM.

*Ven.*5. *Decembris* 1738.

ARGUMENTUM.

Privativa elevandæ propriæ Crucis in tumulatione Cadaverum competit Canonicis Cathedralis Capitulariter incedentibus, non vero aliquibus ex iis ſingulariter intervenientibus. Duæ Eccleſiæ materialiter diſtinctæ repræſentare poſſunt unam Eccleſiam formalem; prout duo Corpora, & Capitula unum Corpus, & Capitulum formale. In una, eademque materiali Eccleſia adeſſe non poſſunt duo diſtincta Capitula; etiamſi unum ex iis ſit Capitulum Cathedralis, alterum Collegiatæ. Cætera habes in Deciſione LXXXIX.

SUMMARIUM.

1 *In aſſociatione Defunctorum unica Crux elevatur privative ab Eccleſia tumulante.*

2 *Conſtitutiones Synodales in Civitate, & Diœceſi faciunt legem.*

3 *Capitulum a ſolis Canonicis conſtituitur tanquam membris, & fratribus Epiſcopi, licet Eccleſia habeat Beneficiatos, Hebdomadarios, aliosque ſimiles Presbyteros etiam Chori ſervitio addictos.* & num.27.

4 *Quoties tamen dicti Presbyteri coadunantur, & incedunt cum Canonicis, unum corpus efformant cum Capitulo, nec privativa elevandæ Crucis quoad omnes etiam Parochos in aſſociatione Cadaverum ab ipſis eſt ſcindibilis:*

5 *Secus vero eſt, quoties ſejuncti, ac per ſe incedunt, quia tunc, nec Cathedram Epiſcopalem repræſentant, nec illam habitualem Juriſdictionem præſeferunt, cujus intuitu ſoli Capitulo Capitulariter incedenti competit prærogativa delationis Crucis;*

6 *Ita quidem, ut ea neque fruantur aliqui Canonici ſingulariter, non capitulariter intervenientes;*

7 *Cum aliud ſit agere de corpore Capituli, aliud de ſingulis Canonicis:*

8 *Præmiſſaque procedunt, etiamſi contendatur elevari ipſa Crux Capituli.*

9 *An vero prædicta privativa elevandi Crucem competens Capitulo Cathedralis extendatur in præjudicium Eccleſiæ Parochialis ad Capitulum Collegiatæ, non deciditur, ac dumtaxat allegantur nonnulli DD. negativam tenentes.*

10 *Qui allegat erectionem alicujus Cœtus in Collegiatam, eam concludenter probare tenetur*

11 *Duæ Eccleſiæ materialiter diſtinctæ repræſentare poſſunt unam Eccleſiam formalem; ac duo Corpora, & Capitula in duabus materialiter diſtinctis Eccleſiis, vel Cathedralibus, vel Collegiatis exiſtentia conſtituere valent unum Corpus, & Capitulum formale.*

12 *At ſicuti implicat, duos ejuſdem rei ſimul, & in ſolidum eſſe Dominos;*

13 *Ita implicat quoque, in una eademque materiali Eccleſia duo adeſſe diſtincta Capitula.*

14 *Quælibet Eccleſia unicum Antiſtitem habere poteſt.*

15 *Principaliora, & digniora membra Capituli Cathedralis ſunt Canonici, qui una cum Epiſcopo eorum Capite corpus efformant;*

16 *Presbyteri vero inferiores de jure introducti, & mancipati cenſentur ſervitio Eccleſiæ, & ipſius Capituli Canonicorum.*

17 *Ha-*

17 *Habitus, area communis, peculiare ſigillum, diſtinctio Præbendarum, ſtallum in Choro, reſidentia, & caput totius cœtus præſeferunt quidem Collegium Presbyterorum, at non Capitulum Collegiatæ formalis, etiamſi per ſe ſtet in propria Eccleſia*;

18 *Indubitanter vero ſi ſint in eadem Eccleſia cum Capitulo, quia tunc ſolum indicant Presbyteros efformare per ſe Corpus, & Collegium a Capitulo diſtinctum, & propria negotia tractare valens independenter ab eo*.

19 *Collegiata, & Capitulum Collegiatæ dari nequit ſine Canonicis*.

20 *Deciſio jam emanata de ſtilo Rotæ eſt ſupponenda, nec incidenter revocari poteſt*.

21 *Obſervantia, & conſuetudo ordinaria nil detrahit juri Parochialis Eccleſiæ circa delationem propriæ Crucis in functionibus Parochianorum, ſed requiritur immemorabilis ab allegante cum ſuis requiſitis probanda*.

22 *Ut Presbyteri Cathedralis ex obſervantia habeant per ſe privativam quoad Parochos elevandi Crucem, probare debent, quod Crucem elevarint, quando ſine Capitulo incedebant*.

23 *Propria confeſſio ſuperat omne genus probationis*.

24 *Relationibus Epiſcopi, & judiciali ſententiæ a parte acceptatis omnino eſt deferendum*;

25 *Cum Ordinarius plene conſcius cenſeatur de ſtatu Eccleſiarum ſuæ Diœceſis, præſertim Eccleſiæ Cathedralis*.

26 *Actus Parochiales promiſcue cum Parochis exerciti ante diſtinctionem limitum Parochiarum ſuffragari nequeunt ad oſtendendam competentiam ipſorum actuum poſt aſſignationem dictorum limitum*.

27 *Synodales Conſtitutiones deſtruunt immemorabilem*.

28 *Mera Collitigantis enuntiativa, & aſſertio nocere alteri non poteſt*.

29 *Ut ex publicis Inſtrumentis, Decretis, & Sententiis erui poſſit immemorabilis, neceſſe eſt, ut in iis pluries expreſſe, & clariſſime de illa habeatur mentio*.

30 *Contra actus facultativos vim non habet præſcriptio*.

31 *Immemorabilis per alia media, nempe publicas ſcripturas, actus poſſeſſorios, ac Teſtes formiter examinatos, quam per hiſtoriam probanda eſt*.

DECISIO CXXVII.

Reintegrato hujus cauſæ examine per reviſionem deciſionis coram Me nuper 28. Junii ſuperioris anni 1737. evulgatæ, proditoque ex Audientia diei 12. Maii proxime præteriti, ob ſuffragiorum ſciſſuram, reſcripto -- *Iterum proponatur* -- fuerunt hodierna die DD. iterum per Me interrogati -- *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis* -- & pro perſiſtentia *in deciſis* reſpondere minime hæſitarunt.

Bipartitæ ſiquidem reſolutioni quemadmodum Capitulum Collegiatæ, & Parochialis Eccleſiæ S. Joannis Majoris acquievit in ea parte, in qua fuit dictum *licere Collegio Hebdomadariorum Eccleſiæ Metropolitanæ Neapolis deferre Inſignia, nempe Cappas cum Rocchetto, etiam in exequiis Extraneorum, & etiamſi in illis non interveniat Capitulum dictæ Metropolitanæ*; Sic & eam DD. cenſuerunt non eſſe ab Hebdomadariis impugnabilem in parte altera decernente facultatem *elevandi, & deferendi Crucem* in aſſociationibus Cadaverum, in quibus non intervenit Capitulum d. Metropolitanæ, privative competere ſuprad. Eccleſiæ S. Joannis Majoris, aut alteri reſpective Parochiali, non autem antedictis Hebdomadariis; cum inconcuſſa ſit Juris diſpoſitio, qua cautum habemus in ſubje-
1 cta materia aſſociationis Defunctorum, unicam dumtaxat Crucem eſſe elevandam privative ab Eccleſia Parochiali tumulante; veluti tradunt *Ventrigl. in Prax. par. 2. annot. 31. n. 40., Gratian. diſcept. 298. n. 88., Pignatell. tom. 6. conſult. 58. n. 13., Monacell. in Formul. tom. 1. tit. 5. formul. 7. n. 37., & 38.*, & conſonant *Ritual. Rom. in Rubric. de Exequiar. Ord. Sac. Congreg. Epiſcopor. in Baren. 29. Julii 1616., in Potentina 14. Junii 1647., Sac. Congreg. Rituum in Baren. Terræ Modugni 2. Auguſti 1631., in Meſſanen. 12. Februarii 1635.* junctis aliis auctoritatibus, & Sacrar. Congregationum recentioribus Re-

Reſolutionibus cumulatis *in deciſione*, quæ revidetur §.3.

Eo certius, quia Juris diſpoſitioni famulantur Synodales ſuprad. Eccleſiæ Metropolitanæ Conſtitutiones cubitabilibus literis id ipſum decernentes; ut ſignanter cavetur in Synodis, quæ fuere celebratæ ann.1642.1669.1672.1694., & tandem anno 1726., quemadmodum illas diſtinctè recenſet ſuprad. coram Me evulgata *Deciſio* §.4.; Quæ peculiares ejuſdem Eccleſiæ Conſtitutiones, tanta equidem maturitate conditæ, ac reſpective renovatæ in tot Synodis, talis ſunt roboris, ut ſit omnino vetita illarum transgreſſio; nam in Civitate,
2 in qua reperiuntur promulgatæ, illiuſque Diœceſi faciunt legem religioſe ſervandam; ut præter allegatos in præcedenti *Deciſione d.* §.4. probant *Clericat. de Benefic. diſcor.*58. *n.*13., *Rot. cor. bon. mem. Molin. dec.*299. *num.*7., *dec.*475. *num.*10., *dec.*480. *num*15., & *dec.*490. *n.*12.

Fruſtraque Scribentes pro Hebdomadariis ſatagebant renovare oppoſitionem, quod ad funebrem Defunctorum aſſociationem interveniente, vel Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, vel Capitulo alterius cujuſvis Eccleſiæ Collegiatæ, non ſit amplius operativum Jus Parochialis, aut illius Rectoris, taliter ut iſte ſub Cruce alterutrius ex dd. Capitulis debeat incedere.

Quo enim ad præheminentiam Capituli Eccleſiæ Cathedralis, placuit reſponſio, eam non eſſe ſubjectæ hypotheſi adaptabilem, quia, ut fuit animadverſum in dicta præcedenti *Deciſione ſub* §.6., explorati Juris eſt, quod
3 Capitulum, tametſi habeat in ſua Eccleſia Beneficiatos, Hebdomadarios, & ſimilis generis Presbyteros ejuſdem Eccleſiæ, vel illius etiam Chori ſervitio addictos, non ab his, ſed a ſolis Canonicis conſtituitur; juxta *Gloſſ. in cap. Cum ad hoc penult. verb. Aſſiſios de Cleric. non reſiden.*, *Pignatell. Conſult. Canon. tom.*7. *conſult.*3. *n.*7., *Barboſ. de Canon.*, & *Dignitat. cap.*4. *n.*39., *Card. de Luc. de Canon. diſc.*18. *n.*12., *Rot. dec.*416. *n.*5. *par.*1. *recen.*, *cor. Cavaler. dec.*57. *n.*3.; *cor. Bich. dec.*167. *n.*13., & *cor. bon. mem. Molin. dec.*732, *n.*11., & 12., & in propoſito Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Neapolis extat Decretum Viſitationis Archiepiſcopi Annibalis de Capua editum an.1582. fol.782., ubi declaratur quod -- *Capitulum Metropolitanum ex ſolis Canonicis conſtat* --; Atque id ipſum in præciſis terminis ejuſdem Capituli, ac ad excluſionem Hebdomadariorum teſtatur *Genuenſ. in Prax. Cur. Archiepiſc. Neap. tit. de Cauſa delegat.* juxta Romanam Impreſſionem anni 1609. *fol.*427. *cap.*85. *n.*10., *ibiq. adden. n.*17., & 20., ubi quod ſub appellatione Capituli veniunt ſolum Canonici, tanquam membra, & Fratres Epiſcopi, non autem Beneficiati.

Ac proinde Eccleſia Collegiata, & Parochialis S. Joannis Majoris contendens cum jam dicto Hebdomadariorum Collegio quantumvis unito Eccleſiæ Metropolitanæ, ſicuti quæſtionem non agit cum Capitulo ejuſdem Metropolitanæ, quod juxta mox allegatas auctoritates utique ab Hebdomadariis, aliiſque inferioribus ejuſdem Eccleſiæ Presbyteris non valet repræſentari: ita etiam conſequitur, quod licet in eventum coadunationis, & inceſſus Cano-
4 nicorum cum Hebdomadariis in Cadaverum aſſociatione, prærogativa elevationis Crucis non eſſet ſcindibilis ab Hebdomadariis, ob eorum unionem, & unius Corporis efformationem cum ipſo Capitulo; ex animadverſis per *Gratian. diſcept.*111. *n.*3., *Panimoll. dec.*1. *annot.*9. *n.*24., & 25., *Rot. cor. Ludoviſ. dec.*284. *n.*4., *cor. Emerix Jun. dec.*1014. *n.*3., & *in recen. dec.*148. *n.*1., & 5. *par.*14., & *dec.*469. *n.*46. *par.*19.; Non tamen id ipſum procedit in hodierna quæſtione, in qua Hebdomadariorum contentio eſt, faciendi Corpus de per ſe, atque interveniendi in Cadaverum aſſociatione ſine Capitulo; quibus in terminis eorum acceſſus, atque inceſſus, eſto etiam, quod ſit cum Cappa, & cum propriis inſignibus, non poterit ſane operari, quod ipſi a Capi-
5 tulo ſejuncti Cathedram Epiſcopalem repræſentent, atque habitualem illam præſeferant Juriſdictionem, qua Capitulum pollet ſupra Parochos, & cujus Juriſdictionis intuitu ſolum Capitulum Ca-

Cathedralis in Collegiali ſui repræſen-
tantia capitulariter incedens potitur di-
cta prærogativa delationis Crucis; ut
probe obſervant Pignatell. tom.6. con-
ſult.58. n.14., Barboſ. de Paroch. par.3.
cap.26. n.78., Amoſtaz. de Cauſis Piis
lib.6. cap.2. n.22., Adden. ad Ceoper.
Lucubr. Canon. lib.1. tit.13. n.1., &
ſequen., Card. de Luc. de Præhemin.
diſc.21. n.7., Panimoll. d. dec.1. an-
not.9. n.21., & ex auctoritate Sac. Con-
gregationis Rituum in Aretina 12. Se-
ptembris 1705. probat modernus Pa-
ter Merati in addit. ad Gavant. tom.1.
par.2. in Indic. Decret. n.596. fol.1416.,
ac in individualibus etiam termini Ma-
joris Eccleſiæ Neapolitanæ dixit; Ge-
nuenſ. in Prax. Cur. Archiepiſc. Neap.
tit. de Sepultur. juxta dictam Roma-
nam Impreſſionem fol.385. cap.76. n.12.
ibique adden. n.23.

Quod adeo verum eſt, ut, ſi nonnul-
li ex Canonicis non capitulariter, ſed
ſingulariter intervenirent, nec ipſi qui-
6 dem Canonici Cathedralis fruerentur
præheminentia, qua potitur Corpus eo-
rum Capituli; Nam aliud eſt agere de
7 Corpore Capituli, & aliud de ſingulis
Canonicis, ut præciſe ad rem noſtram
proſequuntur Adden. ad Ceoper. d. tit.13.
a n.1. ad 5., Card. de Luc. de Præhemin.
d. diſc.21. n.6. & 10., Panimoll. d. de-
ciſ.1. annot.9. num.26.; Quinimo Sac.
Congregatio Epiſcoporum, & Regula-
rium in Montis Peluſii Funerum 23. Se-
ptembris 1735. allegata ſub §.8. antea-
ctæ hujus Cauſæ Deciſionis, quæ revi-
detur ad III. Dubium reſpondens, reſol-
vit, controverſam prærogativam non
eſſe exercibilem, etiamſi in funere ele-
8 vari contenderetur, & deferri Crux ipſa
Capituli Cathedralis ſine Collegiali in-
terventu Canonicorum, ejuſmodique
Reſolutionis ratio eſt urgentiſſima, quo-
niam allegata Præheminentia eſt perſo-
naliſſima ipſorum Capituli, & Canoni-
corum, eis competens ratione recenſitæ
habitualis Juriſdictionis Epiſcopalis,
quam habent ſupra omnes Parochos,
neque idcirco valet in alios diffundi,
aut communicari Cruci Materiali ejuſ-
dem Capituli, ſi ab iſto non ſit aſſocia-
ta; ex auctoritatibus in ſuperiori §.6.
congeſtis.

Quo vero ad alteram objecti partem,
eo minus applicabile viſum fuit diſtin-
ctivum elevandi, & deferendi Crucem,
quod in excluſionem Parochiæ Defun-
cti contendebant Hebdomadarii ſibi ip-
ſis competere ratione prætenſę eorum
Collegialitatis, aſſimilando ſcilicet eo-
rum Collegium Capitulo Eccleſię Col-
legiatę deſumenti ab Apoſtolica Aucto-
ritate legitimam ſui erectionem. Ultra
quod enim in oppoſitum allegabatur,
non levem apud Doctores eſſe contro-
verſiam, num privilegium elevationis
9 proprię Crucis, quod de Jure, & in ſub-
jecto themate ex noviſſima etiam Syno-
dali Conſtitutione cl. me. Card. Pignat-
telli edita anno 1726. cap.9. de Funer.
part.3. n.11., primario, & privative
quoad omnes alios reſidet in Capitulo
Eccleſię Cathedralis, ſeu Metropolita-
nę, poſſit in prejudicium Eccleſię Paro-
chialis extendi ad Capitulum Collegia-
tę, negativam Sententiam tuentibus
Gratian. diſcept.298. n.84., Ventrigl.
in prax. part.2. annot.31. n.42., Card.
de Luc. de Prehemin. diſc.21. n.9., Pa-
nimoll. dec.1. annot.9. n.12. & ſeq.

Supervacaneum dijudicabatur ad hu-
juſmodi examen deſcendere, quia nul-
lum in facto attulerant Hebdomadarii
documentum comprobans erectionem
eorum cætus in Collegiatam, de cujus
10 legitima inſtitutione eis incumbebat
onus afferendi univocam, & concluden-
tem probationem; juxta firmata per
Rot. cor. bo. me. Molin. dec.1229. n.23.
to.5., & in rec. dec.56. n.3. part.5., &
dec.142. n.3. part.10.

In jure vero res admodum exorbi-
tans, & monſtruoſa foret, quod una,
eademque Eccleſia eſſet cenſenda Ca-
thedralis reſpectu Canonicorum, & Col-
legiata reſpectu Beneficiatorum, ſeu
Hebdomadariorum, ac ſimul, atque ſe-
mel poſſet complecti duo diſtincta Ca-
pitula; Quamvis enim poſſit dari, quod
duæ Eccleſiæ materialiter diſtinctæ re-
11 preſentent unam Eccleſiam formalem,
quodque duo Corpora, & Capitula ma-
terialiter diverſa, & exiſtentia in dua-
bus diſtinctis materialibus Eccleſiis Ca-
thedralibus, vel Collegiatis, conſtituant,
& repræſentent unum, idemque Cor-
pus, & Capitulum formale, veluti con-
tin-

Digitized by Google

tingit in duabus Concathedralibus, vel duabus Concollegiatis, æque principaliter, vel ſubjective auctoritate Apoſtolica invicem unitis; juxta terminos *Deciſionis* 1923. *coram Coccin.*; Attamen quemadmodum implicaret in terminis
12 aſſerere, quod duo ejuſdem rei ſimul, & inſolidum Domini eſſe poſſent, obſiſtente elementari noſtri Juris principio, de quo eſt *Text. in leg. ſi ut certo loco* 5. §. *Si duobus, & ibi Gloſſ. in verbo -- Dominium -- ff. commodati*, & tradunt *Card. de Luc. de Jud. diſcurſ.* 44. *n.* 75., *Rot. cor. Cerro dec.* 28. *n.* 33., *& coram bo. me. Molin. dec.* 1284. *n.* 9. *tom.* 5. ſic, & non inæqualem redoleret implicantiam, atque monſtruoſitatem in una,
13 eademque materiali Eccleſia admittere duo diſtincta Capitula, ut in præciſis terminis Collegii Præbendariorum tranſlati in Eccleſiam Cathedralem reſpondit *Rot. cor. bon. mem. Molin. deciſ.* 1229. *n.* 29. *tom.* 5., ubi quod id repugnaret totius Orbis Catholici Obſervantiæ.

Et revera data per modum fictæ ſuppoſitionis in una, eademque Eccleſia materiali prætenſa Corporis formalis duplicitate, gemini videlicet Capituli, unum ex hiſce duobus Corporibus, non ſine maximo abſurdo, eſſet perneceſſe remanſurum ſine ſuo Capite, quod tamquam unicum, quia unicum dumtaxat
14 quælibet Eccleſia poteſt habere Antiſtitem, iſte non niſi ad unicum ex dicto duplici corpore eſſet habiturus ſuam correlationem, talique pacto, vel debet dici, quod alterum de dd. duobus Corporibus monſtrum remaneret, tamquam ſine Capite, vel quod per dictam corporis duplicationem in una, & eadem Eccleſia materiali, Eccleſiaſtica Hyerarchia penitus deſtrueretur: Unde ad hæc vitanda inconvenientia, & abſurda inadmiſſibilia, admodum urgebant Juris Regulæ, juxta quas ſolum Capitulum Cathedralis in ejus Canoni-
15 cis principaliora habet, & digniora membra, ex quibus Corpus efformatur cum Epiſcopo, ſive Metropolitano eorum Capite, veluti præciſe agendo de Eccleſia Metropolitana Civitatis Neapolis habetur apud *Genuenſ. in Prax. Cur. Archiepiſcop. Neapol. tit. de ſepultur. fol.* 385. *cap.* 76. *n.* 12. *ibique adden. n.* 23., & conſonant alii ſuperius adducti §. 6. & §. 7.; Collegium vero Hebdomadariorum, ſive Beneficiatorum, ipſiquemet Hebdomadarii, ſive Beneficiati, utpote in inferiori Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordine conſtituti, nulla ſane ratione poſſunt Capitulo, & reſpective illius Canonicis æquiparari, multoque minus conſiderari uti pars integralis ejuſdem Capituli, nam de Jure Inferiores hujus generis Presbyteri cen-
16 ſentur immo introducti, & ſunt regulariter mancipati ſervitio Eccleſiæ, & ipſius Capituli Canonicorum; ut poſt *Gloſſ. in cit. cap. cum ad hoc pen. verb. aſſiſtos de Cleric. non reſiden.* tradunt *Barboſ. de Canon. cap.* 4. *n.* 33., *Card. de Luc. eod. tract. diſc.* 32. *n.* 11., *& de Præhemin. diſc.* 21. *n.* 8., *Pignattell. conſult.* 50. *n.* 6. & 7. *tom.* 3., *conſult.* 3. *n.* 5. *tom.* 7., *& conſult.* 118. *n.* 2. *tom.* 9., *Rot. coram Cavaler. dec.* 57. *n.* 1., *cor. Bich. dec.* 167. *n.* 2. *& 3., in r c. dec.* 416. *n.* 1. *& ſequen. part.* 1., *in Urgellen. Servitutum* 13. *Junii* 1698. §. *fin. cor. bo. me. Urſino*, *& in Gerunden. Servitutum ſuper bono Jure* 23. *Februarii* 1731. §. *Siquidem cor. Emo Cincio*.

Nec facit ad rem noſtram, quod Hebdomadarii geſtent habitus honorificos, fere ad inſtar Canonicorum, quod retineant Arcam communem, particulare ſigillum, diſtinctas Præbendas, habeantque Stallum in Choro, & reſidentiam, atque etiam Caput ſub nomine Cimiliarcatus.

Hæc enim, aliaque ſimilia ſigna eſſent conſiderabilia ad arguendam exinde Collegialitatem, ubi ageretur de Collegio Presbyterorum de per ſe ſtante in ſua propria Eccleſia; Licet in hac etiam hypotheſi, eadem ſigna nihili eſſent ducenda quatenus ſeſe haberent
17 tantum ex parte materiali Collegii, & non adeſſet formale Collegiatæ, indicando nempe Collegium Presbyterorum, ſed non itidem præferendo Capitulum Collegiatæ; ut de communi ſententia habetur apud *Emum Petra ad Conſtit. VII. Innoc. IV. ſect.* 2. *n.* 19. *& ſeqq., Rot. cor. bo. me. Molin. dec.* 1229. *n.* 24., *cor. bon. mem. Lancett. dec.* 357. *n.* 13., *& in rec. deciſ.* 56. *n.* 8. *& ſeqq. part.* 10.,

part.10., & deciſ.469. num.43. & ſequen. par.19., & in Theleſina Collegiatæ 4. Junii 1736. cor. R.P.D. meo Creſcentio.

At cum ſermo ſit de Beneficiatis, ſeu Hebdomadariis exiſtentibus in Eccleſia Cathedrali, indubitatum ſit, quod nequeunt prænuntiata ſigna indicare, eoque minus ſecumferre probationem demonſtrativam allegatæ Collegialitatis,
18 ſed poterunt dumtaxat ſuadere, quod Hebdomadarii conſtituant Corpus per ſe, & Collegium a Capitulo contradiſtinctum, ac valens propria pertractare negocia independenter ab eodem Capitulo; juxta explicationem *Gloſſæ in d. cap. cum ad hoc pen. de Cleric. non reſiden., Adden. ad Buratt. dec.455. n.5. verſ. item neque, Rot. cor. bo. me. Molin. d. dec.1229. n.24. & 26. tom.5., & in rec. d. dec.469. n.42. & ſequen. par.19. tom.2., & in d. pariter Gerunden. Servitutum ſuper bono Jure cor. Emo Cincio*; Ne alias detur abſurdiſſimum inconveniens, quod cætus, & coadunatio Beneficiatorum in Baſilicis, & Cathedralibus conſtituant Capitulum Collegiatæ; profternentibus ſemper tale aſſumptum, nedum ratione illa, quæ edu-
19 citur ab impoſſibilitate, quod dari queat Collegiata, & Capitulum Collegiatæ, ubi non extant Canonici, ex quibus pernecesſe, & indiſpenſabiliter conſtitui debet Collegiata, ejuſque Capitulum; Verum etiam auctoritate tum Sacræ Rituum Congregationis, quæ in non abſimili contentione promota ab altero Collegio Beneficiatorum exiſtente in Eccleſia Cathedrali Civitatis Parmæ contra Beneficiatos reſcripſit, Teſte *Card. de Luca de Præhemin. d. diſc.21. n.2.*, tum, & Sacri noſtri Auditorii, a quo præciſa iſthæc inſpectio, quod ex Hebdomadariis Metropolitanæ Civitatis Neapolis efformetur dumtaxat Collegium, non autem Capitulum, fuit alias deciſa *in Neapolitana Cimiliarchatus cor. Bich. dec.312. n.35. & ſeqq.* non diverſimode a ſenſu ipſius *Card. de Luc.*
20 *in citato diſc.21. n.8. de Præhemin.*, quæ Deciſio de ſtilo eſt hodie ſupponenda, nec poteſt incidenter revocari; *Rot. cor. Arguell. dec.18. n.13., cor. Coccin. dec.125. n.21., poſt Conſtant. ad Stat. Urb. deciſ.169. n.13. & in rec. deciſ.132. n.21. part.15.*

Conſtabilito ex his, quod ex ratione, nec Cathedralitatis, neque Collegialitatis valeat Hebdomadariis competere Jus elevandi Crucem in excluſionem Parochiæ, magis inefficax fuit iterum detecta conſuetudo ad id allegata, circa quam præagnito, quod quævis con-
21 traria obſervantia, vel conſuetudo ordinaria nil detrahit Juri Eccleſiæ Parochialis fundatam habentis in Juris diſpoſitione intentionem elevandi, & deferendi propriam Crucem in functionibus ſuorum Parochianorum, ſed requiritur ad dirimendum Jus Parochiæ conſuetudo immemorabilis ab eo, qui illam allegat, concludenter probanda cum ſuis requiſitis; juxta ſenſum a Sacro noſtro Auditorio panditum *in Barchinonen. Jurium Parochialium ſuper Aſſociatione, & elevatione Cadaverum 9. Decembris 1735. §. Conſtito cor. Emo Rezzonico*, & in aliis *deciſ. relatis in præcedenti hujus Cauſæ coram me edita Deciſione* §.10.

Ac etiam præmiſſo, quod Canonici Eccleſiæ Metropolitanæ non niſi de anno 1711. devenerunt ad determinationem non amplius interveniendi ad funera Extraneorum, quodque ideo relative ad tempus, quod dictam determinationem præceſſit, incumbebat Hebdomadariis onus concludenter probandi, quod eorum Collegium ſolum, hoc eſt abſque interventu Canonicorum, fuerit aſſociatum funera etiam Extraneorum, propriamque ſui Crucem in aſſociatione elevaverit privative quoad Parochos Defunctorum; Cum namque punctus allegatæ immemorabilis ad id reducitur, an in themate acceſſus ad funera habiti a ſolis Hebdomadariis ſine Capitulo Canonicorum fuerit Crux eorundem Hebdomadariorum elevata excluſive ad illam proprii Parochi Defuncti, planum reddebatur,
22 quod allegatæ immemorabilis probatio debebat eſſe qualificata, tum ab actu elevationis, & delationis Crucis Hebdomadariorum, tum & ab eorundem Hebdomadariorum inceſſu ſine Capituli interventu (in qua ſane inſpectionis poſtrema parte præcipuum reſide-

bat Cauſæ momentum) nam alioquin data ſimultanea, & Canonicorum, & Hebdomadariorum aſſociatione, non poterat ulla exoriri hæſitatio ſuper Preheminentia de Jure competente Capitulo Cathedralis juxta firmata in ſuperioribus *n.*4.5.*& ſeqq.*, quæque in præſuppoſito ſimultanei Canonicorum, ac Hebdomadariorum inceſſus nequaquã referenda erat ad Hebdomadarios unum, idemque Corpus conſtituentes cum Canonicis dicti Capituli, ut fuit ſuperius ponderatum *d. n.*4. *& ſeqq.*

Tantum abeſt,quod Collegium Hebdomadariorum ſuo ſatisfecerit muneri verificandi talem immemorabilem; ut immo Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ S.Joannis Majoris totum oppoſitum eveniſſe docuerit, & quidem ex repetitis eorundem Hebdomadariorum ſupplicationibus, quas,& in Curia Archiepiſcopali Neapolitana, & ipſimet Archiepiſcopo adverſus dictam Capituli determinationem non amplius interveniendi ad funera porrexerunt, enarrantes ingenue veritatem,quod nempe Extraneorum Cadavera aſſociari, & Funera explere non conſueviſſent, niſi conjunctim, & ſimul cum Canonicis dictæ Eccleſiæ Metropolitanæ, & quidem facta inter omnes intervenientes repartitione emolumentorum funeralium,quæ inde percipiebantur juxta taxam præfinitam ab ejuſdem Eccleſiæ Conſtitutionibus uſque de anno 1534. promulgatis, ita quidem, ut inter Canonicos, & Hebdomadarios quoad Exequias,& Funera peragenda uti ſocios inſeparabiles fuiſſet ſemper de Funeralibus oblationibus confectus communis acervus; Hiſque præterea expoſitionibus, quæ per Hebdomadarios in actibus ita ſeriis comperiuntur emiſſæ,alter quoque conſonat pervetuſtus eorum ſupplex libellus Sac. Rituum Congregationi de anno 1633. porrectus, in quo profitentes ſeſe uſque in id tempus acceſſiſſe ſine Capitulo ad exequias tantum ſuorum confratrum Hebdomadariorum, dirigebant proinde ſupplicationem ſuam ad ampliationem facultatis, interveniendi nempe ſine Capitulo ad Funera Extraneorum, eum ſubſecuta tamen ſupplicantium ſuccumbentia contrario dictæ Sac. Congregationis reſcripto -- *Servari ſolitum* -- Hinc profecto negativa Hebdomadariorum obſervantia interveniendi ad Funera Extraneorum ſeorſim a Capitulo, & conſecutiva impoſſibilitas exiſtentiæ ullius actus affirmativi elevationis propriæ Crucis admodum claram videbatur præſeferre probationem excluſivam allegatæ immemorabilis, adeo ut non poſſit in hoc puncto haberi juſtificatio melior illa, quæ utpote proficiſcens a tot, & adeo

23 perſpicuis ipſorum Hebdomadariorum confeſſionibus incontrovertibiliter præſeferentibus, fuiſſe ab ipſis delatam Crucem dependenter a jure Capituli ob inceſſum cum illo habitum, ſuperat omne genus probationis; *cap. per tuas* 10. *de probat.*, *leg. generaliter* 13. *Cod. de non numerat. pecun.*, *Ciarlin. contr. lib.*2. *cap.*131.*n.*35.,*Rot. cor. Arguell. dec.*82. *n.*4. ,*cor. bo. me. Molin. dec.*1282.*n.*3. *tom.*5.,*& in rec. dec.*428. *n.*1., *& dec.*560. *n.*6. *part.*19.

Id ipſum uberius evincentibus geminis clar. mem.Card. Pignattelli relationibus, & quidem acceptatis ab eiſdem Hebdomadariis, & in quibus dilucide exponitur, haud interveniſſe ad funera Extraneorum Hebdomadarios per ſe ſolos, & ſine Capitulo Metropolitano, atque Sententia inſuper judiciali per eundem Cardinalem tunc Archiepiſcopum lata, occaſione decernendi pro dd. Hebdomadariis, & ſuper eorum Inſignium delatione, executionem Brevis ſan. mem. Benedicti XIII., ab eis pariter acceptata, & ad cujus Sententiæ tramites ulterius habetur, ipſos hujuſmodi exequias Extraneorum facere obtinuiſſe a recentiori tantum tempore, quo Capitulum ſtatuit ad funera non intervenire, ex adjecta declaratione, quod antea interveniſſent dumtaxat ad exequias ſuorum Confratrum Hebdomadariorum, adeo ut tali Sententiæ

24 non minus, quam præfatis Archiepiſcopi relationibus, & quidem acceptatis ab ipſis Hebdomadariis ſit procul dubio deferendum, ad firmata per *Rot. cor. Bich. dec.*362. *n.*2., *& in recent. dec.*205. *n.*1. *par.*10.,Nam ratione eorum regiminis Ordinarius cenſetur ple-

25 ne conſcius de Statu Eccleſiarum ſuæ

Dioe-

Diœceſis, multoque magis de illo propriæ ſuæ Cathedralis Eccleſiæ; *Rot. coram bon. mem. Molin. dec.897. n.8., & 9., & in recen.dec.9. n.2., dec.147. n.16.par.10., & dec.469. n.68.par.19.*

Nec obſtare viſa fuit antiqua enuntiativa, quæ in medium denuo offerebatur, emiſſa anno 1583. in actu Viſitationis, quæque præſupponitur, quod ſecumferat Decretum, nempe -- *Cum apparet Crux ipſorum Hebdomadariorum, quæ tantum defertur ante feretrum, tollitur Crux Parochiæ --.*

Præter enim reſponſiones in præcedenti mea deciſione allatas *ſub n.11., & ſequen.* quod a d. nimirum Viſitatione anni 1583. potuiſſent ad ſummum Hebdomadarii educere facultatem elevationis eorum Crucis habito reſpectu ad tempus illud, quo Canonici, & Hebdomadarii promiſcue cum Parochis exercebant curam univerſalem in tota Civitate, abſque eo quod fuiſſent adhuc præfixi certi Parochiæ limites Eccleſiæ Cathedrali, nunquam vero, quod valuerit prætenſum Viſitationis Decretum protendere vires ſuas relative ad tempus poſterius aſſignationi dd. limitum Parochialium an.1596. ſubſecutæ; nam ab inde citra actus illi
26 Parochiales, qui prius promiſcue cum Parochis, & ratione curæ univerſalis exercebantur in tota Civitate per Canonicos, & Hebdomadarios Cathedralis, iſtis ſuffragari amplius nequiverunt poſt aſſignationem dd. limitum, per quam remanſit inpoſterum impeditum exercitium dd. actuum Parochialium extra fines Parochiæ d. Cathedralis, & in tota Civitate; juxta præciſum caſum quæſtionis reſolutæ *in Barchinonen. Jurium Parochialium 6. Junii 1732. §. Pro eo autem, & ſequen. cor. Emo Aldrovando* confirmata *die 2. Decemb. 1735. §. Parique, & ſequen. cor. Emo Rezzonico*, ubi pariter ante aſſignationem certorum limitum pro Eccleſia Cathedrali Barchinonæ aderant in Civitate quamplures diſtinctæ Parochiæ adhuc ſuperexiſtentes, prout in Civitate Neapolis.

Quodque rurſus agendo de tempore elapſo citra dictum annum 1597. non ſolum ex parte Hebdomadariorum deſuit exhibitio ullius Conſtitutionis, aut Decretum Viſitationis, quo eorum facultas, ut ſupponebant, competens ipſis ante præfixionem limitum Parochialium, remanſerit inpoſterum præſervata, ſed immo ex oppoſito univerſæ, quæ poſt aſſignatos Eccleſiæ Cathedrali certos limites fuere conditæ Synodales Conſtitutiones, illa videlicet anni 1642., altera 1669., altera 1672., altera 1694., & poſtrema edita anno 1726. uniformiter, ac ſine ulla diſſonantia decernunt, funera quæcunque ducenda eſſe a proprio defuncti Parocho, & ſub propria Cruce Parochiali. Quamobrem iſtæ, ac toties renovatæ Synodorum Sanctiones ſolum
27 ubicunque excipientes caſum interventus Capituli Metropolitani, quod dumtaxat ex Canonicis, non autem ab Hebdomadariis conſtituitur ex ſupra firmatis *n.3., & ſeqq.*, marte ſuo proſternunt allegatam immemorabilem, ut dixit *Rot.cor.Zarat.dec.74. n.36., & cor. bon.mem.Molin. dec.526. n.22. tom.2.*

Altera præterea addebatur non minus ſolida reflexio, quod exhibitis per Canonicos S. Joannis Majoris actis integris præfatæ Viſitationis anni 1583., illiſque perſpectis, non fuit datum invenire Decretum ullum Viſitatoris, qui antecedenti forſitan conſuetudini innixus quidquam dixerit ſuper prærogativa Crucis Hebdomadariorum, ſed ſupra relata Viſitationis verba manifeſte reſonabant in meram, & ſimplicem aſſertivam ab ipſis Hebdomadariis emiſſam coram Canonico Viſitatore, qui ad Viſitationem peragendam ab Archiepiſcopo delegatus, accedens ad Sacrarium Eccleſiæ, & mandans quatuor inibi adſtantibus Hebdomadariis, ut referrent, atque deſcribi curarent omnia eorum bona, reditus, onera, ac etiam jura, hæc referentes fecerunt verba de prætenſa quoque privativa elevatione propriæ Crucis in funeribus. Unde hoc
28 ſimplici dicto prolato ab ore proprio Hebdomadariorum non valente importare Decretum, aut aſſertivam Viſitatoris, iſtiuſque ſuppoſito Decreto redacto ad meram Hebdomadariorum enuntiativam, non valuit ullus probationis gradus exinde conſtitui in præju- di-

dictium Capituli S. Joannis Majoris, aut
alterius ex Parochis abſentibus; juxta
firmata per *Rot. cor. Emer. Jun. dec.39.*
n.5., cor. Anſald. dec.26. n.18. tom.1.,
& dec.194. n.29. tom.2., & in recen.
dec.557. n.5. par.19. tom.2.; multoque
minus inducere verificationem imme-
morabilis conſuetudinis, quæ in durio-
ribus etiam terminis, in quibus non ſit
29 eruenda (ut præmiſſa enuntiativa
præſeferebat) ex mera partis Colliti-
gantis aſſertione, ſed ex ipſis publicis
Inſtrumentis, Decretis, aut Sententiis,
ut poſſit dici probata ex hiſce publicis
ſcripturis, neceſſe eſt, quod in eis ſe-
mel, atque iterum expreſſis, atque di-
ſertiſſimis verbis ejuſdem immemora-
bilis mentio habeatur, ut admonet *Pi-*
ton. Diſcept. Eccleſ.50. n.24. tom.2., &
diſcept.156. n.19. tom.4., Adden. ad
Ludoviſ. dec.51. n.10., Rot. cor. Achill.
de Graſſ. dec.6. de Jurepatr., cor. Coccin.
dec.1102. n.2., & ſequen., cor. bon. mem.
Molin. dec.526. n.19. tom.2.

Nec momenti fuit allegare, quod
Hebdomadariorum acceſſus ad funera
fuerit actus mere facultativus, & quod
in facultativis non intret indago præ-
ſcriptionis.

Si enim eſt ſermo de mero Hebdo-
madariorum acceſſu ſine propria Cru-
ce, ſtatim ac a Defuncti hæredibus in-
vitati extiterint, aut etiam inpoſterum
contingat eos invitari ad funus; nulla
ſubeſt hæſitatio, quod in hiſce termi-
nis interventus eorum, prout & cujuſ-
30 vis alterius Presbyteri fuerit, atque
remaneat in libera ipſorum voluntate
repoſitus, & per conſequens imperſcri-
ptibilis; Non ſic tamen dicendum eſt
de acceſſu cum propria Cruce, & cum
excluſione Crucis Parochialis; nam ex
præmiſſis, inefficaci recognita antiqua
illa Viſitatione anni 1583., & prorſus
inepta ad tribuendam Hebdomadariis
facultatem delationis eorum Crucis;
pro excluſione, & incompetentia ejuſ-
dem facultatis ſubintrant contra eos,
tam diſpoſitio Juris communis, Con-
ſtitutiones Apoſtolicæ, & Decreta Sa-
crarum Congregationum cum unanimi
Sententia Doctorum, quam etiam om-
nes Conſtitutiones Synodales Neapolis.
Quæ omnia ut Hebdomadarii vitare
potuiſſent, opus habebant deſumere
ipſi præſcriptionis præſidium ab acti-
bus affirmativis, quod ſcilicet ſcienti-
bus, & patientibus Parochis poſt aſſi-
gnatos Eccleſiæ Cathedrali ſuos limites
Parochiales acceſſerint ſemper ad fune-
ra cum propria Cruce, & cum exclu-
ſione Crucis Parochialis, juxta ſupe-
rius deducta.

Nec talis probationis adjumentum
valuerunt deſumere, vel ab aſſertiva
Antonii Summontii in Hiſt. Reg. Nea-
pol. lib.1. cap.11., vel ab altera cl. mem.
Card. Pignattelli ad Sac. Congreg. Ri-
tuum anno 1716. tranſmiſſa relatione
præſupponente pervetuſtum Hebdoma-
dariorum interventum ad funera.

Quo enim ad primam, dictus hiſto-
ricus, qui ſcripſit circa finem ſec. XVI.
paulo ſcilicet poſt narratam ab Hebdo-
madariis coram Viſitatore prætenſam
eorum Crucis prærogativam, & ab eis
mutuo accepit quiquid in Hiſtoria
enarrat, non eſt attendendus; nam per
alia media, publicas nimirum ſcriptu-
31 ras, actus poſſeſſorios, ac Teſtes for-
miter examinatos, quam per Hiſtori-
cum probanda eſt immemorabilis con-
ſuetudo, ut dixit *Rot. cor. Mantic. de-*
ciſ.358. n.6., cor. Anſald. dec.100. n.87.,
& ſequen., cor. bo. me. Molin. dec.784.
n.17., dec.822., n.4. dec.899. n.8., dec.988.
n.2., cor. clar. mem. Card. Falcon. dec.2.
n.25. de Offic. Ordin., & magis in ſpe-
cie de Hiſtoricis Neapolitanis teſtanti-
bus, Primiceriatum eſſe dignitatem in
Eccleſia Metropolitana, eadem *Rot. cor.*
bo. me. Lancett. dec.1354. n.23., & 29.

Quo vero ad relationem memorati
Cardinalis, ſat eſt, quod ea non ex-
primat, an Hebdomadarii ad funera
intervenerint ſoli, an vero cum Capi-
tulo Canonicorum, ad hoc, ut obſer-
vantia inceſſus per Hebdomadarios ha-
biti ſimultanee cum Capitulo diverſi-
mode non ſit accipienda, nam quidquid
in hoc propoſito præobjecta relatio non
deſignat, ſupplent aliæ duæ ejuſdem
Card. relationes ſuperius expenſæ *n.24.,*
& 25., & æque ineluctabiliter ipſorum
Hebdomadariorum repetita confeſſio,
qua aſſerunt ſeſe ipſos ad funera inter-
veniſſe ſimultanee cum Capitulo, & uti
inſeparabiles ſocios Canonicorum, juxta
la-

late animadverſa in ſuperiori §.15.*cum duobus ſequen.*

Et ita in reliquis remiſſive DD. ſeſe habentibus ad deciſionem, quæ revidetur, in ſtrenuo Partium conflictu reſponſum fuit.

BONONIEN. FIDEICOMMISSORUM SUPER FRUCTIBUS.

Merc.10. Decembris 1738.

ARGUMENTUM.

In judicio Immiſſionis in vim *l.fin.* fructus debentur a die productionis jurium, ſi ſententiæ fuerint puræ; ſecus ſi conditionales, tunc enim debentur a die dumtaxat purificatæ conditionis. In conditionibus poteſtativis non habet locum retrotractio. Incompatibilitas profluens ex diſpoſitione hominis verbis negativis concepta non ſolum impedit retentionem, ſed etiam principium acquiſitionis. Nonnulla alia vide in deciſione.

SUMMARIUM.

1 *Fructus ſunt acceſſiones, & ſequelæ Immiſſionis.*

2 *In judicio Immiſſionis in vim* l. fin. *fructus debentur a die productionis jurium, ſi tamen ſententiæ puræ, & ſimplices fuerint, ſecus ſi conditionales, quia in hoc caſu non debentur niſi a die purificatæ conditionis;*

3 *Maxime ſi conditio fuerit poteſtativa, quia in hujuſmodi conditionibus nunquam admittitur retrotractio ad initium actus, ſed operantur tantummodo a die earum adimplementi.*

4 *Ante declarationem non contrahitur mora;*

5 *Præſertim ſi ab hujuſmodi declaratione dependeat capacitas petendi bona in eo, qui moram allegat.*

6 *Incompatibilitas profluens a diſpoſitione hominis verbis negativis concepta non ſolum impedit retentionem, ſed etiam principium acquiſitionis.*

7 *Verba acquiſitionis per ablativum abſolutum prolata conditionem faciunt a parte ante verificandam.*

8 *Modus adimpleri valet etiam poſt quæſitum emolumentum.*

9 *Deficiente mora, ceſſat obligatio reſtituendi fructus.*

10 *Heres uſufructuaria ultimi gravati ante purificationem conditionis facit fructus ſuos.*

DECISIO CXXVIII.

Licet in deciſione coram Me edita ſub *die 30.Junii* labentis anni confirmationis robur obtinuerint geminæ ſententiæ immiſſionem concedentes Com. Julio Blanchetti ad bona fideicommiſſaria ejuſdem familiæ adverſus Com. Thereſiam Balduzzi, ſub conditione, ut prius declarationem emitteret, vel retinendi primogenituram Gambalungam, vel bona fideicommiſſaria Blanchetta, addita tamen fuit moderatio quoad reſtitutionem fructuum, qui non amplius a die conteſtatæ litis, ſed a die tantum declarationis eidem Com. Julio decreti fuerunt; Abſoluta itaque cauſa ſuper puncto immiſſionis poſt demandatam illius expeditionem ob effectivam d. meæ deciſionis acceptationem, controverſia remanſit quoad fructus, circa quos tantum facta fuit poteſtas dictam revidendi deciſionem, quam hodie DD. confirmarunt conſueto per Me porrecto dubio — *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis* — reſpondentes *in deciſis*.

Hujus ſiquidem reſolutionis fundamentum iterum in eo ſtetit, quod cum ex prędictis duabus Sententiis per Com. Julium jam acceptatis eidem decernatur immiſſio non pure, & ſimpliciter, ſed expreſſa conditione faciendæ declarationis de retinendo, vel bona fideicommiſſaria familiæ Blanchettæ, aut ea potius, ſuper quibus Franciſcus Gambalunga primogenituram conſtituit nomine proprio, altera vero adminiſtratorio nomine Comitis Laurentii ejus filii; In his terminis ſicuti ante adimplementum hujuſmodi conditionis penitus *ſuſpenſivæ* nullum jus idem Com. Julius acquiſiverat in dd. bonis fideicommiſſariis Blanchettis, ad quæ immiſſionem obtinuerat, ita id ipſum dicendum venit reſpectu fructuum, qui
1 tanquam acceſſorii non niſi in ſequelam immiſſionis venire poſſunt, ut firmat deciſio, quæ revidetur §.*Ex his deſcendendo*.

Quin obſtare poſſit, quod in judicio im-

immiſſionis vigore *leg. final.* fructus
Actori debeantur a die monitorii, ſeu
productionis Jurium; Hoc namque
2 compertum fuit procedere, quoties ſen-
tentiæ immiſſionem Com. Julio con-
cedentes pure, & ſimpliciter prolatæ
fuiſſent, quo caſu, cum eædem ſenten-
tiæ retrotraherentur ad diem conteſtati
Judicii, abſque dubio fructuum actio-
nem ab eo tempore tribuere poſſent;
ſecus vero in caſu, de quo agitur, in
quo conditionem a parte antea ve-
rificandam expreſſe continebant, hoc
enim caſu cum ante adimpletam con-
ditionem nihil in eſſe ponerent, ex-
tranei prorſus remanent termini re-
trotractionis earundem ſententiarum
ad diem conteſtatæ litis, dum iſtæ
operari tantum poſſunt *ex nunc*, non
autem *ex tunc*; ad *Text. in leg.1. ff.
ad Senat. Conſult.*, *Sillan.*, *Bart. in
leg.1. Si is, qui: n.47. ff. de uſucap.*,
Caſtren. conſ.446. n.1. lib.2., *Mantic.
de tacit. lib.14. tit.46. n.11.*, *Rot. de-
ciſ.3. n.10. de penſion. cor. clar. mem.
Card. Falconer.*, & in puncto reſtitu-
tionis fructuum firmavit *Rot. dec.389.
n. final. cor. R.mo Criſpo*, *& in Romana
Reſtitutionis Fructuum* 11. *Junii* 1708.
§. *Addito cor. bon. mem. Anſald.*

Quod abſque difficultate admiſſum
fuit, quia ſupradicta conditio in dictis
ſententiis inſerta erat mere poteſtati-
va, ſe habens ſolummodo ex parte
ipſius Com. Julii, qui ad ſui placitum
ſtatuere poterat, an potius primogeni-
turam, quam dd. bona fideicommiſſa-
ria ſibi retinere expediret; Et propte-
3 rea multo minus intrare poterat retro-
tractio, quia in conditionibus mere
poteſtativis nunquam ea admitti poteſt
ad initium actus, ſed illæ operari in-
cipiunt favore eas adimplentis ab il-
lo dumtaxat temporis momento, quo
adimplentur, ut conſiderant; *Alexand.
conſ.25. num.5. lib.3.*, *Pariſ. conſ.11.
n.69., & ſeq. lib.1.*, *Rodulphin. alle-
gat.180. n.10.*, *Rot. dec.32. n.7. cor.
Ubag. par.3.*, *& dec.215. n.9., & ſeq.
par.18. rec.*

Excluſis itaque retrotractionis ter-
minis, fruſtra redarguebatur Com. The-
reſia de mala fide, & mora in reſtituen-
dis fructibus; nam quoad malam fidem,
licet Com. Thereſia certo ſciret voca-
tionem Com. Julii ad fideicommiſſa Fa-
miliæ Blanchettæ, certo certius tamen
quoque ſciebat illius incapacitatem ob
adeptam primogenituram Gambalun-
gam, quam, ob ejus incompatibili-
tatem cum retentione fideicommiſſo-
rum, debebat idem Com. Julius dimit-
tere per medium formalis declaratio-
nis ad normam ſententiarum; quam ob
rem hujuſmodi vocationis ſcientia nul-
lam malam fidem inducere poterat,
quippe quia purificata adhuc non erat
conditio, ſub qua eadem bona reſti-
tuere debebat; quo vero attinet ad mo-
4 ram, nec iſtam pariter incurrere po-
terat Com. Thereſia, ex quo nondum
facta fuerat per eundem Com. Julium
declaratio, qua pendente nunquam
contrahi moram abſolutiſſimum eſt, ut
præter relatos in *mea deciſione*, quæ
confirmatur §. *Minime ſuffragante* tra-
dunt *Mantic. de Conject. ultim. volunt.
lib.1. tit.10. ſub n.7. verſ. rurſus*, *Mart.
de Succeſſ. legal. par.4. quæſt.21. art.11.
n.88.*, *Rot. dec.20. n.18., & 19. poſt
Merlin. de legitim.*

Et indubitantius, quia ſæpedicta de-
claratio neceſſaria prorſus erat, ut le-
gitimaretur Perſona ipſius Com. Julii,
qui ob adeptam Primogenituram Gam-
balungam effectus penitus erat incapax
petendi bona fideicommiſſaria Blan-
chetta, ob conditoris primogenituræ
prohibitionem -- ibi -- *Vetuit quod ali-
quo tempore in Bonis, & hæreditate
DD.orum de Blanchettis quicquam* PE-
TERE *aut conſequi valeant &c. perin-
de ac ſi prædictorum omnium eſſent inca-
paces, ſeu ab illis in omnibus, & per om-
nia eſſent* EXCLUSI --; Et ideo, cum
5 ad ſummum capacitatem conquiſiverit,
& a præcedenti, qua detinebatur inca-
pacitate ſe liberaverit a die, qua Judi-
cum Sententiis parendo declarationem
emiſit, non alia conſiderari valet mora
in Com. Thereſia, niſi a die factæ decla-
rationis, nunquam vero antequam ipſa
declaratio emitteretur, ut optime conſi-
derant *Peregr. de fideic. art.49. n.79.*,
Gratian. diſcept. forenſ. cap.400. n.9.,
Surd. dec.179. n.15., & 22., *& Rot. d.
dec.20. n.19. poſt Merlin. de legitim.*

Spreta penitus replicatione, quod in-
capa-

capacitas Co: Julii uſque ad diem declarationis obſtaculum præbere potuiſſet retentioni utriuſque incompatibilis,non autem retentioni fideicommiſſorum de Blanchettis , quæ retinere potuiſſet , dummodo ex utroque fructus non per-
6 cepiſſet; Quoniam , omiſſo, quod in caſu agitur non de incompatibilitate a Jure profluente, ſed de ea , quę deſcendit a diſpoſitione hominis , quę cum concepta legatur per verba negativa , & expreſſe vetantia -- *Ne ſui ſucceſſores quidquam petere poſſint in bonis Blanchettis* -- reſiſtere videtur non retentioni tantum , ſed etiam principio acquiſitionis , ut ad rem obſervat *Torr. de Primog. Ital. part.1. cap.33. §.5. n.70., Rox. de incompat. part.7. cap.4. n.84.*

Quęlibet ſubmovetur difficultas ex lectione ipſarum Sententiarum per Comitem Julium acceptatarum atque approbatarum, in quibus non aliter ei decernitur Immiſſio , quam *facta prius in actis declaratione &c.*, quę ſane verba , utpote prolata per ablativum abſolutum cum faciant conditionem a parte antea verificandam, ad notata per *Bur-*
7 *ſatt. conſ.151. n.4. lib.2., Rot. dec.626. n.2. cor. Cerr., deciſ.33. n.2. cor. Ubald. part.3., & dec.297. n.2. cor. bon. mem. Lancetta*, reſiſtunt procul dubio etiam principio acquiſitionis, ad differentiam
8 ſimplicis modi, qui adimpleri etiam valet poſt quęſitum emolumentum; *Tor. de majorat. part.2. quæſt.50. a n.62. & ſeq., Peregrin. de fideic. art.11. n.113., Manſ. conſult.390. n.39., Rot. dec.669. n.9. cor. Dunoz. Jun., dec.1081. n.14. cor. bo. me. Molin., & in Romana Fideicommiſſi de Alvens 27. Martii 1716. §. Quin cor. bo. me. Anſald.*

Retorquebatur autem objectum , quod declaratio prędicta in Sententiis fuerit decreta ad certificandam perſonam ſucceſſoris in uno ex dd. fideicommiſſis , & primogenitura . Quoniam ante dictam declarationem , ac certificationem nulla mora poteſt conſiderari in Co: Thereſia hęrede ultimi gravati in reſtituendis Bonis fideicommiſſorum de
9 Blanchettis , qua mora deficiente ceſſat obligatio reſtituendi fructus , tametſi Comes Julius prædictus non poſſet de nulla negligentia notari in obtinenda immiſſione ad eadem Bona , ut magiſtraliter firmatur *in d. dec.20. num. 18. & 19. poſt Merlin. de legitim.*

Quamquam vero in dicta clauſula conditionali legatur verbum *de retinendo*, idem verbum non ſtat ad qualificandam immiſſionem non conceſſam niſi ſub dicta ſuſpenſiva conditione , juxta etiam formam legis prohibitivæ d. Fundatoris primogenituræ , ſed refertur ad adminiſtrationem Bonorum Primogenialium prçventive dimittendorum Comiti Laurentio , qui cum eſſet Pupillus, providendus erat de Curatore, ſive Adminiſtratore; circa quam adminiſtrationem licet inſinuatum fuerit ex parte dictæ Comitiſſæ tam Judici primæ Inſtantiæ , quam noſtro Auditorio , quod Comes Julius Pater tamquam ſuſpectus reputari poſſet ; attamen recte conſultum viſum fuit dicto Pupillo , conceſſa adminiſtratione ipſi Comiti Julio Patri , juxta firmata *in Deciſione R. P. D. mei Creſcentii diei 9. Decembris 1737. §. Sicuti enim.*

Minus demum ſubſiſtere potuit,quod declaratio præſcripta reſpiciebat commodum , & utilitatem tantum Co: Laurentii filii Co: Julii , non autem Com: Thereſiæ , quæ , utpote extranea , nullum titulum habebat ad lucrandos fructus ; Siquidem iterum placuit, quod licet dicta declaratio reſpiceret utilitatem , & commodum Co: Laurentii, erat tamen neceſſaria ad hoc, ut purificata fuiſſet conditio , ſub qua Co: Julius immiſſionem obtinuit ; Unde eſt,quod Co: Thereſia tanquam hæres uſufructuaria
10 Co: Cæſaris ſui Viri ante purificationem ejuſdem conditionis jus habebat lucrandi fructus bonorum fideicommiſſariorum uſque ad diem, qua eorundem reſtitutio erat facienda , ſicque uſque ad diem emiſſæ declarationis, ut firmat *mea Deciſio §. final.*, & ultra ibi relatis tradunt *Peregr. conſ.69. ſub n.11. verſ. & ubi defunctus lib.2., Noguerol. alleg.12. n.184. & ſeq., Rot. d. deciſ.20. n.18. & 19. poſt Merlin. de legit., & dec.348. n.9. & ſeq. cor. Ubald.*

Et ita utraque &c.

TY-

TYBURTINA DONATIONIS, ETIAM SUPER MANUTENTIONE QUOAD EXPENSAS.

Lunæ 12. Januarii 1739.

Argumento non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Taxa expenſarum litis facta juxta praxim Sac. Rotæ præſumitur juſta, donec exceſſus ab allegante concludenter probetur.*

2 *Expenſæ judiciales, & vivæ plene juſtificatæ integre ſunt reficiendæ;*

3 *Similiter etiam extrajudiciales, quæ fuerunt taxatæ in ſc.3. pro qualibet inſtantia coram A. C., & in ſc.10. coram Sac. Rota, licet judicialibus longe majores.*

DECISIO CXXX.

Ad impediendam expeditionem cauſæ ab hoc Sacro Auditorio demandatam in favore Philippi Bernini, ejuſque Uxoris, & filiorum Donatariorum qu. Humanæ Sardi, tum ſuper validitate Donationis, tum etiam ſuper Manutentione, prout ex Deciſionibus ab R. P. D. meo Nunez evulgatis die 28. Aprilis anni præter elapſi, Hieronymus Cappuccini, & Catharina Bernardelli Conjuges, ac Petrus Paulus de Sanctis aſſerti hæredes præfatæ qu. Humanæ liti renuntiarunt, prævia acceptatione earundem Deciſionum, & facta ſolita obligatione reficiendi expenſas, in quorum omnium ſequelam ab eodem R. P. D. Nunez deventum fuit ad expenſarum taxationem, cui non acquieſcentes antedicti hæredes, recurſum habuerunt ad beneficium Appellationis ab exceſſiva illarum prætenſa taxatione. Quapropter propoſito per me dubio Commiſſioni mihi directæ conformi, illud in contumaciam dicti Hieronymi, aliorumque hæredum, reſolutum fuit pro Philippo, aliiſque Donatariis unice informantibus.

Ratio autem reſolutionis hujuſmodi in eo ſtetit, quod cum pro parte eorundem hæredum nil deductum fuerit ad oſtendendum, vel verificandum prætenſum exceſſum ab allegante conclu-
1 denter probandum, omnis præſumptio ſemper militare debet pro juſtitia liquidationis, utpote facta juxta ſtilum, & praxim Sacri Auditorii, ut in ſimilibus terminis dictum fuit *coram Celſo deciſ.265. n.1., cor. Anſaldo dec.1. n.1., & 8., cor. cl. me. Card. Falconerio tit. de Expen. dec.6. n.1., & alibi paſſim.*

Et ſane expenſarum notula perſpecta, compertum fuit, partitas in ea poſitas fuiſſe tantummodo illarum expenſarum erogatarum in extractionem Inſtrumentorum, aliarumque ſcripturarum ad opportunitatem cauſæ inſervientium; in formali examine ſex Teſtium hic in Urbe confecto; in actorum tranſportatione; in ſolitis citationibus, aliiſque de more faciendis, & ex actis
2 ipſis plene juſtificatis, quæ cum ſint judiciales, & vivæ, abſque ulla prorſus diminutione refici debent; ad *Text. in cap. finem litibus de dolo, & contum, cap. calumniam de pœnis, leg. eum qui temere ff. de Judic., leg. properandum §. Sin autem Cod. eodem, Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de expenſ. dec.4. n.1., & in Colonien. Manutentionis ſuper Expenſis 26. Junii 1737. §. Eo ipſo coram Me.*

Alteræ vero expenſæ, quæ extrajudiciales nuncupantur, & mortuæ, conſiſtentes in Honorario Procuratoris,
3 Advocati, Amanuenſis, hiſque ſimilibus, licet eſſent longe majores, tamen quia conſpiciuntur taxatæ, nempe quoad inſtantiam coram A. C. in ſc.3., & quoad binas alias inſtantias in Sacra Rota ſuper duobus ſeparatis dubiis in ſc.10. pro qualibet, ut inconcuſſe ſervatur in Curia, nullam pariter diminutionem admittunt, ut paſſim etiam firmavit *Rot. ſignanter cor. Anſald. d. dec.1. n.6., cor. Falconer. tit. de expenſ. dec.4., & dec.5. utrobique n.3., & in d. Colonien. Manutentionis ſuper Expenſis 16. Junii 1737. §. Eo ipſo, & in eadem Colonien. Declaratoriæ ſuper Expenſis pariter eadem die 26. Junii 1737. §. Ratio coram Me*; Haud propterea d. taxatio redargui valet de exceſſu.

Et ita DD. pro ejuſdem confirmatione reſponderunt, unica &c.

EA.

EADEM SUPER ATTENTATIS QUOAD EXPENSAS,

Lunæ 13. Januarii 1739.

Argumento, & Summario non indiget.

DECISIO CXXX.

IN hac altera inſpectione contextualiter ad eam, de qua in mea contemporanea deciſione, vertente inter eoſdem hæredes, & Donatarios quondam Humanæ Sardi ſuper conſimili prætenſa exceſſivitate Taxationis Expenſarum, attentatorum commiſſorum pro parte Petri Pauli de Sanctis, & Catharinæ Bernardelli, prout ex deciſione R.P.D. mei Nunez die 2. Maii ſuperioris anni 1738., putarunt ſimiliter DD. non conſtare de exceſſu, dum illæ non ſolum ab allegante non probabantur, ut opus eſſet, verum etiam revocata pariter ad examen notula taxata per d. R.P.D. Nunez penitus excluſus remanſit ex eo, quod agnitum fuit, comprehenſas in eadem tantum fuiſſe expenſas vivas, & judiciales aſcendentes ad ſc.13. 52. $\frac{1}{2}$ & Honorarium Defenſoris in hoc Sac. Auditorio taxari ſolitum ſimpliciter in ſc.10., ex quibus nil prorſus detrahi poteſt, cum hujuſmodi expenſæ abſque ulla diminutione reſici debeant, ut firmatum fuit in *contemporanea mea deciſione* quoad expenſas judiciales §. *Et ſane*, & quoad Honorarium Defenſoris §. *Alteræ vero*, ad quam DD. relative ſeſe habuerunt.

Et ita &c. Donatariis tantum informantibus &c,

ILLERDEN. CANONICATUS PŒNITENTIARII.

Ven. 16. Januarii 1739.

ARGUMENTUM.

In Electionibus Canonicis, nec Ordinarius, nec Electores tenentur præſtare juramentum ſuper electione dignioris, ſed eorum tantum conſcientia ad id gravatur: In Regnis tamen Caſtellæ, & Legionis hujuſmodi juramentum requiritur ex peculiaribus Conſtitutionibus in proviſione Canonicorum Doctoralium, & Magiſtralium. In electione Canonici Pœnitentiarii præcellentia meritorum ſupplet defectum ætatis 40. annorum etiam in concurſu alterius talem ætatem habentis.

SUMMARIUM.

1 *Suffragiorum pluralitas per ſe ſufficit ad juſtificationem Literarum Apoſtolicarum*;
2 *Quæ ideo executionem merentur*. & ſub num.18.
3 *Gratia obtenta ſub prætextu nullitatis electionis alterius perſonæ eſt expiſcata*;
4 *Niſi ab allegante nullitas pleniſſime probetur*,
5 *Ita ut ſola dubietas ſufficiat ad repellendum odioſum impetratorem*.
6 *In Canonicis Electionibus nec Ordinarius, nec Electores tenentur præſtare juramentum ſuper electione dignioris, ſed illorum tantum conſcientia ad id gravatur*.
7 *Adeoque ſi illud omittant, excuſantur a pœna devolutionis, quæ evitatur ob quamlibet juſtam, & inopinabilem crudelitatem*:
8 *Hujuſmodi tamen juramentum requiritur in Regnis Caſtellæ, & Legionis in electione Canonicorum Doctoralium, & Magiſtralium ex peculiaribus Conſtitutionibus Leonis X., & Sixti IV.*
9 *Ideoque ad Eccleſias diverſorum Regnorum non ſunt extendendæ*.
10 *In interpretatione Conſtitutionum Apoſtolicarum valet argumentum a diſcretiva deſumptum*.
11 *Relatio ceſſat, ubi concurrit diverſa ratio*.
12 *Ut devolutio habeat locum in electione, requiritur poſitivus dolus, & contemptus Apoſtolicarum Conſtitutionum concludentiſſime probandus*. & n.17.
13 *In electione Canonici Pœnitentiarii præcellentia meritorum ſupplet defectum ætatis 40. annorum etiam in concurſu alterius talem ætatem habentis*. & num. ſeq.
15 *Ordinarius, & Capitulum præſumuntur eligere aptiorem, & digniorem*.
16 *Teſtibus cauſam ſcientiæ reddentibus, & optime informatis fides eſt adhibenda*.
18 *Literæ Apoſtolicæ juſtificatæ exequendæ ſunt, ad excluſionem illarum, quæ* vi-

vitio ſubreptionis , & obreptionis laborant .

DECISIO CXXXI.

CUm Franciſcus Tagell non adhuc
acquieſcens Rotali Sententiæ a Rmo
P. D. meo Nunez editæ præviis duabus
deciſionibus dierum 9. Decembr. 1727.,
& 13. Junii ſuperioris anni , in quibus
demandata fuit executio literarum
Apoſtolicarum Antonii Moles , tanquam
in omnibus juſtificatarum, recurſum
habuerit ad Signaturam Juſtitiæ;
commiſſa exinde mihi fuit cauſa ulterioris
appellationis cum clauſula -- *Alteri ,
qui ad legitimam* -- quamobrem
concordatum dubium -- *An ſit procedendum
ad legitimam* -- in hodierna
Audientia cum DD. diſputandum propoſuerim
, reſponſum Affirmativum reportavi .

Præſuppoſita etenim Sententiæ Rotalis
validitate , de qua nulla ſuboriebatur
difficultas , illius quoque juſtitia
in dubium amplius revocari non poterat;
Cum enim Antonius Moles, prout
Summo Pontifici expoſuerat , ſuperlative
juſtificaverit , ſe ad controverſum.
Canonicatum Pœnitentiarium in menſe
Sedi Apoſtolicæ reſervato vacatum,
prævia edictorum affixione , literato
experimento , ac omnibus formalitatibus
a Pontificiis Conſtitutionibus præſcriptis
, in concurſu aliorum oppoſitorum
, uti magis idoneum , atque
ad formam earundem Conſtitutionum
qualificatum , fuiſſe præelectum a majori
Parte Capituli Illerdenſis, & cum
1 præponderantia ſuffragiorum, de cætero
etiam in unico ſufficienti , ut cum
pluribus relatis concordantibus firmat
deciſio præcedentis inſtantiæ ab R.P.D.
meo Nunez evulgata *die 9. Decembris
1737. §.Verificatio in fine*; In his
utique terminis , ſicuti dubitari non poterat
, quin eædem literæ Apoſtolicæ
Antonii Moles eſſent executioni omnino
demandandæ , tanquam in omnibus
juſtificatæ , ut dictum fuit in dicta prima
, ac ſubſequenti *Deciſione præcedentis
inſtantiæ* ; Ita nec etiam hæſitari
2 poterat , quin eſſet quoque procedendum
ad legitimam illarum executionem;
ad firmata per *Rotam dec.86. in
principio coram Royas , dec.113. n.1. coram
Caprara , & dec.1. pariter n.1. de
tutor. coram clar. mem. Card. Falcon.*

Cum igitur verificata ſuperlative appareant
ea omnia , quæ Summo Pontifici
expoſuit Antonius , fruſtra ejus electio
redarguebatur de nullitate , tum
quia Capitulares juramentum non præſtarunt
de eligendo digniore , tum quia
in ſecundo ſcrutinio proceſſum fuit
inordinato modo , admittendo nempe
plures Oppoſitores ; Et poſtremo quia
Antonius fuit præelectus , uti ſimpliciter
aptior , quando utpote non attingens
quadrageſimum ſuæ ætatis annum,
requirebatur , ut longe eſſet aptior .

Quoniam ad has inſubſiſtentes removendas
exceptiones , placuit ante
omnia DD. ſuffragantibus conſiderare,
quod cum Franciſcus Tagell obtinuerit
a S. Sede gratiam ſub motivo nulli-
3 tatis electionis factæ in Perſonam ejuſdem
Antonii ab Epiſcopo, & Capitulo
, nullo juris diffugio odioſiſſimi expiſcatoris
qualitatem evadere poteſt ;
Tondut. quæſt. beneſ. cap.57. num.18., & 19., Piton. diſcept. Eccleſ.24. n.35., & 45., Rot. apud Garz. de beneſ. par.5. cap.3. n.159. poſt med., dec.315. n.5., & ſeq. part.16. recen., & in Barchinonen. Canonicatus Pœnitentiarii 11.
*Martii 1726. §.Finali cor Illmo Domino
Corio* ; Quamobrem ſub hac repræſentantia
adeo pleniſſimis , & convincentiſſimis
probationibus demonſtrare
4 ipſe tenetur expoſitam nullitatem electionis
Antonii , ſuper qua ſe ſe fundavit
ad piſcatoriam gratiam extorquendam
; *Rot. in Oſnabrugen. Canonicatus
26. Februarii 1717. §. Numerando
coram bon. mem. Cerro, & in dicta Barchinonen.
Canonicatus Pœnitentiarii 11,
Martii 1726. §. Quod ſi coram Illmo Domino
Corio , & in Monaſterien. Abbatiſſatus
4. Februarii 1732. §.6. , coram
Emo D. Card. Aldrovando* , ut ſi aliqua
emergere poſſet dubietas circa proba-
5 tiones deſuper faciendas, hæc ſane ſufficere
debet ad repellendum eundem
Franciſcum , uti odioſiſſimum Impetratorem
, ut firmat *Rot. dec.10. n.1. de
beneſ. cor. clar. mem. Card. Falconer., in ſæpedicta Barchinonen. Canonicatus
Pœnitentiarii §. Finali , & in Trica-*

ri-

ricen. Archipresbyteratus 22. *Januarii* §. *Quamobrem cor.Rmo P.D. Calcagnino Decano*.

Quibus itaque pro indubitato præmiſſis, devenerunt DD. ad examen primæ ex adductis nullitatibus conſiſtentis in defectu juramenti, & hæc illico inſubſiſtens apparuit, tum inſpecta diſpoſitione Conſtitutionis Grego-
6 rii XV., ubi nullum requiritur Electorum juramentum; ſed tantum Ordinarii, & Capituli conſcientiæ onerantur in electione Canonici Pœnitentiarii, quorum arbitrio, & judicio eam commiſit; tum inſpecta juris ſanctione, juxta quam in quibuſcunque Canonicis electionibus, ſive ad formam *Sacri Concilii Tridentini*, ſive *Textus in Capitulo, quia propter de elect.* peragendis, nulla ſubeſt neceſſitas, quod Electores juramentum præſtent ſuper electione dignioris; ut in puncto docent *Abb. in dicta cap. quia propter de elect. ſub n.*11. *verſ. alii vero*, *Paſſerin. de Elect. Canon. cap.*18. *n.*59., *& ſeqq.*, *Donat. quæſt. regul. tom.*2. *tractat.*4. *quæſt.*23. *num.*3., *Caſtellin. de Elect. cap.*3. *n.*21., *Peyrin. in formul. Prælat. Regul. lit. E. cap.*2. *n.*7., *Bonden. reſol.*26. *quæſt.*9. *num.*28., *Piton. diſcept. Eccleſ.*100. *n.*194., & propterea, ſicuti attenta tum Gregorianæ Conſtitutionis, tum juris diſpoſitione, juramentum non requiritur in electione
7 Canonici Pœnitentiarii, ita, ſi Ordinarius, & Capitulum illud omiſerunt, excuſari ſane deberent a pœna devolutionis, ad quam evitandam ſufficiens eſt quælibet juſta, & inopinabilis credulitas, ut conſiderant *Lap. alleg.*95. *n.*2. *ſub tit. E.*, *ibique Mandoſ. in addit.*, *Lambertin. de Jur. Patron. lib.*2. *part.*2. *quæſt.*1. *artic.*24. *n.*1., *&* 2., *Rebuff. in prax. de Benefic. de devolut. n.*56. *verſic.*17. *ſi Patronus*, *Garzias de Benefic. par.*10. *cap.*3. *n.*7., *& ſeqq.*, *Paſſerin. de Elect. cap.*31. *quæſt.*3. *n.*8.

Sublata ideo Capitularium neceſſitate jurandi, tam inſpecta diſpoſitione juris, quam Gregorianæ Conſtitutionis, inutiliter ea deſumi contendebatur ex altera Conſtitutione Leonis X. cohærenter ad præcedentem Sixti IV., quas tranſcribit *Garz. de Beneſ. par.*5. *cap.*5. *ſub n.*169., quoniam ob... vatum fuit, quod dicta Conſtitutio Leonis emanavit reſtrictive pro Eccleſiis
8 Regnorum Caſtellæ, & Legionis, quoad modum, & normam ſervandam in proviſione Canonicatuum Doctoralium, & Magiſtralium Eccleſiarum tantum dictorum Regnorum, ut explicat *Rot. in Toletana Canonicatus* 22. *Junii* 1583. *circa med. relat. per Garz. dicta par.*5. *cap.*4., Ideoque illius diſpoſitio tanquam reſtricta ad præcitatas Eccleſias dictorum Regnorum nequaquam ob-
9 ſervari, aut extendi debet ad Eccleſias diverſorum Regnorum, & ultra limites in ea præſcriptos; juxta *Textum in cap. Porro, & cap. Petiſti de Privileg., & cap. ſi Papa verſic. his enim eodem titulo in* 6., *Rot. dec.*191. *n.*6. *par.*19. *rec.*, *& dec.*62. *n.*3. *de Jur. Patron. cor. clar. mem. Card. Falconer.*

Quin juvet replicare, quod Conſtitutio Gregoriana relative ſe ſe habet ad alteram Leonis per ea verba — *Et alias in omnibus, & per omnia, prout in concurſu præbendarum Magiſtralium, & Doctoralium fieri conſuevit* — Unde ſicuti in iſta juramentum exigitur, ita etiam in illa; Siquidem conſiderarunt Domini, quod eadem Conſtitutio Gregorii duas habet partes, in quarum prima præſcribit modum faciendi concurſum in vacationibus Canonicatuum Pœnitentiariorum, & poſt quam in hac parte declaravit actus literarios per concurrentes explendos, relative ſe habet ad Conſtitutionem Leonis; ſed ſecus ſe habet in ſecunda parte, nam poſtquam iſta declaravit modum electionis, nullam habet relationem ad eandem Conſtitutionem Leonis, ſed unice præcipit, ut eligantur, qui magis habiles, & idonei reperti fuerint, & quatenus aliquis adeſſet, qui inter concurrentes meritorum, doctrinæ, & eruditionis majori inter cæteros præſtantia antecelleret, quique ætatem annorum quadraginta non haberet, poſſet tamen eligi per Ordinarium, & Capitulum, ſi ipſis juſtis, & rationabilibus de cauſis ita expedire videbitur; Quapropter ſi Gregoriana Conſtitutio expreſſe declaravit, ubi relative ſe habere voluit ad Conſtitutio-

nem Leonis, prout fecit in ea parte in qua præſcripſit modum faciendi concurſum, dicendum proinde venit, quod nullam relationem habere voluit in altera parte circa electionem Canonici Pœnitentiarii, argumento ducto a diſcretiva, quæ etiam in interpretatione,
10 & intelligentia Conſtitutionum Apoſtolicarum locum ſibi vindicat; *Leg. Cum Pretor ff. de judic.*, *Rot. dec.174. n.48.*, *& dec.599. n.9. par.19. recen., dec.800. n.11. cor. Merlin.*, *dec.1458. n.3. cor. Coccin.*, *& dec.314. n.5.*, *& & dec.769. n.42. cor. bon. mem. Molin.*

Quæ ſane intelligentia eo libentius admiſſa fuit, quia deſumitur tam ex diſpoſitione Conſtitutionis Gregorianę in ea parte, in qua ſe refert ad illam Leonis, quam ex ratione unum caſum ab altero diverſificante; Litera ſiquidem Gregorianæ palam oſtendit, quod Gregorius XV. attendendam eſſe voluit Conſtitutionem Leonis reſpectu dumtaxat formæ in faciendo concurſu ſervandæ, quia ipſe poſt enuntiatos actus Literarios per concurrentes explendos, immediate ſubjunxit illa verba — *Et alias in omnibus, & per omnia, prout in concurſu Præbendarum Magiſtralium, & Doctoralium fieri conſuevit* —; Ea enim verba parificativa, *prout in concurſu* optime demonſtrant, quod voluit relative ſe tantum habere ad Bullam Leonis in iis, quæ reſpiciunt formam Concurſus, non autem in iis, quæ concernunt modum eligendi, de quo in ſubſequenti prorſus, ac ſeparata orationis parte locutus fuit, nullum habendo verbum ad eandem Bullam Leonis relativum.

Ratio vero diverſitatis inter unum caſum, & alium pro exigendo Juramento de facienda electione Dignioris, eſt manifeſtiſſima; In tantum enim Leo X, Juramentum Electorum exquiſivit, in quantum electionem commiſit Ordinario, & Capitulo, ſed non expreſſit, quod eorum Judicio foret ſtandum, neque eorum conſcientias oneravit, ut propterea Digniores eligerentur, voluit, quod Electores Juramentum pręſtarent, Cum autem Gregorius e converſo Electionem Canonici Pænitentiarii arbitrio, & Judicio Ordinarii, & Capituli commiſerit, eorumque conſcientias pro electione Dignioris oneraverit, mirum idcirco non eſt, ſi Juramentum quoque non requiſivit, quod ſane veluti ſuperfluum remanſiſſet, quoties Electorum conſcientias oneraverat: Stante igitur hac rationis diverſitate, dicendum neceſſario eſt, quod in hac parte Gregorius XV. noluit ſe relative habere ad Conſtitutionem Leonis, cum explorati
11 Juris ſit, quod relatio ceſſat, ubi conſtat de contraria voluntate, & diverſa militat ratio, ut firmat *Rot. deciſ.44. n.6. & 7. par.5., dec.469. n.26. par.9., deciſ.68. n.13. part.17. rec.*, *& deciſ.8. n.4. de pactis cor. cl. me. Card. Falconerio.*

Vindicata itaque electione Antonii Moles ab impicta nullitate ob omiſſum Juramentum ab Electoribus; Deſcenderunt Domini ad examen alterius nullitatis, quæ in eo conſiſtebat, quod in ſecundo ſcrutinio duo fuerunt admiſſi Oppoſitores, nempe Vejan, & Antonius Moles, ut concurrerent cum Franciſco Tagell, quando vigore Conſtitutionis Leonis X, unus tantum concurrere poterat cum eo, qui plura ſuffragia reportavit in primo ſcrutinio; Verum hæc quoque altera nullitas irrelevans viſa fuit; Nam, ultra quam quod Conſtitutio Gregoriana, quæ unice attendi debet in Electione Canonici Pænitentiarii, hanc formam peragendi concurſum cum duobus tantum Oppoſitoribus non præſcribit; animadverſum fuit, quod Leonis Conſtitutio ſtatuens modum admittendi concurrentes ad ſecundum, vel tertium ſcrutinium, quando in primo nullus habuit majorem partem votorum, non diſponit taxative, quod cum primo ex concurrentibus, qui plura reportavit ſuffragia, unus tantum, & non plures admitti debeant, ſed demonſtrative loquitur, & præcipue in caſu, quo unus habuerit plures voces, alii vero pares; Quamobrem cum Vejan, & Antonius Moles pares non habuerint voces in primo ſcrutinio, juſte, ac rationabiliter Capitulum credere poterat, quod ambo poſſent admitti in ſecundo ſcrutinio cum eodem Tagell, quin exinde inſurgere potuerit nullitas inſanabilis Electionis de-

Digitized by Google

devolutionem inducens, cui ut locus eſſe poſſet, concurrere debebat poſiti-
12 vus dolus, & Apoſtolicarum Conſtitutionum contemptus, & quidem concludentiſſime probatus, ut firmat; *Rot. in d. Barchinonen. Canonicatus Pænitentiarii* 11. *Martii* 1726. §. *Quod ſic coram R̃mo D. Corio*.

Immo ulterius ponderatum fuit, quod licet Vejan admiſſus fuerit per Capitulum in ſecundo ſcrutinio cum Antonio Moles, ut concurreret cum Tagell, nullum tamen eidem irrogatum apparuit præjudicium; Quippe quia Vejan in hoc ſecundo ſcrutinio nullum reportavit ad ſui favorem ſuffragium, & ideo ejus admiſſio ad ſecundum ſcrutinium tamquam nullimode præjudicialis, multo minus conſiderari poterat ad eundem odioſiſſimum devolutionis effectum favore ejuſdem Franciſci Tagell, cui nec etiam proficere potuiſſet, ſi Vejan admiſſus non fuiſſet ad dictum ſecundum ſcrutinium.

Ejuſdem irrelevantiæ deprehenſa fuit tertia nullitas ex eo deſumpta, quod Antouius Moles fuerit electus non attingens ætatem quadraginta annorum; Etenim ſi loquamur de electione Canonici Pænitentiarii facienda juxta legem
13 *Sacri Concilii Tridentini*, placuit Reſponſio data in prima hujus Cauſæ *Deciſione* §. *Patefacta*, quod defectus ætatis annorum quadraginta nullum præbet impedimentum, quin eligatur in Canonicum Pænitentiarium, qui ſupradictam ætatem non habet in concurſu alterius, qui in ea ætate conſtitutus reperiatur, dummodo id expediat, & aptior pro loci qualitate deprehendatur, ut cum aliis relatis firmat dicta præcedens *Deciſio R. P. D. mei Nunez dicto* §. *Patefacta*, & ſecunda §. *Hoc inquam coram eodem*.

Abſque eo quod hæc præciſa ætas annorum quadraginta deſumi valeat ex diſpoſitione ſæpedictæ Conſtitutionis Gregorianæ, quæ licet permittat electionem perſonæ dictam ætatem non habentis, requirit tamen, ut in iſto caſu præcedat diſcuſſio majorum meritorum ſupra omnes alios; Quia Conſtitutio Gregoriana nullimode prohibet Electionem Canonici Pænitentiarii, non habentis eandem ætatem quadraginta annorum, ſed immo expreſſe diſponit, atque permittit Ordinario, & Capitulo, ut eligere poſſint minorem dicta ætate,
14 quotieſcunque iſte omnes alios eruditione, Doctrina, aliiſque meritis antecellat, & ſi ipſis juſtis, & rationabilibus de Cauſis id expedire videatur, ut conſiderant in propoſito *Card. de Luc. de Benefic. diſc.* 28. *n.* 12. *verſ.* 5., *Carolus Ant. de Luc. in annotat. ad Ventrigl. in prax. Fori Eccleſiaſtici part.* 2. *annot.* 12. *n.* 3. *in fin.*

Quoties igitur ad hujuſmodi Canonicatum Pænitentiarium electus fuit Antonius Moles, licet de tempore ſuæ electionis quadrageſimum non ageret annum, præſumendum omnino eſt, quod Ordinarius, & Capitulum, quorum arbitrio, & judicio remiſſa fuit electio Canonici Pænitentiarii ętatem quadraginta annorum non habentis, vere cognoverint, quod Antonius Moles præelectus fuerit, uti pro loci qualitate aptior, & aliis oppoſitoribus in ſcientia, meritis, & doctrina longe præcellens, ut teſtatur Ordinarius in ſuis literis teſtimonialibus; Ex hujuſmodi enim judicio Ordinarii, & Capituli, omnis urget præ-
15 ſumptio, quod idem Antonius præelectus fuerit uti aptior, & magis idoneus comparative ad omnes alios oppoſitores, ut probat *Text. In cap. præſentia de renunt.*, & firmat *Rot. in d. Barchinonen. Canonicatus Pænitentiarii* 11. *Martii* 1726. §. *Ita quidem coram Illmo D. Corio*, cum aliis adductis *in prima Deciſ.* §. *Cum itaque*.

Verum nedum ex irrefragabili judicio Ordinarii, & Capituli comprobata remanſit major præcellentia Antonii Moles reſpective ad Franciſcum Tagell, & ad omnes alios, ſed reſultare quoque apparuit, tum ex ingenuo teſtimonio a duobuſmet Cooppoſitoribus exarato, tum ex depoſitione quatuor teſtium, qui ſunt caractere Sacerdotali inſigniti, tum ex altera depoſitione Rectoris Collegii Societatis Jeſu Illerdæ, viri eximia doctrina conſpicui, qui non tantum ex proprio, ſed etiam ex aliorum judicio teſtatur de præponderantia meritorum Antonii Moles, tum demum ex formali examine plurium Illu-

luſtrium Virorum ejuſdem Civitatis Ilerdæ; Ex quibus ſane teſtibus ſcientiæ Cauſam reddentibus, & optime infor-
16 matis dubitari ſane non poterat, quin probata remaneret ejuſdem Antonii major præcellentia, & doctrina comparative ad omnes alios, ex firmatis per *Rot. deciſ.955. n.7. & 8. cor. Seraſin., dec.895. n.7. cor. Cerro; dec.439. n.1., & dec.583. n.7. cor. bo. me. Molines*.

Ultra hæc accedebant quoque ejus extrinſeca requiſita idem comprobantia; Nam Antonius poſt quam Philoſophiæ ſtudio per trium annorum curriculum incubuit, Philoſophicas Theſes publice ſuſtinuit, deinde partim in Regia Univerſitate Oſcenſi, & partim in Cervarienſi moram trahendo, ſtudio juriſprudentiæ Civilis, & Canonicæ per annos decem, & ſeptem operam dedit, Laureamque Doctoralem in dicta Univerſitate Oſcenſi obtinuit, & in Collegio poſtea S. Vincentii Martyris ejuſdem Civitatis, prævia probatione claritatis ſanguinis, & natalium, admiſſus fuit, ubi laudabiliter præfuit, omneſque literarios actus explevit; Ac demum in concurſu plurium Oppoſitorum in eadem Univerſitate Oſcenſi Cathedram Decretalium regendam obtinuit, a qua ab Hiſpaniarum Potentiſſimo Rege translatus fuit ad alteram Cathedram Sacrorum Canonum in dicta Univerſitate Cervarienſi, in qua tandem per duos annos juriſdictionem delegatam ad Univerſitatem Cauſarum Cancellarii, & Conſervatoris d. Regiæ Univerſitatis ſummo cum plauſu exercuit.

E conſpectu autem tot, tantorumque meritorum, quibus abundat Antonius, nec a longe comparabiles apparuerunt qualitates, & merita Franciſci Tagell; Unde attenta præſumptione Juſtitiæ præelectionis ejuſdem Antonii ab Ordinario, & Capitulo factæ in ſequelam tantorum meritorum, non alio modo Franciſcus eam elidere valet, niſi redarguendo Ordinarium, & Capitulum de eorum irrationabili judicio, atque concludenter probando ipſam proceſſiſſe, aut ex dolo, aut ex inordinata ejuſdem
17 Ordinarii, & Capituli affectione erga ipſummet Antonium, quod ab omni abeſt probatione, præſumptione, & juris ſuſpicione, ut in ſimilibus terminis præelectionis ad Parochiales tradunt præter relatos in prima Deciſione §. *Potiſſimum, Pax Jordan. lucubr. can. to.2, lib.10. tit.8. n.255., Rot. dec.612. n.15. & 16. cor. Merlin., in Placentina Parochialis 16. Martii 1708. §.16. coram bo. me. Anſaldo, & in Savonen. Præpoſituræ 14. Februarii 1731. §. Hujuſmodi cor. bo. me. Gamaches*.

Quibus itaque firmatis cum evidenter conſtet, quod Franciſcus Tagell non juſtificaverit, quod ipſe electus fuerit a majori parte Capituli, neque concludenter probaverit præelectionem Antonii Moles fuiſſe ulli nullitatis vitio obnoxiam, prout ſub horum expreſſionibus literas Apoſtolicas obtinuit, ſequitur perneceſſe, eas uti obreptitias,
18 & ſubreptitias prorſus eſſe inexequibiles, neque obſtare legitimæ executioni literarum Antonii, utpote in omnibus juſtificatarum, ut cæteris relatis concordan, firmat utraque *Deciſ. R. P. D. mei Nunez in §§. final.*

Et ita in reliquis, Dominis ſe ſe remiſſive habentibus ad præcedentes Deciſiones, utraque Parte ſtrenue contradicente concluſum fuit &c.

ROMANA, SEU SAVONEN, FIDEICOMMISSI.

Ven. 16. Januarii 1739.

ARGUMENTUM,

A Conſilio 21. Oldradi ex conjecturis receditur, quarum præcipuæ, & concludentiſſimæ ſunt conſervatio agnationis tam naturalis, quam artificialis, & digreſſus ad plures gradus ſubſtitutionum. Perpetuitas fideicommiſſi ex quibus cruatur. Concurrente voto conſervationis agnationis, deſignatio parentum non ſtat reſtrictive ad denotandos filios primi gradus, nec obſtat comprehenſioni Nepotum, & ulteriorum deſcendentium, etiam per duplex medium fæmininum, ſi agnatio quoque artificialis contemplata fuit.

SUMMARIUM.

1 *Vocatis debetur Immiſſio.*
2 *Prælatio maſculorum ſupra fæminas præ-*

præſupponit vocationem earundem,& deſcendentium ex ipſis.

3 Prælatio non datur niſi inter perſonas jus habentes in re, in qua eadem locum habet.

4 Sub vocatione filiorum, & deſcendentium maſculorum comprehenduntur tam maſculi ex maſculis,quam maſculi ex fœminis.

5 Teſtator prædiligendo aliquem in ſucceſſione, cenſetur prædiligere quoque illius liberos ſive a maſculo, ſive a fœmina deſcendentes.

6 Exiſtentia maſculorum expirare facit conditionem ſi ſine filiis juxta Conſ. Oldrad.

7 Primogenitura ex natura ſua perpetuo durat favore omnium;

8 Ideoque eſt incompatibilis cum prædicto Conſilio Oldradi, quod perimit fideicommiſſum per momentaneam exiſtentiam filiorum.

9 Perpetuitas Primogenituræ inducitur ex voto conſervandi agnationem in maſculis tàm ex maſculis, quam ex fœminis deſcendentibus, & deinde in ipſis fœminis;

10 Et ex quo ordinata fuerit juxta leges Primogeniturarum Hiſpaniæ in quoſcunque de familia contemplata tranſeuntium.

11 Ex conjecturis receditur a d. Conſilio Oldradi;

12 Quæ leviores ſufficiunt, ubi agitur de fideicommiſſo aſcendentali in excluſionem extraneorum.

13 Onus retinendi nomen, cognomen, & inſignia Teſtatoris importat votum agnationis artificialis, & eſt efficax conjectura pro recedendo a dicto Conſilio.

14 Deſiderium conſervandi agnationem magis apparet in eo, qui eam ſupplet, ubi deficit, quam in eo, qui eam naturaliter conſervare poteſt.

15 Quando votum conſervandi agnationem artificialem ſtat independenter a probibitione alienationis, tunc eo magis inducit perpetuum fideicommiſſum;

16 Immo ea ſola ad hunc effectum ſufficit.

17 Digreſſus ad plures gradus ſubſtitutionum oſtendit perpetuitatem fideicommiſſi.

18 Hujuſmodi digreſſus ſtare dicitur independenter a conditione ſi ſine filiis, ubi in qualibet ſubſtitutione repetitum fuit fideicommiſſum progreſſivum;

19 Quo caſu eo magis inſervit pro recedendo a præfato Conſilio;

20 Quinimo ex duabus iſtis conjecturis neceſſario inducitur receſſus, & perpetuitas fideicommiſſi.

21 Quoties probibitio alienationis demandatur per caput, & per orationem ſeparatam, ſtare dicitur independenter;

22 Et eſt conjectura efficaciſſima pro limitatione d. Conſ. Old.;

23 Prout quoque realitas fideicommiſſi;

24 Itemque prælatio perpetua maſculorum, qualitas legitimitatis, & aliæ ſimiles;

25 Quæ junctæ cum contemplatione agnationis, & digreſſu ad plures ſubſtitutionum gradus perneceſſe inducunt perpetuitatem fideicommiſſi.

26 Præd. Conſil. Oldrad. locum non habet in Primogenituris Hiſpaniæ, quia conditio ſi ſine filiis ſemper cenſetur repetita in omnibus deſcendentibus.

27 Verba in tale caſo deſtituta dictionibus taxativis non reſtringunt vocationem maſculorum ex fœminis ad caſum obitus primorum hæredum ſine maſculis; & n.ſeq.

28 Sed accipiuntur declarative,& demonſtrative.

29 Concurrente voto conſervationis agnationis artificialis, deſignatio parentum non ſtat reſtrictive ad includendos dumtaxat filios primi gradus, ſed demonſtrative, nec obſtat comprehenſioni nepotum, & ulteriorum deſcendentium,

30 Etiam per duplex medium fœmininum;

31 Quia per eos æque poteſt conſervari artificialis agnatio:

32 Comprehenduntur tamen ſolum deſcendentes per unicum medium, ſi Mater fuit nomine proprio appellata, & proſpectum fuerit veræ dumtaxat,& naturali agnationi.

33 Deciſiones, in quibus diverſa ratio militat, non ſunt alteri caſui applicabiles.

DE-

DECISIO CXXXII.

Petrus de Feis Nobilis Savonen. non valens alio modo ſuam, & Franciſci Fratris jam abſque prole defuncti agnationem conſervare, ſe ſe vertit ad Mariam Fei unicam ejus dilectiſſimam filiam nuptam Alexandro Raymundi, ut ſaltem per modum artificialem, & fictum illam conſervaret, ſuique, & Fratris nomen perpetuaret; Qua de re anno 1572. ſuum in Civitate Valentiæ Regni Aragoniæ condidit Teſtamentum, in quo, ultra nonnulla particularia legata, ſuos univerſales hæredes inſtituit Alexandrum Raymundum ejus Generum pro medietate, & Mariam ejus filiam, & reſpective Uxorem præfati Alexandri pro alia medietate, non quidem libere, ſed ut diſponerent de ejus hæreditate ſub conditionibus ab eodem Petro præſcriptis.

Procedens itaque Teſtator ad explicationem conditionum, quæ unice tendebant ad conſtituendam regularem Primogenituram, & perpetuum fideicommiſſum favore omnium deſcendentium ex dicto Conjugio, plures reſpectu hæreditatis Alexandro relictæ conſideravit caſus; Si enim idem Alexander decederet abſque filiis, & Deſcendentibus, eidem ſubſtituit Mariam ejus filiam, ſi viveret, ut de dicta hæreditatis medietate diſponeret, quæ ſi ulterius eſſet prædefuncta, tunc ſubſtituit Octavianum Sacco cum onere aſſumendi nomen, & inſignia Franciſci Fei, & cum perpetuo onere Primogenituræ inter omnes ejus deſcendentes, & cum prælatione maſculorum. Si vero idem Alexander, juxta alterum caſum ab eodem Teſtatore conſideratum, decederet cum filiis, & Deſcendentibus ex dicto Matrimonio ſuſceptis, ſtatuit, ut ipſe è dicta medietatis hæreditate ſepararet ſc. 20. mil. monetæ Valentiæ, in quibus ſuccedere deberet filius maſculus ab eodem Alexandro eligendus ordine Primogenituræ, Majoritatis, & Maſculinitatis, & cum aſſumptione nominis, cognominis, & inſignium Franciſci Fei. Deficientibus autem Maſculis ex maſculis ex eodem Conjugio, tunc Teſtator invitavit maſculum ex fæmina cum eodem ordine Primogenituræ, Majoritatis, & Maſculinitatis, & cum onere aſſumendi pariter nomen, & cognomen Franciſci Fei, ut ſupra diſpoſuerat pro maſculis ex maſculis.

Quo vero ad alteram medietatem hæreditatis, in qua idem Teſtator inſtituerat Mariam ejus filiam, juſſit, ut ea decedente abſque filiis, & Deſcendentibus, ſuccederet filius major Jacobi Sebrera cum ſubſtitutione deſcendentium ab illo ordine Primogenituræ, & cum onere pariter aſſumendi nomen, & cognomen Franciſci Fei; Si vero ipſa cum filiis decederet ex dicto Matrimonio ſuſceptis, vocavit filium maſculum a dicto Alexandro eligendum, ſi viveret, ſin minus ab ipſa Maria, cui ex dicta ſua hæreditatis medietate aſſignare deberet duc. 20. mil., ſuper quibus ſuccedere deberet cum eodem ordine Primogenituræ, Majoritatis, & Maſculinitatis, cum prælatione maſculorum ſupra fæminas, & cum eodem onere aſſumendi nomen, cognomen, & inſignia Petri Fei; Quoties autem prædicti Conjuges abſque filiis maſculis decederent, tunc voluit Teſtator, ut quilibet unam filiam fæminam eligeret, cujus filii maſculi ſuccederent eodem ordine Primogenituræ ſupra toties præſcripto. Si vero unam tantum haberent filiam fæminam, iſta ſuccederet in tota hæreditate pro filio maſculo, & deſcendentibus ab illa cum ordine pariter Primogenituræ, Majoritatis, & Maſculinitatis.

Demum in caſu, quod dd. Conjuges nullos ſuſcepiſſent filios, & quod dicta Maria ad ſecundas nuptias convolaſſet, filioſque ex iſto ſecundo Matrimonio ſuſcepiſſet, iſtos Teſtator vocavit ſub eodem Primogenituræ ordine, ut ſupra præſcripto, tam pro maſculis, quam fœminis d. ſecundi Matrimonii. Quibus omnibus, ut ſupra ad dd. Primogenituras vocatis, nedum in omni dd. ſubſtitutionum ſede, ſed etiam per caput ſeparatum, ac per modum regulæ prohibuit omnes, & quaſcunque detractiones, ad effectum, ut integra, & abſque ulla diminutione ejus hæreditas tranſire poſſet de vocato in vocatum ad dictas Primogenituras.

Extincta itaque totaliter per obitum Mar-

Marchionis Nicolai Raymundi linea maſculina Alexandri, & Mariæ Conjugum primo loco vocata, factus exinde fuit locus ſucceſſioni ad eaſdem Primogenituras favore maſculorum deſcendentium ex fœminis; Unde Camillus, & Joannes Hieronymus de Naſellis tanquam deſcendentes a Veronica filia eorundem Conjugum expedire curarunt Monitorium in vim *Leg.final.Cod. de Edict. Div. Adrian. tollen.* coram A. C. tum adverſus Joſephum Puteobonellum, tum adverſus nonnulla Loca Pia, hæredes, ſeu Legatarios ab eodem Marchione Nicolao inſtitutos: & licet coram eodem A. C. iidem Fratres de Naſellis contrariam paſſi fuerint Sententiam, diſſimilem tamen reportarunt in hoc Sac. Auditorio; quippe quia propoſito per me dubio -- *An ſit danda immiſſio* -- Affirmativum reſponſum accepi.

Cum enim Petrus de Feis tanquam orbatus filiis ad conſervandam, & in ævum protrahendam ſuam, ſuique fratris agnationem eo modo artificiali, & ficto, quo poſſet, ordinaverit perpetuam Primogenituram, ad quam maſculos quoque ex fœminis a prædicto Alexandro, & Maria Deſcendentibus in ſubſidium, & poſtquam nulli amplius exiſterent maſculi ex dicto Conjugio progeniti invitaverit: Ideo cum
1 extincta penitus remanſerit linea maſculina per obitum d. Marchionis Nicolai, atque nulli exiſtant maſculi ex maſculis dd. Conjugum, dubitari non poterat, quin Camillo, & Hieronymo de Naſellis, utpote Deſcendentibus ex Veronica filia fœmina ex Maria, & Alexandro progenita, eſſet concedenda immiſſio; ad ſæpe firmata per *Rot. dec.25. n.1. cor.bon. mem. Molines*, *in Romana Immiſſionis 2.Junii 1728.§.Et inde cor. R. P. D. Nunez*, *& in Aſculana Fideicommiſſi 6. Maii 1735. §.5. cor. Rmo P. D. Calcagnino*.

Quod autem Petrus de Feis ad Primogenituras a ſe ordinatas voluerit invitare etiam maſculos Deſcendentes ex fœminis in defectum maſculorum ex maſculis, nulla ſubeſſe poterat difficultas: quippe quia vocavit ipſe ad eaſdem Primogenituras omnes Deſcendentes in infinitum tam maſculos, quam fœminas Alexandri, & Mariæ, cum hoc tamen, quod maſculi ſemper præferri deberent fœminis ibi -- *Preferendo il maggiore al minore, il maſchio alla femmina* -- Hujuſmodi ſiquidem
2 maſculorum prælatio ſupra fœminas perneceſſe præſupponit ipſarum fœminarum, & deſcendentium ex iſtis vo-
3 cationem, cum prælatio cadere non poſſit, niſi inter perſonas jus habentes in eo, in quo datur prælatio, ut per *Text.in §. Præferentur inſtit. ad Senat. Conſult., Tertull.notant Adden. ad Molin. de Primog. lib.2. cap.17.*, *Card. de Luc. de fideicomm. diſc.102. num.11.*, *Rot. dec.152. n.1., & ſeqq. par.6. recen., dec.2007. n.1. cor.Coccin.*, *dec.1. n.54. in Mantiſſ. ad Card. de Luc. de ſtat.ſucceſſ.*, *& dec.1088. n.12. coram bon. mem. Lancetta*.

Quæ quidem maſculorum ex fœminis vocatio evidentius comprobatur conſiderando, quod Teſtator, qui in defectu omnium Deſcendentium ex primis hæredibus invitavit Octavianum Sacco Nepotem ex fœmina cum voto perpetuitatis, & Primogenituræ, nedum comprehendere voluit maſculos ex maſculis ab eodem Octaviano Deſcendentes, ſed etiam totam illius deſcendentiam, ut perpetuo in eo conſervaretur exoptata ſemper artificialis agnatio per aſſumptionem nominis, & cognominis, & armorum de Feis;
4 Quemadmodum igitur ſub expreſſa vocatione *filiorum*, *& deſcendentium maſculorum* Octaviani indubitanter æque comprehendebantur tam maſculi ex maſculis, quam maſculi ex fœminis; juxta notiſſimam theoricam *Fulgoſii in conſ.85. de qua Peregrin.de Fideicomm. art.26. n.1.*, *Fuſar. de ſubſtit. qu.404.*, *Rot. dec.307. n.14. cor. Bich.*, *dec.38. n.2. de fideicomm. cor. clar. mem. Card. Falconer, dec.17., & 158. ubique n.20.*, *& in Romana, ſeu Januen. Primogeniture de Coſta ſuper detractionibus in genere 1.Junii 1731. cor.bon. mem.Ratto confirmata 17. Martii 1732. §.Suppoſita cor. Emo D. Card. Cincio*.

Ita etiam ſub vocatione *Deſcendentium* a Maria, & Alexandro Conjugibus, quos certe prædilexit, & primo lo-

loco honoravit,venire debent filii, aliique eorundem Conjugum Deſcendentes ſive maſculi ex maſculis, ſive maſculi ex fœminis; nam Teſtator prædiligendo Mariam ejus filiam, & Ale-
5 xandrum iſtius Virum, prædilexiſſe cenſetur etiam illorum liberos, & deſcendentes, quocunque modo procedant ſive a maſculo, ſive a fœmina; ut tradunt *Peregr. lib.3. conſ.42. num.2., Faſar. de Subſtit. quæſt.484. num.17., & 30., Rot. dec.520. n.15. cor. Merlin., dec.1092. num.15., & dec.1135. num.10. cor. Emer. Jun., & dec.721. n.19., & 20. cor. Caprar.*

Quin hujuſmodi conſtabilita Fratrum de Naſellis vocatio obumbrari valeat ſub ſuppoſito, quod Teſtator invitavit deſcendentes ex fœminis a dicto Alexandro, & Maria provenientibus, qua-
6 tenus iſti decederent ſine maſculis, quod cum non evenerit, dici non poſſit factus locus illorum vocationi, quæ expirata remanſit per exiſtentiam maſculorum; juxta theoricam *Oldrad. in conſ.21.*

Quoniam inapplicabilis in caſu Dominis apparuit theorica Oldradi; quia ſi Teſtator uſque ab initio ordinavit perpetuam, & regularem Primogenituram comprehenſivam omnium Deſcendentium tam maſculorum, quam fœminarum prædictorum Conjugum, cum prælatione dumtaxat maſculorum quoad fœminas, quas per poſterius vocavit, profecto dici non poteſt, quod vocatio maſculorum ex fœminis alligata remanſerit conditioni non exiſtentiæ maſculorum ex maſculis, ſed illorum vocatio expreſſe continebatur in ipſa
7 ordinatione Primogenituræ, quæ cum de ſui natura perpetua ſit, ac duret favore omnium; ex collectis per *Caſtill. controv. lib.2. cap.22. n.4., & 5., & ſeqq., Altograd. Jun. controv.72. n.1., & ſeqq. tom.2.* cum aliis apud *Torr. de Primog. tom.2. quæſt.48. n.1.* Compatibilis ſane non eſt cum conſilio *Oldradi*, quod perimere facit fideicommiſ-
8 ſum per momentaneam exiſtentiam filiorum, ut in puncto tradunt *Menoch. conſil.220. n.34., & de præſumpt.69. n.15., Caſanat. conſ.15. n.23., & conſil.13. n.20., Altograd. Jun. dicta controv.72. n.1., & ſeqq., Capic. Latr. conſult.10. n.56., Molin. de Primogen. lib.1. cap.6. n.16., & 18., Peregr. de Fideicomm. art.12. n.86., Rot. dec.16. n.1. cor. Arguell., dec.13. n.9., & deciſ.193. n.13. cor.Caprar., & dec.837. n.7. cor. bon. mem. Molin.*

Quod eo libentius admiſſum fuit, quia Teſtator nil aliud in corde habuit, quam ordinare perpetuam Primogenituram tranſitoriam ad omnes, & quoſcunque vocatos, ita ut nunquam ea expirata dici poſſit, donec extaret aliquis ex familiis contemplatis deſcendens, prout optime deſumitur, tum ex voto
9 conſervandi in perpetuum artificialem ſuam agnationem de Feis in omnibus Deſcendentibus a prædictis Conjugibus tam maſculis ex maſculis,quam maſculis ex fœminis, & demum in horum defectu etiam in ipſis fœminis, ut ponderant *Caſtill. d. cap.12. n.86., & ſeqq., Torr. d.quæſt.38. n.8.9., & ſeqq., Rot. dec.28. n.49. cor. Arguell.* Tum etiam ex qualitate Primogenituræ, quæ ordinata fuit juxta mores, ac leges Primogeni-
10 turarum Hiſpaniæ, quæ ex earum indole alligatæ non remanent alicui conditioni, ſed tranſitoriæ ſunt ad omnes, & quoſcunque de familia contemplata; ex notatis per *Surd. conſil.241. num.43., Vaſq. de Succeſſ. Creat. lib.3. §.26. n.93., Caſtill. controv. lib.4. cap.9. n.27., & 73., Molin. de Primog. lib.1. cap.4. n.1., & ſeqq., & cap.6. pariter n.1., & ſeqq., Torr. eodem tract. cap.9. §.3. n.30., & 31. tom.1.*

Sed quatenus etiam præſens quæſtio diſputari poſſet juxta terminos *Conſilii Oldradi*, adhuc tamen ab eo receden-
11 dum eſſe dixerunt Domini ob concurſum plurium efficacium conjecturarum, quæ abſque dubio ſuadent, Teſtatorem voluiſſe ordinare perpetuum fideicommiſſum favore omnium vocatorum, & ad eos voluiſſe protrahere ulterioris ſubſtitutionis gravamen, juxta receptam limitationem pro receſſu a dicto *Conſilio Oldradi* traditam per *Adden. ad d. conſ.21.*, quam paſſim admiſit hoc Sac. Auditorium, ut in *dec.203. n.5. cor. Emer. Jun., dec.894. n.5. cor. bon. mem. Lancetta cum aliis relat. in Romana Locorum Montium 9. Maii 1729.*

§. Et

Digitized by Google

§.Et quamvis cor.R.P.D. Creſcentio, & in Aſculana fideicommiſſi 6. Maii 1735. §. Præſuppoſitis cor. Rmo P. D. Calcagnino Decano.

Et quamvis hic ſufficerent leviores conjecturæ pro hujuſmodi receſſu a dicta theorica *Oldradi*, tum quia agitur
12 de interpretatione fideicommiſſi ab Aſcendente conditi, non vero a tranſverſali, ut erat *Caſus Oldradi*, tum quia agitur de inducenda duratione fideicommiſſi favore Deſcendentium ab ipſo Teſtatore in excluſionem extraneorum; *Card. de Luc. de Fideicomm. diſc.82. n.8., & diſc.84. ſub n.3., Rota in dicta Romana Locorum Montium §.Porrò, & in Piſauren. Fideicommiſſi 20. Martii 1733. §.Et quamvis coram R. P. D. Creſcentio.*

Adhuc tamen non deſunt illæ principaliores conjecturæ, quæ ſemper inducunt limitationem prædicti *Conſilii Oldradi*, & durationem fideicommiſſi, atque conſiſtunt in agnationis contemplatione, & digreſſu ad plures ſubſtitutionis gradus; Siquidem Teſtator, qui nec ſuam, neque ſui Fratris agnationem naturaliter conſervare poterat propter defectum Agnatorum, ſe vertit ad Mariam Fei unicam ejus filiam, ut ea mediante artificialiter agnationem ſuam conſervare poſſet per aſſumptionem nominis, & cognominis, & inſignium, quam ſemper præcepit, & omnibus vocatis impoſuit; hujuſmodi vero præceptum adeo enixe exoptatum
13 retinendi nomen, & cognomen, & arma Teſtatoris, apertum inducit votum conſervandæ agnationis eo modo, quo conſervari poteſt, & efficacius operatur, ut recedatur a *Conſilio Oldradi*; quippe quia majus deſiderium conſervandi agnationem apparet in eo, qui
14 eam ſupplet, & inducit, ubi deficit, quam in eo, qui illam conſervare naturaliter poteſt, ut ad rem notant *Caſanat. conſil.20. ſub n.29., Roſ. conſultat.40. n.9., & conſultat.69. n.163., Rocc. cap.2. n.39., Rodulph. alleg.34. n.4., Rot. dec.622. n.20., cor. Bichio dec.222. n.4., cor. Celſ. dec.12. n.39., cor. Merlin. dec.13. n.4., & dec.524. n.17. cor.Caprar., in Romana Locorum Montium 9. Maii 1729. §. Porro cor. R.P.D. Creſcentio, & in Aſculan. Fideicommiſſi 6. Maii 1735. §.13. coram Rmo P. D. Calcagnino.*

Maxime quia hujuſmodi exoptata agnationis artificialis conſervatio expreſſa reperitur independenter a prohibitione alienationis poſtmodum ab
15 eodem Teſtatore ordinatæ; quo caſu cum non fideicommiſſum ſit cauſa prohibitionis, ſed conſervatio ipſa agnationis ſit ratio, & cauſa tam fideicommiſſi, quam prohibitionis; eo fortius d. agnationis conſervatio inducit perpetuum fideicommiſſum ad favorem omnium vocatorum; *Adden.ad dec.320. n.150., & ſeq., & dec.388. n.3., & ſeq. part.9. tom.2., Rot. dec.84. n.2. part.15., & dec.358. n.10. part.16. recent.*

Ultra autem hujuſmodi artificialem volitam conſervationem agnationis, quæ ex ſe ſola ſufficeret ad protrahen-
16 dum fideicommiſſum, ut inquit *Rot. dec.10. n.2., & dec.192. n.5. part.1., & dec.580. n.5. part.4. tom.2. recen.*;
17 Concurrit etiam digreſſus ad plures ſubſtitutionum gradus; quoniam Teſtator plures, diverſoſque caſus conſiderando, in iis omnibus gradualiter proprias ordinavit ſubſtitutiones, non quidem per ſolam vulgarem, ſed cum ſucceſſivo gravamine favore omnium illorum, qui conſiderati fuerunt in omnibus diverſis ſubſtitutionibus, ut clare dignoſcitur ex ipſamet diſpoſitionis lectione; In his enim terminis fruſtraneum penitus remaneret accuratiſſimum Teſtatoris deſiderium protrahendi uſque in ævum ſuam, & ſui Fratris agnationem, pro cujus effectu tot, tantaſque diverſas ſubſtitutiones ordinavit, ſi hujuſmodi fideicommiſſum ſtatim in ipſo ingreſſu expirare deberet, & non comprehendere ulteriores omnes ſubſtitutiones ab ipſo præſcriptas, ut in terminis conſiderant *Card. de Luc.de fideicomm. diſc.82. n.11. verſ.4., Rota dec.169. n.11., & dec.232. a n.7. ad 10. cor. Caprara, dec.367. n.9. cor. Rmo Criſpo, in dicta Romana Locorum Montium 9. Maii 1729. §. 3. coram R. P. D. Creſcentio, in dicta Aſculana Fideicommiſſi §.Alteram cor. Rmo P.D. Calcagnino.*

Eoque magis quia hujuſmodi digreſ-
ſus ad plures ſubſtitutionum gradus nul-
18 lam dependentiam habet ab illa uni-
ca conditione *ſi ſine filiis*, ſed indepen-
dens prorſus videtur a dicta conditio-
ne, dum Teſtator plures, diverſaſque
ſubſtitutiones ordinando, in iſtis om-
nibus ſemper fideicommiſſum progreſ-
19 ſivum repetiit; unde ſicuti negari non
poteſt, quin Teſtator voluerit ordina-
re perpetuum, ac longe duraturum fi-
deicommiſſum, ita nec etiam dubitari
valet, quin ex hoc digreſſu ad plures
ſubſtitutionum gradus independenter a
dicta conditione *ſi ſine filiis* ordinato
fortior exurgat ratio recedendi ab eo-
dem *Conſilio Oldradi*, juxta animad-
verſa per *Fuſar. quæſt.*480. *n.*56., *&*
ſeq., *Card. de Luc. de fideicomm. diſc.*82.
*ſub n.*11. *verſ.*4., *&* *diſc.*83. *n.*11.,
Rot. in d. Romana Locorum Montium
§. *Neque cor. R.P.D. Creſcentio*.

Quibus duabus conjecturis perne-
ceſſe ſuadentibus perpetuitatem fidei-
20 commiſſi etiam favore maſculorum ex
fœminis, & receſſum a dicta theorica
Oldradi, accednnt etiam aliæ, & qui-
dem vehementiſſimæ, quæ eundem
operantur effectum, quatenus etiam hu-
juſmodi cauſa regulanda eſſet juxta
iſtius theoricæ terminos; harum prima
conſiſtit in rigida prohibitione aliena-
tionis, quæ nedum expreſſe ordinata
fuit in quacunque ſubſtitutionum Sede,
ſed etiam, & quod plus eſt, in fine
ipſius diſpoſitionis, & per caput ſepa-
ratum fuit enixe repetita; quæ quidem
21 alienationis prohibitio per caput, &
orationem ſeparatam demandata cum
dicatur ſtare de per ſe, principaliter,
& independenter *Rot. dec.*84. *num.*2.
*part.*5., *dec.*568. *num.*8. *part.*18., *&*
*dec.*356. *n.*2., *&* *dec.*458. *n.*5. *par.*19.
recen., eſt efficaciſſima conjectura, pro
22 ſuadendo receſſu a d. *Conſilio Oldradi*;
*Rot. dec.*632. *n.*3. *par.*4. *tom.*3., *dec.*2.
*n.*8. *part.*9., *dec.*2. *n.*5. *part.*17., *&*
*dec.*646. *n.*18., *&* *ſeq. par.*19. *rec.*

Secunda conjectura deſumitur ex qua-
litate Primogenituræ, ſeu Fideicom-
miſſi realis ordinati, ut particularia
quædam bona, nempe Domus Avita,
Viridaria, aliaque ſtabilia per ipſum
Teſtatorem in Civitate Savonen. acqui-
ſita, & fideicommiſſo ſuppoſita, ſem-
per, & perpetuo penes vocatos conſer-
varentur: hujuſmodi namque fideicom-
miſſi realis ordinatio gravamen reale
operatur, quod comprehendit omnes,
& quoſcunque bonorum Poſſeſſores,
adeo ut quilibet eorum teneatur eadem
bona reſtituere, donec ea perveniant
23 ad ultimum Subſtitutum, ut pariter ad
eundem effectum recedendi a ſæpedi-
cto *Conſilio Oldradi* monent; *Surd. con-
ſi.*67. *n.*18., *&* 20., *Rot. dec.*444. *n.*8.
*par.*19. *recen.*, *&* *dec.*1171. *n.*17. *cor.
bon. mem. Molines*.

Ac denique licet ulteriores non de-
ficerent conjecturæ receſſum a d. *Con-
ſilio* ſuadentes, ut ſunt prælatio perpe-
24 tua maſculorum, qualitas legitimita-
tis inter Inſtitutos, & Subſtitutos, aliæ-
que ſimiles, quas enumerant Doctores
relati per *Panimoll. dec.*43. *annotat.*3.
*n.*11., *&* *ſeq.*, quæque inſimul, ut par
eſt conjunctæ, præcipue cum contem-
platione agnationis, & digreſſu ad plu-
25 res gradus ſubſtitutionis perneceſſe
demonſtrant durationem fideicommiſſi,
ut docent *Card. de Luc. de fidicomm.
diſc.*86. *n.*4., *Palm. Nep. allegat.*232.
*n.*35., *Rot. dec.*538. *n.*24. *par.*18. *rec.*,
& *dec.*232. *n.*12., *&* 13. *cor. Caprar.*;

Unum tamen Domini conſiderarunt
26 præcipue, quod eadem theorica *Ol-
dradi* extranea penitus remanet a Fidei-
commiſſis, & Primogenituris Hiſpaniæ,
quæ cum ex earum indole ſint omni-
no perpetuæ, eadem conditio *ſi ſine fi-
liis* repetita ſemper cenſetur in Filiis,
Nepotibus, ac cæteris Deſcendentibus;
*Molin. de Primog. lib.*1. *cap.*6. *n.*17.,
& 18., *Mierez de Majorat. part.*2.
*quæſt.*11. *n.*5.

Et hinc inutiliter objiciebantur ad
effectum impediendi receſſum a dicta
theorica *Oldradi* verba illa — *In tale
caſo* — appoſita in ſubſtitutione facta
Alexandro in caſu, quo deceſſiſſet abſque
filiis maſculis, per quæ reſtricta præ-
tendebatur ſubſtitutio ad illum caſum
tantum obitus abſque maſculis; nam
cum verba illa deſtituta reperiantur di-
ctionibus taxativis, nunquam dicuntur
27 ſtare taxative ad effectum nempe re-
ſtringendi vocationem maſculorum ex
fœminis ad illum præciſum caſum obi-

tus

tus Alexandri, & Mariæ Conjugum abſque maſculis; ad tradita per *Surd. conſ.136. n.42.*, *Card. de Luc. de fidei-comm. diſc.53. n.7.*, *Rot. dec.278. n.14.*, *& 15. par.18. rec.*, *& dec.1171. n.31. cor. bon. mem. Molines.*

Fortius quia inſpecta integra Teſtatoris diſpoſitione expreſſe deſumebatur illius enixum votum ordinandi perpetuum, & abſolutum fideicommiſſum tranſitorium ad omnes, & quoſcunque Deſcendentes ex vocatis; in quibus terminis cum dicta verba -- *In tale caſo* -- famulari debeant Teſtatoris veriſimili
28 voluntati, accipi debent in ſenſu declarativo, aut demonſtrativo, nunquam vero taxativo, ut nempe reſtringatur eadem vocatio maſculorum ex fœminis ad ſupradictum tantum caſum obitus dictorum Conjugum abſque maſculis; *Decian. reſponſ.34. lib.3. ſub n.26.*, *Peregr. de Fideicomm. artic.29. n.15.*, *& 28.*, *Fuſar. de Subſtit. cap.480. n.4.*, *Rot. dec.142. n.17.*, *& ſequen. cor. Dunozzett. Jun.*, *& dec.1171. n.31. cor. bon. mem. Molines.*

Momenti nec habita fuit replicatio, quod quatenus etiam recedendum eſſet a dicto *Conſilio Oldradi*, adhuc tamen concedi non poſſit immiſſio Fratribus de Naſellis, utpote Deſcendentibus per duplex medium fœmininum, qui excluſi prætendebantur ſub ſuppoſito, quod Teſtator direxiſſet vocationem in Deſcendentes immediate natos ex fœminis dd. Conjugum; licet enim Teſtator in vocatione Deſcendentium ex fœminis direxerit verba ad Deſcendentes a filiabus Mariæ, & Alexandri, hæc tamen directio originis indicativa non eſt apta præſeferre, quod Deſcendentes ex fœminis debeant habere qualitatem immediatam nativitatis a filia dd. Conjugum; quippe quia cum Te-
29 ſtator ſuam direxerit diſpoſitionem ad conſervationem nominis, & cognominis ipſius artificialiter per Primogenituras perpetuo duraturas, hoc caſu, non obſtante dicta deſignatione Perſonarum cenſentur comprehenſi in eadem Primogenitura non ſolum filii primi gradus, ſed etiam Nepotes, & ulteriores Deſcendentes ex perſonis deſignatis, ad hoc, ut voluntas ipſius Teſtatoris Primogenituram perpetuam conſtituentis effectum ſortiatur; ex notatis per *Fuſar. de Subſtit. quæſt.320. n.28.*, *Tiraquell. Jur. Primog. quæſt.40. n.42.*, *& ſeq.*, *Molin. de Primog. lib.1. cap.6. n.28.*, *Mierez de Majorat. par.1. qu.15. num.19.*, *Torr. var. tom.3. tit.12.*, *& in Miſcellan. par.2. quæſt.42. n.45.*

Ideo nil refert, quod Fratres de Naſellis deſcendant per duplex medium fœmininum; nam etiam ipſi poſſunt conſervare eam artificialem agnationem per aſſumptionem nominis, & cognominis Teſtatoris, quam unice exoptavit, quæque poteſt conſervari tam per Deſcendentes ab uno, quam a duplici medio fœminarum, propterea-
30 que abſque ulla differentia cenſentur in eadem Primogenitura comprehenſi omnes Deſcendentes, licet deſcendant per duplex medium fœmininum; ad firmata per *Rotam dec.367. n.12. cor. R̃mo Criſpo, in Romana, ſeu Forolivien. Fideicommiſſi de Maraldis 6. Junii 1724. §. Moti autem cor. bon. mem. Gamaches, confirmata 14. Junii 1726. §. Præſuppoſita, & 21. Januarii 1727. §. Tota enim: cor. bon. mem. Criſpolto.*

Sed omnis ceſſabat difficultas ex lectione ipſius teſtamentariæ diſpoſitionis, quæ potius comprehendit omnes filios, & Deſcendentes a Maria, & Alexandro, quam reſtringat vocationem maſculorum ex fœminis per unum tantum medium fœmininum Deſcendentium, ibi -- *Il figlio maſchio maggiore di quella, figlie, e Diſcendenti di quello* -- & alibi -- *E così ſucceda negl'altri figli maggiori dell'altro figlie di poi ſeguenti* -- Unde valde abſonum eſt, ut hujuſmodi Teſtatoris voluntas comprehenſiva maſculorum, ſive per unum, ſive per duplex medium fœmininum Deſcendentium reſtringi debeat ad maſculos immediate progenitos a dd. Conjugibus, atque excludantur per duplex medium fœmininum Deſcenden-
31 tes, in quibus æque adimpleri poteſt finis a Teſtatore volitus conſervandi nempe artificialiter, ſeu civiliter per aſſumptionem nominis, & cognominis, & inſignium ſuam ſuique Fratris agnationem, ut conſiderant *Rodulphin. allegat.22. n.20.*, *Rocc. diſput.27. n.23.*

Mart.

Digitized by Google

Mart. de Succeſſ. legal. par. 1. quæſt. 1. art. 5. n. 21., *Card. de Luc. de fideicomm. in Summ. n. 263.*, *Rot. ad illius ornat lib. 1. de fideic. dec. 1. n. 2.*, & *dec. 647. n. 35. par. 19. rec.*, & *in dicta Romana, ſeu Forolivien. Fideicommiſſi.*

Neque ad effectum inducendi vocationem maſculorum Deſcendentium tantum per unicum medium fœmininum applicabilis apparuit Dominis deciſio in *Romana Fideicommiſſi 13. Junii 1727. cor. Emo D. Card. Aldrovando.* Tum quia ibi Teſtator vocaverat De-
32 ſcendentes fœminarum ſub nomine propriæ *Roſannæ*, quæ ſane ſpecifica nominis deſignatio non concurrens in caſu præſenti indicat, Teſtatorem voluiſſe vocare filios immediate natos a dicta fœmina jam cognita, ſicque excludere Deſcendentes per duplex medium fœmininum; tum etiam quia in caſu d. deciſionis Teſtator unice proſpexerat conſervationi ſuæ veræ, & naturalis agnationis, quæ conſervari non poterat niſi in fœmina immediate ab Agnato progenita, quod pariter ſecus hic accidit, quia noſter Teſtator proſpexit tantum ad artificialem agnationem, quæ æque poteſt conſervari tam per Deſcendentes per unum, quam per duplex medium fœmininum; Ideoque ratione diverſitatis caſus eadem deciſio inapplicabilis remanſit, atque attendi
33 non meruit ad effectum reſtringendi in caſu vocationem ad Deſcendentes immediatos a dd. Conjugibus progenitos, ut ſæpe firmavit *Rot.*, & *ſignanter in dec. 2. n. 12. de emphyt.*, & *in Miſcellan. dec. 19. n. 11. coram clar. mem. Card. Falconer.*

Et ita &c. utraque &c.

TROJANA NULLITATIS OBLIGATIONIS.

Lunæ 19. Januarii 1739.

ARGUMENTUM.

Eccleſia, cui uniuntur, & incorporantur bona alterius, obſtricta remanet oneribus, & obligationibus iiſdem bonis infixis. Ut Privilegia exemptiva Monaſteriis competant, requiritur expreſſa derogatio Decreti *Concilii Viennen.* relati *in Clement. Dudum de ſepult.* In novorum Monaſteriorum erectionibus neceſſario exigitur Parochorum conſenſus, qui vel illum præſtare poſſunt cum reſervatione omnium jurium Parochialium, vel de eorum pretio convenire. Sacerdotes pro unico Sacrificio nequeunt accipere duplex ſtipendium, niſi Benefactorum expreſſa voluntas concurrat, vel unum ex iis peculiariter detur pro ſervitute celebrandi in certo, & deſignato loco, alterum vero pro applicatione.

SUMMARIUM.

1 *Inſtrumentum publicum confectum per Protectores deputatos erectioni Monaſterii, & cum auctoritate Vicarii generalis, pleniſſime probat;*

2 *Immo rem claram, ac manifeſtam conſtituit;*

3 *Præcipue ſi fiat cum relatione ad præcedentem obligationem.*

4 *Monaſterium, cui bona uniuntur, obnoxium remanet oneribus, & obligationibus iiſdem bonis infixis.*

5 *Poſt ſuppreſſionem nullæ remanent reliquiæ jurium, vel tituli ſuppreſſi.*

6 *Probatio in antiquis eruitur etiam ex ſcriptura informi, validis tamen munita adminiculis.*

7 *Unio, ſive incorporatio bonorum dignoſcitur ex ſolutione onerum iiſdem infixorum.*

8 *Ut Privilegia exemptiva Monaſteriis competant, neceſſaria eſt expreſſa derogatio Decreti* Concilii Viennen. *relati in* Clement. dudum de ſepult.

9 *In novorum Monaſteriorum erectionibus neceſſario requiritur conſenſus Parochorum;*

10 *Qui proinde in actu illum præſtandi convenire poſſunt de pretio jurium, quæ ob novam erectionem ipſis diminuuntur, vel illum præſtare cum reſervatione omnium jurium Parochialium.*

11 *Sacerdotibus non licet pro unico ſacrificio duplex emolumentum accipere;*

12 *Niſi qui dat, certo ſciat Sacerdotem pro ſacrificio ſtipendium accepiſſe, & aliud nihilominus ſponte velit dare;*

13 *Vel præſertim, quando unum ſtipendium datur pro applicatione Miſſæ, aliud pro ſervitute celebrandi in certo,*

to; *ac deſignato loco*. & num. 18.

14 *Alia eſt enim obligatio ad celebrandum*; *alia ad applicandum*;

15 *Unde Beneficiatus vel Cappellanus dumtaxat obligatus ad ſolam Miſſæ celebrationem, pro quo onere percipit emolumentum ex reditibus Beneficii, ſpecialem eleemoſynam percipere licite poteſt pro ſacrificii applicatione*.

16 *In dubio tamen volita etiam cenſetur applicatio, proindeque nequit Beneficiatus aliud ſtipendium accipere*;

17 *Ad hunc enim effectum requiritur expreſſa voluntas Benefactorum*. & num. ſeq.

19 *Atteſtationi Vicarii generalis multum deferendum eſt*.

20 *Super re ſpirituali Laici ſe ingerere nequeunt, ſecus tamen eſt de re adminiſtrationem providentialem reſpiciente*.

21 *An in contractu utili Eccleſiæ ſit neceſſarium Beneplacitum Apoſtolicum, remiſſive*;

22 *Iſtud tamen per longam obſervantiam præſumitur in contractibus inter duas Eccleſias geſtis*.

DECISIO CXXXIII.

ANtiquiſſima Cappella ſub Invocatione Beatæ Virginis Annuntiatæ, ubi de anno uſque 1511. erecta fuerat Laicorum Societas, cum *de Dominio* foret Venerabilis Eccleſiæ Collegiatæ Fogiæ, & Collegiata iſthæc ratione Parochialitatis, & Curæ Jus haberet univerſale ſuper omnibus Legatis Piis, atque Funeribus aliarum Eccleſiarum, hinc proinde inter Collegiatæ Capitulum, & Societatis Confratres conventum remanſit -- *Ut ſingula Legata, & obventiones Confraternitati inpoſterum obventuræ inter contrahentes ex æquo dividerentur* --, & conventio hujuſmodi approbata prius de anno 1592. per Sententiam Vicarii Generalis Trojani, confirmata ſubinde fuit mediante Inſtrumento de anno 1595. concorditer celebrato inter Partes.

Verum quia in ſtatuta Legatorum, & obventionum diviſione, diſcordiæ ut plurimum oriebatur occaſio, ad omnia penitus dirimenda litigia de ann. 1600. ad novam prædictæ Partes devenerunt concordiam, in qua cum ſpeciali approbatione ejuſdem Vicarii per d. Confratres obligata fuerunt Societatis Bona ad annuam ſolutionem ducatorum octuaginta favore præenuntiati Capituli ſub ea tamen declaratione, quod rata ducatorum quadraginta cedere deberet in locum dictarum Obventionum, & Legatorum, & reliqua ducata quadraginta ſolvenda eſſent in ſatisfactionem correſpectivi oneris, quod aſſumpſit Capitulum, canendi ſcilicet quolibet die Sabathi Miſſam in honorem Deiparæ Virginis ad Altare Majus ejuſdem Confraternitatis, & nova iſta concordia ſine ulla penitus controverſia obſervata remanſit uſque ad annum 1665. tempore, quo ſequuta Confraternitatis ſuppreſſione, & in ejus locum ſubmiſſo Venerabili Monaſterio Monialium Ordinis S. Claræ ſub eadem Invocatione B. Mariæ Virginis Annuntiatæ, eo tunc in primæva illa Monaſterii erectione Protectores, & Deputati ejuſdemmet Monaſterii cum aſſiſtentia, & interventu præfati Vicarii Generalis Trojani ampliſſimam aliam obligationem emiſerunt favore dicti Capituli ſuper conſimili ſolutione ducatorum octuaginta ceden. pro rata ducatorum quadraginta in cauſam prædictæ medietatis Legatorum, & Obventionum, ac pro altera rata Ducatorum ſimiliter quadraginta in cauſam illius Miſſæ ſolemnis Die Sabathi celebrandæ, quæ pro majori Monialium commoditate fuit de conſenſu Partium commutata in Miſſam quotidianam perpetuam; Et ſic reſervatis eidem Capitulo ſuis Juribus, actionibus, anterioritatibus, & hypothecis ſuper bonis per Monaſterium acquiſitis occaſione prædicti ſubingreſſus, renuntiavit correſpective Capitulum medietati ſibi debitæ dictorum Legatorum, & Obventionum, cum declaratione, quod omnia Legata, & Bona tunc uſque in Monaſterium obventa, & futuris temporibus obvenienda in beneficium, & commodum ejuſdem Monaſterii remanere deberent.

A dicto anno 1665. licet per continuatum ſpatium annorum ſeptuaginta circiter Moniales prædictæ annualitates perſolverint favore Capituli; Attamen

men de anno 1735. Judicium intentarunt coram R.P.D. A.C. Furietto ſuper prætenſa nullitate earumdem recenſitæ obligationis tam quoad illa ducata quadraginta promiſſa in cauſam, & correſpectivitatem reportatæ ceſſionis legatorum, & obventionum, quam quoad reliqua ducata quadraginta promiſſa in cauſam Miſſæ perpetuæ celebrandæ a Capitulo, & poſt diuturnum cauſæ certamen, tandem a prælaudato Judice lata fuit ſententia, in qua valida declarata extitit obligatio in ea parte concernente ſolutionem ducatorum quadraginta ex cauſa legatorum, & obventionum ceſſarum, ac reſpective nulla renuntiata remanſit in parte alia, quæ reſpicit ſolutionem ducatorum quadraginta pro Miſſa quotidiana perpetua; ab hujuſmodi Sententia delata cauſa ad Sac. noſtrum Auditorium propoſui in hodierna audientia dubium -- *An, & in quibus ſuſtineatur obligatio anni 1665.* -- illudque *Affirmative in omnibus* reſolutum extitit.

Siquidem præfata hæc Monialium obligatio circa dictam integram præſtationem favore Capituli validiſſime fundabatur in ſtipulatione contenta in præcitato Inſtrumento anni 1665., dum Inſtrumentum iſtud uti celebratum per
1 Protectores deputatos Monaſterio erigendo, cum interventu, & auctoritate Vicarii Generalis, viſum eſt de illis exiſtere, quæ de ſe faciunt probationem probatam; ad *Text. in cap. Dilectus de fid. Inſtrum.*, *& in leg. pecuniæ*, *& leg. Intereſt Cod. de ſolut.*, *Rot. cor. Peuting.*
2 *dec. 362. n. 1.*, & rem claram, & manifeſtam conſtituunt; ad alium *Text. in leg. cum precibus Cod. de probat.*, *Gloſſ. in leg. fin. verb. manifeſtum Cod. de reb. Cred.*, *Rot. cor. Emerix Jun. dec. 1088. num. 1.*

Tanto magis, quod relative ſe habebat ad præcedens Inſtrumentum ſti-
3 pulatum de anno 1600, inter Capitulum, & Confraternitatem ſuppreſſam; in cujus ſequelam ineluctabilis quidem erat Societatis obligatio ad recenſitam annuam ſolutionem ducatorum octuaginta favore memorati Capituli, & per conſequens fortiori vinculo ad eandem ſolutionem alligatæ noſcuntur Moniales in vim dictæ propriæ obligationis aſſumptæ de dicto anno 1665., cum iſta præſertim corroborata veniat ex dicto præcedenti Inſtrumento ratione ſubrogationis in locum Societatis debitricis, ac ratione potiſſimum unio-
4 nis, & incorporationis bonorum, quæ per ſe ſola operatur, ut idem Monaſterium ſubire debeat obligationes, & onera, quibus Confraternitatis Eccleſia, & incorporata bona reperiebantur obnoxia, ut in puncto *Turricell. de union. cap. 4. ſub num. 13. §. Et. licet Religioſi*, *Abb. in cap. Expoſuiſti n. 7. de præbend.*, *Rot. dec. 1020. n. 20., cor. Pen., dec. 133. ſub n. 14., & 15. par. 2. diverſ.*, & in præciſis terminis Monialium *dec. 164. n. 6. cor. bon. mem. Molines*.

De ſuppreſſione Societatis prædictæ, ipſiuſque bonorum incorporatione favore Monaſterii nulla inter DD. orta fuit dubitatio, ex quo circa d. ſuppreſſionem cantabat clare Decretum Rmi Epiſcopi Trojani Societatem re ipſa, & effective ſupprimentis ibi -- *Idem Illuſtriſſimus Dominus informatus de proximo ingreſſu Monialium, & erectione Monaſterii facienda, mandavit Confraternitatem ſupprimi, prout decrevit, quod ſupprimatur* -- & deſumebatur ulterius ex platea ejuſdemmet Societatis, in qua rotundis literis legebatur -- *La quale poi nell'accennato anno 1665. fù ſoppreſſa con Decreto di Monſignor Sorrentino, ed in eſſo luogo ſi erigè il detto Moniſtero* -- ex quibus manifeſte patet, quod Societas prædicta ſuppreſſa extiterit, non autem alio translata, cum inter ſe non compatiantur termini tranſlationis, & ſuppreſſionis; poſt enim
5 ſuppreſſionem nullæ remanent reliquiæ Jurium, vel tituli ſuppreſſi; *Card. de Luc. de Benefic. diſc. 3. n. 64.*, *Rot. dec. 359. n. 4., & 5. par. 14. recen.*, *& dec. 44. n. 19. cor. Otthob.* ita, ut propterea per viam novæ erectionis dicendum ſit, quod eadem Societas ad Eccleſiam S.Joannis translata fuerit.

Ad probandam autem dictorum bonorum incorporationem concurrebant ad invicem duo illa ſolemnia Inſtrumenta celebrata per enuntiatos Protectores, & Deputatos dicti novi Monaſterii erigendi, in quorum primo ſtipula-

pulato cum Monialibus S. Claræ circa translationem, & ſubſtentationem trium ex illis Monialibus, in dicto novo Monaſterio aſſignantur pro alimentis, & manutentione dictarum trium Monialium præter cæteros introitus, & fructus ſuperius in Inſtrumento deſcriptos, aſſignantur inquam ſpecifice alii reditus Societatis ſuppreſſæ ibi -- *Reditus omnium fovcarum ipſius Venerabilis Eccleſiæ SSmæ Annuntiatæ* -- Ac in altero tranſactionis initæ cum enuntiato Capitulo cavetur ſimiliter -- *Ut omnia, & ſingula bona ipſi Venerabili Eccleſiæ perventa &c. remanere debeant in beneficium Monaſterii noviter faciendi* -- prout fuſius *in Summ. Capituli n.7. lit. N.*

Et ſamulative accedebant aliæ duæ antiquæ notulæ conſervatæ in Archivio ejuſdem Capituli, in quarum titulo, cum ille ſit aſſertivus -- *Rendite della Confraternita della Santiſſima Annunziata ſoppreſſa, ed incorporata alle RR. Monache nell' anno* 1665. -- Et cum ulterius magis in individuo habeatur in corpore, quod bona prius ad Societatem ſpectantia, per eam poſſeſſa fuerunt, & actu nunc poſſidentur per Monaſterium in ejus locum ſuffectum ibi -- *L'annualità di ducati* 100. *donati alla Confraternita dal quondam Franceſco Cellamaro, per li quali con altri denari proprj delle RR. Monache ſe ne tiene la Caſa di detti Cellamari* -- & rurſus ibi -- *Il cenſo, che aveva la Confraternita ſopra la Caſa del quondam Luca Melito oggi per Terza, e Capitale il medeſimo Moniſtero ne poſſiede tutta la Caſa dietro S. Tomaſſo* -- Ac demum ibi -- *Il Marcheſe Sacchetti per rata del Legato della quondam Iſabella de Pila alla Confraternita* -- Ex quibus omnibus ſimul ſumptis plena profecto comperta fuit probatio circa bonorum incorporationem, tanto magis, quod eædem recenſitæ notulæ fomentum recipiunt ab enuntiativis emiſſis in ſupradicto duplici Inſtrumento concordiæ, & repertæ ſunt concordantes cum deſcriptione redituum, ac Creditorum ejuſdem Monaſterii adnotatorum in dicto primo Inſtrumento celebrato per Protectores deputatos cum Monialibus S. Claræ, & verſamur inſuper in anti-
6 quis, ubi bene probatio deſumi... ex ſcriptura etiam minus legali, & informi, quando validis fulcita eſt adminiculis; *Caputaqu. dec.234. num.2. par.1., Rot. diverſ. dec.717. n.4. verſ. non obſtat in fin. par.4., & in recen. dec.418. n.5. par.2., dec.52. n.6. par.12., & dec.397. n.16. par.17.*

Corruere proinde viſum fuit ex facto objectum, quod defenſores Monaſterii pro redarguenda præfata concordia de nullitate deſumebant ex falſitate cauſæ ob defectum incorporationis; immo objectum iſtud ſublatum quoque remanebat eam ponderando facti circumſtantiam, quod Monaſterium per lon-
7 giſſimum tempus cum effectu perſolvit controverſam ſummam annuorum ducatorum octuaginta, unde pergrandis concurrere videbatur inveriſimilitudo, quod ſi revera dictum Monaſterium non retinuiſſet bona Societatis, quæ ſpeciali hypotheca erant affecta favore Capituli pro dicta annua ſolutione, adhuc illam explere voluiſſet, cum id eſſet nimium ſupponere oſcitantiam non ſolum in Deputatis, ſeu protectoribus ejuſdem Monaſterii, verum etiam in Epiſcopis pro tempore, qui ſumma cum vigilantia, ea, quæ reſpiciunt onera, & ſtatum Locorum Piorum perquirere non omittunt, ſicque probatio incorporationis bonorum ex hoc etiam facto apparebat; *Turricell. de Union. cap.4. ſub n.13. verſ. & licet, & cap.11. n.68., Rot. dec.102. num.4. par.1., & dec.340. n.5. par.4. recen., dec.285. n.19. cor. Bich., & dec.911. n.9. cor. Dunozzett. Jun.*

Præter defectum incorporationis bonorum ex alio quoque capite defenſores Monaſterii nullitatem illius obligationis objiciebant quoad ratam dictorum ducatorum quadraginta, ex quo ſcilicet pro iſta rata ſolum emiſſa extitit obligatio in correſpectivitatem eorundem bonorum, ſeu oblationum, ac legatorum, quæ uſque tunc obvenerant Eccleſiæ SS. Annuntiatæ, verum etiam in contemplationem eorum, quæ in futurum obvenire poterant, comprehenſa etiam Quarta Canonica, ſeu Parochiali; unde ut ipſi defenſores ſubnectebant, cum Monaſterium erigendum ve-

veluti Ordinis S.Franciſci Minoris Obſervantiæ vigore notiſſimorum Privilegiorum non teneretur ad ſolutionem Quartæ Parochialis, ſeu oblationum, & legatorum, de plano ſequebatur, quod antedicta obligatio ex iſto quoque Capite emiſſa fuerit ex falſa cauſa, & per conſequens, quod in vim dictæ obligationis orta minime fuerit favore Capituli actio aliqua, cujus vigore dictam ſolutionem petere poſſit.

In hujus enm objecti eliminationem, prætermiſſo an dicta obligatio reſpiceret tantum bona eo tunc obventa dictæ Confraternitati, ut ajebant defenſores Capituli, animadverſum fuit, quod quidquid ſit de hujuſmodi Privilegiis quoad Monaſteria antiquitus erecta cum Privilegio exemptivo, ac expreſſa derogatione *Decreti Concilii Viennen,*
8 *relat. in Clement. dudum de Sepultur.*, cui expreſſe derogandum eſſe, ut Privilegia exemptiva locum habeant, notat *Card. de Luc. de Paroch. diſcurſ.25. n.7., Barboſ. de Offic., & Poteſt. Paroch. par.3. cap.25. n.8., & de Jur. Eccleſ. cap.124. lib.3. n.8., & ſequen.*; Profecto quoad Monaſteria noviter erigenda firmiſſimum in Jure eſt, quod ſicuti ex novorum Conventuum fundationibus non modicum præjudicium infertur Parochis ob diminutionem concurſus populi, electionem Sepulturæ, Anniverſaria, Oblationes, Miſſas, aliaque Pia relicta, ita ipſorum conſenſus
9 neceſſario requiritur; alias licite novis fundationibus ſeſe opponere poſſunt, ne eorum Eccleſiæ, ac Jura Parochialia præjudicata remaneant; *Urſay. diſcept.19. n.9. tom.3., Card. de Luc. de Paroch. diſcurſ.29. num.9., Barboſ. ad Concil. Triden. ſeſſ.25. cap.4. n.18., & ſequen., & de Epiſcop. alleg.26. n.5., Ventrigl. in Prax. annot.18. num.21., Rot. dec.279. n.19., & dec.309. n.6., & 7. par.12. recen., & cor. clar. mem. Card. Falconer. dec.20. n.8. tit. de Offic. Ordin.*

Quapropter licitum eſt ipſis Parochis in actu præſtandi eorum aſſenſum erectioni novi Monaſterii convenire de pretio dictorum Jurium, prout va-
10 lent præfatum aſſenſum abſolute conditionatum præbere, ne ſcilicet erectio fiat niſi Juribus omnibus Parochialibus reſervatis; *Barboſ. de Offic., & Poteſt. Paroch. par.3. d. cap.25. n.11., Caren. reſol.240. n.5., Pignattell. conſultat.215. n.18. tom.4., Monacell. in formul. par.4. in ſupp. ad tom.2. n.115., Rot. cor. Cavaler. dec.101. n.4., & 5., & poſt Tambur. de Jur. Abbat. dec.83. n.3., & ſequen.*

Reſponſione non attenta, quod de tempore initæ concordiæ Monaſterium non eſſet erigendum, ſed jam erectum, atque numeris omnibus abſolutum, idque conſtare ex licentia præventive obtenta a Sac. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium pro translatione trium Monialium a Monaſterio S. Claræ ad illud, de quo agitur, nec non etiam ex Inſtrumento deſuper celebrato cum eodem Monaſterio S. Claræ circa dictam translationem, quia hæc omnia præſeferunt diſpoſitionem eorum, quæ neceſſaria erant, ut deveniri poſſet ad actus conſumationem, non autem concludunt, quod Monaſterium eſſet numeris omnibus abſolutum in ſui formalitate mediante effectiva, & reali Monialium introductione, prout clariſſime quoque patet ex verbis d. concordiæ ad oculum excludentibus ſequutam erectionem, ibi -- *Nominibus ſupra, ac nomine, & pro parte ipſius Venerabilis Monaſterii, ejuſque Monialium, quæ de proximo erunt ingrediendæ -- Per commodità di eſſe Reverende Signore Monache, che in detto Monaſtero doveranno entrare -- Remanere debeant in beneficium ipſius Ven. Eccleſiæ, & Monaſterii noviter faciendi.*

Inſubſiſtens etiam contendebatur obligatio ejuſdem Monaſterii pro remanenti rata ducatorum quadraginta eo ſub fundamento, quod ſolutio hujus ratæ promiſſa fuerit pro quotidiana celebratione unius Miſſæ in Eccleſia dictarum Monialium, cum illius tamen applicatione in ſatisfactionē onerum ipſius Capituli, & ſic pro ſimplici præſentia,
11 ideoque cum licitum non ſit Sacerdotibus duplex ſtipendium pro unico Sacrificio reportare, illicita per conſequens fuerit conventio antedicta, dum pro eodem Sacrificio Capitulum ſuum conſequitur emolumentum ex piis relictis,

lictis, quorum vi ad onera prælata tenetur.

Verum objectum iſtud compertum fuit ſubſiſtentiam aliquam non habere in præſenti; Propoſitio enim, quod Sacerdos ſine labe ſimoniæ, & avaritiæ macula non poſſit pro eodem Sacrificio duplex emolumentum recipere, limitationem patitur, quando conſtat de
12 certa voluntate dantis, qui ſciens Sacerdotem accepiſſe ſtipendium pro Sacrificii applicatione, aliud nihilominus ſponte dare velit, ut limitando firmant *Amoſtaz. de Cauſ. Piis lib.2. cap.3. n.53. in fin.*, *Leon. de Offic. Caſtellan. quæſt.8. lect.11.*, *Paſqualig. de Sacrific. novæ Legis quæſt.909.*, *Trullench. lib.3. de Sacrament. cap.8. dub.9. num.11.*, & propterea objectum non erat præſenti hypotheſi applicandum, cum ex partium conventione appareat, quod annua præſtatio ducatorum quadraginta pollicita fuit, non in cauſam ſtipendii pro Sacrificii applicatione, ſed ex cauſa ſervitutis accedendi qualibet die ad Eccleſiam Monialium, ibique celebrandi pro earum commodo, ſicque pro
13 illo extrinſeco labore eſſentialiter non annexo celebrationi, pro quo licite de ſpeciali ſtipendio paciſci poſſe probant *dictus Paſqualig. de Sacrific. nov. Legis quæſt.911. n.2.* cum pluribus aliis Doctoribus per eum relatis, *Amoſtaz. de Cauſ. Piis lib.2. cap.3. num.51. in fine*, *Barboſ. de Offic., & Poteſt. Epiſcop. allegat.24. n.10. in fin.*

Alia eſt enim obligatio ad celebrandum, & alia ac penitus diverſa reputa-
14 tur obligatio ad applicandum, ut proſequendo tenent proximi citati Doctores ſuperius allegati; ex quo ſequitur, quod utraque obligatio digna ſit mercede ſua; Ideoque Cappellanus, ſeu Be-
15 neficiatus, qui ex Cappellaniæ, ſeu Beneficii inſtitutione obligatus reperitur ad ſolam Miſſæ celebrationem, pro quo onere emolumentum percipit ex reditibus ejuſdem Beneficii, ſeu Cappellaniæ, poteſt nihilominus ſine aliqua labe avaritiæ, vel ſimoniæ ſpecialem eleemoſynam recipere pro Sacrificii applicatione; *Idem Paſqualig. d. Tract. de Sacrific. nov. Leg. quæſt.907. num.5.*, *Amoſtaz. de Cauſ. Piis lib.2. d. cap.3. n.46.*, *Fagnan. in prima part.3. Decret. cap. Significatum de Præbend. n.42. in fin.*

Et ſolum cadit difficultas in caſu, quo conſtituto ſtipendio Sacerdotali pro Miſſæ celebratione dubium eſt, an Benefactor voluerit quoque illius applicationem, in quibus facti circumſtantiis tenent communiter Doctores, quod
16 Sacerdotes non poſſunt aliud ſtipendium accipere, cum in dubio præſumptio ſit, quod volita etiam fuerit applicatio, ut diſtinguendo bene tradunt; *Amoſtaz. de Cauſ. Piis lib.2. d. cap.3. n.48., & 49., Fagnan. Leon. Paſqualig., & Trullench. locis ſuperius citatis, ubi quamplures alii Concordantes*, adeo ut propterea allegabile non eſſet pro parte Monialium, quod ex hoc capite non ſubſiſteret earum obligatio; cum ſatis explicite promiſſa fuerit per Capitulum ſola celebratio, ſeu ſervitus dietim celebrandi in earum Eccleſia cum hoc, quod applicatio cederet in ſatisfactionem onerum ipſius Capituli.

Decretum vero Sacræ Congregationis Concilii emanatum die 6. Februarii 1627. pro parte Monialium allegatum, in quo celebrantibus in Eccleſiis Confraternitatum, vel Monialium, ut Confratres, & Moniales ſatisfaciant præcepto audiendi Sacrum, prohibetur, quod ſtipendium non accipiant ultra illud, quod ipſis datur a Confratri-
17 bus, vel Monialibus, procedit in præfatis terminis dubiæ mentis, eo enim ipſo, quod Confratres, ſeu Moniales dant ſtipendium pro Miſſæ celebratione, oritur præſumptio, quod voluerint etiam illius applicationem, & ne aperiatur via incidendi in abuſus, & corruptelas, non relinquitur arbitrio Sacerdotum interpretandi voluntatem dantium Eleemoſynas, ſed accepto ſtipendio pro Miſſæ celebratione, tenentur exinde ad illius applicationem, non accedente in contrarium expreſſa voluntate Benefactorum, & in hujuſmodi circumſtantiis procedunt Decreta Sacrarum Congregationum, ut bene explicant *Fagnan. d. cap. ſignificatum ſub n.44.*, *Paſqualig. d. qu.905. n.3.*, *Amoſtaz. d. cap.3. n.45.*, & in terminis Confraternitatum, vel Monialium, quod

poſſint Sacerdotes, quatenus adiit ex-
18 preſſa conventio, quod ſtipendium cedat in cauſam commoditatis audiendi Sacrum, relicta per viam pacti libertate quoad illius applicationem, recipere unum ſtipendium pro illo perſonali onere celebrandi, ſeu in cauſam pretii ſervitutis aſſumptæ, & aliud quoque ſtipendium accipere valeant pro ejuſdem Sacrificii applicatione, tuentur *Amoſtaz. d. cap.3. n.52.*, *Paſqualig. de Sacrific. nov. leg. qu.908. n.12.*

Nec aliqua læſio, ut prætendebatur concurrere apparuit in obligatione præſtandi dictos annuos ducatos quadraginta ſub ſuppoſito, quod Moniales ſolo ſtipendio ducatorum triginta ſex deſtinare valuiſſent Cappellanum amovibilem, qui Miſſam celebraret una cum Sacrificii applicatione, unde læſæ remanſerint Moniales, ex quo minori ſtipendio non ſolum celebrationem, verum etiam Sacrificii applicationem habere poterant; quia quidquid ſit, an ſolo ſtipendio ducatorum triginta ſex haberi poſſit Cappellanus prædictus, ut controvertebant Defenſores Capituli, aſſerentes, quod juxta Conſtitutionem Synodalem Miſſæ quotidianæ regulantur ad rationem duorum carolenorum pro qualibet conſtituentium annuos ducatos ſeptuaginta duos, quælibet difficultas circa dictam læſionem removebatur, animadvertendo, quod obligatio ſolvendi dictos ducatos quadraginta emiſſa fuit a Societate ſuppreſſa de anno 1600. pro Miſſa ſolemni canenda qualibet die Sabathi, proindeque in ſui origine conſiderari non poterat aliqua læſio in hac obligatione, & ſicuti ſucceſſerunt Moniales in locum dictæ Societatis, quæ per conſequens tenebantur ad dictam annuam præſtationem, res magis utilis viſa fuit, ut loco dictæ Miſſæ ſolemnis haberent Moniales in propria Eccleſia celebrationem Miſſæ quotidianæ. Unde per hujuſmodi pactum in Tranſactione anni 1665. appoſitum, non aliquod damnum, ſed uti-
19 litas oriri viſa fuit favore Monialium; quæ proinde non habent, de quo conqueri poſſint ſuper geſtis in dicto Contractu a Protectoribus ejuſdem Monaſterii cum conſenſu, & approbatione Vicarii Generalis gerentis vices Ordinarii, cujus atteſtationi venit deferendum; *Piton. de controverſ. Patron. allegat.48. n.20.*, *Rot. dec.460. num.10. part.18. rec.*, *dec.467. n.9. cor. Cerro*, *& dec.939. n.16. cor. bo. me. Molines.*

Sublata nullitate Concordiæ dictis de Cauſis allegata, momenti non fuit apud DD., quod Perſonæ, quæ pro Monaſterio contraxerunt non eſſent legitimæ, quodque deficiat Beneplacitum Apoſtolicum; Siquidem quoad Perſonas, iſtæ deputatæ fuerunt prævia approbatione, & conſenſu Epiſcopi, nec agi viſum fuit de re ſpirituali, ſuper qua
20 Laici ſeſe ingerere non poſſunt, ſed de re reſpiciente adminiſtrationem providentialem, quæ juxta Sacros Canones interdicta non eſt Perſonis Laicis; ad tradita per *Card. de Luca in Miſcellan. diſcurſ.35. n.9., & de Juriſdict. diſc.42. n.8.*; Quo vero ad Beneplacitum Apoſtolicum, prætermiſſo, an neceſſarium
21 foret, cum ageretur de contractu geſto in utilitatem ejuſdem Monaſterii; *Ciarlin. controverſ.183. n.108. & ſequen.*, *Rot. cor. Roxas dec.205. n.4. & ſequen.*, *& cor. Bich. dec.415. n.1.*, *& cor. cl. me. Card. Falconerio tit. de pact.*
22 *dec.1. n.14.*, iſtud per obſervantiam longo tempore ſecutam ejuſdem contractus initi inter duas Eccleſias optime præſumitur; *Rot. cor. bo. me. Lancetta dec.485. n.3.*, *& cor. cl. me. Card. Falconerio tit. de Benefic. dec.16. n.17.*

Et ita utraque Parte ſtrenue Jura ſua deducente reſponſum fuit &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSORUM DE BLANCHETTIS SUPER IDENTITATE.

Ven. 23. Januarii 1739.

ARGUMENTUM.

Res ex cauſa dotis a fideicomiſſo avulſa, non eſt amplius eidem obnoxia.

SUMMARIUM.

1 *Identitas bonorum concludenter probatur ex publico Inſtrumento præſertim inter nobiles viros exarato,*

2 *Sicuti ex Sententia lata cum legitimo contradictore,*

3 Quæ

3 *Quæ in judicatum tranſacta nequit ab hærede impugnari*;
4 *Eo magis, ſi illa contineat eadem bona deſcripta in Inſtrumento a partibus acceptato*.
5 *Probata identitate bonorum, non eſt fideicommiſſario retardanda immiſſio*.
6 *Res ex cauſa dotis a fideicommiſſo avulſa, non eſt amplius eidem obnoxia*.

DECISIO CXXXIV.

IMmiſſionis Judicio ad Bona Fideicommiſſaria Co: de Blanchettis diu agitato, & coram A. C., & in Sacro noſtro Auditorio, finem poſtremo dedit renuntiatio Thereſiæ Comitiſſæ Balduzzi detentricis prædictorum Bonorum: ſed cum in tali renuntiatione reſervatum fuerit examen ſuper eorundem Bonorum identitate, propoſui de more concordatum Dubium — *An, & ſuper quibus Bonis ſit exequendum mandatum de immittendo* —, & reſponſum habui affirmativum juxta modum mihi inſinuatum, quod nempe ſublato Prædio nuncupato -- *La Preſa della Fabra* —, ac dempta quarta parte infradicendorum Bonorum Emphyteuticorum demandanda ſit executio ad Bona deſcripta in folio impreſſo, & per Actorem exhibito, quatenus reperta ſint concordantia vel cum liquidatione facta de anno 1640., vel cum illis liquidatis in Sententia lata per Auditorem Legationis Bononiæ anno 1672., ex quorum alterutra viſa ſunt fundamenta deduci ad concludendam identitatem, de qua eſt controverſia.

Et ſane dubitatum non fuit, imo verius concordatum eſt inter Partes, quod talis identitas perfectiſſime probaretur ex dicta liquidatione anni 1640., utpote quia præfata hæc liquidatio, & ſegregatio Bonorum fideicommiſſariorum facta noſcitur in calore Judicii per Inſtrumentum publicum penes acta
1 exaratum inter Cæſarem præſtantiſſimum Virum ob vitæ integritatem communiter dictum *il Venerabile* tunc hæredem fideicommiſſarium, ac inter plures Concreditores Marci Antonii, ſeu alterius Cæſaris Senioris de Blanchettis gravatorum hæredum, omnes quippe nobiliſſimos Viros, & Patritios Bononienſes, quos inter colluſionis umbra non cadit, tanto magis, quod ad talem actum diviſionis, & ſegregationis Bonorum Fideicommiſſariorum profeſſi ſunt devenire ad obtruncanda ulteriora litigia, & ſequendam veritatem, jampridem comprobatam in actis per alia publica documenta producta ad inſtantiam ejuſdem Cæſaris *il Venerabile*, in quibus ſane terminis, & per actum ita proportionatum non dum concludenter, ſed concludentiſſime ſine dubio probata dicenda venit identitas; *Caſtren. conſ.94. in fin. lib.2.*; *Barbat. conſ.37. per tot.*, *Peregrin. de fideicom. art.44. n.22.*, *Fuſar. de ſubſt. qu.618. n.50.*, *Rot. cor. Cerr. dec.83. n.12.*, *cor. cl. me. Card. Falconerio tit. de legit. deciſ.2. n.8.*, *& in rec. dec.644. num.10. part.4. tom.3.*

Similique modo concluſum extitit eandem identitatem comprobatam venire ex altera liquidatione facta in Sententia prædicti Auditoris Legationis Bononiæ anno 1672., dum talis Sententia emanavit ſimiliter in judicio pendente inter Creditores, & fideicommiſſarios hæredes, nempe inter Eliſabettam Tibaldi de Fortuniis Agentem pro conſecutione legati ſuper Bonis liberis Julii de Blanchettis, ac inter Alexandrum, & Cæſarem Jun. ejuſdem Julii filios excipientes de retentione Bonorum in vim Fideicommiſſorum: Unde cum in eadem Sententia deventum fuerit ad aliam conſimilem ſeparationem, & liquidationem Bonorum omnium fideicommiſſariorum mediante numerica ſingulorum deſcriptione cum ſuis denominationibus, & confiniis, uti-
2 que Sententia iſthæc, uti lata cum legitimo contradictore, & in judicatum tranſacta, talis eſt, quæ facit ſtatum circa dictæ identitatis probationem, ut in terminis tradunt *Peregrin. de fideicom. art.44. n.2.*, *Fuſar. de ſubſtit. qu.618. n.19.*, *Rot. Florentin. apud Torr. var. Iur. quæſt. lib.1. in Miſcell. part. prima tit.12. dec.28. n.5.*, *& in rec. dec.299. n.7. part.11.*, & nequaquam impugnari poteſt a Comitiſſa Thereſia hærede po-
3 ſtremi defuncti Cæſaris ſui Viri, ad cujus inſtantiam alia conſimilis emanavit confirmatoria Sententia pariter in judi-

ca-

catum tranſacta; ad *Text. in leg. ſi ſervus plurium* §.1. *ff. de leg.*1., & proſequitur *d. dec.*299. *n.*8. *par.*11.

Tanto fortius, quia in hac eadem Sententia continentur in ſubſtantia
4 illamet identifica Bona, quæ prius deſcripta fuerant in memorato Inſtrumento liquidationis anni 1640. a Partibus admiſſæ, &, ut par erat, laudatæ.

Et quod res ita ſe habeat, ſingula perſtringendo Bona, quæ deſcribuntur in prædicta Sententia, & reſpective in impreſſo folio, ſunt iſta quidem præcipue Prædium, ſeu Poſſeſſio nuncupat. *delle Fornaci* partim in communi *di Minerbio*, & partim in communi *della Bariſella*; Poſſeſſio vulgo dicta *di San Marco* in eodem communi *della Bariſella*; Duas glebas Terrarum in Prædio communi *della Bariſella*, & in loco dicto *le Bruſate*, aliam nempe ſub vocabulo *il Prato delle Valli*, ſive *la Preſa Grande*, & aliam ſub vocabulo *la Berta*: Ac tandem medietas Domus, ſeu Palatii in Civitate Bononiæ ſub Parochia S. Donati. Et hæc ſane ſingula cum ſuis omnibus denominationibus, & confiniis adamuſſim reperta ſunt concordare cum dicta liquidatione an. 1640., de qua non erat inter Partes contentio, & per conſequens quoad iſta, identita-
5 te ſuperlative probata, retardanda non erat executio mandati de immittendo.

Reperitur autem in prædicto impreſſo folio adnotata pars Prædii exiſtentis in præenuntiato communi *della Bariſella* ſub cognomento *delle Lezze*; quæ ſane non reperitur deſcripta in dicta enuntiata Sententia anni 1672., ſed cum ex parte altera detegatur inſerta in ſupradicta liquidatione, ſeu verificatione facta de anno 1640., in qua non eſt controverſia, idcirco ſuper portione iſtiuſmodi inclinarunt ſimiliter DD. ad præordinandam petitam executionem.

Quo vero ad Prædium in communi *di Aledo* in loco dicto *il Travaglino*, cum in dicto folio legatur expreſſum ſub denominatione duorum Prædiorum -- ibi -- *Due Poſſeſſioni poſte nel commune di Aledo, nel luogo detto il Travaglino* --, & talis expreſſio cohærentiam non habeat nec cum dicta liquidatione, nec cum enuntiata Sententia, in quibus ſingulari numero legitur -- ibi -- *Una Pezza di Terra* -- Ideo cum DD. ſenſus extiterit executionem decernendi ad concordantia Bona, vel cum dicta liquidatione anni 1640., vel cum prædicta ſententia anni 1672.: idcirco quoad Prædium iſtud non relative ad folium, ſed potius ad tramites d. liquidationis, & ſententiæ ordinata fuit executio.

Deſcribuntur propterea in principio ejuſdem impreſſi folii Bona Emphyteutica Menſæ Archiepiſcopalis Bononiæ in communi *di Minerbio*, & talis deſcriptio deeſt in liquidatione facta de dicto anno 1640.; Aſt cum de antiqua conceſſione conſtet favore Joannis Fideicommittentis, & adnotata remanſerint tam in Inventario poſt dicti Joannis obitum confecto, quam in prælaudata Sententia anni 1672., jam ex his omnibus certa ſcatet probatio de eorundem qualitate Fideicommiſſaria, & per conſequens ab ea abſolute foret demandanda executio; Verum quia quarta pars iſtorum Bonorum aſſignata fuit Eliſabethæ Blanchetti ad computum ſuorum jurium dotalium, & per talem aſſignationem portio iſthæc avul-
6 ſa remanſit a Fideicommiſſo, nec eſt amplius Fideicommiſſaria; *Rota coram Priolo dec.*400. *n.*4., *cor. Emer. Jun. dec.*464. *n.*2., *cor. clar. mem. Card. Falcon. tit. de pactis dec.*9. *n.*22., proinde quo ad Bona hujuſmodi reſtricta fuit executio ad tres reliquas portiones, quæ Fideicommiſſi vinculo remanſerunt obnoxiæ.

Tandem a prædicta executione viſum fuit immune Prædium dictum -- *La Preſa della Fabra* -- ex ſuperius conſtabilito fundamento, videlicet quia nec in Sententia, nec in liquidatione ſupra enuntiatis reperiatur adſcriptum, ac ulterius non bene probatum ſit ab Actore, quod Prædium iſtud ſubrogatum remanſerit in locum aliorum Bonorum Fideicommiſſariorum cum eo permutatorum.

Et ita juxta hunc præſcriptum modum putarunt DD. regulandam eſſe executionem mandati de immittendo ad controverſa Bona Fideicommiſſaria, in nihilo prorſus attenta Diviſione facta

de

de anno 1678. inter Alexandrum, & Cæſarem Fratres de Blanchettis utpote comprehenſiva Bonorum etiam liberorum, nec ſpecificam mentionem faciente de ſolis Fideicommiſſariis: Reſervatis tamen Juribus Com: Thereſiæ ſuper prætenſis detractionibus tam pro melioramentis, quam pro aſſertis acquiſitionibus de novo factis, de quibus nulla adhuc facta fuit liquidatio; utraque &c.

AVERSANA JURISPATRONATUS, SEU CAPPELLANIÆ.

Lunæ 16. Februarii 1739.

ARGUMENTUM.

In Laudo prolato ab Arbitratore, & amicabili Compoſitore neceſſaria non eſt forma judicialis, præſertim ſi Partes auditæ fuerint, aditumque habuerint ad ſua jura deducenda. Defectus conditionis ſub pœna reſolutiva appoſitæ inducit reſciſſionem actus; defectus vero modi tribuit dumtaxat actionem ad petendum adimplementum.

SUMMARIUM.

1 *Ad obtinendam executionem literarum Apoſtolicarum, gratioſe ſubrogatus probare debet præexiſtentiam litis,*

2 *A qua abſit omnis ſuſpicio calumniæ.*

3 *Quæcunque lis per renuntiationem extinguitur*; & num. 14.

4 *Ideoque literæ Apoſtolicæ obtentæ ſub prætextu ſubſiſtentiæ ejuſdem, obreptitiæ ſunt, & inexequibiles*. & n. 14.

5 *Defectus conditionis præſertim appoſitæ ſub pæna reſolutiva inducit reſciſſionem actus; defectus vero modi tribuit dumtaxat actionem ad petendum adimplementum.*

6 *Laudum a partibus acceptatum inducit litis extinctionem, & vim habet ſolemnis Tranſactionis*. & n. 14.

7 *In Laudo prolato per Arbitratorem, & amicabilem Compoſitorem neceſſaria non eſt forma judicialis,*

8 *Sed proferri poteſt abſque partium requiſitione;*

9 *Immo ſine earundem citatione.*

10 *Teſtibus de facto proprio deponentibus plena fides præſtanda eſt,*

11 *Etiamſi in Laudo prolato ab Arbitratore, & amicabili compoſitore, ſ.. [illegible]ri deberet forma judicialis, hoc tamen limitaretur, ubi Partes auditæ fuerunt, & aditum habuerunt ad eorum jura deducenda.*

12 *Qui a Laudo non appellat intra legitimum tempus a die ſcientiæ decurrendum, illud tacite acceptare dicitur.*

13 *Laudum a partibus ſive tacite, ſive expreſſe acceptatum valet in vim pacti, & conventionis.*

15 *Inſtitutio debetur præſentato a majori parte Patronorum.*

DECISIO CXXXV.

CUM per obitum Sacerdotis Viti Taglialatela vacaſſet Cappellania ſub titulo S. Mariæ Magdalenæ Terræ Juliani de Jurepatronatus Laicali ejuſdem familiæ, ad eam illico præſentatus fuit per majorem partem Patronorum Sacerdos Joſeph Taglialatela; Orta ſubinde fuit controverſia inter Januarium Taglialatela præſentatum a minori parte Patronorum, & ipſum Joſephum ſuper inſtitutione ad eandem Cappellaniam, ac introducta Cauſa in Curia Epiſcopali Averſana, prodiit definitiva Sententia, qua conceſſa fuit inſtitutio eidem Joſepho, tanquam præſentato a majori parte legitimorum Patronorum; Licet vero ab hac Sententia Januarius appellationem interpoſuiſſet ad S. Sedem, tamen poſt triennale ſilentium, atque renuntiationem ejuſdem appellationis, & litis, concordiam iniit cum Joſepho, qui promiſit dicto Januario ſolvere annuos ducatos ſex monetæ Regni, alioſque itidem ſex ducatos unica tantum vice, reſervando tamen pro quiete conſcientiæ ſuæ Conſilium Sapientum.

Sic igitur inter eoſdem Collitigantes abſoluta concordia, ut cautius ipſi procederent, denuo ejuſdemmet litis renuntiatione præmiſſa, ut amicabilem compoſitorem invenirent, rogarunt Epiſcopum, qui precibus annuens ſuum Vicarium cum omnibus opportunis facultatibus deputavit; Aſſumpto itaque per eundem Vicarium examine prætenſionum, & partibus pluries auditis ſub die 29. *Martii* 1737. protulit ſuum laudum, ſive arbitramentum, in quo de-

declaravit, Joſephum in Cappellanum eſſe confirmandum, cum onere tamen, donec viveret, ſolvendi Januario ducatos ſeptem, ac emiſſa per eundem Joſephum obligatione pro dicti oneris implemento, mandavit, ſequeſtrum ſuper fructibus appoſitum eſſe removendum, prout hæc omnia in ipſius laudi executionem de facto fuerunt adimpleta.

Poſtquam autem laudum ſic editum pluries fuit a Januario conſideratum, atque acceptatum, unice exoptavit conſequi etiam ducatos ſeptem pro eo triennii tempore, quo fructus ſub ſequeſtro permanſerunt; Verum hoc interim, & non adhuc maturata prima annualitate, ſub die 17. *Novembris* ejuſdem anni 1737. obiit præfatus Joſeph, atq; iterum vacata eadem Cappellania, fuit ad illam præſentatus a majori Patronorum Parte Michael Taglialatela; Cum autem idem Januarius ſub prætextu litis adhuc vigentis cum eodem Joſepho defuncto obtinuerit a S. Sede Literas gratioſæ ſubrogationis in Juribus ejuſdem, hinc ad dirimendam controverſiam inter eos ſubortam pro inſtitutionis effectu, ſubſcripſi dubium — *An literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ, ſeu potiùs ſit danda inſtitutio Michaeli* —; Cui, in contumaciam Januarii, Domini reſponderunt — *Literas non eſſe exequendas, & inſtitutionem eſſe dandam Michaeli* —

Ratio autem, quæ ad ita decidendum
Dominos movit, in eo ſtetit, quod ad ef-
1 fectum obtinendi executionem litera-
rum Apoſtolicarum gratioſæ ſubroga-
tionis, probari omnino debet præexi-
ſtentia litis per eum, qui ſub hujus ex-
preſſione eaſdem literas obtinuit, ut
pluries firmavit Rota, & ſignanter *in
Compoſtellana Parochialis de Caldelas*
23. *Junii* 1724. §. *Quotieſcunque cor.
bo: me; Cerro, in Bituntina Beneficiorum
prima Julii* 1726. §. *Cum igitur co-
ram bo: me: Cornelio, & in Pampilonen.
Parochialis* 21. *Martii* 1732. §. *Præ-
ſuppoſita cor. Emo D. Card. Rezzonico*;
Et quidem litis non utcunque ſumptæ,
2 ſed talis, ut ab ea quælibet calumniæ
ſuſpicio penitus exulet; ad tradita per
*Lotter. de re Benef. lib.*3. *qu.*20. *n.*97.;
*Rot. dec.*163. *n.*17. *part.*8. *rec.*; *& in
Cæſaraugustana Beneficii Portio nuncu-
pat.* 3. *Decembris* 1728. §. *Non etſi cor.
Emo D. Card. Cincio*.

Tantum enim aberat in præſenti
hypotheſi probatio præexiſtentiæ litis
immunis prorſus ab omni calumnia ad
effectum concedendi executionem lite-
ris Apoſtolicis Januarii, ut potius e
converſo conſtabat, nullam ad fuiſſe li-
tem adhuc vigentem inter Joſephum
prædefunctum poſſeſſorem controverſæ
Cappellaniæ, & ipſummet Januarium;
Quippe quia Januarius poſtquam con-
trariam paſſus fuit Sententiam coram
Vicario Generali Averſano, qui in Cap-
pellanum ejuſdem Cappellaniæ confir-
maverat dictum Joſephum, & poſtquam
appellationem interpoſuit ad Sanctam
Sedem, prævia ejuſdem litis renuntia-
tione, iniit concordiam cum eodem Jo-
3 ſepho; Quamobrem, ſicuti per hujuſ-
modi ſolemnem renuntiationem extin-
cta penitus remanſerat quælibet inter
eos controverſia; ad notata per *Gale-
rat. de renunt. lib.*2. *cap.*5. *n.*7. *&* 8.,
*Rot. dec.*95. *n.*6., *& dec.*626. *num.*11.
*part.*18. *rec.*, *dec.*46. *n.*12. *cor. Arguel.*,
*dec.*541. *n.*25. *cor. Caprar.*; Ita eædem
4 literæ, quas Januarius obtinuit, inexe-
quibiles prorſus remanſerunt ob vitium
obreptionis, ex omnimoda inſubſiſtenti
litis expreſſione dimanans, ſub qua
conſtitutum erat præcipuum gratiæ fun-
damentum, ut appoſite conſiderant
*Mandoſ. ad reg. Cancell. de ſubrog. gra-
tioſ. qu.*11. *n.*6.; *Lotter. de re beneſic.
lib.*2. *qu.*20. *n.*14., *Card. de Luca de
Beneſic. diſc.*51. *n.*4.; *Rot. dec.*1240.
*n.*1. *cor. Emer. Jun.*, *& in Compoſtella-
na Parochialis de Maymenta* 13. *Mar-
tii* 1733. §.2. *cor. Emo D. Card. Aldro-
vando*.

Quin attendi poſſet ad probandam adhuc litis exiſtentiam, quod in dicta renuntiatione Joſeph ſibi reſervaverat pro quiete conſcientiæ ſuæ exquirere Conſilium Sapientum — *Il tutto da effettuarſi a Conſiglio de Savj per eſcluderſi da ogni ſcrupolo di coſcienza* —; Quoniam hujuſmodi præſervativa habilis viſa non fuit infringere efficaciam dictæ renuntiationis præcedentis litis extinctivæ; Quia ea appoſita non fuit per modum conditionis, & ſub pæna actus reſolutiva,

Digitized by Google

va, quatenus ſapientum conſilium non
exquireretur, ſed tantum adjecta legi-
tur per modum declarationis, ſeu per
5 viam modi; In quibus terminis hujuſ-
modi defectus inducere non poterat ef-
fectum reſciſſorium præcedentis renun-
tiationis, ſed ſolummodo ex ea oriri po-
terat actio ad exquirendum Conſilium
Sapientum; juxta theoricam *Bart. in
leg. quibus diebus §. Terminus n.3. ibiq;
Socein. n.8. ff. de condit. , & demonſtr.*;
Menoch. conſ.449. n.7.; *Gabr. conſ.5.
n.9.*; *Facbin. lib.1. contr.10.*; *Rot. de-
ciſ.46. n.10. cor. Arguel., & in d. Com-
poſtellana Paroehialis de Maymenta
13. Martii 1733. §.6. cor. Emo D. Card.
Aldrovando*.

Verum ad removendam quamcun-
que difficultatem ſuper intelligentia
prædictæ renuntiationis, illico præſto
erat tum altera renuntiatio facta ab eo-
dem Januario in ſupplici libello Epiſco-
po porrecto, ut dignaretur amicabilem
eligere Compoſitorem; qui Jura par-
tium componeret, tum ſubſequutum
Laudum prolatum a Vicario in Com-
poſitorem ab eodem Epiſcopo electo,
quod plenariam habuit executionem
quoad omnia in eo demandata, & a quo
nulla ex parte Januarii fuit interpoſita
6 appellatio; Hujuſmodi enim Laudum
ſic acceptatum ſignanter a Januario, ta-
lis eſt efficaciæ, ut operetur cujuſcun-
que litis extinctionem, non ſecus, ac ſi
ea per ſolemnem tranſactionem abſo-
luta fuiſſet; ad tradita per Doctores *in
auth. ſi vero contingeret Cod. de Judic.*;
Gratian. diſcept.755. n.2., *Urecol. de
tranſact. quæſt.8. n.41.*; *Rot. dec.833.
n.2. cor. Dunoz. Jun., & dec.202. n.9.
cor. Celſ.*

Et hinc inutiliter redargui poſſe vi-
debatur idem laudum de nullitate, ut-
pote prolatum abſque Partis citatione;
Siquidem hoc quoque inſubſiſtens pror-
ſus apparuit, atenta electione ab Epi-
7 ſcopo facta in perſonam ſui Vicarii,
qui deputatus fuit cum omnibus oppor-
tunis facultatibus, nedum in Arbitrum,
ſed etiam in Arbitratorem, atque ami-
cabilem Compoſitorem; In quibus facti
circumſtantiis pro prolatione ejuſdem
laudi ſperni poterat quæcunque forma
Judicialis, ut optime diſtinguendo tra-
dunt *Abb. in cap. Quinta Vallis n.4. de
jur. jur.*, *Marant. in Prax. par.4. ar-
tic.14. n.3. verſ. Arbitrat.*; *Rot. dec.38.
8 n.3. par.5. recen.*, & proferri nedum
abſque Partis requiſitione, ut firmavit
Rot. dec.26. n.1. part.4. tom.1. recen.,
9 verum etiam ſine ulla earundem par-
tim citatione; ut rejecta opinione *Bald.
in cap.1. n.10. de inveſtit. marit. fact.*,
communiter docent *Socein. in leg. Si
quis Arbitr. ff. de verb. oblig.*, & ibi
Doctores; *Salicet. in leg. Societatem
num.13. ff. pro Soc.*, *Angel. conſ.367.
n.10. verſ. Sed quia*, *Carol. Anton. de
Luc. ad Gratian. diſcept.172. num.5.*,
Card. de Luc. de Judic. diſc.11. num.20.,
*Rot. dec.307. n.12. part.15. recen., &
dec.70. n.1. cor. Buratt.*

Ultraquamquod ex depoſitione plu-
rium Teſtium, quibus, utpote de fa-
10 cto proprio deponentibus, & optime
informatis, plena eſt præſtanda fides,
conſtabat, idem laudum prolatum fuiſ-
ſe a d. Vicario prævia matura negocii
diſcuſſione, & partibus pluries auditis;
11 quibus poſitis, etiam juxta opinionem
eorum, qui requirunt formam judicia-
lem, & ſignanter citationem Partis ad
ferendum laudum ab Arbitratore, &
amicabili Compoſitore, eadem citatio
omitti poterat; cum ad ejuſdem vali-
ditatem, & legitimam prolationem ſa-
tis ſuperque ſit, ut Partes auditæ fue-
rint, & aditum habuerint ad deducen-
dum eorum jura, juxta diſtinctionem,
de qua *Bald. in leg. final. n.9. verſ. Se-
cundus caſus Cod. de contrahen. empt.*,
& conſ.64. lib.13., *Aldobrand. conſ.59.
n.6.*, *Rot. dec.2. de arbitr. cor. Creſcen.*,
d. dec.70. n.2. cor. Buratt., *dec.26. n.7.
in fin. par.4. tom.1., & dec.307. n.13.
par.15. recen.*

Tandem hæc omnia extra quamcun-
que controverſiam reducebantur ea
animadverſione, quod Januarius non
12 ſolum tacite acceptavit idem laudum,
cum a tempore ſcientiæ ejuſdem nul-
lam interpoſuerit intra terminum Juris
appellationem, ut tradunt *Jo: Baptiſta
de S. Blaſio in tract. de arbitr. quæſt.71.
n.44. par.2.*, *Rot. dec.136. n.1. coram
Duran.*, *dec.46. n.15. cor. Arguell.*, *&
in d. Compoſtellana Paroehialis de May-
menta 13. Martii 1733. §.7. confirma-*

ta 11. Maii ejuſdem anni §. Cæterum cor. Emo D. Card. Aldrovando; verum etiam expreſſe, quia Januarius nunquam conqueſtus fuit de eodem laudo, ſed unice exoptabat, ut ſibi præſtaretur ab eodem Joſepho defuncto etiam ducat. ſeptem pro eo triennii tempore, quo fructus ſub ſequeſtro permanſerunt, prout conſtat ex prædictorum Teſtium depoſitione; Ideoque poſita hujuſmodi ſive tacita, ſive expreſſa prædicti laudi acceptatione nullus amplius ſubeſſe poterat locus, ut contra illud poſſet aliqua exceptio proponi;

13 quippe quia ea etiam admiſſa, adhuc tamen valeret in vim pacti, ſeu conventionis, ſecundum *Gloſſ. in leg. 2.*, ibique Doctores *Cod. commun. utriuſque Judic.*, *Socin. conſ. 85. in princip. lib. 1.*, *Pariſ. conſ. 46. num. 16. lib. 1.*, *Gratian. diſcept. 755. n. 34.*, *& ſeq.*, *Afflict. dec. 117. num. 5.*, *Rot. dec. 588. n. 1. par. 1.*, *& dec. 156. n. 4. par. 6. recen.*, *& dec. 136. n. 7. cor. Duran.*

Quamobrem cum ſemper firmum remaneat, quod præcedens lis inter Jo-

14 ſephum, & Januarium extincta penitus fuerat per ſolemnem renuntiationem ejuſdem litis ſemel, atque iterum repetitam a prædicto Januario, & efficacius per ſubſecutum laudum, ſeu arbitramentum Vicarii abunde acceptatum, atque executum, perneceſſe ſequebatur, literas, quas idem Januarius obtinuit, inexequibiles prorſus eſſe ob defectum verificationis exiſtentiæ litis, quæ fuit præcipuum earundem fundamentum, ac per conſequens inſtitutio-

15 nem concedendam eſſe Michaeli, tanquam præſentato a majori parte legitimorum Patronorum, juxta *Textum in cap. quoniam 3. de Jurepatronat.*, *Rot. dec. 111. poſt Vivian. eodem tract.*, *deciſ. 438.*, *& 534. utrobique n. 1. coram bon. mem. Molin.*

Et ita audito tantum Michaele reſponſum fuit.

MONOPOLITANA ASSOCIATIONIS.

Ven. 20. Februarii 1739.

ARGUMENTUM.

Præſcriptio viæ executivæ contra Defunctum cepta non impeditur ab ignorantia Succeſſorum, ad differentiam præſcriptionis ipſius crediti. Cætera habes in argumento Deciſionis CVI.

SUMMARIUM.

1 *Aſſociatio eſt remedium executivum.*
2 *Via executiva præſcribitur lapſu 30. annorum*;
3 *Et per decurſum ejuſdem temporis clauſula* Conſtituti *inefficax remanet.*
4 *Dicta autem præſcriptio viæ executivæ cepta contra defunctum perficitur contra Succeſſores quamvis ignorantes, ad differentiam præſcriptionis ipſius crediti.*
5 *Ante expeditionem mandati creditum eſt omnino liquidandum.*
6 *Ubi æſtimatio fieri debet in vim pacti expreſſi, lapſus longi temporis non concludit ejus interventum*;
7 *Ac antequam illa fiat, pretium remanet incertum.*
8 *In judicio aſſociationis identitas bonorum probari debet per certa, & indubia argumenta, non vero per præſcriptiones,*
9 *Aut æquivocas probationes,*
10 *Cujuſmodi eſt nuda denominatio.*
11 *Etiam in antiquis requiritur aut verificatio duorum confinium, aut certa uniformitas denominationis loci, una cum confine invariabili.*

DECISIO CXXXVI.

Cum viribus undique ſubſiſtere apparuerint fundamenta meæ præteritæ deciſionis editæ ſub die 28. April. 1738., in qua tum ex capite nullitatis, tum injuſtitiæ conceſſa fuit reſtitutio in integrum Monaſterio, & Monialibus S. Martini Civitatis Monopolis adverſus mandatum de aſſociando ad poſſeſſionem prædii Operarum 58. olivarum ab A. C. relaxatum favore Conventus, & PP. Carmelitarum ejuſdem Civitatis, merito Domini dubio per Me hodierna die propoſito — *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis* — reſponderunt — *In deciſis*.

Iterum ſiquidem ſubſiſtere viſum fuit primum meæ deciſionis fundamentum conſiſtens in nullitate ſuprad. mandati

1 ab A. C. relaxati; Quoniam cum hujuſmodi aſſociationis remedium, quo

ege-

egerunt memorati PP. Carmelitæ adverſus d. Monaſterium S. Martini, ſit abſque ulla difficultate executivum; ex firmatis per *Rot. Maceraten. deciſ.*94. *n.*13., & per hoc noſtrum Sac. Auditorium *in dec.*187. *n.*18. *par.*10., *dec.*385. *n.*1., & *dec.*386. *n.*13. *par.*15. *recen.*, & *dec.*31. *in fin. cor. Carill.*, *dec.*77. *n.*9. *cor. Celſ.*, *dec.*391. *n.*26. *cor. Bich.*, *dec.*60. *n.*15., & *dec.*112. *n.*8. *cor. Anſald.*, & *dec.*489. *n.*4., & *dec.*941. *n.*3. *cor. bon. mem. Molines*, & firmavit præcedens deciſio §. *Et ſane in princ.*, ſtatim exinde conſequitur, quod hujuſmodi actio executiva exerceri nequibat, poſtquam a tempore venditionis controverſi prædii factæ a quondam Vito de Aloyſiis cum reſervatione dominii, effluxerat lapſus nonaginta annorum; quippe quia per ſimilem temporis decurſum præſcripta abſque dubio remanſerat via executiva; ad cujus de
2 cætero effectum unice ſufficeret lapſus trigiuta annorum, ut præter authoritates relatas in præcedenti *deciſione*, quæ revidetur §. *Et ſane* tradunt *Card. de Luc. de hæred. diſc.*117. *n.*4., *Rot. dec.*264. *n.*12. *part.*7., *dec.*125. *n.*2. *part.*8., *dec.*67. *num.*6. *part.*9. *tom.*1., *dec.*32. *n.*28., & *dec.*69. *n.*4. *part.*15. *recen.*, & *dec.*342. *n.*2. *cor. clar. mem. Card. Caprar.*

Potiſſimum quia præſens judicium aſſociationis totum pendet a clauſula
3 *Conſtituti*, quæ prorſus inefficax, & inoperativa remanet, quoties Conſtitutarius alium per tanti temporis ſpatium poſſidere permittit; ad tradita per *Tiraquell. de Jur. Conſtitut. limit.*21., *Poſth. de Manut. obſerv.*20. *n.*39., *Rot. dec.*170. *n.*12. *poſt Pacific. de Salvian.*, *dec.*634. *n.*5. *part.*1., & *dec.*357. *n.*7. *part.*19. *rec.*, *dec.*187. *n.*7., & *dec.*261. *n.*18. *cor. bon. mem. Molines*.

Quin obſtare valeat, quod judicium aſſociationis ſit remedium poſſeſſorium imperſcriptibile, & exerceri valeat etiam contra tertios poſſeſſores; quia quidquid ſit de hujuſmodi aſſumpto, quod DD. in præſenti non putarunt examinandum, cum ſuas particulares habeat limitationes, hoc unum eſt certum, quod tale remedium fuit coram A. C. intentatum, & abſolutum actione tantum executiva, quæ poſt lapſum nonaginta, & ultra annorum erat procul omni dubio præſcripta, nec poterat ullo pacto competere, ut ſupra firmatum fuit d. §. *Et ſane in fin.*

Et hinc inutiliter iidem PP. Carmelitæ ad effectum impediendi curſum præſcriptionis actionis iterum confugiebant ad eorum ignorantiam, propter quam prius agere non valuerunt; Quandoquidem hujuſmodi diffugium
4 locum habere poſſet, quoties ageretur de inducenda ex hujuſmodi longiſſimi temporis ſpatio præſcriptione crediti, quod habere contendunt PP. Carmelitæ, nunquam vero procedere poteſt, quando prout in caſu, agitur de inducenda præſcriptione actionis executivæ; In his enim terminis ad differentiam alterius caſus, opus quidem non eſt probare poſitivam ſcientiam Creditoris, ſed ſatis eſt, ut intercedat nudum factum, & pura negligentia in agendo, quæ operatur, ut præſcriptio cepta contra defunctum, ſicque contra Perſonam habilem, optime perficiatur contra Succeſſores quamvis ignorantes, ut firmatum fuit *in Deciſione*, quæ revidetur §. *Nec obſtat*.

Quamvis autem hæc ſola actionis incompetentia ſufficeret ad denegandam executionem mandato ab A. C. relaxato: nihilominus Domini habuerunt etiam præ oculis ejuſdem mandati injuſtitiam, quæ clare deducebatur ex incertitudine, & illiquiditate crediti, pro quo d. mandatum relaxatum extitit; Siquidem licet venditio controverſi prædii facta videatur pro ſumma ducatorum 3917., adhuc tamen eademmet die ſtipulatum apparet aliud Inſtrumentum, quo expreſſe declaratum fuit, dictum pretium ſimulate, ac ficte enuntiatum extitiſſe, atque venditionem fuiſſe peractam pro pretio a Peritis hinc inde poſtea eligendis liquidando; Quamobrem cum d. æſtimationem ſubſecutam fuiſſe non probetur, ſemper verum remanet creditum, pro quo re-
5 laxatum fuit mandatum, eſſe penitus incertum, & illiquidum, ac per conſequens d. mandatum haud quaquam concedi poterat, cum ante ipſius expeditionem creditum eſſet omnino li-

Digitized by Google

quidandum, ut præter auctoritates in præcedenti *deciſione* adductas §.*Clarior circa medium* alias firmavit *Rot. in rec. dec.143. n.7., & dec.161, n.27, par.6., & dec.131. num.7., & 8. par.12., & dec.179. n.6., & 7. part.16., & cor. clar. mem. Card. Caprar. dec.352. n.3.*

Nec præſumi poterat enuntiatam æſtimationem interveniſſe poſt lapſum adeo longi temporis, & quidem juxta præciſum pretium ducat.3917.; Animadverſum enim fuit, quod hujuſmo-
6 di lapſus temporis concludere non poterat, ſubſecutam fuiſſe dictam æſtimationem; Nam in caſu non agitur de probando pretio per conjecturas, & præſumptiones, ſed quidem verſatur in pacto expreſſo, & a partibus volito in ſubſequenti Inſtrumento, de liquidando ſcilicet intra menſem pretio controverſi Prædii mediante Peritorum electione; Qua de re cum in facto hacte-
7 nus probatum non fuerit dictam æſtimationem, ſeu liquidationem interveniſſe, ſane dubitari non poterat, quin pretium Prædii adhuc eſſet incertum, ut firmatum fuit *in Deciſione*, quæ revidetur *d. §. Clarior in fin.*

Alterum quoque his addebatur injuſtitiæ caput, conſiſtens in eo, quod
8 PP. Carmelitæ minime concludenter probarunt, ut opus erat, in hoc Judicio Aſſociationis identitatem controverſi Prædii nunc exiſtentis penes Monaſterium S. Martini, & quidem non præſumptive, ſed per certas, & indubias probationes ex notatis per *Redenaſc. conſil.21. n.5. & ſequen., Rot. dec.520, n.40. part.14. rec., dec.280. n.10. cor. Duran., dec.306. n.8. cor. Cerr., & deciſ.623. num.3. coram cl. me. Card. Caprara*,

Nullam ad hujuſmodi effectum promerentibus conſiderationem Teſtibus ab eiſdem PP. Carmelitis adductis; Nam quidquid ſit de eis tamquam formiter non repetitis, & de auditu deponentibus, ſedulo ponderarunt DD., quod licet ipſi deponant de identitate hujus Prædii per denominationem Loci, nempe *la Pezza di S. Luca*, per confinem invariabilem, hoc eſt *la via Pubblica*, & per expreſſionem alterius confinis, nimirum *Beni de i Caleſati*; Nihilo tamen minus nulla ex dictis demonſtrationibus probare valet indubitatam dicti Prædii identitatem; Quia
9 quoad confine illud invariabile *la via Pubblica*, utpote æquivocum, & aliis quoque bonis conveniens, nulla in eo conſtitui valet identitatis probatio, quia hæc demonſtrari nequit per æquivocas probationes; ut dixit *Rot. dec.96. n.4. & 7. part.7., dec.198. n.4. part.8., & dec.378. n.25. par.9. rec., dec.61. n.12., & dec.84. n.3. cor. Bich., & deciſ.616. n.11. cor. bo. me. Molines.*

Multo minus ea probari poterat per denominationem Loci, nempe *la pezza di S. Luca*: Quia hæc etiam demonſtratio æquivoca eſt, & conveniens aliis Prædiis, cum in hoc Loco multi alii ſimilia poſſideant Oliveta; ideoque ſi
10 ſumatur hæc denominatio ex ſe ſola, nullam prorſus conſtituit identitatis probationem; juxta *Theoric. Bartol. in leg. Demonſtratio falſa, ubi Caſtren. n.5. ff. de condit., & demonſtrat.*, de qua *Rot. dec.132. n.8. cor. Buratt., deciſ.42. n.6. & 7. cor. Peutinger., dec.49. n.3. cor. Emer. Jun., dec.467. n.9. cor. Caprar., & deciſ.687. n.6. cor. bo. me. Lancetta*,

Neque hoc ipſum probare valet, quoties hujuſmodi denominatio Loci conjungeretur cum altero confine *Beni de i Caleſati*; Quoniam etiam in antiquis re-
11 quiritur, aut verificatio duorum confinium, aut certa uniformitas denominationis Loci, una cum confine invariabili, cujus ſane generis non eſt illud, quod exprimitur ſub nomine *Beni de i Caleſati*, ut de prima propoſitione firmavit *Rot. dec.214. n.8. part. 10., deciſ. 323. n.9. par.12., dec.170. n.2. par.18., & dec.643. n.13. par.19. rec., dec.166. n.2. cor. Coccin., dec.538. n.9. coram bo. me. Molin., & deciſ.14. n.7. tit. de Cenſ. cor. cl. me. Card. Falconerio*, & de ſecunda, hoc eſt de uniformitate denominationis Loci cum confine invariabili firmat pariter, *Rot. dec.88. num.14. & 16. part.7., deciſ.811. n.14. part.8. rec., dec.137. n.8. cor. Emer. Jun., deciſ.10. n.10. cor. cl. me. Card. Caprara, dec.13. n.5. cor. bo. me. Lancetta, dec.36. n.9. cor. bo. me. Molin., deciſ.1. n.12. tit. de fideicomm., & d. dec.14. num.6. tit.*

Digitized by Google

tit. de Cenſ. coram eodem Card. Falconerio.

Et ita &c. utraque &c.

ROMANA CAMBII.

Ven. 6. Martii 1739.

ARGUMENTUM.

Cambium tam quoad ſortem, quam quoad fructus ſaltem loco damnorum,& intereſſe reviviſcit, ſi res præſertim fructifera in ejus extinctionem Creditori adjudicata evincatur, ſive adjudicatio voluntaria fuerit, ſive judicialis. Ceſſio reportata in actu dimiſſionis Crediti, vel proprii, vel authoris, eſt extinctiva, reportata vero in actu dimiſſionis Crediti alieni, eſt translativa.

SUMMARIUM.

1 *Obligatus in ſolidum habetur tanquam principalis debitor.*

2 *Mandatum relaxatum pro cambio extincto eſt injuſtum.*

3 *Evicta re Creditori adjudicata pro extinctione Cambii, iſtud reviviſcit tam quoad ſortem, quam quoad fructus debitos ſaltem loco damnorum, & intereſſe;* & ſub num. ſeq.

4 *Cambium enim proprie extinctum non dicitur, ubi res adjudicata perpetuo, & irrevocabiliter non eſt permanſura penes Creditorem;*

5 *Fructuſque, ut ſupra, loco damnorum & intereſſe præſertim debentur, ubi res evicta erat fructifera, & adeſt promiſſio evictionis cum obligatione omnium damnorum, & intereſſe.*

6 *Haecque procedunt, ſive adjudicatio fuerit voluntaria, ſive judicialis.*

8 *Explicatur* Text. in leg. ſi ob cauſam Cod. de evict.

9 *Baldus & Burgund. laudantur, & declarantur.*

10 *Actiones defuncto competentes tranſeunt tam active, quam paſſive in ipſius hæredes, ſive mediatos, ſive immediatos.*

11 *Ceſſionarius a Creditore reportans ceſſionem translativam agere poteſt proCrediti conſecutione contra bona Debitoris.*

12 *Heres hæredis dicitur hæres Teſtatoris, & experiri poteſt omnia jura eidem Teſtatori competentia.*

13 *Ceſſio reportata in actu dimiſſionis debiti vel proprii, vel auctoris, eſt extinctiva;*

14 *Reportata vero in actu dimiſſionis debiti alieni eſt translativa, & actionem præbet contra quoſcunque obligatos pro debito extincto.*

15 *Solutio ſuam habens cauſam expreſſam nequit ad aliam diverſam, & contrariam referri.*

16 *Reſervatio præſervat jura, & actiones Reſervantis illæſas, ac veluti antea exercibiles.*

17 *Ubi Creditum eſt fructiferum, ſolutio cenſetur facta prius in cauſam fructuum, quam ſortis.*

DECISIO CXXXVII.

Hyppolitus Maria Urſinus uſque ab anno 1683. creavit Cambium in ſorte ſcut.2000. favore March. Franciſci Ruſpuli ad rationem ſcut.3. 80. pro quolibet centenario, & anno; Cumque in dicto paſſivo Cambio ipſe Hyppolitus nonniſi nudum, purumque nomen haberet, in ſucceſſivo immediato Inſtrumento Dux Flavius,& Princeps Lelius Fratres de Urſinis bonam fidem recognoſcendo, ſeſe ipſos Debitores declararunt prædicti Cambii, ac in ſolidum obligarunt pro relevatione, & indemnitate ejuſdem Hyppoliti, contra quem pro fructibus decurſis, & non ſolutis, ſortiſque etiam reſtitutione de anno 1693.judicialiter egit coram A.C. Marchioniſſa Hieronyma Ruſpuli, & adminiſtratorio nomine Hæreditatis prædicti March. Franciſci Creditoris mandatum obtinuit pro dictæ ſortis reſtitutione, fructuumque ſolutione, ac ejuſdem vigore mandati ſibimet adjudicari promeruit pro ſcut,800., nempe pro rata ſcut,35. in cauſam fructuum, & pro reliqua rata ſcut.765. in diminutionem ſortis Villam nuncupat. *li Piſciarelli*, qua tamen paulo poſtea expoliata remanſit a quond. Dominico Rita Creditore anteriori ejuſdem Hyppoliti.

Cupiens Antonia Pepuli Uxor,& hæres beneficiata memorati Hyppoliti ex integro hujuſmodi extinguere Cambium, devenit in pluribus vicibus ad nonnullas ſolutiones conſtituentes ſummam

Digitized by Google

mam ſcut.1104.28., quæ ceſſerunt in diminutionem ſortis,& aliorum ſc.795. in cauſam ſimiliter decurſorum fructuum, pro quibus ſemper translativam Jurium ceſſionem reportavit.

Poſt obitum hujus Antoniæ Pepuli, cujus ex Teſtamento hæres fuit Princeps Franciſcus Maria Ruſpuli, moderni Emus D. Cardinalis, & D. Princeps Fratres de Ruſpulis tam uti mediati hæredes prædictæ Antoniæ Pepuli, quam uti filii, & immediati hæredes d. Principis Franciſci Mariæ eorum Patris, in Judicio pulſarunt Patrimonium Urſinum pro integra ſolutione ſortis,& fructuum decurſorum, atque mandatum petitioni uniforme ab R.P.D. A.C. Guglielmi reportarunt.

A mandato iſtiuſmodi delegata mihi Cauſa ex Signaturæ Juſtitiæ reſcripto -- *Si quid exequendum* -- impetrato ad inſtantiam recenſiti Patrimonii Ducis Flavii, & Principis Lelii de Urſinis, in Rota diei 26.Januarii proxime præteriti propoſitum per me extitit conſuetum dubium -- *An mandatum A.C. ſit exequendum* --, ſed cum attenta ſuffragiorum ſciſſura nulla tunc capta fuerit reſolutio, in hodierna idem repropoſui dubium,cui Domini reſponderunt -- *Affirmative* --

Ex eo nimirum, quod præmiſſa ejuſdem mandati validitate, ſuper qua inter Collitigantes nulla ſuboriebatur difficultas, illius quoque Juſtitia minime in dubium revocata fuit;Siquidem quia ſingillatim DD. perſcrutantes Credita, pro quibus agebant laudati Principes Fratres de Ruſpulis, in primis conſiderarunt illud, quod petunt tamquam hæredes Principis Franciſci Mariæ Patris, conſiſtens in reſiduali ſorte ſc.895. 72., quæ inexacta remanſerat poſt ratam extinctionis Cambii factæ a ſupradicta Antonia Pepuli; Et quoad iſtud cum originem ducat a duobus publicis Inſtrumentis, creationis nempe, & recognitionis bonæ fidei a Duce Flavio, & Principe Lelio de Urſinis emiſſæ, atque liquidatum appareat ex calculo undique juſtificato, & coram A. C. concordato, ambigendum idcirco non erat, quin mandatum pro hac reſiduali ſumma Capitalis, illiuſque fructibus relaxatum, eſſet exequendum contra illorum bona hæreditaria; Quippe quia ipſimet Fratres de Urſinis recognoſcentes bonam fidem, ac ſeſe iu ſolidum

1 obligantes pro hujuſmodi Cambio, cenſeri debent tamquam principales Debitores, acſi ab initio proprio nomine ipſimet contraxiſſent, ut late probat *Cenc. de Cenſ. quæſt.27.n.22. verſ. & ſine dubio*, *Rot. dec.104.n.10.*, *& dec. 346. n.5.*, *& dec.534.n.1.poſt eundem Cenc. de Cenſ.*, *& dec.27.n.5.tit. de ſolution. cor. cl. me. Card. Falconerio*.

Nullimode attenta tamdiu inculcata hujuſmodi ratæ Cambii extinctione ob ſubſecutam adjudicationem Villæ *de Piſciarelli* pro pretio ſcut.800. obtentam vigore mandati A.C. a Marchioniſſa Hieronyma Ruſpuli, propter quam cum extinctum diceretur prædictum

2 Cambium, relaxari pro eo non poſſe prætendebatur recenſitum mandatum, niſi cum evidentiſſima injuſtitia; ad firmata per *Rot. dec.551.n.2. cor. Bich.*, *dec.270. n.4. cor. Cavaler.*,*dec.540. n.1. poſt Cenc. de Cenſ.*, *& dec.13. n.1. tit. de ſolution. cor. clar. mem. Card. Falconerio*.

Quandoquidem cum eadem Villa *de Piſciarelli* adjudicata præfatæ Mar-

3 chioniſſæ Ruſpuli vigore mandati A.C. fuiſſet ex poſtea evicta a Creditore anteriori prævio altero Judiciali mandato, Cambium cepit illico reviviſcere tam quoad ſortem, quam quoad fructus debitos ſaltem loco damnorum, & intereſſe, ut tradunt communiter *Faber. de error. pragm. Decad.100. error.7.*, *Arias de Meſ. var. reſol. lib.1. cap.28. n.13. & 14.*,*Mangil. de evictione. quæſt. 114. n.22. & ſequen.*, *Merlin. Pignatell. contr. for. cap.37. n.12.*, *Rot. deciſ.298. n.23. par.10. recent.*, *dec.471. n.5. & 9.*, *cor. bon. mem. Molines*, *deciſ.1060. n.25.*, *& dec.1095. n.2. & 3. cor. bon. mem. Lancett.*, *& in Romana Pecuniaria ſuper reſervatis 10. Februarii 1738. §.7. coram R. P. D. meo Vicecomite*.

Ea adſtipulante ratione, quod tunc proprie hujuſmodi rata Cambii extincta dici poſſet per d. adjudicationem Villæ *de Piſciarelli*, quotieſcunque Marchioniſſa Ruſpuli illius dominium vere, & ir-

& irrevocabiliter acquiſiviſſet; Cum
autem eadem Marchioniſſa irrevocabi-
le ipſius Villæ dominium adepta non
fuerit, ob ſubſecutam illius vindicatio-
nem a Creditore anteriori factam; ſta-
4 tim ipſa reditum fecit ad ſua primæva
Jura, atque repetere ex hoc merito po-
teſt fructus ſui Cambii, quos ſane per-
cepiſſet, ſi adjudicatio ſequuta non fo-
ret, ut obſervant *Merlin. Pignatell.*
controv. forenſ. cap.27. n.7., & ſeq.,
Rot. dec.872. n.3. cor. Seraph., dec.300.
n.2., & 3., & dec.530. n.12. poſt Cenc.
de Cenſ., dec.208. n.18. par.5. tom.1.,
dec.6. n.9. part.11., & dec.20. n.20.
par.18. recen.

Præcipue quia Marchioniſſa Ruſpuli
in excomputationem, ſeu diminutio-
nem d. ratæ Capitalis Cambii recepe-
5 rat rem, quæ de ſui natura erat omni-
no fructifera, ac inſuper in Inſtrumen-
to adjudicationis ejus favore adjecta
fuerat expreſſa evictionis promiſſio una
cum obligatione omnium damnorum,
& intereſſe; In his enim terminis eo for-
tius ſequuta evictione rei, quæ in ſo-
lutum adjudicata fuerat, reviviſcere
debebat hujuſmodi Cambium, & re-
producere fructus ſi non tanquam a
Cambio provenientes, certiſſime ta-
men loco damnorum, & intereſſe pro-
miſſorum actione ex empto; juxta di-
ſpoſitionem *Text. in leg. Si prædium Cod.*
de eviction., leg. Si tradit Cod. de action.
empt., Card. de Luc. de Cenſ. diſc.15.
n.3., Surd. dec.266. n.4., Rot. dec.106.
n.7. par.17. recen., dec.1068. n.27., &
dec.1095. n.3. cor. bon. mem. Lancett.

Et hinc inutiliter replicabatur, quod
hæc omnia procedere tantum poſſent,
quatenus ageretur de adjudicatione
facta per ſimplicem Partium volunta-
tem, non autem quando, ut in caſu,
agitur de adjudicatione facta auctore
Prætore, cum in hoc themate, ſi ex
poſt ſequatur evictio rei adjudicatæ,
nihil imputari poſſit ipſimet debitori,
qui ſolummodo teneretur ad præſtan-
dum pretium rei evictæ, non vero ad
fructus illius; juxta *Text. in leg. Si ob*
cauſam Judicati 13. Cod. de evict., de
quo *Bald. ante n.1. verſ. nam evictio-*
ne ſequuta, & Burgund. de Eviction.
quæſt.34. n.3.

Siquidem diſtinctionem huju. o .i
nullam in Jure ſubſiſtentiam habere
Dominis viſum fuit; Cum nulla ſit diſ-
par ratio, cur in deliberatione, ſeu adju-
dicatione voluntaria debeantur etiam
fructus poſt reviviſcentiam Cambii,
non autem in adjudicatione facta cum
mandato Judicis; nam in utroque caſu
evictio ſuperſequuta dicitur ex facto,
& culpa debitoris, qui bona delibera-
ta, ſeu adjudicata præcedenter obliga-
6 verat. Ac proinde ſicuti ſine prorſus
difficultate fructus debentur in caſu re-
ſolutæ adjudicationis procedentis ex fa-
cto voluntario debitoris, ita debiti di-
ci debent in alio conſimili caſu adjudi-
cationis judicialis poſt d. ſequutam evi-
ctionem, ut ex identitate rationis de-
7 ſumendo argumentum in puncto; *Ale-*
xand. conſ.11., Signorol. conſ.73., Ti-
raquell. de utroque retract. §.1. Gloſſ.
14. n.13., Mangil. de Evict. quæſt.73.
n.21., Gratian. diſcept. forenſ. cap.4.,
Surd. dec.266. per tot.

Nec facit in oppoſitum adductus *Text.*
in leg. Si ob cauſam 13. Cod. de evict.;
8 Cum in ſubſtantia in dicto Textu, non
aliud legatur, niſi quod res vendita in
cauſa Judicati, non poſſit per debito-
rem evinci, & ſi ab alio evincatur,
quod ipſemet debitor de evictione te-
neatur, & hæc, ut eſt clarum, nil pe-
nitus commune habent in caſu.

Baldus vero, & *Burgund.* mox ſupra
allegati tantum abeſt, quod firment ali-
9 quid in contrarium, ut potius mirifice
ad intentum concludant; dum primus
expreſſe dicit, quod in adjudicatione
judiciali, ſequuta evictione, pretium
ſolutum, & uſuræ repeti poſſunt, ibi --
Et petiit etiam uſuras -- Et ſecundus
ſimiliter, quod in evictionis eventum
ad pretium, ejuſque uſuras poſſit de-
bitor conveniri: Et hoc apprime intel-
lexerunt Domini firmare; dum ſequu-
ta evictione fundi adjudicati, ad ſor-
tem, & fructus patrimonium Urſinum
condemnandum putarunt.

Quin poſſit convolari ad aſilum,
quod cum evictio proceſſerit ex cauſa
debiti anterioris Hyppoliti, non liceat
Actoribus pro emendatione evictionis
agere adverſus patrimonium dd. Fra-
trum de Urſinis. Eſt etenim in prom-
ptu

ptu reſponſio, quod Antonia Pepuli
immediata hæres memorati Hyppoliti,
qui per prius enuntiatam Villam *de*
Piſciarelli amiſerat ex adjudicatione
ſequuta propter debita propria ſupra-
dictorum Fratrum, poterat ſine dubio
contra eoſdem Fratres actiones diri-
gere pro relevatione damnorum; Et
per conſequens conſimili prorſus actio-
ne poſſunt in hodierna actitare Emus
D. Cardinalis, & Princeps de Ruſpulis
uti hæredes mediati ejuſdem Antoniæ;
Cum nota ſit Juris regula, quod actio-
10 nes defuncto competentes tranſeunt
tam active, quam paſſive in omnes
ipſius ſive immediatos, ſive mediatos
hæredes, ut ſtatuit Imperator in *Proœm.*
Auth. de jur. jur. a morient. præſtit.,
in leg. hæres in omne ff. de acquirend.
hæred., *& in leg. 2.*, *& 3. ff. de bonor.*
poſſeſſ., *Decian. conſ. 281. n. 5.*, *Burſat.*
conſ. 412. n. 18. lib. 4., *Rot. in Alatrina*
Immiſſionis 29. Aprilis 1735. §. Ratio in
med. cor. R. P. D. meo Millino.

Ex his deſcendendo ad examen al-
terius crediti, quod ex Juribus ejuſdem
Antoniæ conſequi intendunt iidem mo-
derni Principes Ruſpuli, res pariter ex-
pedita videbatur, ex quo cum prædi-
cta Antonia Pepuli in omni ſolutionum
actu tranſlativas a Creditore Cambii
reportaverit ceſſiones, in conſequen-
tiam deſcendit, quod quemadmodum
11 ipſa uti Ceſſionaria potuiſſet agere
contra bona Ducis Flavii, & Principis
Lelii de Urſinis debitorum pro hujuſ-
modi crediti conſecutione; ad *Text. in*
leg. Emptor Cod. de hæred., *vel action.*
vendit., *Cenc. de Cenſ. quæſt. 104. n. 9.*,
Merlin. de Pignor. lib. 4. quæſt. 132.
n. 2., *Olea de Ceſſ. Jur. tit. 6. quæſt. 4.*
n. 3., *Rot. dec. 440. ſimiliter n. 3. par. 14.*
recen., *dec. 16. n. 6. tit. de Reb. cred. co-*
ram clar. mem. Card. Falconer., *& in*
Romana Liberationis a moleſtiis 4. Ju-
nii 1731. §. Validitate cor. bon. mem.
Gamaches. Ita hoc idem permiſſum
eſſe debet Emo D. Cardinali, & Prin-
cipi Fratribus de Ruſpulis uti mediatis
hæredibus ejuſdem Antoniæ ex Perſo-
na Franciſci Mariæ eorum Patris, ob
illud alterum ſatis notum principium,
12 quod hæres hæredis dicitur verus Te-
ſtatoris hæres, & experiri poteſt omnia
illa Jura, quæ eidem Teſtatori compe-
tere potuiſſent, ut præter ſupra dedu-
cta diſponunt *Text. in leg. Hæredis ap-*
pellatione 65., *leg. Sciendum 70.*, *&*
leg. Hæredis 170. ff. de verbor. ſignif.,
& leg. final. Cod. de hæred. inſtit., *Rot.*
dec. 227. n. 2. part. 14. rec., *dec. 6. n. 2.*
tit. de uſur., *& dec. 61. in Miſcell. cor.*
clar. mem. Card. Falconer., *& in Ro-*
mana Hæreditatis Principiſſæ de Butero
ſuper reverſione 14. Martii 1735. §. Fi-
nali cor. Me.

Minime obſtante, quod ceſſiones
reportatæ ab eadem Antonia dijudi-
candæ ſint uti extinctivæ, & ineptæ per
conſequens ad agendum; hoc enim
procedere poſſet, quoties Antonia pro-
13 prium debitum extinxiſſet, quo caſu
ceſſiones ab ea reportatæ reſolverentur
utique in ceſſiones extinctivas, ſeu ſim-
plices quietantias, & in his terminis
loquuntur authoritates pro parte patri-
monii Urſini congeſtæ; aſt res diverſi-
mode in caſu noſtro ſe habet, dum An-
tonia Pepuli non proprium extinxit de-
bitum, neque Hyppoliti, cujus ipſa erat
hæres, ſed quidem debitum Ducis Fla-
14 vii, & Principis Lelii de Urſinis; in
quibus ſane terminis nulla poteſt ſubo-
riri dubietas, quin tales ceſſiones ſint
tranſlativæ, & aptæ ad agendum con-
tra quoſcunque pro hujuſmodi debitis
obligatos; *Leg. 1. ff. de oblig.*, *& leg. 1.*
Cod. de his, qui in prior. loc. ſuccedi.,
Duard. de Cenſ. §. 1. quæſt. 7. n. 43., *&*
ſequen., *Card. de Luc. eod. tit. diſc. 31.*
n. 3., *& 14.*, *Rot. dec. 350. n. 14. cor.*
Priol., *dec. 354. n. 4. cor. Rmo Criſpo*,
dec. 4. n. 11., *& 12. de fidejuſſ. coram*
Card. Falconerio, *in Peruſina Cenſus*
13. Martii 1734. §. Recognitum coram
R. P. D. meo Millino, *& in Fanen.*
Liberationis a moleſtiis 1. Julii 1735.
§. Non relevante coram R. P. D. meo
Buſſio.

Conſtabilita exiſtentia integri Cam-
bii favore Principum de Ruſpulis, quod
in totum aſcendit ad ſummam ſcuto-
rum 4361. 77. habito reſpectu nedum
ad originarium Cambium ſcut. 2000.,
verum etiam ad fructus uſque modo
decurſos, & ad alias pecuniarum ſum-
mas ab eodem Antonia Pepuli ſolutas,
ut ex calculo colligebatur; in caſſum
obji-

objiciebant ex eo eſſe demendam ſummam ſcutor.500. ſolutam anno 1720. Principi Franciſco Mariæ Ruſpuli per Joſephum Ambroſii, & alia ſcut.1000. ſoluta a patrimonio Urſini in cauſam legati ab eadem Antonia Pepuli relicti favore Caroli Franciſci Paciani.

Etenim partita ſcut.500. ceſſit in expreſſam, & explicitam cauſam fructuum tunc in majori ſumma decurſorum, ut clare probat Inſtrumentum tranſactionis initæ inter eundem Ambroſii, & Principem Ruſpuli, ac proinde cum hujuſmodi ſolutio ha-
15 beat ſuam cauſam expreſſam, non eſt referibilis ad aliam conventioni Partium diverſam, atque contrariam, *Card. de Luc. de Camb. diſc.30. num.9.*, *Rot. dec.329. n.6. cor. Bich.*, *dec.190. n.9. cor. Celſ.*, *dec.65. num.7. cor. Caprar.*, *& in Interamnen. Cenſuum 21. Martii 1732. §. Quandoquidem cor. R. P. D. meo Nunez.*

In nihilum adverſante, quod Princeps Ruſpuli recipiens d. ſummam in cauſam fructuum ceſſit omnia ſua Jura eidem Ambroſii; unde illicitum dicebant eſſe eam iterum expoſtulare; dum hujuſmodi objectum illico corruit ex lectione tranſactionis prædictæ, in qua idem Princeps recipiendo dd. ſcut.500. ſibi illæſa præſervavit omnia Jura agendi, & conſequendi univerſum creditum ſortis, & fructuum contra quæcunque bona debitorum; & ſeſe ulterius obligavit reſtituere dd. ſcuta 500. memorato Ambroſii, poſtquam ipſe ſatisfactus fuiſſet de ſorte, & fructibus ſæpedicti Cambii; unde poſita tali præſervativa Jurium, dubitari non poteſt, quin hodie præenuntiati Principes Ruſpuli agere poſſint pro conſecutione totius integri crediti, ex quo reſerva-
16 tionis natura ea eſt, ut Jura, & actiones reſervantis illeſæ penitus maneant, & exerceri queant eodem prorſus modo, quo antea experiri, & exerceri valebant; ad ſæpe firmata per *Rotam dec.1012. n.8. cor. Emer. Jun., dec.886. n.24. cor. bon. mem. Lancett., & dec.10. n.6. tit. de Offic. Ordin. cor. clar. mem. Card. Falconer.*

Demum nec ſupradictum creditum viſum eſt diminutum propter alteram ſolutionem ſcut.1000., quam Carolo Franciſco Paciano fecit patrimonium Urſinum; nam ſolutio iſthæc excomputata remanſit in mandato A. C. in cauſam fructuum decurſorum, prout in tali caſu excomputari debebat ex notiſſimis Juris principiis, ex quibus habetur, quod exiſtente ſimul credito ſortis,
17 ac fructuum, prius in cauſam fructuum, quam ſortis cenſeri debet ſolutio; ad *Text. in leg. In iis vero §. Imperator ff. de ſolution.*, *Rot. dec.243. n.15. par.14. recen.*, *& dec.1180. n.7. cor. Emer. Jun.*, *& dec.15. n.11. ſub tit. de Cenſ. cor. clar. mem. Card. Falcon.*

Et ita utraque Parte ſtrenue informante reſponſum fuit &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE ROMANTIIS SUPER LIBERATIONE A MOLESTIIS.

Veneris 13. Martii 1739.

ARGUMENTUM.

Omiſſio deſcriptionis ſtabilium, mobilium, jurium, & actionum operatur nullitatem Inventarii, quod propterea non impedit confuſionem actionum.

SUMMARIUM.

1 *Idem eſt Inventarium non conficere, ac nulliter conficere.*

2 *Hæres hæredis eſt hæres Teſtatoris, iſtiuſque perſonam tam active, quam paſſive in totum repræſentat.*

3 *Ad Inventarii perfectionem exigitur nedum integra ſtabilium, & mobilium deſcriptio, ſed etiam accuratiſſima eorundem mobilium adnotatio.*

4 *Ad legalitatem Inventarii ſupplendam hæres debet probare omnimodam Teſtatoris obærationem.*

5 *Quicunque præſumitur habere mobilia, proindeque eorum deſcriptio omiſſa vitiat Inventarium.*

6 *In Inventario omnia reperta in hæreditate deſcribenda ſunt cum ſuis præciſis qualitatibus;*

7 *Maxime ob intereſſe Creditorum habentium Jura Legatariis potiora.*

8 *Legatarius debet legatum accipere de manu hæredis.*

9 *Inveriſimilia non ſunt præſumenda.*

10 *Poſſeſſio ſtabilium hæreditario titulo ca-*

capta probat contra hæredem, ejuſque Succeſſores d. bona reperta fuiſſe in hæreditate defuncti;

11 *Præcipue ſi poſſeſſio capta fuerit prævia Judicis ſententia*.

12 *Evictio ſecuta poſt confectionem Inventarii non excuſat hæredem, qui bonorum evictorum deſcriptionem omiſit*.

13 *Ex totali omiſſione ſtabilium, mobilium, jurium, actionum oritur nullitas Inventarii, quæ excuſaretur ab omiſſione alicujus dumtaxat ſtabilis*. & num.21.

14 *Ex dicta totali omiſſione inducitur poſitivus dolus excluſivus bonæ fidei*.

15 *Negligentia Procuratoris in omittendo nocet Principali*;

16 *Maxime ſi negligentia ſit totalis; veluti quando nihil prorſus deſcripſit in Inventario præter legata*.

17 *Centenaria ſupplet defectus reſpicientes formam, & extrinſecas Solemnitates Inventarii*;

18 *Non vero ſubſtantiam in deſcribendo res hæreditarias*.

19 *Creditor tribuere nequit beneficium Inventarii ei, qui illud revera non habet*,

20 *Acquieſcentia non nocet Creditori jus ſuum ignoranti*.

21 *Nullitas Inventarii confundit actiones, & hæredem obligat de proprio ad onera hæreditaria*.

DECISIO CXXXVIII.

CUm Marchiones de Coccapanis pro emendatione evictionis Prædii *Caurianæ* obtinuiſſent mandatum tam contra bona hæreditaria Jo:Baptiſtæ de Romantiis evicti Prædii venditoris, quam contra bona March. Thomæ de Magnanis uti fidejuſſoris, ac ſubinde reportaſſent ab hoc noſtro Sacro Auditorio etiam *Exequatur* adverſus bona propria March. Pauli de Magnanis mediati hæredis dd. Jo: Baptiſtæ, & Thomæ ad formam deciſionis ab R. P. D. meo Nunez evulgatæ die 2. Junii anni præterlapſi, idem March. Paulus recurſum habuit ad Signaturam Juſtitiæ, a qua reportata adverſus d. *Exequatur* commiſſione cum clauſula *ſi quid exequendum*, eaque mihi directa in hodierna Audientia propoſui dubium — *An exequatur contra bona propria March. Pauli ſit exequendum* — Cui Domini *Affirmative* reſpondere minime hæſitarunt.

Et quidem prætermiſſo examine quoad mandatum relaxatum contra bona hæreditaria March. Thomæ de Magnanis, quia ſuper hoc nulla aderat inter Partes controverſia, dum idem Marchio Paulus, ob deficientiam Inventarii bonorum ejuſdem Thomæ, ultro ſeſe offerebat d. mandati executionem ſubire iu bonis propriis; reſpectu vero alterius mandati contra bona hæreditaria Jo: Baptiſtæ de Romantiis relaxati pro evictione Prædii principaliter obligati, ſuper quo unice verſatur, nulla pariter cadere poterat difficultas, quin hoc etiam mandatum exequendum eſſet contra bona propria ejuſdem Marchionis Pauli de Magnanis; licet enim Æneas Magnani Auctor ejuſdem hæreditatem Jo: Baptiſtæ de Romantiis adire profeſſus fuerit cum beneficio legis, & Inventarii, nihilominus cum de Inventario poſtmodum confecto ob ejus patentiſſimam nullitatem nulla ratio haberi poſſit, profecto præſervare non valet bona propria ejuſdem March. Pauli, illaque eximere ab executione dicti mandati;

1 quia Inventarium nulliter confectum perinde habetur, ac ſi factum nullo unquam modo fuiſſet, ut tradunt *Bald, in leg. fin. Cod. de Jur. delib.*, *Card. de Luc. de hæred. diſc.21. num.3.*, *Rot, dec.30. n.29. cor. Priol, dec.175. n.2. cor. Herrer.*, *dec.835. n.1. cor. Lancett.*, & *in Nullius, ſeu Farfen. Salviani 5. Maii 1732. §. Agnita cor. Illmo D. Corio*.

Quod ſane procedere viſum fuit, etiamſi March. Paulus non ſit hæres mediatus d. Jo: Baptiſtæ, ſed hæres hæ-

2 redis; nam regulare eſt quod hæres hæredis dicitur defuncti hæres, iſtiuſque perſonam ſive mediate, ſive immediate in univerſo illius Jure activo, & paſſivo repræſentat; per *Text. in leg. hæredis appellatione 65.*, *leg. ſciendum 70.*, *leg. hæredis 170. ff. de verb. ſignif.*, & *leg. fin. Cod. de hæred. inſtit.*, *Peregr. de fideicom. art.33. n.15.*, *Rot. dec.87. n.9.*

n.9. par.12., *& dec.514. n.20.*, *& 21.*
par.19. recen., *& in Romana Cambii*
6. Martii 1739. §.Ex his cor. Me, *&*
firmat deciſio in præcedenti inſtantia
evulgata ab R.P.D. Nunez 2. Junii an-
ni proximi præteriti §.Et ſane, *& §.Re-*
ſpectu vero.

Nullitas autem hujuſmodi Inventa-
rii in dubium deduci minime poterat,
dum ex oculari ipſius inſpectione illi-
co deprehendebatur; Cum in eo nil
aliud deſcriptum legatur, niſi quædam
Legatariorum notula, abſque eo quod
in eo reperiri poſſit ulla deſcriptio bo-
norum, mobilium, ſtabilium, pecu-
niarum, fructuum, jurium, aliarum-
que rerum ad defunctum ſpectantium;
3 quando de cætero abſolutiſſimum in
Jure eſt, quod Inventarium ad ſui per-
fectionem expoſcit nedum integram
bonorum ſtabilium deſcriptionem, ſed
etiam accuratiſſimam mobilium adno-
tationem, ad hoc, ut perfecte cogno-
ſcatur quid, & quantum fuerit reper-
tum in hæreditate defuncti, ut notant
Bald. conſ.236. n.4. lib.3., *Rolan. con-*
ſil.73. n.4., *& ſeqq. lib.2.*, *Phanucc. de*
Invent. part.3. n.31., *Palm. Nep. alle-*
gat.192. num.16., *Rot. dec.282. num.7.*
par.19. recent., *dec.80. n.16. cor. Ar-*
guel., *dec.951. n.8. cor. Lancett.*, *&*
in Firmana Immiſſionis 2. Maii 1732.
§.Haud relevante cor. Emo D., *Card.*
Rezzonico.

Abſque eo quod nullitas hujus In-
ventarii evitari poſſit, vel quia Joan-
nes Baptiſta ingenti ære alieno preſſus
deceſſit, vel quia in hæreditate defun-
cti nulla reperta fuerunt mobilia, vel
quia ſtabilia aut penes tertios exta-
bant, aut per immediatas evictiones
de hæreditate eſſe deſierint, ac propte-
rea nil penitus in hæreditate aderat,
quod eſſet deſcribendum; Sed hæc om-
4 nia in vanum ceſſerunt; nam quoad in-
gens æs alienum, quod contractum di-
cebatur a defuncto, animadverſum
fuit, quod omnia documenta ad hujuſ-
modi effectum producta probare tan-
tum poterant ſummam rei familiaris
anguſtiam defuncti, non autem omni-
modam ejuſdem obærationem ſignan-
ter ad effectum ſupplendi defectum
legalitatis Inventarii; ut conſiderat
dicta deciſio R. P. D. mei Nunez §.Sin-
gula.

Inexiſtentia vero mobilium in ip-
ſius hæreditate inutiliter opponebatur;
quippe quia in hujus objecti everſio-
nem urgebat juridica præſumptio, quod
dictus Jo: Baptiſta Romantius, utpo-
te vir nobilis habuiſſet in ejus hæredi-
tate tot mobilia, & ſuppellectilia, ſi
non ingentis pretii, & ſummæ æſti-
mationis, ſaltem tamen illa, quæ ad
ejus uſum, & cultum humanum erant
penitus neceſſaria, quorum exiſtentia
5 penes quemcunque virum ſicuti de
Jure omnino præſumitur, ita horum
omiſſa deſcriptio perneceſſe influit in
Inventarii nullitatem; ut in puncto fir-
mat *Rot. dec.658. n.3. par.19.*, *dec.728.*
n.21., *& dec.835. n.7. cor. bon. mem.*
Lancett., *dec.153. n.16. cor. bon. mem.*
Herrera, *dec.16. n.6. cor. bon. mem.*
Kaunitz, *& in Anagnina Dotis*, *&*
Augumenti 27. Aprilis 1716. §.Verum
cor. bon. mem. Cerro.

Non ſubſiſtente reſponſione, quod
mobilia ad d. defunctum ſpectantia
tradita eſſe potuiſſent propriæ famulæ
præventive, ac ante confectionem In-
ventarii, tanquam eius legata; Pla-
cuit enim reſponſio, quod cum iſta mo-
bilia ad hæreditatem Jo: Baptiſtæ Ro-
mantii indubitanter ſpectarent, non
poterat Æneas illius hæres citra In-
ventarii nullitatem ipſorum deſcriptio-
nem omittere, cum ea omnia, quæ
6 ſunt de hæreditate defuncti, debeant
omnino deſcribi in Inventario cum
ſuis præciſis qualitatibus, ex firmatis
per *Rot. dec.597. num.4. par.4. tom.1.*,
dec.279. n.13. par.10., *dec.31. num.1.*
par.13., *& dec.82. n.6. par.14. recen.*,
dec.38. n.4., *& dec.149. n.1. cor. bon.*
mem. Lancetta. Præcipue propter in-
7 tereſſe Creditorum ipſius Jo: Baptiſtæ,
qui potiora habent Jura reſpectu Lega-
tariorum; *Roland. conſ.73. n.27. lib.2.*,
& de Invent. quæſt.108. per tot., *Caſtill.*
contr.30. n.29., *Rot. dec.241. n.18. cor.*
Cerro, *dec.1108. n.21. cor. Lancett.*,
& d. deciſ. R.P.D. mei Nunez §.Singula.

Minus quoque ſuaſibile fuit Domi-
nis, quod eadem famula potuiſſet
aſportare dicta mobilia, & ſchedulas
pignorum ante ejuſdem Inventarii

confectionem, nam hujuſmodi aſportatio nunquam probata fuit, & ideo præſumi non poterat, quod Æneas hæres ſupradicti Jo: Baptiſtæ jam plene conſcius de dd. mobilium exiſtentia in hæreditate permittere voluerit, ut famula vilis de cætero conditionis, arbitratu proprio, & de facto occupaſſet, atque e domo defuncti amoviſſet mobilia,
8 aliaſque res, quas de Jure nonniſi a manibus ipſius Æneæ, uti hæredis, recipere poterat, ut docent *Bart. in leg. ſi Patronus §. Fin. ff. ad Trebell.*, *Hondeò. conſ.* 28. *n.* 12. *lib.* 1., *Caſtill. conſil.* 157. *n.* 17. *lib.* 1., *Rot. dec.* 308. *n.* 10. *par.* 10., & *dec.* 118. *n.* 8. *par.* 14. *rec.*, & *dec.* 1186. *n.* 52. *cor. bon. mem. Molines*. Quamobrem cum aſſerta aſpor-
9 tatio nimis prorſus inveriſimilis cognoſcatur præſumendum non eſt eam de facto ſequutam fuiſſe, juxta firmata per *Rot. dec.* 282. *n.* 10. *par.* 11., *dec.* 139. *n.* 13. *par.* 12., *dec.* 381. *n.* 9. *par.* 13., & *dec.* 148. *n.* 10. *par.* 16. *rec.*, *dec.* 715. *n.* 18. *cor. Cocein.*, & *dec.* 683. *n.* 11. *cor. bon. mem. Molines*.

Pro eo enim, quod attinet ad aſſ. inexiſtentiam ſtabilium, hæc inſubſiſtens in facto omnino apparuit: Siquidem ipſorum exiſtentia deſumebatur ex lectione Teſtamenti ipſius Jo: Baptiſtæ Romanii hæredem univerſalem inſtituentis d. Com: Æneam *in tutti gl'altri ſuoi Beni, Mobili, Immobili, e Semoventi*, qui hujuſmodi inſtitutionis titulo ſuffultus immediata die poſt obitum ſui Auctoris, ac per duos menſes ante confectionem Inventarii vigore mandati Judicis de immittendo, realem, & corporalem poſſeſſionem duorum prædiorum hæreditariorum, nempe *la Palazzina*, *e le Organe* apprehendit; Similis enim poſſeſſio capta a dicto Co:
10 Ænea titulo hæreditario optime probat contra ipſum ſuoſque ſucceſſores eundem Jo: Baptiſtam ſupradicta ſtabilia in ſua hæreditate, & Patrimonio reliquiſſe, *Imol. in leg. a D. Pio §. Sic quoque n.* 22. *ff. de re judic.*; *Natt. conſ.* 654. *n.* 4. & *ſeq.*, & firmat *d. deciſ. R. P. D. mei Nunez §. Aſſerebatur*.

Ulterius licet ſubinde coram eodem Judice, qui mandatum de immittendo conceſſit comparuiſſet Com: Dionyſius Caſtelli, ac circumſcriptionem petiiſſet ſupradictæ poſſeſſionis captæ a d. Com: Ænea ſub fundamento, quod ipſe eadem prædia poſſideret conductionis titulo ad livellum, adhuc tamen laudatus Judex duas protulit Sententias definitivas, in quarum prima manutentionem conceſſit Co: Æneæ hæredi Teſtamentario præfati Jo: Baptiſtæ ſuper Prędio *delle Organe*, & in altera eandem manutentionem conceſſit dicto Dionyſio Caſtelli Conductori locatione du-
11 rante ſuper altero Prædio *della Palazzina*; Ex his enim Sententiis nedum confirmatum remanet, quod Prædium *delle Organe* hæreditarium eſſet d. D. Jo: Baptiſtæ, ſed etiam alterum Prædium *della Palazzina* quoad dominium, & proprietatem, licet non quoad uſumfructum propter durationem conductionis factæ ad livellum dicto Co: Caſtello; ex traditis per *Peregr. de fideicom. art.* 44. *n.* 20., *Rot. deciſ.* 678. *n.* 5. *cor. bon. mem.* *Lancetta*, & firmat etiam d. Deciſ. R.P.D. mei Nunez.

Spreta reſponſione, quod hujuſmodi prædia poſtmodum fuerint evicta, Nam hujuſmodi evictio evenit longe poſt confectionem aſſ. Inventarii, & ideo cum de tempore ejuſdem confectionis indubitanter aderant dicta duo Prædia, eorum per conſequens deſcriptio impune omitti non poterat: Ulterius animadverſum fuit, quod dd. evictiones
12 proceſſerunt a voluntariis Bonorum dimiſſionibus per d. Co: Æneam expletis, & quidem poſterioribus confectioni hujuſmodi allegati Inventarii, ac proinde multo minus attendi poterant ad excuſandum hæredem ab illorum omiſſa deſcriptione, ut obſervat *d. deciſ. R.P.D. Nunez §. Et denique*.

Firmata igitur ſtabilium quoque exiſtentia, fruſtra dicebatur, quod eorum
13 omiſſio nullitatem Inventarii non cauſet, cum occultari nequeant, neque inducat in hærede malam, fidem ſine qua Inventarium de nullitate redargui non poteſt; Siquidem cum hujuſmodi nullitas non eruatur ex omiſſa dumtaxat deſcriptione ſtabilium, ſed totius penitus ſubſtantiæ hæreditariæ nempe Mobilium, Jurium, actionum, aliarumque rerum defuncti; in his terminis locum non

non habet regula, quod defectus alicujus ſtabilis inventarium non vitiet, dum ex totali hujuſmodi omiſſione Stabilium, Mobilium, omniumque aliarum rerum inſanabilis oritur nullitas ipſius Inventarii, quæ nullo pacto valet evitari, ut firmat *Rot. deciſ.835. n.18.& ſeq.,& dec.1016.n.22. coram bon. mem. Lancetta*, & firmavit etiam *ſupradicta Deciſ. R. P. D.* mei *Nunez §.final.*

Et hac eadem ratione corruit etiam aſſ. bona fides, quæ impingitur Com. Æneæ; Quandoquidem quidquid eſſet, ſi præſens quæſtio verſaretur ſuper omiſſione unius, vel alterius ſtabilis, hoc unum pro comperto Domini habuerunt, quod cum Æneas omiſerit deſcribere nedum ſtabilia, ſed univerſam prorſus ſubſtantiam hæreditariam, in
14 eo ſtatim excluditur bona fides, quinimo, cum omiſerit facere id, quod de Jure facere debebat, & quod obſervandum in confectione Inventarii ab eodem Jure præſcribitur, dicitur illico inductus poſitivus dolus bonæ fidei excluſivus; ut per *Text. in leg. contra legem ff. de legibus, leg. dolus ff. mandati* tradunt *Honded. conſ.34. n.24. lib.1., Rot. dec.263. n.3., & dec.1038. n.53. & 85. cor. bo. me. Molin.*

Excuſari pariter nec potuit nullitas ſub altero prætextu, quod hujuſmodi Inventarium confectum non fuerit per ipſum Æneam hæredem, ſed per Procuratorem ab eo ſpecialiter electum, cui propterea adſcribendæ ſunt ſupradictæ omiſſiones, non autem culpæ, & dolo memorati hæredis; Etenim, ultraquamquod negligentia Procuratoris
15 in omittendo, quidquid ſit in committendo, nocet abſque dubio ejus Principali, per ea quæ tradunt *Bald. in cap.1. ut lite non conteſtata, Surd. deciſ.181. n.3., Rot. dec.231. n.22., & deciſ.299. n.1. part.18. rec., dec.75. n.1. & 4. coram Gregor., dec.594. n.13. cor. Emerix Jun., dec.72. n.9., & dec.306. n.28. cor. Rmo Criſpo*; Ceſſat omnis difficultas, quia quidquid pariter eſſet, ſi Procurator ad hereditatem adeundam conſtitutus cum beneficio Legis, & Inventarii aliquas res hæreditarias in eo deſcribere omiſiſſet, prout loquuntur Auctoritates congeſtæ ex parte Marchionis Pauli Magnani; profecto ubi Procurator in totum defecit, nil penitus in Inventario deſcribendo, niſi quædam le-
16 gata, factum Procuratoris adſcribitur culpæ ipſius Principalis, qui Procuratorem minus idoneum, & diligentem elegit; juxta doctrinam *Panormit. in cap.1. n.16., ut lite non pendent. Text. in cap. qui per alium de reg. Jur. in 6., Gloſſ. final. in leg. ſi Procurator 11. ff. de dol. mal., & met. except., Rot. dec.532. n.12. part.19. rec., & dec.1038. cor. bo. me. Lancetta.*

Quibus ita conſtabilitis fruſtra iterum inſiſtebatur ſuper centenario temporis curſu a die confecti Inventarii, quo mediante dicebatur, inallegabiles eſſe omnes exceptiones contra dictum Inventarium, adjuncta præſertim ipſius obſervantia, propter Creditorum taciturnitatem; Etenim quoad centenarium temporis lapſum placuit reſpon-
17 ſio, quod hujuſmodi temporis decurſus ſupplere quidem poſſet defectus reſpicientes formam, aliaſque extrinſecas ſolemnitates præſcriptas, *in leg. final. Cod. de Jur. deliber.*, circa modum
18 faciendi Inventarium; Nunquam vero ſupplere poterat defectus ſubſtantiales ejuſdem Inventarii, in quo nihil deſcriptum fuit; quod indubitanter ſpectabat ad hæreditatem defuncti, ut optime diſtinguendo tradunt in puncto *Capiblanc. de Offic. Baron. to.1. pragm. 11. n.148.*, cum aliis relatis per *Rot. in Romana, ſeu Ferrarien. Cambii 30. Januarii 1711. §. Minus cor. clar. mem. Card. Scotto.*

Et hinc nullius quoque momenti apparuit aſſ. obſervantia dicti Inventarii deducta ex Creditorum taciturnitate: Nam, præterquamquod hujuſmodi taciturnitas probata non fuit, & quatenus probata fuiſſet, nil tamen relevaret, quia in Creditoris poteſtate repoſitum
19 non eſt quem facere hæredem cum beneficio Inventarii, quoties vere non eſt, ut conſiderat *Rot. deciſ.161. n.18. cor. Dunoz. Sen.*; Animadverterunt Domini, quod hujuſmodi Inventarium uſque adhuc nunquam in lucem prodierat, & hodie ſolum productum fuit a March. Paulo Magnani ad effectum ſe

ſe

ſe eximendi ab executione in bonis
propriis; Unde cum Marchiones de
Coccapanis modernis temporibus eo-
rum Jura exercere valuerint contra hę-
redes Jo: Baptiſtæ pro emendatione paſ-
ſæ evictionis, dici ſane non poteſt, quod
per eorum acquieſcentiam approbavę-
rint d. Inventarium, quod antea im-
20 pugnare nequiverunt, quodque hodie
uti nullum impugnant, cum factus ho-
die fuerint locus exercitio intentatæ il-
lorum actionis, ex notatis per *Rocc.
diſp.71. num.45.*, *Rot. deciſ.260. n.22.
part.13.*; *dec.542. n.14. part.18. rec.*,
& *dec.1086. n.14. cor. Lancett.*

Inapplicabilis demum apparuit prę-
ſenti hypotheſi pęna dupli, quę hęredi
male Inventarium conficienti a Jure
infligitur, quia hujuſmodi pęna, quid-
quid eſſet ſi ageretur de aliquo particu-
lari defectu ipſius Inventarii, locum ſa-
ne non habet, ubi ejuſdem defectus,
21 & nullitas provenit ex omiſſa deſcri-
ptione totius hęreditatis, ſed ſubintrat
in his terminis pęna nullitatis Inventa-
rii, ut pręcęteris firmat *Rot. dec.1038.
n.119. cor. Molin.*, quę quidem nulli-
tas eo ipſo operatur, ut hęres ratione
22 confuſionis bonorum condemnandus
ſit in propriis bonis pro adimplemento
obligationum defuncti; ex firmatis per
*Rot. deciſ.835. num.1. coram bon. mem.
Lancetta.*

Et ita &c. utraque parte &c.

ROMANA, SEU SAVONEN. FIDEICOMMISSI.

Lunæ 16. Martii 1739.

Argumentum habes in Deciſion.CXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Vocatis debetur immiſſio*, & n. ſeq.

3 *Prælatio cadere nequit niſi inter perſonas jus habentes in eo, in quo eadem locum habet.*

4 *Nomine ſucceſſorum, & deſcendentium maſculorum veniunt tam maſculi ex maſculis, quam maſculi ex fœminis.*

5 *Vocatis remotioribus, & minus dilectis vocati eo magis præſumuntur proximiores, & magis dilecti.*

6 *Ob exiſtentiam maſculorum deficit conditio* ſi ſine filiis *præcipue ſi reſtricta ſit ad tempus mortis gravati.*

7 *Non ſimplex verborum cortex, ſed tota diſpoſitionis ſubſtantia eſt inſpicienda.*

8 *A Theorica Oldradi receditur ex contemplatione agnationis artificialis orientis a vocatione maſculorum tam ex maſculis, quam ex fœminis;*

9 *Prout pariter ex conſtitutione Primogenituræ, quæ de ſui natura eſt tranſitoria ad quoſcunque vocatos;*

10 *Et ex ordinatione fideicommiſſi perpetui.*

11 *Per conjecturas receditur a Conſil. Oldrad., quæ leviores ſufficiunt, ubi agitur de fideicommiſſo aſcendentali.*

12 *Votum conſervandi agnationem artificialem eſt conjectura fortior, quam votum conſervandi naturalem;*

13 *Et ex ea ſola receditur a dicto Conſilio Oldradi;*

14 *Quod etiam ſuadet digreſſus ad plures gradus ſubſtitutionum*; & n.18.

15 *Præcipue ſi non per unicam orationem appoſitus fuit, ſed ſeparatim, ac independenter a conditione* ſi ſine filiis, *& per verba perpetuitatem includentia;*

16 *Præſertim repetita in omni gradu ſubſtitutionum.*

17 *Voluntas Teſtatoris ita ſemper eſt interpretanda, ut plenum ſortiatur effectum.*

19 *Prohibitio detractionum expreſſa in capite, & oratione ſeparata eſt conjectura potentiſſima pro recedendo a dicto Conſilio.*

20 *Majoratus Hiſpaniæ ſunt perpetui, & incompatibiles cum Theorica Oldradi.*

21 *Teſtator præſumitur voluntatem ſuam conformare cum diſpoſitione juris loci, in quo Teſtamentum condit, etiamſi ſit forenſis;*

22 *Quod procedit etiam quoad bona alibi exiſtentia.*

23 *Verba* in tale caſo *deſtituta dictionibus taxativis non reſtringunt vocationem ſubſtitutorum ad præciſum tempus obitus primorum hæredum;*

24 *Maxime ſi Teſtator gradatim, & ſucceſſive omnes lineas vocavit.*

25 *Diverſitas caſuum diverſitatem diſpoſitionis inducit.*

26 *Expreſſæ, & claræ Teſtatoris voluntati vis facienda non eſt per extraneas interpretationes.*

27 *Sub*

27 *Sub vocatione filiorum maſculorum in Primogenitura perpetua veniunt quoque fœminæ.*

28 *Contemplata artificiali agnatione ſub vocatione* Deſcendentium *comprehenduntur deſcendentes tam per unum, quam per duplex medium fœmininum,* & num.31.

29 *Deſignatio Parentum ſtat ad indicandam originem, non ad reſtringendam vocationem ad Deſcendentes immediatos.*

30 *Vocati cum iiſdem conditionibus debent eodem modo ſuccedere.*

32 *Deciſiones, in quibus diverſa ratio militat, non ſunt alteri caſui applicabiles.*

33 *Immiſſio in genere denegari nequit ſub prætextu non probatæ identitatis bonorum.*

DECISIO CXXXIX.

FUndamenta meæ præteritæ deciſionis diei 16. Januarii proximi præteriti concedentis Camillo, & Joanni Hieronymo Fratribus de Naſellis immiſſionem ad bona primogenialia, vel Fideicommiſſo ſubjecta a Petro de Feis Nobili Savonenſi ſub novo hodie ſuppoſita examine firma robore viſa ſunt exiſtentia; ac proinde putarunt Domini perſiſtendum eſſe *in deciſis.*

Vocatio namque dd. de Naſellis clariſſime deſumebatur ex litera teſtamentariæ diſpoſitionis ejuſdem Petri de Feis, qui ad ſuam, ſuique Fratris agnationem conſervandam artificialiter unice intentus, perpetuam ordinavit Primogenituram, ad quam nedum maſculos ex maſculis progenitis ex Maria ejus filia, & Alexandro Conjugibus invitavit; Verum etiam in ipſorum defectum, omnes alios Deſcendentes maſculos ex fœminis eorundem Conjugum expreſſe vocavit; Suppoſita igitur tum indubitata deficientia maſculorum ex maſculis dictorum jugalium per obitum Marchionis Nicolai Raymundi; tum exiſtentia deſcendentiæ Camilli, & Hieronymi de Naſellis a prædictis Alexandro, & Maria Fei per medium Veronicæ, nulla in his circumſtantiis ambigendi occaſio iterum adfuit, quin
1 eſſet eiſdem Fratribus de Naſellis concedenda petita immiſſio ad hujuſmodi bona primogenialia, cum habeant, & doceant de eorum vocatione in defectum univerſæ lineæ maſculinæ, ut firmat mea præcedens *Deciſio*, quæ revidetur §.*Cum enim.*

Nec a longe quærenda eſt hujuſmodi Fratrum de Naſellis expreſſa vocatio, ſi Teſtatoris diſpoſitio in ſua particulari, & propria Sede ſpectetur; Ipſe enim diſponendo de hæreditatis medietate relicta Alexandro ejus Genero, conſideravit hunc præciſum caſum deficientiæ maſculorum ex dicto Conjugio Deſcendentium, & poſtquam ipſi deficerent, expreſſe vocavit Deſcendentes maſculos ex fœminis cum prælatione majoritatis, & maſculinitatis, & cum obligatione aſſumendi nomen, & cognomen Franciſci Fei, ibi — *E ſe li detti Aleſſandro Raimondo, e Maria Fei non averanno figliuoli del detto matrimonio maſchj &c., in tal caſo ſucceda, ed abbia da ſuccedere il figliuolo maggiore di quelli con l'iſteſſi patti, vincoli, e condizioni ſopradette, e pigliando ſempre il Nome, ed Arme di Franceſco Fei, e così ſucceda negl'altri figli maggiori dell' altre figliuole di poi ſeguenti.*

Hoc ipſum quoque Teſtator clarius expreſſit in diſpoſitione alterius medietatis hæreditatis relictæ Mariæ Fei conſiſtentis in aliis ducatis 20. mil., in qua poſtquam diſpoſuit de modo eligendi filium, vel filios maſculos, & poſtquam conſideravit caſum totalis ipſorum deficientiæ, ſermonem convertit, ad vocationem maſculorum ex fœminis per hæc verba — *Ma ſe i detti Aleſſandro Raimondo, e Maria Fea moriranno, il che a Dio non piaccia, ſenza figliuoli, ne altri Diſcendenti del detto matrimonio, ma ſe averanno figliuole legittime, e naturali, in tal caſo ciaſcuno delli detti Aleſſandro Raimondo, e Maria Fea abbino da eleggere, e nominare ciaſcuno la figliuola, che vorrà, le quali abbiano da ſuccedere, e ſuccedano nelli detti 20. mila ducati ciaſcuno ſecondo dovevano ſuccedere i due figliuoli maſchj maggiori delle dette due figliuole così elette reſpettive abbiano da ſuccedere in detti beni con detto obbli-*

bligo di PIGLIARE IL NOME, ED ARME DI FEO, e con l'iſteſſi patti, vincoli, e condizioni di ſopra dichiarati nella elezione delli figliuoli della figliuola mia, e del detto Aleſſandro Raimondo. E ſe di detto matrimonio detta figliuola mia, e Genero mio non averanno altro, che una figliuola, in tal caſo quella ſucceda, ed abbia da ſuccedere in tutti li detti beni, ed eredità mia dopo la morte delli detti ſuoi Parenti COL DETTO VINCOLO, E FIDEICOMMISSO PERPETUO per il figliuolo maſchio maggiore di quella, FIGLI, E DISCENDENTI DI QUELLO maſchi con l'iſteſſe prelazioni di PRIMOGENITURA, maſcolinità, e maggiorità, ſecondo che per me è ſtato diſpoſto di ſopra in caſo, che non ci foſſe altro che un figlio maſchio al tempo della morte del detto Aleſſandro, e figliuola mia — Ex hac igitur tam clara, & literali diſpoſitione perſpicuum redditur, Teſtatorem prius voluiſſe vocare omnes maſculos ex maſculis, & in horum defectum Deſcendentes maſculos ex fœminis provenientibus a Maria, & Alexandro Conjugibus, a quibus cum innegabiliter deſcendant Fratres de Naſellis, nulla Juris ratio expoſtulat, ut ipſis de-
2 negari debeat immiſſio, cum habeant apertam diſpoſitionis teſtamentariæ aſſiſtentiam, ad tradita per *Menoch. de adipiſcen. remed.4. n.56., Peregrin. de fideicomm. artic.48., Rot. dec.194. n.1. cor. Gregor., dec.454. n.4. cor. Bich., & dec.38. n.1. de fideicomm. cor. clar. mem. Card. Falconer.*

In cujus comprobationem accedit quoque, quod Teſtator ad Primogenituras per ipſum ordinatas pro ficta, & artificiali conſervatione ſuæ agnationis, invitavit omnes *Deſcendentes* Alexandri, & Mariæ tam maſculos, quam fœminas, ac maſculos etiam ex fœminis, cum hac tamen explicita conditione, ut maſculi ſemper præferantur fœminis, ut pluries in ejus Teſtamento idemmet Teſtator declaravit *Preferendo il maggiore al minore, il maſchio alla femmina — Servando ſempre l'ordine di Primogenitura, Maſcolinità — Con obbligo perpetuo, e vincolo trà li figliuoli, e DISCENDENTI di quello legittimi, e naturali ſervandoſi ſempre come ſopra ſi è detto l'ordine di PRIMOGENITURA, e Maſcolinità, preferendoſi ſempre i maſchj alle femmine. &c.* & alibi paſſim. Quoties enim Teſtator adeo enixe exoptavit prælationem ſemper maſculorum ſupra fœminas etiam reſpectu Deſcendentium maſculorum ex ipſis fœminis, perneceſſe fateri oportet, fœminas quoque, & ipſarum *Deſcendentes* fuiſſe ad hujuſmodi Primogenituras vocatos, ex eo quia eademmet prælatio
3 ſemper cadere debet inter perſonas habentes Jus in eo, in quo datur prælatio, ut ultra allegatos in deciſione, quæ confirmatur §. *Quod autem*, tradunt *Fontanell. de pact. nupt. clauſ.4. gloſſ.9. par.4. n.131., Salgad. in Labyr. Credit. part.1. cap.3. num.10., & 11., Merlin. Pignatell. controverſ. forenſ. cent.2. cap.77. num.10., Rot. dec.41. n.2. cor. Zaratt., dec.106. num.5. cor. Cerro.*

Ad majorem demum probationem vocationis Fratrum de Naſellis ponderatum fuit; quod licet ipſi habeant ſuam vocationem in certa, ac propria diſpoſitionis Sede, ac per conſequens inutile prorſus ſit eam deſumere ex aliis circumſtantiis elicitis a diverſis aliis Teſtamenti partibus, adhuc tamen non parum ad hujuſmodi effectum probandæ nempe ipſorum vocationis conducit ſubſtitutio facta in favorem Octaviani Sacco, ejuſque *Deſcendentium* cum ordine Primogenituræ perpetuæ in caſu obitus Alexandri ſine filiis, & altera ſubſtitutio Jacobi Zabrera ejuſque *Deſcendentium* cum eodem ordine Primogenituræ in altero obitus Mariæ Feæ ſine filiis ex dicto matrimonio cum Alexandro ſuſcipiendis. Reſpectu enim ſubſtitutionis Octaviani ita diſpoſuit — *E ſe al tempo della morte di detto Aleſſandro Raimondo morendo quello come di ſopra s'è detto ſenza figli legittimi, e naturali del detto matrimonio della figliuola mia, quella detta figliuola mia viva non foſſe, e non ſopraviveſſe a detto ſuo Marito, in tal caſo li detti beni, ed eredità mia, della quale hò iſtituito Erede detto mio Genero ſenza detrazione, nè diminuzione alcuna ſia, venghi, e tor-*

ni

ni ad Ottaviano Sacco Mercante &c. Nipote mio, figliuolo di mia Sorella, ſe a detto tempo vivo ſarà, e ſe non al figliuolo maggiore maſchio di quello legittimo, e naturale di legittimo, e carnale matrimonio nato, e procreato, il quale pigli, ed abbia da pigliare il Nome, ed Arme di Franceſco Feo chiamandoſi Franceſco Feo, il quale avvenendo detto caſo Erede mio lo inſtituiſco nella detta metà della mia Eredità, ed alli detti Aleſſandro Raimondo, e figliuola mia, ed al detto ſuo Padre ſoſtituiſco con patto, vincolo, e con condizione, che dopo la morte di quello li detti beni, ed eredità mia, nella quale lui ſuccederà, ſia, e torni al figlio maggiore, e SUCCESSORI di quello maſchj, ſervandoſi ſempre ordine, e grado di PRIMOGENITURA, e preferendo ſempre il maggiore al minore, ed il maſchio alla femmina, acciocchè detti miei beni, ed eredità ſia, e ſiano conſervati, e CONSERVATA PERPETUAMENTE NELLA DETTA DISCENDENZA con detto obbligo di pigliare detto Nome, ed Arme di Franceſco Feo.

Quoad alteram ſubſtitutionem Jacobi Zabrera in caſu obitus Mariæ ſine filiis, & *Deſcendentibus* legitimis, & naturalibus tam ſuſcipiendis ex dicto matrimonio cum Alexandro, quam ex altero poſtea per eam contrahendo, voluit Teſtator quod -- *In tal caſo li detti beni, od'eredità mia ſenza detrazione alcuna di Legittima, Falcidia, Trebellianica, ed altra qualſiſia ragione ſiano, venghino, e tornino, e tocchino al figliuolo maggiore legittimo, e naturale, e di legittimo matrimonio nato, e procreato di Giacomo Zebrera Nipote mio, e della detta Città di SAVONA, il quale come di ſopra è ſtato detto avvenendo il detto caſo, abbia da pigliare, e pigli Nome, ed Arme di Feo, chiamandoſi Pietro Feo, il quale, venendo il detto caſo Erede mio l'iſtituiſco in detti beni, ed eredità mia, ed alla detta Maria Fea figliuola mia ſoſtituiſco con patto, e vincolo, e condizione, che morendo quello con figliuoli, e DISCENDENTI legittimi, e naturali maſchj, la detta mia eredità venghi, ed abbia da venire alli figliuoli, e DISCENDENTI di quello legi[...]mi, e naturali maſchj, ſervando SEMPRE L'ORDINE DI PRIMOGENITURA, prelazione di grado, maſcolinità, e maggiorità, ed obbligo di pigliare il Nome, ed Arme di detto Pietro Feo, e con l'iſteſſi patti, vincoli, e condizioni appoſte per me nella ſoſtituzione dell'altra metà delli beni della detta mia eredità, a cui, come di ſopra ſi contiene, è ſtato chiamato il figliuolo maggiore di Ottaviano Sacco.*

Quibus ita poſitis, ſi indubitatum eſt, quod tam in ſubſtitutione Octaviani
4 Sacco, quam in altera Jacobi Zabrera comprehenſi dicuntur nedum maſculi ex maſculis ab eis Deſcendentes, ſed etiam maſculi ex fœminis, ac omnis ipſorum *Deſcendentia*, cum Teſtator Octaviano Sacco ſubſtituerit ejus filium majorem, *e Succeſſori di quello*, ad hoc ut dicta bona conſerventur *perpetuamente nella detta Diſcendenza*; Et Jacobo Zebrera ſubſtituerit filios & *Diſcendenti ſervando ſempre l'ordine di Primogenitura, prelazione di gradi, e maſcolinità, e maggiorità &c.* ſub quibus ſane verbis vocati cenſentur etiam *Deſcendentes* ex fœminis; juxta theoricam *Fulgoſii in conſ.85.* quam expendit mea præcedens deciſio §. *Quæ quidem*; maxime quia in caſu obitus Octaviani Sacco, ejuſque *Deſcendentium* maſculorum expreſſe vocavit -- *Il figliuolo maggiore della figliuola maggiore del detto Ottaviano legittimo, e naturale con l'iſteſſi patti, vincoli, e condizioni appoſte di ſopra nelli figli maſchj del detto Ottaviano* -- quanto magis dicendum erit, ipſum Teſtatorem vocare voluiſſe in defectum maſculorum Alexandri, & Mariæ, maſculos quoque ex fœminis ab eis Deſcendentes;
5 Nam ſi Teſtator in dictis ſubſtitutis remotioribus certe, & minus dilectis admittere voluit omnes ex fœminis *Deſcendentes*, a fortiori præſumendum eſt eoſdem pariter vocare voluiſſe in Deſcendentiis eorundem Alexandri, & Mariæ ſibi proximioribus, & magis dilectis juxta commune votum Parentum; ut optime obſervat *Ramon. conſil.15. n.43., & 48., Pereg. conſil.42. n.2., & 5. lib.2., Fuſar. de Subſtitut.*

quæſt.484. n.30., *Caſtill. de Conject. ult. volunt. cap.9. n.24.*, *Rot. dec.310. n.20. part.18. recen.*, *& dec.26. ſub n.26. de fideicom. cor. clar. mem. Card. Falconer.*

Suppoſita igitur clara, & indubitata Fratrum de Naſellis vocatione, inutili prorſus conatu iterum opponebatur, quod maſculi per fœminas Deſcendentes non fuerint a Teſtatore conſiderati, niſi ſub ea conditione obitus Alexandri, & Mariæ *ſine filiis maſculis*; Cum autem hæc conditio prorſus defecerit, quia ex dicto Conjugio ſu-
6 pervixit proles maſculina, quæ demum expiravit in Marchione Nicolao Raymundo abſque prole nuper defuncto, deficere etiam debet vocatio maſculorum ex fœminis ob defectum conditionis, ſub qua vocati dicebantur; eo magis quia vocatio fœminarum, ſeu maſculorum ex ipſis ordinata non fuit quocunque tempore deficerent maſculi ex Maria, & Alexandro progeniti, ſed reſtricta fuit ad deficientiam maſculorum de tempore obitus prædictorum Conjugum; juxta illa diſpoſitionis verba -- *Ma ſe i detti Aleſſandro Raimondo, e Maria Fea moriranno, il che a Dio non piaccia, ſenza figliuoli, ne altri Diſcendenti maſchj del detto matrimonio &c., in tal caſo ciaſcheduno delli detti Aleſſandro Raimondo, e Maria Fea abbiano da eleggere, e nominare ciaſcuno la figliuola che vorrà* -- Unde cum de tempore obitus Mariæ, & Alexandri exiſterent filii maſculi, ſubſtitutio fœminarum alligata deficientiæ maſculorum de eo tempore reſoluta omnino remanſit juxta theoricam *Oldradi conſ.21.*

Etenim Domini ſedulo ponderantes non ſimplicem verborum corticem
7 hujuſcemodi diſpoſitionis, ſed integrum ejuſdem tenorem, & ſubſtantiam; juxta monitum Imperatoris in *leg. Cum virum 16. §.Sane Cod. de fideicomm.*, *& in leg. non aliter 67. §.1. ff.de legat.3.*, *Rot. dec.188. n.5. cor. bon. mem. Lancett.*, *& dec.1. n.10. de dot. cor. Falconer.*, illico pro comperto habuerunt inapplicabilitatem ſupradictæ theoricæ
8 *Oldradi* ob claram, & literalem Teſtatoris voluntatem protrahendi uſque ad ævum, ſi fieri poſſet ſuam artificialem agnationem ſatis ſuperque explicitam per ordinationem Primogenituræ comprehenſivam tam filiorum, & *Deſcendentium* maſculorum dictorum Alexandri, & Mariæ Conjugum, quam maſculorum ex fœminis in ipſorum defectum cum ordine Primogenituræ, maſculinitatis, & majoritatis, & cum obligatione aſſumendi Nomen, & Inſignia Franciſci de Feis injuncta maſculis, & *Deſcendentibus* Alexandri, & Mariæ, & maſculis, & *Deſcendentibus* a fœminis eorundem Jugalium, ut aperte colligitur ex ea Teſtamenti parte, in qua Teſtator diſpoſuit de portione hæreditatis relicta Alexandro -- *Se però detto Aleſſandro Raimondo mio Genero morirà con figliuoli, ed altri DISCENDENTI legittimi, e naturali del detto matrimonio &c. voglio &c. che il detto Aleſſandro Raimondo abbia, e ſia tenuto di diſporre dei beni della detta mia eredità, nella quale come ſopra è detto, Io ho iſtituiti lui Erede mio nelli figliuoli comuni di eſſo, e della detta mia figliuola, così in quelli che SONO NATI AL PRESENTE, COME ANCORA QUELLI CHE HANNO DA NASCERE DA OGGI AVANTI in queſta forma &c. che il detto Aleſſandro Raimondo abbia; e ſia tenuto di eleggere &c. uno de figliuoli maſchj legittimi, e naturali di detto matrimonio nati, e da naſcere, che lui vorrà &c., ed a quello eletto abbia da donare, e gli doni delli detti beni della mia eredità, nelli quali lui è ſtato iſtituito Erede in ſomma, e quantità di 20. mila monete d'oro, dico 20. mila ducati moneta di Valenza &c. il qual detto figliuolo maſchio così eletto &c. fò, iſtituiſco, o ſoſtituiſco in detto caſo a me Erede univerſale nelli detti 20. mila ducati con patto, vincolo, condizione, che egli abbia da pigliare, e pigli il Nome, ed Arme di Franceſco Feo nominandoſi Franceſco Feo.*

In caſu autem, quo hujuſmodi filius ſic electus decederet, voluit Teſtator, ut ſuccederet alter filius maſculus dd. Alexandri, & Mariæ, & ſic deinceps de uno in alium cum eodem ordine primogeniruræ, majoritatis, & maſculini-

Digitized by Google

linitatis — *E ſe lui morirà ſenza figliuo-
li &c., in tal caſo li detti 20. mila du-
cati ſenza diminuzione, o detrazione
alcuna di Falcidia, Legittima, Trebel-
lianica &c. venghino, e TORNINO
ALL' ALTRO FIGLIUOLO MA-
SCHIO, che gli ſopraviverà delli detti
Aleſſandro, e Maria Fea figliuola mia,
ed all'altri figli maſchj di quello, ſer-
vando l'ordine di Primogenitura, mag-
giorità, e maſcolinità con obbligo di pi-
gliare il Nome, ed Arme di Franceſco
Feo, e così ſucceda d'un fratello nell'al-
tro maſchio ſecondo di ſopra ſi è detto* —
& poſtquam diſpoſuit, ac ſtatuit ordi-
nem pro ſucceſſione filiorum ad Pri-
mogenituram una cum eorum Deſcen-
dentibus, ordinavit modum ſucceſſionis
in ea pro maſculis ex feminis dd. Conju-
gum — *E ſe li detti Aleſſandro Raimondo,
e Maria Fea non averanno figliuoli dal
detto matrimonio maſchj come ſopra, in
tal caſo ſucceda &c. il figliuolo maggio-
re maſchio della figliuola di eſſi coll'iſteſſi
patti vincoli, e condizioni ſopradetti, e
pigliando ſempre il Nome, ed Arme di
Franceſco Feo, E COSI SUCCEDA
NELL'ALTRI FIGLIUOLI MAG-
GIORI DELL'ALTRE FIGLIE DI
POI SEGUENTI &c. eſſendo la mia
volontà, che li detti 20. mila ducati ſia-
no conſervati per li DISCENDENTI
MASCHJ di quello con detta prelazio-
ne di maggiorità, maſcolinità, e Pri-
mogenitura.*

Idemque clarius elicitur ex altera di-
ſpoſitionis parte, in qua diſpoſuit de
medietate ſuæ hæreditatis relicta Ma-
riæ Feæ, & præciſe ubi diſpoſuit de
maſculis ex fœminis, dum expreſſis li-
teris vocavit ad Primogenituram ma-
ſculum ex fœmina, & omnes ab eo *De-
ſcendentes* — *E ſe di detto matrimonio
detta figliuola mia, e Genero mio non
averanno altro, che una figliuola, in
tal caſo quella ſucceda, ed abbia da ſuc-
cedere in tutti li detti beni, ed eredità
mia dopo la morte di detti ſuoi Parenti
col detto vincolo, e fideicommiſſo perpe-
tuo per il figliuolo maſchio maggiore DI
QUELLA FIGLI DISCENDENTI
di quello maſchj con l'iſteſſe prelazioni
di Primogenitura, Maſcolinità, e Mag-
gioranza &c.* Quoties ergo Teſtator
perpetuam, ac regularem Primogeni-
turam expreſſe ordinavit tam pro ma-
ſculis ex maſculis, quam pro maſculis
ex fœminis dd. Conjugum, intrare ſa-
9 ne non poteſt theorica *Oldradi*, quæ
cum perimere faciat vocationem in
primis adeuntibus, incompatibilis eſt
cum Primogenitura, quæ de ſui natura
tranſitoria eſt ad omnes vocatos, quouſ-
que exiſtant, ut probat *Deciſio* quæ re-
videtur §. *Quoniam*; Neque locum ſibi
10 vindicare poteſt, quando prout in ca-
ſu, conſtat Teſtatorem voluiſſe ordi-
nare perpetuum fideicommiſſum favo-
re ſuorum Deſcendentium, conſtituen-
do Mariam Feam veluti principium, &
originem, *Rot. dec. 530. n. 15. cor. Mer-
lin., dec. 192. n. 15., & dec. 1136. n. 10.
cor. Emerix Jun., dec. 721. n. 16., & 20.
cor. Caprar., in Romana Immiſſionis 2.
Junii* 1728. §. *Et inde cor. R. P. D. Nu-
nez, & in Aſculana Fideicommiſſi 6.
Maii* 1735. *cor. Rmo P. D. Calcagnino
Decano.*

Ultraquamquod præter claram Te-
ſtatoris diſpoſitionem plurimæ adſunt
in præſenti caſu conjecturæ, & quidem
efficaciſſimæ, quæ perneceſſe ſuadent
receſſum ab eadem theorica, & pro-
greſſivitatem Primogenituræ ad omnes
11 Deſcendentes dd. Conjugum; & qui-
dem licet leviores ſufficerent, quia agi-
tur de Primogenitura, ſeu Fideicom-
miſſo aſcendentali, & de inducenda
duratione favore Deſcendentium ab eiſ-
dem Conjugibus in extraneorum exclu-
ſionem, ut obſervat mea *Deciſio* §. *Et
quamvis*, adſunt adhuc illæ principa-
liores conjecturæ, quæ principem lo-
cum obtinent ad hujuſmodi effectum:
Siquidem Teſtator non valens ſuam
agnationem naturaliter conſervare,
eam ſaltem conſervare voluit artificia-
liter, ſeu civiliter per aſſumptionem
nominis, & cognominis, & inſignium
de Feis, quam in omni diſpoſitionis par-
te enixe præcepit, atque exoptavit;
12 Hujuſmodi enim votum conſervandi
agnationem *artificialiter* potentius ope-
ratur, & efficacius eſt, ut recedatur ab
eadem theorica *Oldradi*, quam ſi de-
mandaſſet conſervationem agnationis
naturaliter; nam majus habet deſide-
rium conſervandæ agnationis ille, qui

 eam

eam ſupplet ubi deficit, quam qua eam naturaliter conſervare poteſt; juxta celebre conſilium *Caſanat.20. ſub n.29.*, de qua mea præcedens deciſio §.*Adhuc tamen*.

Præter conſervationem agnationis artificialiter, quæ ex ſe ſola ſufficeret ad
13 ſuadendum receſſum a theorica *Oldradi*, ut obſervat *Roſ. conſult.40. n.9., & conſult.69. n.163.* cum aliis relatis in *dicta mea deciſ.* §.*Ultra autem*; Ad-
14 ſtipulatur etiam digreſſus ad plures ſubſtitutionis gradus, qui innegabilis redditur ex lectione totius diſpoſitionis teſtamentariæ; etenim Teſtator loquendo in primis de portione hæreditatis relicta Alexandro, voluit, *che morendo quello &c. ſenza figliuoli, ne altri Diſcendenti &c. in tal caſo la parte, e porzione della detta mia eredità ad eſſo pertinente ſenza diminuzione alcuna &c. venghi alla detta Maria Fea de Raimondi &c.* — In caſu autem, quo Alexander decederet ſine filiis poſt Mariam Feam, ſtatuit, ut dicta ejus hæreditas *torni ad Ottaviano Sacco &c., ſe a detto tempo ſarà vivo, e ſe non al figliuolo maggiore maſchio di quello &c. torni al figliuolo maggiore, e ſucceſſori di quello ſervandoſi ſempre ordine, e grado di Primogenitura, e preferendo ſempre il maggiore al minore, ed il maſchio alla femmina, acciocchè detti beni, ed eredità ſia, e ſiano conſervati, e conſervata perpetuamente nella detta DISCENDENZA* — Cui demum Octaviano ſi filium maſculum non haberet, voluit Teſtator, *che ſucceda in tal caſo nei detti beni il figliuolo maggiore della figliuola maggiore di detto Ottaviano &c. con l'iſteſſi patti, vincoli, condizioni appoſti di ſopra*; Et ſi dictus Ottavianus de tempore obitus Alexandri obierit, ſubſtituit, & voluit, *che li detti beni &c. tornino al figliuolo maggiore maſchio di Gabriele Zabrera con l'iſteſſi patti, vincoli &c.*

In caſu autem, quo dictus Alexander decederet cum filiis maſculis, ordinavit Primogenituram pro maſculo ab eodem Alexandro eligendo, qui ſi ſine filiis obiret, juſſit, quod ducata 20. mil., quæ Primogenituræ ſuppoſuerat *ſenza diminuzione &c. tornino all'altro figlio maſchio, che ſopraviverà delli detti Aleſſandro Raimondo, e Maria Fea figliuola mia, ED ALLI FIGLI MASCHJ DI QUELLO ſervando l'ordine di Primogenitura, maggiorità, e maſcolinità con obbligo di pigliare il Nome, ed Arme di Franceſco Feo, E COSI' SUCCEDA DI UN FRATELLO NELL' ALTRO MASCHIO ſecondo di ſopra ſi è detto*. Et quatenus Alexander, & Maria filios maſculos non relinquerent, tunc *ſucceda &c. il figliuolo maggiore maſchio della figliuola maggiore con l'iſteſſi patti vincoli, e condizioni ſopradette, e pigliando ſempre il Nome, ed Arme di Franceſco Feo, e così ſucceda NELL' ALTRI FIGLI MAGGIORI DELLE FIGLIUOLE DI POI SEGUENTI*.

Poſt hujuſmodi digreſſum ad plures ſubſtitutionum gradus a Teſtatore volitos in portione hæreditatis Alexandri, innumeros alios idem Teſtator fecit reſpectu alterius portionis hæreditatis Mariæ; Siquidem decedente Maria ſine filiis, *ne altri Diſcendenti &c., in tal caſo li detti beni, ed eredità mia ſenza detrazione alcuna &c. tocchino al figliuolo maggiore &c., di Giacomo Zabrera &c. il quale pigli il Nome, ed Arme di Feo, chiamandoſi Pietro Feo, il quale &c. Erede mio iſtituiſco &c. con patto &c. che morendo quello con figliuoli, e Diſcendenti &c. la detta mia eredità venghi &c. alli figliuoli, e Diſcendenti di quello &c. ſervando ſempre l' ordine di Primogenitura &c.* — obeunte vero Maria cum filiis maſculis, voluit Teſtator ordinare aliam Primogenituram pro maſculo eligendo ab Alexandro ſi viveret, ſin minus ab eadem Maria *con obbligo di pigliare Nome, ed Arme di Feo nominandoſi Pietro Feo, e con condizione vincolo perpetuo per li Diſcendenti maſchj di quello &c., e con li detti obblighi, e prelazioni di maſcolinità, grado, e Primogenitura &c.* Deficientibus autem filiis maſculis, ſubſtituit filias fœminas pro filiis maſculis in poſterum ex iſtis ſuſcipiendis.

Demum quatenus Maria filios non ſuſcepiſſet ex Alexandro, & ad alia vota convolaſſet, ſubſtituit filios ex iſto ſecundo matrimonio procreatos in to-

ta

ta ejus hæreditate, qui tamen eligi debeant ab eadem Maria, & ſuccedant *con l'iſteſſi patti vincoli, e condizioni, e prelazioni di maggiorità, maſcolinità, e Primogenitura di ſopra dichiarati nell' eleziine da farſi &c.* Quibus maſculis poſtea deficientibus ſuccedant *le dette due figliuole, che eſſa eleggerà, o l'unica in caſo, che non ci foſſe altro che una, e li figliuoli maſchj di quelle, o quella &c.* Ac tandem caſu, quo Maria hæres eſſe non poſſet, inſtituit hæredem in tota, ac univerſali ſua hæreditate -- *il detto Aleſſandro Raimondo &c. con l'iſteſſi patti, vincoli, e condizioni per me ſopra apposte &c. con l'iſteſſe vocazioni delli detti figliuoli, e Diſcendenti maſchj &c. o delle figliuole, o figliuole reſpettive, e Diſcendenti maſchj di quelle con l'iſteſſi obblighi di pigliare il Nome, ed Arme, e prelazioni di maſcolinità, grado, e Primogenitura* -- In his enim terminis ſi hujuſmodi Primogenitura, ſeu Fideicommiſſum expirationi ſubjectum dicendum eſſet in ipſo primo ingreſſu propter exiſtentiam maſculorum dd. Conjugum, fruſtraneum penitus remanſiſſet accuratiſſimum ipſius Teſtatoris deſiderium protrahendi in remotiſſima tempora ſuam, ſuique fratris agnationem, pro cujus effectu innumeras fere ordinavit ſubſtitutiones, ut firmat *Deciſio*, quæ revidetur *§. Ultra autem*.

Neque aliquid obſtare potuit, quod hujuſmodi digreſſus ad plures ſubſtitutionum gradus ordinatus fuerit a Teſtatore, vel per viam vulgaris, vel dependenter ab illa prima conditione *ſi ſine filiis*, quo caſu omnes ſubſtitutionum gradus ita dependentes habentur tantum pro unica ſubſtitutione; Quandoquidem noſter Teſtator in corde habens modum conſervandi artificialiter ſuam agnationem, devenit ad plures, ac tantas ſubſtitutiones in tot, tantiſque diverſis caſibus ab eo conſideratis, in

15 quibus ſemper repetiit Primogenituræ, & perpetui fideicommiſſi ordinationem, non quidem per unicam verborum orationem, ſed ſeparatim, ac independenter a prima conditione, & talibus verbis uſus fuit, ut ſatis intelligere dederit, voluiſſe ſuam diſpoſitionem protrahere uſque ad remotiſſima tempora, ordinando ſemper perpetuam, & regularem Primogenituram. Poſita igitur hac progreſſivitate fideicommiſſi, nedum ſtatim incompatibilis redditur cum theorica *Oldradi* digreſſus ad plures gradus ſubſtitutionum ob enixam a Teſtatore volitam perpetuitatem; *Bart. in leg. Centurio n.12. ff. de vulgar., & pupillar., Surd. conſil.81. n.51., Fuſar. de Subſtit. qu.382. n.44., Rot. dec.225. n.1., & ſeq. par.16., & dec.581. n.13. par.19. rec., & in Bononien. Primogenituræ 16. Maii 1732. §. Et demum cor. R.P.D. Nunez*; Verum etiam ſi hujuſmodi ſubſtitutionum ſeries dijudicandæ eſſent dependentes a dicta conditione *ſi ſine filiis*, ac de medio ſublatæ per exiſtentiam maſculorum Alexandri, & Mariæ, vanum, & eluſorium remaneret ejus accuratiſſimum ſtudium conſtituendi perpetuam

16 Primogenituram, quam ſemper repetiit in omni ſubſtitutionum gradu favore omnium Deſcendentium, qui in unaquaque ſubſtitutione fuerunt conſiderati, ut firmat mea *Deciſio §. Ultra tamen §. Eoque magis*; neque dari poſ-

17 ſet Teſtatoris voluntati illa juſta interpretatio, quæ ſemper eſt amplectenda, ut Teſtatorum vota plenum conſequantur effectum; ad *Textum in leg.3. ff. de militar., Ruin. conſ.45. n.14. lib.1., Rot. dec.358. n.5. cor. Gregor., dec.455. n.13. cor. Merlin., & dec.734. n.6. cor. Molines*.

Maxime quia hujuſmodi gradus ſubſtitutionum repetiti fuerunt Alexandro, & Mariæ primis hæredibus inſtitutis; & ipſiſmet ſubſtitutis; nam percurrendo univerſam Teſtatoris diſpoſitionem, expreſſe colligitur, quod ipſe inſtituit ſuos hæredes pro æquali portione dd. Alexandrum, & Mariam, ut unuſquiſque ipſorum diſponeret de eorum portione *favore maſculorum* ab eis eligendorum, quibus maſculis ita electis deficientibus, ſubſtituit alios filios maſculos cum ordine Primogenituræ, quibus demum ſubſtituit maſculos ex fœminis, ad hoc ut bona Primogenituræ conſerventur *pro Deſcendentibus*, ſive maſculis ex maſculis, ſive maſculis ex fœminis; hoſque pariter ſubſtitutionum gradus

dus repetiit in caſu obitus Alexandri
ſine filiis maſculis, & aliis Deſcenden-
tibus favore Octaviani Sacco ſubſtitu-
to cum tota ejus Deſcendentia maſcu-
lina, & fœminiua in ipſius defectum,
& favore Gabrielis Zabrera in caſu obi-
tus dicti Octaviani Sacco ſine Deſcen-
dentibus, & favore demum Jacobi Za-
brera in caſu obitus Mariæ Feæ ſine
maſculis ex maſculis, & ſine maſculis ex
fœminis ſuſceptis ex matrimonio cum
Alexandro, aut ex altero matrimonio
poſtea contrahendo, ut ſuperius eſt de-
monſtratum; unde eo fortius attendi
18 debet hujuſmodi digreſſus, qui ſane
inutilis eſſet, ſi in ſubſtitutis quoque
repetitus non fuiſſet, ut firmat *Rot. de-
ciſ.1289. n.12. cor. Emer. Jun., dec.373.
n.10. cor. Millino, dec.25. n.24. cor.
Rmo Criſpo, & in Avenionen. Fidei-
commiſſi* 10. *Maii* 1726. §.24., *& in
Firmana Succeſſionis* 1. *Februarii* 1732.
§.9. *cor. Rmo P.D. Calcagnino Decano*.

His duabus conjecturis conſiſtentibus
in contemplatione artificialis agnatio-
nis, & digreſſu ad plures ſubſtitutionum
gradus, accedit expreſſa prohibitio cu-
juſcunque detractionis in caſu tranſitus
hujus Primogenituræ in alios ſucceſſi-
ve vocatos; nam Teſtator non ſolum
in quacunque ſubſtitutione voluit, ut
bona integra devenirent in ulteriorem
vocatum, & abſque ulla detractione;
Verum etiam in fine teſtamenti, & per
caput omnino ſeparatum ſimilem pro-
hibitionem replicavit. *E più voglio &c.
che in tutti li ſopradetti vincoli, e fidei-
commiſſi, quando i detti proprj beni, ed
eredità mia, o parte di quelli abbino da
venire ſeguendoſi il caſo del fideicommiſ-
ſo, e vincolo di uno nell'altri, e che di
ſopra non ſia ſtato detto ad eſſo aggiun-
gendo, e megliorando quella voglio s'in-
tenda, e s'abbia da intendere paſſare il
detto vincolo, e fideicommiſſo di uno in
altri ſenza detrazione alcuna di Legit-
tima, Falcidia, Trebellianica, ed altro
qualſivoglia Jus, di maniera che intie-
ramente ſenza diminuzione di beni, ed
eredità mia paſſino, ed abbino da paſſare
da uno in altri ſecondo che per me è ſta-
to diſpoſto &c.* Hujuſmodi enim detra-
19 ctionum prohibitio expreſſa in capi-
te, & oratione ſeparata eſt efficaciſſima
conjectura pro ſuadendo receſſu a dicto
Conſilio Oldradi, ut firmat *Rot. dec.375.
poſt n.8. cor. Mantic., dec.1375. cor.
Seraph., dec.580. n.6. par.4. tom.1.,
& dec.108. n.16. par.9. rec.*

Convenit demum, omiſſis aliis conje-
cturis conſideratis in præcedenti deci-
ſione §.*Secunda*, & §.*Ac denique*, ani-
madverſio, quod teſtamentum Petri de
Feis exaratum fuit in Regnis Hiſpaniæ,
atque hiſpanico ſermone, ubi Primo-
20 genituræ, & Majoratus ſemper *perpe-
tui* intelliguntur, ita ut ab illis extra-
nea prorſus cenſeatur theorica *Oldradi
conſil.*21., ut firmant authoritates re-
latæ in mea deciſione §.*Quod eo liben-
tius*, non obſtante, quod noſter Teſta-
tor eſſet originarius Januenſis, & inco-
latu ſolum Hiſpanus, & quod plura bo-
na haberet extra Hiſpaniam, quia præ-
21 ſumptio Juris ſuper conformitate vo-
luntatis, quæ oritur ex loco, ubi teſta-
mentum ordinatur, procedit etiamſi
Teſtator eſſet forenſis, & originarius
alterius loci, ut tradunt *Gabriel. con-
ſil.115. n.2. lib.1., Ruſtic. de Liber. in
condition. poſit. lib.5. cap.7. n.15., Card.
de Luc. de Fideicomm. diſc.73. n.7., &
& diſc.220. n.12., Rot. dec.447. n.11.
cor. Merlin., dec.113. n.4., & 5. cor.
Otthob., dec.546. n.4., & dec.810. n.2.
verſ. non obſtat cor. Emerix Jun., &
dec.169. n.7., & 8. par.13. recen.*, ac
extenditur etiam ad bona, quæ Teſta-
22 tor alibi poſſidet, non quidem ex Ju-
riſdictione ſtatuentium, ſed ex volun-
tate, & vi directiva mentis Teſtatoris,
ut proſequitur *Card. de Luc. d. diſc.73.
n.9. de fideicomm., Rot. d. dec.447. n.14.
cor. Merlin., & dec.810. num.3. cor.
Emerix Jun.*

Quibus ita conſtabilitis pro exclu-
ſione thoricæ *Oldradi*, inutili conatu
replicabatur vocationem, & ſubſtitu-
tionem fœminarum reſtrictam fuiſſe ad
tempus obitus ipſorum Conjugum *ſine
filiis* propter illa verba -- *Ma ſe li detti
Aleſſandro Raimondo, e Maria Fea
moriranno &c. ſenza figliuoli, ne altri
Diſcendenti maſchj del detto matrimo-
nio &c. in tal caſo ciaſcuno delli detti
Aleſſandro, e Raimondo, e Maria Fea
abbino da eleggere, e nominare ciaſcu-
no la figliuola, che vorrà &c.* -- Iterum
ſiqui-

ſiquidem placuit reſponſio, quod dicta
23 verba *in tal caſo* tanquam deſtituta dictionibus taxativis, apta non ſunt reſtringere vocationem fœminarum ad præciſum tempus obitus Alexandri, & Mariæ Conjugum; ex firmatis in mea deciſione §.*Et hinc inutiliter*, & firmat *Rot. dec.226. n.6., & 7. part.16. recen.* cum aliis relatis.

Quin immo inſpecta voluntate Teſtatoris ex toto contextu diſpoſitionis deſumpta, contrarium potius deducebatur; quippe quia Teſtator gravavit Alexandrum nominare ad Primogenituram unum ex ſuis filiis maſculis, cui ſi decederet ſine filiis, & Deſcendentibus maſculis, vel temporis progreſſu ejus linea extingueretur, ſubſtituit alterum filium maſculum, & iſtius filios, & ſic deinceps *ſucceda d'un fratello nell' altro maſchio*, & deficiente integra linea maſculorum, tunc *ſucceda, ed abbia da ſuccedere il figliuolo maggiore maſchio della figliuola maggiore di quelli* cum eodem ordine Primogenituræ, & Maſculinitatis; Si ergo Teſtator gradatim ad Primogenituram vocavit
24 omnes lineas per ipſum efformatas unam poſt aliam cum ordine Majoritatis, Maſculinitatis, & Primogenituræ, dicere omnino oportet, ipſum conſideraſſe etiam remotiſſima tempora ad effectum admiſſionis maſculorum ex fœminis, non autem reſtrinxiſſe ipſorum vocationem ad tempus mortis prædictorum Alexandri, & Mariæ Feæ; fortius quia Teſtator quoad vocationem maſculorum ex fœminis indefinite ulterius protraxit ſuam voluntatem, nam voluit, ut inpoſterum, *così ſucceda nell'altri figli maggiori delle altre figlie in appreſſo ſeguenti*. Ac proinde eo magis dicendum eſt, Teſtatorem noluiſſe reſtringere vocationem maſculorum fœminarum ad tempus obitus Alexandri, & Mariæ, ſed potius in eorum filiorum defectum indefinite eos conſideraſſe, ut pro receſſu a theorica *Oldradi* ponderat *Rot. part.8. rec. dec.135. n.4., & ſeqq. par.9., & dec.2. n.8., & ſeqq. part.10. dec.358. n.20., part.17. dec.2. n.4., & ſeqq., par.18. dec.684. n.2.*

Et hinc corruit etiam marte ſuo alterum ſubalternum objectum in eo repoſitum, quod cum Teſtator voluerit, ut tam Alexander, quam Maria in caſu deficientiæ maſculorum nominarent filiam fæminam -- ibi -- *In tal caſo ciaſcuno delli detti Aleſſandro Raimondo, e Maria Fea abbino da eleggere, e nominare ciaſcuno la figliuola* --, ſignum evidens eſt, quod vocationem fæminarum reſtrinxerit ad tempus ipſorum obitus; Nam hujuſmodi aſſumptum caſuum diſtinctione diluitur; quia noſter Teſtator plures caſus prævidere voluit in ſua diſpoſitione, & ſignanter conſiderare voluit illum obitus primorum hæredum *ſine filiis maſculis* ſuperextantibus tantum fæminis, & tunc juſſit, ut primi hæredes eligere deberent filiam fæminam, cujus filius natu major ſuccedere deberet in Primogenitura -- *Ma ſe i detti Aleſſandro Raimondo, e Maria Fea moriranno, il che a Dio non piaccia, ſenza figliuoli, ne altri Diſcendenti maſchi del detto Matrimonio, mà ſe averanno figliuole legittime, e naturali, in tal caſo ciaſcuno delli detti Aleſſandro, Raimondo, e Maria Fea abbino da eleggere, e nominare ciaſcuno la figliuola &c.* --; Alter vero caſus totaliter a ſupradicto diverſus ab eodem Teſtatore conſideratus ille eſt, ubi ſcilicet prædicti Conjuges filios maſculos non haberent, neque alios Deſcendentes, & in his terminis abſque alia qualitate electionis voluit, ut -- *In tal caſo ſucceda, & abbia da ſuccedere il figlio maggiore maſchio della figliuola maggiore di eſſi con l'iſteſſi patti, vincoli, e condizioni ſopradette, e pigliando ſempre il nome, & arme di Franceſco Feo, e così ſucceda nell'altri figliuoli maggiori dell'altre figlie di poi ſeguenti* --

Qua de re poſita hac caſuum diverſitate, illico compertum fuit, quod Teſtator in tantum in primo caſu exoptavit qualitatem electionis faciendam a ſuis primis hæredibus, quia ipſe conſideravit deficientiam maſculorum præciſe de tempore obitus dd. hæredum, nempe Alexandri, & Mariæ Feæ; Hujuſmodi vero electionis qualitatem minime voluit in altero caſu, quo hæredes filios, & Deſcendentes non haberent, quia hoc caſu nullam de hac electio-

ctione mentionem fecit, ſed tantum abſolute ſubjunxit, quod *in tal caſo ſucceda, & abbia da ſuccedere il figliuolo maggiore maſchio della figliuola maggiore di eſſi*; imo cum ulterius conſideraverit progreſſivitatem fideicommiſſi ad alios maſculos aliarum fœminarum -- *E così ſucceda negl'altri figliuoli maggiori delle altre figlie di poi ſeguenti* -- Impoſſibile ſane eſt admittere progreſſivitatem Primogenituræ, & electionem a primis hæredibus faciendam pro ſucceſſione maſculorum ex fœminis; Et propterea cum Fratres de Naſellis nullam vocationem deſumant a primo caſu obitus Alexandri, & Mariæ ſine filiis, quia aderat ſubſtitutio Octaviani Sacco, ac habeant propriam vocationem in ſupradicta altera parte diſpoſitionis, ubi ſubſtituuntur maſculi ex fœminis in caſu, quo dd. primi hæredes filios maſculos Deſcendentes non haberent, nulla ideo a dicto primo caſu de-
25 duci poterat reſtrictio pro vocatione maſculorum ex fœminis ad præciſum tempus obitus dd. hæredum propter diverſitatem caſuum, & diſpoſitionis; ad regulam *Text. in leg. Papianus ff. de minoribus*, de qua *Rot. dec.33. ſub n.1. de uſur. cor. cl. me. Card. Falconerio, & dec.687. n.37., & dec.716. n.14. & 15. cor. bo. me. Molines.*

Minime pariter obſtante, quod Teſtator voluit progreſſivitatem fideicommiſſi inter Deſcendentes lineæ primorum hæredum, in quam ingreſſum fuit, *non autem in aliis*; Siquidem nullius momenti apparuit hujuſmodi objectum, & facile ſublatum fuit ex lectione Teſtamenti, in quo Teſtator plures ordinando ſubſtitutiones, in quacunque iſtarum exoptavit progreſſivitatem Primogenituræ, & perpetuitatem fideicommiſſi; nam in ipſis vocavit ſemper filios, & Deſcendentes ſive maſculos ex maſculis, ſive maſculos ex fœminis cum ordine majoritatis, gradus, & Primogenituræ, & quidem ſemper independenter a primis hæredibus, & per ſeparatas orationes; In quibus facti circumſtantiis admitti non poteſt progreſſivitas fideicommiſſi, vel Primogenituræ in linea tantum primorum hæredum;
26 ſed etiam in aliis ſucceſſive ſubſtitutis, ne patens fiat reſiſtentia claris verbis, & ſatis expreſſæ Teſtatoris voluntati per extraneas interpretationes; *Menoch. conſ.11. n.49., Saminiat. controv.201. n.92., Rot. dec.6. n.20. de Tutor., & deciſ.11. ſub n.3. de legat. cor. Card. Falconerio.*

Firmata igitur vocatione fratrum de Naſellis, ac progreſſivitate fideicommiſſi, inutili conatu ſuadere ſtudebant Defenſores Joſephi Puteobonelli, quod data etiam progreſſivitate fideicommiſſi, & Primogenituræ, adhuc tamen fratres de Naſellis ad ſucceſſionem admitti non poſſint tanquam Deſcendentes per *duplex medium fœmininum*; Hujuſmodi namque aſſumpto reſiſtere apparuit Teſtatoris voluntas directa ad perpetuam conſervationem ſuæ artificialis agnationis per Primogenituras perpetuo duraturas, ad quarum ſucceſſiones
27 ſub vocatione filiorum maſculorum filiæ quoque fœminæ primorum hæredum admittuntur, ad hoc, ut Primogenitura, quæ ſemper perpetua eſt, ſemper ſortiatur effectum, ut præter authoritates relatas in mea *Deciſ. §. Momenti* tradunt *Ruſtic. in leg. cum Avus lib.6. cap.12. n.24. ff. de condit., & demonſtr., Peregrin. conſ.11. n.34. lib.5., & de fideicom. art.22. n.51., Covarr. pract. quæſt. cap.38. num.6., Roſ. conſult.69. num.156.*

Ultra quam quod cum ſupradictus Teſtator non aliud exoptaverit, quam fictam, & artificialem conſervationem ſuæ ſuique fratris agnationis, hæc certe abſque ulla repugnantia conſervari poteſt per Deſcendentes maſculos, ſive ab uno, ſive a duplici medio fœminarum procedentes; idcirco ſine ullo diſcrimi-
28 ne ſub vocatione *Deſcendentium* comprehendi poſſunt tam Deſcendentes per unum, quam per duplex medium fœmininum, ut probat mea Deciſio §. *Ideo nil refert*: Eo magis quia in præſentiarum adeſt expreſſa ejus Teſtatoris diſpoſitio, qui vocationem pro maſculis ex fœminis nullo modo reſtrinxit ad Deſcendentes per unum medium tantum fœminarum, ſed ulterius eam protraxit ad alios Deſcendentes, dum loquendo de ſubſtitutionibus ordinatis in portione hæreditatis Alexandri, & vocando maſcu-

maſculos ex fæminis, dixit, ut *così ſucceda nelli altri figliuoli maggiori dell'altre figlie di poi ſeguenti*; & reſpectu alterius portionis hæreditatis Mariæ Feę, præciſe loquendo in caſu exiſtentiæ unius filiæ fæminæ voluit, ut *in tal caſo quella ſucceda, ed abbia da ſuccedere in tutti li detti beni, ed Eredità mia dopo la morte delli detti ſuoi Parenti col detto vincolo, e fidecommiſſo perpetuo per il figlio maſchio maggiore di quella, figli, e Diſcendenti di quello con l'iſteſſe prelazioni di Primogenitura, maſcolinità, e maggiorità*, unde obſequendo voluntati Teſtatoris, fateri oportet, ipſum voluiſſe vocare omnes Deſcendentes, ſive ab uno, ſive a duplici medio fæminino procedant, ut obſervat mea Deciſio §. *Sed omnis ceſſabat*.

Nec aliquid officere potuit, quod Teſtator direxerit vocationem Deſcendentium ex fæminis ad Deſcendentes immediatos dd. Conjugum; Etenim ultra quam quod hujuſmodi deſignatio pri-
29 morum hæredum ſtat ad indicandam originem, a qua deſcendere debebant maſculi ex fæminis, non autem ad reſtringendam eorum vocationem ad fæminas immediatas; urget fatalis reſponſio, quod cum iſti filii ſint vocati cum
30 eiſdem conditionibus, cum quibus fuerunt præcedenter vocati maſculi ex maſculis, ſicuti in iſtis poſt admiſſum primum maſculum, vocati fuerunt omnes Deſcendentes ab illo cum ordine Primogenituræ, & maſculinitatis, ita etiam filii maſculi ex fæminis dici debent vocati cum eodem ordine, hoc eſt, quod omnes Deſcendentes a fæminis admitti debeant cum eadem prælatione maſculorum, & ordine Primogenituræ; Accedente præſertim, quod artificialis agnatio a Teſtatore præſcripta tam po-
31 teſt conſervari per Deſcendentes ab uno, quam a duplici medio fæminarum, & ob id Juris ratio non permittit, ut fratres de Naſellis arceantur a ſucceſſione Primogeniturarum, dum in ipſis perfecte adimplentur vota Teſtatoris conſervandi artificialem agnationem, ut firmat dicta mea Deciſio §. *Ideo nihil*
32 *refert*; nullimode adverſante *Rota in Romana Fideicommiſſi coram Emo Aldrovando* propter diverſitatem rationis,

& caſus, ut conſiderat mea Deciſio §. *finali*.

Quoad denique identitatem bonorum, dixerunt Domini, quod quatenus etiam de hac non conſtaret, adhuc tamen cum petatur immiſſio a fratribus de Naſellis *in genere* ad bona fideicom-
33 miſſaria, ſeu Primogenialia Fei, defectus hujus probationis eandem immiſſionem retardare non valet, dum poterit liquidari ex poſt in executione; juxta receptam praxim, de qua teſtatur *Rot. dec. 21. n. 22. & 25. cor. Anſaldo*, & alibi.

Et ita collitigantibus ſatis auditis reſponſum fuit.

TRICARICEN. DECIMARUM SUPER LIQUIDATIONE.

Lunæ 16. Martii 1739.

Argumento non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Libri contra Scribentem probant.*
2 *Bona ſubrogata in locum aliorum bonorum omnimodam eorum naturam aſſumunt.*
3 *Ubi eadem ratio militat, locum ſibi vindicat eadem juris diſpoſitio.*
4 *Propria confeſſio omne genus probationis ſuperat.*
5 *Res judicata non recipit exceptiones jam ſublatas, ſed eſt attendenda.*
6 *Nemo præſumitur agere contra proprium commodum.*

DECISIO CXL.

Diſſidentibus ab anno 1729. ad hæc uſque tempora Rmo Epiſcopo Tricaricen., atque Capitulo, & Clero Montis Albani ſuper ſolutione Decimarum, tandem ſuborta fuit res judicata, præviis tribus Sententiis, una ſcilicet A.C. Furietti, aliis vero hujus Sacri Auditori, & quarum ultima a me lata fuit ad formam præcedentis Deciſionis editæ die 26. Junii anni 1737., in quibus declaratum extitit debitam eſſe favore Epiſcopi quartam partem Decimarum perſonalium, & tertiam prædialium, quapropter vigore dictæ rei judicatę aſſumpto examine ſuper ipſarum Deci-

 ma-

marum liquidatione, propoſitum fuit per me hac mane Dubium -- *An, & in qua ſumma ſint liquidandæ Decimæ, & pro illis relaxandum mandatum*, & reſponſum accepi -- *Affirmative juxta modum* --, & modus fuit, quod Decimę ſint liquidandę in duc.1101. pro quibus mandatum veniat relaxandum.

Etenim ipſarum Decimarum liquidatio in antedicta ſumma ſatis apparere viſa fuit ex calculo efformato a Deputatis ejuſdem Cleri, & deſumpto ab illius Libris oculariter inſpectis, in quibus Decimarum exactio adnotata reperitur, & juxta calculum ab ejuſdem Libris deſumptum per eoſdem Deputatos liquidata extitit portio tangens anno quolibet pręfato Epiſcopo;
1 unde pluſquam ſufficiens probatio oriri videbatur circa Decimarum quantitatem, veluti deſumpta ex Libris ejuſdem Cleri Decimas reſtituerę debentis; *Rot. cor. Cavaler. dec.*370. *n.*3., *cor. Lancetta dec.*1067, *n.*12., *& in Toletana Decimarum de Capilla ſuper liquidatione* 13. *Junii* 1698. §. *Non fuit dubitatum cor. clar. mem. Card. Priolo, & in Tyburtina Caſtrorum ſuper Fructibus* 25. *Junii* 1703. §. *Fortius cor. bo. me. Muto*.

Quod autem ex prędicta liquidatione optime deprehenderetur Decimarum quantitas a Clero Epiſcopo refundenda, conſtitit ex eo, quod Liquidationi, ut ſupra per Deputatos ſtabilitę, putarunt DD. ſuperaddendas eſſe tres partitas per eoſdem Deputatos in ſuſpenſo relictas, nec non alteram partitam quotam Canonum, ſeu Cenſuum reſpicientem, quibus ſuperadditis, integrum debitumCleri pro Decimis pendente lite decurſis conſtituebatur in ducatis 2315., a quibus ſubductis annuis ducat.83., & tum.40. frumenti ęſtimati juxta pretium anno quolibet currens Menſę Epiſcopali perſolutis, & in totum conſtituentibus ſummam ducatorum 1214., reſiduum debitum Cleri aſcendebat ad pręfatam ſummam ducat.1101., ut omnia dilucide apparebant *ex Summ. Epiſcopi n.*1.

Et crediderunt Domini ad commodum Epiſcopi ſuperaddendas eſſe partitas ſuperius ęnuntiatas; de illis enim particulariter agendo; pro eo, quod reſpicit *Bona della Coſta del Principe* --
2 certum eſt, quod iſta a Barone loci ſubrogata fuerunt in locum aliorum bonorum ab eodem occupatorum, quæ ad ipſum Clerum ſpectabant; ideoque ſicuti bona a Barone occupata erant ſubjecta decimæ favore Cleri, & Menſæ Epiſcopalis, ita etiam ſubjecta remanere debent bona ſubrogata, quæ in omnibus illorum naturam aſſumunt; *Rota dec.*161. *n.*9. *part.*12., *dec.*368. *n.*4. *par.*15., *& dec.*545. *n.*3. *par.*18. *tom.*1. *recen.*

Quo vero ad bona *Cappellæ SS.Conceptionis* dubitari nequit, quin illa ſubſint oneri decimarum, dum etiam aliæ Cappellæ Montis Albani poſſident quamplura bona ſtabilia, quæ decimam ſolvunt Eccleſiæ Matrici, ſeu Clero Montis Albani; unde pari ratio-
3 ne bona etiam iſtius Cappellæ SS.Conceptionis remanere debent decimæ ſubjecta; ex animadverſis per *Theodoſ. ad rub. inter diſcept. Gratian. cap.*192. *n.*7., *Rot. coram bon. mem. Molines dec.*772. *n.*58. *tom.*3. *par.*1.

Et demum reſpectu bonorum -- *della Valle di Tribaldo*, æque certum eſt, quod infixum habent onus decimarum, ut conſtabat ex pluribus documentis pro parte Epiſcopi in ejus Summario exhibitis, & ſignanter ex teſtamento Antonii Miralda, qui partem iſtorum bonorum legavit ejus Nepotibus cum expreſſione, quod reddebant decimam Eccleſiæ Matrici.

Atque hinc deſcendendo ad aliam partitam, quæ Canones, ſeu Cenſus complectitur, quod pariter ex iſtis tertia pars Epiſcopo loco decimæ debea-
4 tur, innegabiliter eruitur ex confeſſione ejuſdem Cleri emiſſa in actu viſitations factæ ab Epiſcopo Sanctorio uſque, & de anno 1589., quæ omnem ſuperat probationem; *Cap. per tuas* 10. *de probat.*, *leg. generaliter* 13. *Cod. de non num. pecun.*, *Rot. cor. Arguel. dec.*82. *n.*4., *cor. Molin. dec.*1382. *n.*3. *tom.*5.

Haud officiente, quod ſupradictus calculus non eſſet attendendus, tum quia in eo deſcriptæ fuerunt *Decimæ Prædiales*, quæ non ſunt Spirituales, ſed portiones Dominicales, ex quibus nul-

nulla debeatur decima Epiſcopo, tum etiam quia calculus non convenit cum obſervantia ſolvendi eidem Epiſcopo decimas in ducatis 83., & tumulis 40. frumenti quolibet anno.

Hujuſmodi namque exceptiones cum jam ſublatæ fuerint in deciſionibus cau-
5 ſæ, & præſertim *in Deciſione dici 26. Junii 1737. cor. Me*, amplius attendi non merebantur, maxime in judicio liquidationis, concurrente præcipue re judicata, quæ iſtas exceptiones non recipit, ſed eſt omnino attendenda, & ſervanda; ad *Text. in leg. Ingenuum ff. de ſtat. homin.*, *Rot. in Oſtien.*, *ſeu Corana Aſſociationis 1. Julii 1735. §. De exiſtentia cor. R. P. D. meo Nunez*.

Tanto magis, quia in prænarrato calculo aperte dignoſcitur, quod Deputati prædd. diſtincte procedendo, ac ſeparantes Decimas Prædiales a mediis decimis, memorato Epiſcopo tertiam partem de decimis tantummodo prædialibus aſſiguarunt, nec quid minimum eidem de mediis decimis tribuerunt, ex quo colligitur Decimas Spirituales ad differentiam earum, quæ mediæ decimæ nuncupantur, pro portione Dominicali hactenus Clero perſolvi conſueviſſe.

Exindeque eo magis enuntiatus calculus venit attendendus, nam ſi juxta inſtantiam Cleri demendæ forent a tertia debita Epiſcopo omnes decimæ prædiales, tanquam temporales, Epiſcopus aſſequeretur multo minus illa portione decimarum, quam ultro per plures annos Clerus exſolvit, & quidem de tempore, quo conſpicua novalia non ſupervenerunt, nec populi numerus excreverat, quod admitti non debet, ut patet ad ſenſum.

Et revera ſi decimæ notabiliter per conſpicuorum novalium ſupervenientiam, & populi incrementum auctæ non fuiſſent, & quota ad Menſam Epiſcopalem pertinens ſolitam reſponſionem ducatorum 83., & tumulorum 40. frumenti non excederet, & ad ratam exceſſus decimæ augendæ non eſ-
6 ſent, Clerus contra proprium commodum tot ſumptibus litem non ſuſtinuiſſet per integrum decennium, & uſque ad rem judicatam, prætendens, quod Epiſcopus ſolita reſponſione contentus eſſe deberet, nec poſſet ſuam quotam decimæ exigere; cum nemo contra proprium commodum agere præſumatur; *leg. Præſes Cod. de ſervit.*, *& acqu.*, *& leg. cum de indebito ff. de probat.*, *Rot. cor. Bich. dec. 74. n. 10.*, *& cor. Lancett. dec. 188. n. 11.*

Et ita &c. utraque &c.

FERRARIEN. EVICTIONIS.

Ven. 10. Aprilis 1739.

Argumentum habes in Deciſ. CXVIII.

SUMMARIUM.

1 *In venditione, & onerosa ceſſione præſtanda eſt evictio ex natura ipſa contractus.*

2 *Fructus cenſus ex ceſſione percepti imputantur in ſortem: contra.* n. 8.

3 *Actio clara per turbidam exceptionem retardari nequit.*

4 *Quantitas fructuum perceptorum juſtificatur ex locationibus, & adnotationibus in libris legaliter retentis.*

5 *Declaratur* Zaul. in appendice ad Statut. Favent. *circa pretium monetæ.*

6 *Pretium monetæ calculatur juxta conſuetudinem loci contractus.*

7 *Annuales reaptationes domorum a Rota taxantur ad rationem ſcut. 5. pro centenario.*

8 *Fructus exceſſive percepti extenuant ſortem in cambiis, aliiſque uſuris indifferentibus, non autem in cenſibus;*

9 *Niſi ſuper hoc præcedat debitoris declaratio, prout;* ſub n. 13.

10 *Creditor cenſus non tenetur ſortem minutatim recipere, ſed debitor offerre ſaltem debet ejus medietatem;*

11 *Quod procedit, ſive agatur de vera ſolutione, ſeu de ficta, cujuſmodi eſt compenſatio;*

12 *Præſertim ſi debitor cum juramento evictionem perpetuo promiſerit.*

13 *Explicantur* deciſiones in Avenionen. Concurſus cor. Priol., & Caffarello.

14 *Bulla Piana de cenſibus in ſtatu Avenionen. non eſt recepta.*

15 *Evicto fundo cenſito ab anteriori hypotheca, jura quoque cenſus evicta dicuntur.*

16 *Nomen debitoris ab anteriore hypotheca abſorptum dici nequit reale, & ſub-*

& ſubſiſtens, unde pro eo cedens tenetur de evictione.

17 *Evictionem promittens, eam præſtare debet, & reficere totum id, quod Creditoris intereſt, rem non fuiſſe evictam.*

18 *Quando agitur de obligatione præſtationis evictionis in genere, non excuſatur debitor ob defectum liquidationis damnorum, quæ reſervatur ad judicium executionis.*

DECISIO CXLI.

Obtinuerunt Fratres de Rimbaldeſiis ex aſſueta noſtri Sac. Auditorii docilitate audiri adverſus deciſionem coram me editam die 27. Junii ſuperioris anni favore March. de Malvetiis; quapropter DD. hodie conſului ſub conſentaneo dubio — *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis* -- & pro perſiſtentia in deciſis reſpondere non detrectarunt.

Obligatio ſiquidem eorundem Fratrum de Rimbaldeſiis ſuper præſtatione evictionis in controverſiam minime revocari poterat, dum ea perſpicue deſumebatur ex litera Inſtrumenti venditionis Palatii, & Viridarii, in quo ipſimet Fratres de Rimbaldeſiis, recepto pretio ſcut. 2363. ceſſerunt, & vendiderunt omnia jura ſibimetipſis competentia ſuper dicto Palatio, & Viridario Comiti Roverellio Auctori March. de Malvetiis, in cujus correſpectivitatem promiſerunt perpetuam manutentionem, defenſionem, ac particularem, & generalem evictionem; cum igitur ſupradictum Palatium, & Viridarium evictum fuerit a Creditore anteriori, omnis æqui bonique ratio expoſcit, ut recenſiti Fratres de Rimbaldeſiis venditores teneantur promiſſam præſtare
1 evictionem, nedum ex natura contractus oneroſæ ceſſionis, verum etiam ob ſuſceptam per eoſdem Fratres de Rimbaldeſiis obligationem eandem præſtandi evictionem, ut, cæteris relatis concordantibus, firmat mea præcedens *Deciſio*, quæ revidetur §. *Cum enim*.

Abſque eo quod iterum obſtare potuerit exceptio, quod March. de Malvetiis pro hujuſmodi cenſu fructus exceſſive perceperint, quodque cum illos
2 imputare teneantur in extinctionem fortis, ceſſet propterea ſubjectum evictionis; ut dixit *Rot. in Avenionen. Concurſus 6. Junii* 1707. §. *Non obſtat*, & §. *Minus cor. bon. mem. Priolo*, & *in illius Confirmatoria* 13. *Januarii* 1708. §. *Siquidem cor. bon. mem. Caſſarello*.

Quoniam, præterquamquod, cum hujuſmodi exceptio altiorem requireret indaginem, proponi minime poterat ad retardandam claram actionem March. de Malvetiis elicitam ab expreſſa promiſſione evictionis cenſus jam purificata propter ſubſequutam effective dicti cenſus evictionem; quia
3 actio clara nunquam retardari valet per turbidam exceptionem, ad tradita per *Card. de Luc. de Cambiis diſc.* 24. *n.*4., *Rot. dec.*2. *ſub n.*1. *de Salvian. interd.*, & *dec.*3. *n.*18. *de ſentent.*, & *re judic. cor. clar. mem. Card. Falconer.*, & *in Romana Fornacis ſuper Fructibus* 9. *Decembris* 1707. §. *Final. cor. bon. mem. Anſaldo*,

Animadverſum quoque fuit, quod ſimilis exceptio erat penitus inſubſiſtens in facto, & irrelevans in Jure; in facto enim dignoſcebatur illius inſubſiſtentia ex contrapoſitione crediti, & debiti Fratrum de Rimbaldeſiis; nam ab anno 1670. ad annum 1703. penſiones Palatii, & Viridarii aſcendebant ad annuam ſummam ſcut. 140., ut patens reddebatur tum ex Inſtrumento locationis anni 1698., tum etiam ex adnotationibus factis in libris legaliter
4 tentis, & in Archivio dd. March. de Malvetiis exiſtentibus, ex quibus pleniſſime juſtificatur quantitas fructuum perceptorum; ut de locationibus tradit *Pacion. de locat.*, & *conduct. cap.*27. *n.*307., *Rot. dec.*378. *n.*3. *cor. Merlin.*, *dec.*831. *n.*3. *cor. Dunoz. Jun.*, *dec.*2. *n.*7. *par.*11., & *dec.*153. *n.*3. *par.*12. *recen.*, & *in d. Romana Fornacis ſuper Fructibus* 9. *Decembris* 1707. §. *Ex oppoſito*, & *ſeqq.*, & 10. *Maii* 1709. §. *Secundus cor. bon. mem. Anſald.*, & de adnotationibus in libris legaliter tentis docet idem *Pacion. de locat.*, & *conduct. d. cap.*27. *n.*7., *Rot. dec.*378. *n.*5., & 6. *cor. Merlin.*, & *in Peruſina Bonorum ſuper Fructibus* 15. *Junii* 1715. §. *Applicando cor. bon. mem. Anſald.*, & *in Toletana Decimarum de Capilla ſuper*

per Liquidatione 11. *Februarii* 1718. §.*Quandoquidem*, *& ſequen. cor. bon. mem. Cerro*.

Ulterius ab anno 1703. uſque ad diem ſequutæ evictionis anno 1724. ex dd. Palatio, & Viridario nonniſi ſc.130. annua retrahebantur ex conceſſione Com. Varano facta per March. Piritheum Auctorem Fratrum de Malvetiis; & hæc erant ipſorum Fratrum de Rimbaldeſiis credita, quæ pro fructibus Cenſus a March. de Malvetiis exigebantur.

Ex altera autem parte creditum eorundem March. de Malvetiis quoad ſortem principalem conſiſtere deprehendebatur ex inſtrumento venditionis in ſumma ſcut.2363., fructus vero Cenſus conventi fuerunt in illius impoſitione anni 1617. in Civitate Ferrariæ in annuis ſcut.160. ad rationem librarum quatuor pro quolibet ſcuto, quæ libræ Ferrarienſes, conſideratæ in juliis duobus pro qualibet libra, & redactæ ad julios decem pro quolibet ſcuto conſtituunt fructus cenſus in annuis ſcut.128.

Nequaquam attenta pretiorum taxatione relata *in appendice obſerv. bo. me.*
5 *Zaul.ad Statut. Favent. tom.2. fol.*101. quia ibi loquitur de pretio monetæ, & ſcutis Provinciæ Romandiolæ juxta uſum, qui ſervatur *in alcuni luoghi della Romagna*, quæ quidem pretiorum taxatio attendi non poterat in præſenti caſu, dum inſtrumentum Cenſus ſtipulatum fuit in Civitate Ferrariæ, in qua libræ ſemper æſtimatæ fuerunt, & æſtimantur in juliis duobus pro qualibet, atque ideo attendi debet pretium libra-
6 rum Ferrarienſium; quippe quia in hac Civitate contractus venditionis celebratus extitit; juxta theoricam *Bart. In leg. in ſtipulationibus n.*2. *ff. de regul. Jur.*, *Cenc.de Cenſ.quæſt.*4.*art.*4.*n.*39., *Surd. dec.*27.*n.*3., *& ſeqq.*, *Rot.dec.*944. *n.*3., *& ſeqq. cor.Seraphin.*, & conſentanee ad Statutum Ferrarienſe tradit *Pigant. ad Statut. Ferrar. rub.* 131. *n.*21.*fol.mihi* 100. cum ibi congeſtis.

Ponderarunt præterea DD., quod ad creditum dd. Fratrum de Malvetiis ponendæ quoque erant ſubſequutæ diſlocationes Palatii, Viridarii, nec non conſueta reaptamenta, vulgo nuncupata *Acconcimi*, in dies occurrere ſolita in vetuſtiſſimo præſertim Palatio,
7 quæ juxta taxam ab hoc Sac. Auditorio receptam taxari ſolent ad rationem ſcut.5. pro centenario, ut pluries firmavit *Rot. dec.*8. *num.*8. *part.*13., *& dec.*301. *n.*6. *par.*13. *rec.*, *& dec.*207. *n.*7., *&* 8., *& dec.*781. *n.*2. *cor. Emer. Jun.*, atque etiam reſtaurationes, & melioramenta in non modica quantitate, & bona fide facta: Quamobrem hiſce factis ſubductionibus tantum abeſt, ut probatus remaneret aſſertus exceſſus, qui cedere deberet in extenuationem ſortis, quin imo contrarium potius convincebatur.

In Jure pariter irrelevans apparuit ſuprad. exceptio; nam etſi conſtaret, March. de Malvetiis fructus exceſſive percepiſſe etiam ultra ſummam fructuum Cenſus, adhuc tamen ſummam dd. fructuum ſolutionem excedens imputari minime poterat in extinctionem ſortis per calculum, ut dicitur a *Scaletta*; etenim licet in ſuis peculiaribus caſibus, ad uſurarum curſum ſiſtendum, fructus exceſſive percepti in ſortem ipſo Jure imputentur, hoc tamen pro-
8 cedere dixerunt DD. in cambiis, aliiſque uſuris indifferentibus, non autem in Cenſibus perpetuis, in quibus nullimode fieri valet eadem ſortis extenuatio cum fructibus exceſſive per Creditorem perceptis, ut juxta conſtantiſſimam Doctorum, & Sac.Auditorii Sententiam firmavit d. præcedens mea *Deciſio* §.*Nec obſtat*, *&* §.*Reſpectu vero*.

Ex eo quia, cum in Cenſibus perpetuis illorum ſors juxta formam, & legem ſancitam a ſan. mem. Pio V. ex parte Creditoris ſit omnino irrepetibilis, fieri ſane nequit extinctio Cenſus, neque vere per effectivam ſolutionem, neque ficte per imputationem fructuum exceſſive perceptorum, niſi expreſſa
9 accedat voluntas, & declaratio debitoris, qui Creditori ſuo denunciet, ſe Cenſum extinguere velle mediante compenſatione fructuum, quos Creditor in exceſſu percepit; Cæterum ſecluſa, ut in caſu hujuſmodi interpellatione, debitor Cenſus remanere quidem poterit Creditor ratæ fructuum exceſſi-

ve

ve perceptorum, aſt nunquam Cenſum tali pacto extinguere valet, ut præter relatos in *deciſione*, quæ confirmatur *d. §. Reſpectu Urceol. conſult. 61. n. 15.*, *Leotard. de uſur. quæſt. 27. n. 46.*, & firmavit *Rot. dec. 13. n. 7. poſt Card. de Luc. de uſur.*, *dec. 175. n. 3.*, *& 4. part. 11. recen.*, *dec. 151. n. 4.*, *& dec. 1309. n. 15. cor. bon. mem. Lancett.*

Præſertim quia juxta legem enuntiatę Bullę Pianę, Creditor Cenſus nec volente ipſo Debitore ſortem Cenſus minutatim, & per obulos recipere te-
10 netur, ſed ſaltem medietatem ſortis offerre, atque perſolvere debet; Idcirco quoties etiam Marchiones de Malvetiis aliquam ratam fructuum a ſupradicto Palatio, & Viridario provenientium ultra ſummam fructuum Cenſus percepiſſent, non tenentur eam paulatim in ſortis extinctionem imputare, ne cogendi eſſent cum maximo eorum prejudicio ſortem Cenſus minutatim recipere in illius extinctionem contra ſancita in ſępedicta Bulla Piana, juxta cujus diſpoſitionem quemadmodum in vito Creditore fieri vetatur extinctio Cenſus per veram ſolutionem, ſortis
11 medietatem non attingentem, ita, & multo minus ea fieri poterat per fictam ſolutionem, prout eſt compenſatio, ut pariter pręter relatos in dicta mea Deciſione *dicto §. Reſpectu*, tradit *Gratian. diſcept. forenſ. cap. 515. n. 45. & 46.*, *Rot. dec. 373. n. 6.*, *& deciſ. 454. n. 69. part. 4. tom. 2. rec.*

Quę fortius procedere videbantur in caſu, attenta litera Inſtrumenti ceſſionis, ſeu venditionis Cenſus, in quo dd. fratres de Rimbaldeſiis expreſſe promiſerunt Com: Roverellio Auctori Marchionum de Malvetiis illum ſemper manutenere, ac defendere in poſſeſſione dicti Cenſus, cum clauſulis perpetuitatem denotantibus, pręvio etiam juramento; In his ſiquidem facti circumſtantiis abſonum prorſus videtur, ut de-
12 bitor, qui hæc omnia promiſit, atque perpetuo ſervare juravit, valeat poſtmodum compenſationem petere, ſeu imputationem fructuum exceſſive perceptorum in diminutionem ſortis; juxta Theoricam *Bald. in cap. ad noſtram de Jur. Jur.*, *& cap. cum inter de except.*, *Jo: Faber inſtit. de action. §. Bonæ fidei*, *Negus. de pignor. par. 5. membr. 5. n. 14. verſ. quarto limitatur.*

His ita conſtabilitis, inapplicabiles
13 viſæ fuerunt *Deciſiones in Avenionen. Concurſus 6. Junii 1707. coram Card. Priol.*, *& 13. Januarii 1708. coram bo. me. Caſſarello*; Quoniam ibi agebatur de Debitore, qui Creditori ſuo uſumfructum cujuſdam latifundii aſſignaverat ſub ea lege, ut teneretur in ſortis extinctionem imputare fructus ejuſdem latifundii excedentes fructus Cenſuales, & de facto Creditor plus debito quolibet anno exegerat conſpicuam ſummam librarum 1700., ut clare deſumebatur *ex d. Avenionen. Concurſus 6. Junii 1707. in princ. coram Card. Priolo*; Cumque igitur in illo caſu adeſſet Debitoris, & Creditoris conſenſus, & conſpicuus exceſſus fructuum perceptorum, nil mirum ſi Sac. Auditorium in Sententiam ivit demandandi imputationem fructuum exceſſive perceptorum in cauſam ſortis, ac proinde hujuſmodi attenta differentia, nullimode attendi poterant Deciſiones prædictæ, cum in caſu præſenti deficiat reciprocus Creditoris, & Debitoris conſenſus, nec non perceptio fructuum in magno ſaltem exceſſu.

Non omiſſa etiam ponderatione, quod in hypotheſi, de qua hic agitur, omnis habenda erat ratio ad formam, & legem ſancitam in laudata Bulla Sancti Pii V.; In caſu autem dd. Deciſionum ſimile judicium minime ferri poterat, dum in ſtatu Avenionenſi, de quo
14 loquuntur Deciſiones prædictæ, eadem Bulla nunquam fuit uſu recepta, ut teſtatur *Rot. in Aven. Primogenituræ*, *ſive Concurſus ſuper Executione Mandati 3. Junii 1702. §. final.*, *& in Avenionen. Concurſus 2. Martii 1708. §. penult. cor. bo. me. Caſſarello.*

Et hinc inſubſiſtens pariter compertum fuit, quod Fratres de Rimbaldeſiis vendiderint ſolum nomen Debitoris, quod cum de tempore venditionis eſſet abſque dubio verum, & reale, locus eſſe nequit promiſſæ evictioni; Objectum ſiquidem corruit inſpecta litera Inſtrumenti venditionis, in quo non purum nomen Debitoris, ſed omnia jura ſuper dd.Pa-

Digitized by Google

d d. Palatio, & Viridario vendita fuerunt, addita inſuper ampliſſima promiſſione perpetuæ manutentionis, defenſionis, & evictionis; Cum ergo Palatium cum Viridario evictum ſubinde fuerit, expeditam habent Marchiones de Malvetiis actionem contra Rimbaldeſios pro emendatione evictionis in
15 contrarium deductæ, quia evicto fundo cenſito ab anteriori hypotheca, jura Cenſus evicta quoque dicuntur, ut per *Text. in leg. evicta ff. de evict.* tradunt *Surd. conſil.22. num.34.*, *Rot. dec.639. n.1. & 2. cor. Merlin., dec.239. num.4. cor. Peuting.*, *dec.619. a n.1. ad 6. coram Biebio*, *dec.352. n.1.*, *& dec.386. n.1.*, *& dec.396. n.6. cor. bo. me. Lancetta*, *& dec.1085. n.2. cor. bon. mem. Molin.*

Attento præcipue, quod etiamſi Marchionibus de Malvetiis, ſive eorum Auctori, ceſſum, atque datum fuiſſet purum nomen Debitoris, illud tamen cum ſubinde, & poſt ceſſionem abſorptum fuerit ab anteriori hypotheca, dici amplius nequit verum, & reale, ſed prorſus
16 inſubſiſtens, ac per conſequens ſemper in his circumſtantiis locus eſſe debet promiſſæ evictioni, ut tradunt *Cenc. de Cenſ. quæſt.72. n.23. verſ. Prima eſt*, *Urceol. conſult.2. n.51.*, *Rot. deciſ.29. n.1. part.9. rec.*, *deciſ.639. n.5. coram Merlin.*, *dec.352. num.7. & 8.*, *& deciſ.386. n.5. & 6. cor. bo. me. Lancett.*, *dec.1085. pariter num.5. & 6.*, *& deciſ.1113. n.2. & 3. cor. bo. me. Molin.*

Quo vero ad melioramenta, nulla pariter ambigendi ratio interceſſit, quin pro iſtis quoque competeret Marchionibus de Malvetiis promiſſa evictio; quippe quia Fratres de Rimbaldeſiis etiam pro melioramentis in dd. Palatio, & Viridario factis ſe ſe obligarunt ad perpetuam manutentionem, & quamcunque evictionem; ac propterea cum per ſubhaſtationem, & deliberationem Palatii factam ad inſtantiam anterioris Creditoris, evicta quoque fuerint melioramenta, factus illico fuit locus pro-
17 miſſæ evictioni etiam pro dictis melioramentis, ut firmat dicta mea Deciſio, quæ revidetur §. *Quia ultra quod*, & reficiendum venit ipſis March. de Malvetiis totum id, quod ipſorum intererat Palatium, Viridarium, & melioramenta non fuiſſe evicta, ut pariter obſervat d. præcedens Deciſio §. *finali*.

Spreta penitus repetitione, quod melioramenta, cum non fuerint liquidata, relaxari non poſſit mandatum pro damnis, & intereſſe paſſis ex cauſa dictæ evictionis; Animadverſum namque fuit, quod in caſu unice diſceptatum fuit dubium ſuper evictione in genere, ideo
18 que cum incontrovertibilis ſit ipſorum melioramentorum exiſtentia in genere, excuſari minime poterant Fratres de Rimbaldeſiis ad præſtandam illorum evictionem, reſervata tamen liquidatione in ſpecie facienda in altero judicio executionis; ut de praxi præſertim hujus Sacri Auditorii teſtatur *Scacc. de Senten., & re judic. Gloſſ.14. quæſt.15. n.25.*, *Barz. dec.55. n.1. in fin.*, *Laurent. dec. Avenion. 195. pariter in fin.*, *Rot. dec.216. n.16. part.18. rec., dec.41. n.19. in fin. cor. Peuting., & dec.21. n.2. cor. bo. me. Anſald.*

Et ita in reliquis DD. ſe ſe remiſſive habentes ad præcedentem meam Deciſionem &c. Utraque &c.

FERRARIEN. EVICTIONIS SUPER RELEVATIONE.

Ven. 10. Aprilis 1739.

Argumento non indiget ob brevitatem.

S U M M A R I U M.

1 *In venditione nedum eſt præſtanda liberatio a moleſtiis, ſi fuerit promiſſa, ſed ex natura ipſa contractus*, & ſub num. ſeqq.

2 *Nomen debitoris obnoxium anteriori hypothecæ dici nequit verum, & reale, illudque cedens tenetur in caſu evictionis ad liberationem a moleſtiis:*

3 *Immo promiſſa exigibilitate tam juris, quam facti, ac liberatione ab omni lite, & moleſtia, Ceſſionarius directe agere poteſt contra Cedentem, omiſſa excuſſione principalis Debitoris.*

D E C I S I O CXLII.

CUM Fratres de Rimbaldeſiis in hoc Sacro Auditorio condemnati fuerint ad præſtandam evictionem Cenſus impoſiti ſuper quodam Palatio, & Virida-

ridario Ferrariæ exiſtentibus favore Marchionum de Malvetiis, ut ex Deciſione coram Me edita ſub die 27. Junii ſuperioris anni, quæ hodie confirmata remanſit, ad conſulendum propriæ indemnitati iidem Fratres de Rimbaldeſiis ſatius agere duxerunt adverſus Principem Don Gisbertum Pium, ex quo clar. mem. Cardinalis Carolus ejus Auctor ipſis vendiderat dictum Cenſum impoſitum ſuper dicto Palatio, & Viridario; Quamobrem ſubſcripſi Dubium — *An eſſet relaxandum mandatum pro liberatione a moleſtiis* —, quod cum in hodierna Audientia Dominis propoſuerim, illud *affirmative* reſolverunt.

Conſtans enim erat in Facto, cl. me. Card. Carolum Pium vendidiſſe controverſum Cenſum Fratribus de Rimbaldeſiis, atque in Inſtrumento venditionis promiſiſſe eoſdem liberare a quacunque moleſtia; quam unquam pati poſſent ex cauſa ejuſdem Cenſus; cum autem iidem Fratres de Rimbaldeſiis condemnati jam fuerint per hoc Sacrum Auditorium ad præſtandam Evictionem ejuſdem Cenſus, quem ipſi eiſdem pactis, & conditionibus ſubinde ceſſerant, & vendiderant Com: Lelio Roverellio Auctori Marchionum de Malvetiis, eo ipſo dicitur factus locus
1 promiſſæ liberationi a moleſtiis, nedum ex natura ipſa contractus venditionis, verum etiam, & fortius propter emiſſam obligationem a laudato Cardinali Carolo Pio præſtandi eandem liberationem a moleſtiis, ut firmat *Rota dec.395. n.2. & 3. cor. Lancetta*, & firmat favore eorundem Marchionum de Malvetiis mea præcedens *Deciſio 27. Junii 1738. §. Cum enim*, & contemporanee firmatum quoque fuit in iſtius confirmatoria §. *Obligatio ſiquidem*.

Nullimode obſtante, quod Cardinalis Pius vendiderit purum nomen debitoris verum, & reale, ſed non promiſerit illud manutenere exigibile; Quoniam ultraquamquod urget Inſtrumentum venditionis, in quo cum promiſſa fuerit manutentio in perpetua ejuſdem Cenſus exactione, atque expreſſe fuerit in pactum deducta eorundem Fratrum de Rimbaldeſiis perpetua liberatio ab omni lite, atque moleſtia, talis promiſſio perneceſſe importare debet perpetuam manutentionem exigibilitatis; Animadverſum fuit, quod etiamſi Card. Pius vendidiſſet purum nomen debitoris, atque promiſiſſet illud dumtaxat verum, & reale, non autem exigibile, adhuc tamen, cum hujuſmodi nomen
2 fuerit ſubinde evictum ex cauſa anterioris, & præexiſtentis hypothecæ, illud dici ſane nequit verum, & reale, ſed inſubſiſtens penitus, & nullum, ac per conſequens deficiente promiſſa veritate & realitate nominis ceſſi, dubitari nullimode valet, quin intrare debeat promiſſa liberatio a moleſtiis, ut notant *Cenc. de Cenſ. quæſt.72. n.23. verſ. prima eſt, & quæſt.16. n.1., & ſeqq., Rot. dec.639. n.5., & ſeqq. cor. Merlin., dec.22. per tot. par.13. rec., & dec.1085. n.5., & 6. cor. Molin.* cum aliis in dicta contemporanea *Deciſione §. Attento præcipue*.

Minuſque officere potuit, quod Fratres de Rimbaldeſiis omiſerunt diligentias peragere contra Gualengos principales debitores hujus Cenſus; quandoquidem, cum in caſu fuerit promiſſa in Inſtrumento venditionis exigibilitas non
3 dum Juris, ſed etiam Facti, ac inſuper ampliſſimis clauſulis ſtipulata liberatio ab omni lite, & moleſtia, opus ſane non eſt, ut præcedat excuſſio principalis debitoris, ſed, ea omiſſa, legitime valent Fratres de Rimbaldeſiis agere contra eundem Principem Pium, ut ſibimet ipſis præſtetur promiſſa liberatio a moleſtiis; *Bart. in leg. Pater n.1. ff. de dot. prælegat., Ruin. conſ.187. n.7. lib.1., Pariſ. conſ.109. num.37. lib.1., Soccin. Jun. conſ.42. n.1. lib.5., Rot. dec.275. n.2. 3., & ſeq. cor. Card. Millin., & dec.151. n.13. par.11. rec.*

Et ita &c. utraque &c.

SORANA AGGREGATIONIS,

Lunæ 13. Aprilis 1738.

ARGUMENTUM.

Vera civilitas acquiritur per admiſſionem ad munera civica, ſolutionem onerum, decennalem habitationem cum voluntate ſemper in eodem loco permanendi per deſertionem alterius domicilii,

Im-

Immemorabilis quomodo probanda ſit, & ex quibus excludatur.

SUMMARIUM.

1 *Vera civilitas acquiritur per admiſſionem ad civica munera, ſolutionem onerum, decennalem habitationem cum voluntate ſemper in eodem loco permanendi, ac per deſertionem alterius domicilii*;

2 *Et eam ita acquirens habere dicitur omnes qualitates aliorum civium.*

3 *Admiſſio ad unum ſervitii genus præbet jus ad alterum, ad quod gradatim adſcenditur.*

4 *Admiſſiones, & Aggregationes ad aliquem Cœtum correſpondere debent menti, & affectioni Diſponentium*; & num. 13.

5 *Quæ affectio recte præſumitur pro conſanguineis.*

6 *Teſtes carentes requiſitis* Gloſſ. in cap. 1. de præſcript. in 6. *non attenduntur ad probandam immemorabilem.*

7 *Immemorabilis per ſolum rumorem in contrarium excluditur.*

8 *Conſuetudo negativa non attenditur, niſi in contradictorio judicio fuerit approbata.*

9 *Actus contrarii immemorabilem deſtruunt.*

10 *Judicatum licet per appellationem ſuſpenſum præſumptionem præbet boni juris.*

11 *Mera collitigantis enuntiativa Tertio nocere non debet.*

12 *Ut immemorabilis probetur per Inſtrumenta, in iſtis ejuſdem mentionem pluries factam fuiſſe requiritur.*

14 *Aggregatus participans eſſe debet redituum Eccleſiæ a die motæ litis.*

DECISIO CXLIII.

Renuente Clero Collegiatæ Eccleſiæ S. Stephani Prothomartyris Terræ Septem Fratrum admittere ad gremium, & participationem redituum prædictæ receptitiæ Eccleſiæ Sacerdotem Angelum de Vecchis, introducta fuit lis coram Vicario Sorano, qui ſententiam protulit Clero antedicto favorabilem, quam tamen revocare non dubitavit R.P.D. A.C. Guglielmus, quapropter devoluta cauſa ad hoc noſtrum Sac. Auditorium, & mihi commiſſa, dedi in hodierna Audientia dubium — *An ſit locus Aggregationi, & a quo tempore debeatur participatio* — Et reſponſum accepi — *Affirmative, & participationem deberi a die motæ litis.*

Fundamentum hujus reſolutionis ſtetit in eo, quod præfatus de Vecchis, uſque, & de anno 1718. deſerendo domicilium Terræ Caſalis Vierii, illud aperuit in dicta Terra Septem Fratrum, ibique illius Familia admiſſa extitit ad omnia civica munera exercenda una cum ſupportatione omnium onerum, prout cæteri Cives, propterea que cum
1 hæſitari non poſſit, quin per d. Sacerdotem vera civilitas acquiſita fuerit per decennalem, & ultra permanentiam, juncta præſertim determinata voluntate ſemper in eodem loco permanendi per deſertionem alterius domicilii, *Gloſſ. in cap. Statutum de reſcript. in 6., leg. Cives Cod. de Incolis lib. 5., ibique Barthol. per tot., Sygon. de antiq. Cur. Civ. Rom. lib. 1. cap. 1., Rot. cor. bon. mem. Molin. dec. 951. n. 8.*, ac etiam per ſolutionem onerum *Dec. conſ. 691. n. 6., Menoch. conſ. 1129. n. 14., Giurb. obſer. 75., & 76., Zaul. ad Statut. Favent. rubr. 11. num. final., Antonell. de Loc. leg. lib. 2. cap. 19. n. 97., Rot. poſt Merlin. de Legit. dec. 24. n. 6., & 11.*; Hinc putarunt DD., quod ei denegari
2 non poſſit Aggregatio ad controverſum conſortium in antedicta Eccleſia, eo fere modo, quo concedenda eſſet aliis Civibus Sacerdotibus ejuſdem Terræ, cum habeat omnes qualitates, quæ neceſſariæ ſunt pro admiſſione ad recenſitam participationem; *Rot. dec. 431. n. 24. tom. 2. part. 18. rec., & in Imolen. Conſortii 21. Januarii 1709. §. Penultimo cor. Emo D. meo Card. Aldrovando.*

Maxime quia præfatus Sacerdos de Vecchis, dum in ſtatu Clericali reperiebatur, ejus ſervitium continuo præſtitit eidem Eccleſiæ, ſicque omnis ratio poſtulabat, quod eo ipſo, ac ad ſtatum Sacerdotalem pertranſiit, eſſet in præmium anteacti Servitii ad participationem admittendus, ne poſt curſum diuturni laboris eidem ſubriperetur præmium illud, quod Sacerdotibus
3 debitum eſt; admiſſio enim ad unum

Digitized by Google

ſervitii genus præbet Jus ad alterum,
ad quod gradatim aſcenditur; *Innoc. in
cap. Dilectus n.3. col.2. verſ. Poſſeſſ. de
Cappell. Monach.*, *ibique Butr. n.15.*,
Rot. dec.537. n.3. par.2. rec.

Ponderarunt inſuper DD., quod d.
Sacerdos tanquam Civis domiciliarius
non concurrit cum altero Cive origi-
nario, quem excludere prætendat, ſed
petit admiſſionem ad participationem
in memorata Eccleſia receptitia, & mi-
nime numerata, quam inſervivit, &
propterea nemini fit injuria, quoties
in eo concurrunt qualitates illæ, quas
habent cæteri Sacerdotes jam admiſſi,
cum controverſia non ſit de prælatione
Civi nativo, vel originario tribuen-
da, ut ſatis ſit ad intentum, quod pe-
tens admiſſionem civicam qualitatem
habeat.

Præter requiſita deſuper neceſſaria,
& militantia favore d. de Vecchis, eo
libentius crediderunt DD. concedén-
dam eſſe petitam Aggregationem, ani-
madvertendo, quod inter onera Miſſa-
rum per Sacerdotes conſortiales adim-
plenda, recenſentur quoque leg ta re-
licta in beneficium dictæ Eccleſiæ ab
Aſcendentibus ejuſdem de Vecchis, cu-
jus proinde favore concurrere etiam
viſa fuit præſumpta voluntas Teſtato-
4 rum; conſimiles enim admiſſiones men-
ti, & affectioni diſponentium corre-
ſpondere debent, *Mantic. de Conject.
lib.3. tit.1. n.16. verſ. hoc amplius*; *Rot.
cor. Arguell. dec.14. n.37.*, & ex con-
ſanguinitate recte deſumitur affectio,
5 & mens pro hujuſmodi effectu conſe-
quendo; ad notata per *Pariſ. conſ.40.
n.27. lib.2.*, *Fuſar. de Subſtit. con.14.
n.4.*, *Mart. de Succeſſ. par.1. quæſt.9.
ar.3. n.10.*, *Magon. deciſ. Lucenſ.23.
n.6.*, *Rot. cor. Emerix Jun. dec.452.
num.3.*, *& 4.*

Nec alicujus ponderis apparuit aſſer-
ta conſuetudo immemorabilis, cujus
virtute Clerus contendebat, quod ag-
gregari non valeant ad conſortium Sa-
cerdotes, niſi ſint Cives nativi ejuſdem
Terræ, quia ultraquamquod Teſtes ad
6 probandam enuntiatam immemorabi-
lem conſuetudinem examinati, cum ca-
reant requiſitis celebris *Gloſſ. in cap.1.
verb. memoria de præſcript. in 6.*, atten-
di non merentur, ut pluries dictum fuit,
& ſignanter *in Piſana Devolutionis 24.
Januarii 1701. §. Etenim cor. bon. mem.
dell'Olmo*, *& in Papien. Emphyteuſis
15. Januarii 1716. cor. clar. mem. Card.
Althan*, *& in Neapolitana Funerum
28. Junii 1737. §.12. cor. Me*, *& in
illius Confirmatoria 5. Decembris 1738.
§.15. pariter cor. Me*, ſatis eſt pro ex-
cluſione immemorabilis, quod aliqui
ex eiſdem Teſtibus deponant de admiſ-
ſione Sacerdotum, quamvis iſti non
eſſent Cives nativi, ſed exteri; imme-
7 morabile enim per ſolum rumorem in
contrarium penitus corruit, & nil po-
nit in eſſe; per ea, quæ tradit *Rocc.
quæſt. Jur. ſelect. cap.167. n.2.*, *Rot.
cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de
Offic. Ordin. dec.22. n.12.*, *& in dicta
Neapolitana Funerum 5. Decemb. 1738.
§.21. cor. Me*.

Ulterius quia dicta probatio præſe-
fert etiam negativam, ſuper ſcilicet ex-
cluſione Presbyterorum non nativo-
rum, ea non admittitur, niſi ſervatis
8 ſervandis in contradictorio judicio con-
ſtabilita fuerit; *Rot. coram Seraphin.
dec.1102. n.8.*, *& cor. Buratt. dec.572.
n.13.*, *& cor. bo. me. Lancett. dec.790.
n.15.*, & quamvis inſuper cum omni-
bus ſuis requiſitis probata remaneret,
9 adhuc non relevaret, cum urgeant actus
in contrarium, ex quibus penitus ſubla-
ta foret; *Fontanell. dec.337. num.21.*,
Thomat. dec.240. n.3., *Rot. cor. Ottbo-
bon. dec.159. n.13.*, *cor. bon. mem. Lan-
cett. dec.667. n.7.*, *& dec.267. n.14.*,
& dec.312. n.28., *& 29. par.16. rec.*

Quibus omnibus adverſari non va-
luerunt tranſactiones initæ per Sacer-
dotes Gizzium, & Mazzucconum, qui
cum ſimili liti renuntiando, declara-
runt malum Jus fovere pro eorum ad-
miſſione; Etenim quidquid in eiſdem
tranſactionibus enun iatum fuit, reco-
gnitum extitit eſſe non poſſe tantæ effi-
caciæ, ut ex eo induci valeat prætenſa
conſuetudo excludendi Cives allectos,
qualis eſt d. de Vecchis, præſertim
quia enuntiativæ prædictæ potius cen-
ſeri debent ſtudioſe adjectæ ex parte
Capituli, cum receſſus a lite revera fue-
rit eorundem Sacerdotum curta ſup-
pellex, non valens diſpendia ipſius li-
tis

Digitized by Google

-tis ſuſtinere, ut teſtificatus fuit idem Gizzius, non autem malum Jus, quod fovebant, dum ex eiſdemmet tranſactionibus conſtat, præfatos Sacerdotes ſi non in totum, ſaltem in parte extitiſſe ad comparticipationem admiſſos, idque evidenter patet etiam ex eo, quod Gizzius produxerat in Curia Epiſcopali Sorana depoſitionem quinque Teſtium comprobantium Aggregationem plurium Presbyterorum, qui in dicta Terra natalia ſortiti non fuerant, quodque Mazzucconus, ut aſſerebatur, ad dictam tranſactionem devenit, poſtquam Judicatum favorabile reportaverat, & Clerus ad Urbem appellationem
10 interpoſuerat, ſicque per d. Judicatum præſumptio boni Juris, non vero malum Jus illius favore oriebatur; *Covar. pract. quæſt. cap.6. n.6., Afflict. dec.152. ſub n.3., Rot. cor. clar. mem. Card. Caprara dec.16. n.6., dec.398. n.6., & 7. part.13., & dec.404. n.3. par.18. rec.*

Rurſus aſſertæ enuntiativæ ſunt penitus ſpernendæ ad effectum inducendi immemorabilem conſuetudinem, non ſolum quia emiſſæ reperiuntur a præfatis duobus Presbyteris occaſione tranſactionis initæ cum eodem Clero, a quo ex cauſa eorum prætenſionis d. conſuetudinem excludentis emolumentum reportarunt, ſicque in præjudicium
11 aliorum abſentium non valent aſſertivæ prædictæ aliquod probationis genus conſtituere; *Rot. cor. Emerix Jun. dec.39. n.5., cor. Anſald. dec.26. n.18. tom.1., & dec.194. n.29. tom.2. in rec., dec.557. n.5. par.19. tom.2., & in Neapolitana Funerum 5. Decembris 1738. §. Altera cor. Me*, ſed etiam ex quo immemorabilis conſuetudo quatenus de-
12 duci prætenditur ex publicis Inſtrumentis, ſeu ſcripturis, neceſſe eſt, quod non ſemel, aut bis, ſed pluries, & quidem diſertiſſimis verbis, in eis mentio habeatur immemorabilis; *Piton. diſcept. Eccleſ.50. n.24. tom.2., Adden. ad Ludoviſ. dec.51. n.10., Rot. cor. Coccin. dec.1102. n.2., & ſeqq., cor. bon. mem. Molin. dec.526. n.19. tom.2., & in d. Neapolitana Funerum cor. Me §. Superius citato.*

Et penitus ſpernendum viſum fuit aliud objectum deſumptum ex tenuitate redituum memoratæ Eccleſiæ, quia prætermiſſo, quod aſſerta tenuitas juſtificata non apparebat per legitima documenta, prævaluit reſponſio, quod ſub tali prætextu, ſicuti repelli non poſſent a conſortio, quotquot eſſent Sacerdotes nativi d. Terræ, qui ad illud admitti peterent, ita nec etiam excludi valeat Sacerdos de Vecchis Civis allectus, qui pro d. admiſſione non ſolum potitur eodem Jure, ac ſi eſſet Civis nativus, ſed inſuper, cum deſcendat
13 a piis Teſtatoribus, quorum bona poſſidet Eccleſia pro ſatisfactione onerum ab ipſis relictorum, illius favore militat quoque præſumpta voluntas diſponentium, ut ſuperius animadverſum fuit.

Conſtito itaque de bono Jure d. Angeli pro petita admiſſione, reſponſum quoque fuit, quod eidem debeatur par-
14 ticipatio a die motæ litis, ne ex injuſta Cleri oppoſitione privatus remaneat ea utilium portione, quæ ex d. Aggregatione ipſi uſque nunc obveniſſet, ut communiter docent *Palm. Nep. allegat.214. n.36., & allegat.215. n.51. tom.3., Rot. cor. R.mo Criſpo dec.508. n.7.*

Et ita &c. utraque &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSORUM DE BLANCHETTIS SUPER IDENTITATE.

Lunæ 27. Aprilis 1739.

ARGUMENTUM.

Per pactum reverſivum bonorum fideicommiſſariorum in tranſactione appoſitum favore vocatorum non inducitur nova diſpoſitio, ſed dumtaxat aſſignationis jam factæ reſolutio; qua eveniente bona ipſo jure revertuntur ad fideicommiſſum, abſque eo, quod agi debeat ex ſtipulatu in ſuo congruo Judicio. Bona permutata cum bonis fideicommiſſariis iſtorum naturam induunt, etiamſi permutatio facta non fuerit nomine fideicommiſſi.

SUMMARIUM.

1 *Conſtito de qualitate fideicommiſſaria bonorum, nec diſcrepante ſituatione loci, & confinis, identitas ſatis probata dicitur, niſi doceatur de* acqui-

acquiſitionibus intermedio tempore ab hærede gravato factis; & n.11.

2 *Præcipue ubi agitur cum hærede gravati, non vero cum tertio poſſeſſore.*

3 *Extrinſecæ qualitates, puta nomen ædificiorum, & prædiorum, & ſimilium non deſtruunt identitatis probationem ex aliis demonſtrationibus apparentem.* & num.ſeq.

5 *Per purificationem conditionis fit locus executioni pacti.*

6 *Ubi agitur de bonis ab origine fideicommiſſariis, ad ipſius fideicommiſſi commodum, ac favore vocatorum ſtipulatum cenſetur pactum reverſivum.*

7 *Verbum* hæredibus *copula deſtitutum cenſetur adjectum ad indicandam qualitatem ſanguinis.*

8 *Quando pactum reverſivum appoſitum fuit non favore extranei, ſed vocatorum ad fideicommiſſum, non inducit novam diſpoſitionem, ſed continet reſolutionem aſſignationis, qua eveniente, bona ipſo jure revertuntur ad fideicommiſſum, abſque eo quod agi debeat ex ſtipulatu in ſuo congruo judicio.*

9 *Bona permutata cum bonis fideicommiſſariis, horum naturam induunt, & reſtitutioni ſunt obnoxia, maxime quando reperiuntur penes gravatum*;

10 *Etiamſi permutatio facta non fuerit nomine fideicommiſſi.*

12 *Res ex cauſa dotis reſtituendæ avulſa a fideicommiſſo, non eſt amplius eidem obnoxia.*

13 *Inveriſimile eſt, quod res in pios uſus relicta, & a Teſtatrice dotalis appellata, talis non ſit.*

14 *Peritia extrajudicialis, ac facta parte non citata, nil probat.*

DECISIO CXLIV.

AD examen revocatis fundamentis deciſionis coram Me editæ die 23. Januarii currentis anni, in qua reſolutum extitit mandatum de immittendo ad bona fideicommiſſaria domus de Blanchettis obtentum a Com. Julio Sighizzio exequendum eſſe ſuper bonis deſcriptis in folio impreſſo, quatenus tamen d. bona concordarent, vel cum liquidatione peracta de anno 1640., vel uniformia reperirentur cum bonis liquidatis, & contentis in ſententia anni 1672. lata per Auditorem Generalem Bononiæ, exceptis prædio nuncupato la preſa *della Fabra*, nec non quarta parte bonorum emphyteuticorum Ven. Menſæ Archiepiſcopalis Bononiæ; In hodierna repropoſitione Partes non impugnarunt reſolutionem deſuper captam pro eo, quod reſpicit immiſſionem ad bona expreſſa in antedicto folio, & convenientia cum aliquo ex dd. duobus actibus præſeferentibus eorundem bonorum liquidationem, ſed tota contentio redacta fuit ad inſtantiam memorati Comitis ad bona ſuperius excepta, & ad prædium poſitum in loco dicto *il Travaglino*, quod licet expreſſum in dicto folio, & contentum quoque reperiatur in liquidationibus prædictis, attamen demandata fuit executio pro ea quantitate, quæ conveniebat deſcriptioni contentæ, tam in dicta Sententia, quam in antecedenti actu anni 1640, nec non etiam pro parte Comitiſſæ Thereſiæ Balduzzi controverſa extitit executio ejuſdem mandati favore Actoris elargita quoad prædium *delle Lezze*. Unde reaſſumpto in præſenti Audientia examine ſuper executione ſupradicti mandati quoad bona ſuperius hincinde controverſa, & attentis recenter in facto deductis *DD. receſſerunt a deciſis*.

Firmis namque manentibus fundamentis captæ reſolutionis quoad partem illam a Collitigantibus non impugnatam. Pro receſſu a deciſis reſpectu prædii nuncupati *il Travaglino* animadverterunt DD. hujuſmodi prædium, quod tam in liquidatione anni 1640., quam in Sententia anni 1672. enunciatur -- *Una pezza di Terra ſemina Corbe 16., o 17.* -- obveniſſe in diviſione peracta de anno 1678. Cæſari Auctori Com. Thereſiæ, quodque in eadem diviſione illius quantitas aſſeritur in tornaturis 372., unde ſuper iſtis viſum fuit eſſe exequendum mandatum, quia eo ipſo, quod conſtat de qualitate fideicommiſſaria, nec diſcrepant ſituatio loci, & confinis, ſatis probata dicitur identitas, niſi doceatur de novis acquiſitionibus intermedio tempore in eodem loco per hæredes gravatos factis; ad

1 vul-

vulgatum *Fulgoſ. conſ.*145. *n.*2., *Gobb. conſult.*92. *n.*17., *Rot. dec.*120. *n.*16., *& ſeq. par.*6., *& dec.*209. *n.*39., *& ſeq. part.*19. *recen.*, *cor. Cerro dec.*83. *n.*4., *& ſeq.*, *& in Amerina Fideicommiſſi* 16. *Junii* 1697. §. *Quam etiam coram Muto*. Potiſſimum quia non agi-
2 tur cum aliquo tertio Poſſeſſore, ſed cum hærede Succeſſoris in fideicommiſſo; in quibus terminis ſunt omnino probandæ bonorum acquiſitiones, ut diſtinguendo firmat *Rot. coram Priolo dec.*429. *num.*14., *coram Card. Caprar. dec.*684. *n.*5., *& in rec. dec.*670. *n.*1., *& ſeq.*, *& dec.*705. *num.*3., *& ſeq. part.*18.

Minime relevante, quod in Diviſione prædicta aſſignentur in loco dicto *il Travaglino* duæ Poſſeſſiones cum enuntiativa majorum Ædificiorum, quæ non continentur in dicta Sententia, ac liquidatione anni 1640., ubi unum, non vero duo Prædia, ſive Poſſeſſiones exprimuntur, quia curſu temporis potuit dictum Prædium dividi in plura, & nova ædificia in eo conſtrui valuerunt, ac proinde hujuſmodi diverſitas, quæ reſpicit
3 qualitates extrinſecas, quæque per temporis decurſum accidere potuit, non tollit identitatis probationem ex aliis demonſtrationibus orientem, ut in terminis dixit *Rot. dec.*294. *n.*6. *& ſeq.*, *& dec.*316. *n.*8. 9. *ac* 10. *cor. Merlino.*

Pariter obſtare non potuit, quod in ſeparatione anni 1640. aſſertum fuerit, quod dictum Prædium ſerebatur in annuis corbis frumenti 16. aut 17., quodque hoc idem repetitum appareat in Sententia lata de anno 1672. enuntiando reliquas illius partes arboratas, nemoroſas &c., & quod e converſo pars, quæ annuatim modo ſeritur, aſcendat ad valde majorem quantitatem; Etenim
4 recurrit eadem reſponſio, quod ſcilicet variatio iſthæc non reſpicit ſubſtantiam, ſed accidentia, potuit namque tractu temporis ex induſtria Poſſeſſorum reduci ad culturam pars inculta, & propterea diverſitas hujus qualitatis non valet dubiam reddere illius identitatem, ut ponderavit *Rot. deciſ.*173. *n.*4. *cor. Pænia*, *& dec.*263. *n.*7. *coram Merlin.*, & tollitur omnis difficultas circa ea, quæ objiciuntur, ex quo cum Prædium *del Travaglino* hæſitari non poſſit fuiſſe ſuppoſitum fideicommiſſo, demandata extitit executio mandati ſuper tornaturis 372. quantitatis obventę in dicta Diviſione Authori Co: Thereſiæ, quæ ſane quantitas ſatis juſtificatum apparebat, quod ſit portio ejuſdem Prædii fideicommiſſo ſuppoſiti.

Quo vero ad quartam partem bonorum emphyteuticorum Menſæ Archiepiſcopalis Bononię in Communi *di Minerbio*, ſuper quibus in antecedenti propoſitione denegata extitit executio mandati ſub ratione, quod dicta quarta pars Bonorum aſſignata fuerat Eliſabethæ Blanchetti pro ſuis juribus dotalibus, ſicque poſtquam avulſa rem anſerat a fideicommiſſo, amplius obnoxia non erat illius vinculo, animadverſum fuit in præſenti Audientia, mediante accuratiori examine Tranſactionis de anno 1666. initæ inter dictam Eliſabetham, & Co: Julium ejus Patruum, quod prædicta portio Bonorum minime ceſſerat in Cauſam ſatisfactionis jurium dotalium dictæ Eliſabethæ, ſed quod aſſignata fuerunt alia Bona penitus diverſa, quodque eadem Eliſabeth jure proprio prætendebat ſucceſſionem in eiſdem Bonis Emphyteuticis, & ex Cauſa hujus prætenſionis eidem tradita fuerat quarta pars eorundem Bonorum ſub expreſſo tamen pacto in Inſtrumento dictæ Tranſactionis appoſito, quod deficiente illius linea, & deſcendentia, dicta portio redire deberet ad prædictum Co: Julium, illiuſque filios, hæredes, & Deſcendentes de Blanchettis;
5 quapropter purificata conditione, ob deficientiam Deſcendentiæ dictæ Eliſabeth factus fuit locus reverſioni prædictorum Bonorum favore Deſcendentium de Blanchettis; *Joan. de Amic. conſ.*30. *n.*4., *Roder. conſ.*24. *n.*27. *& ſeq.*, *Fontanell. de pact. Nupt. tom.*2. *clauſ.*5. *gloſ.*10. *part.*1. *a n.*9. *& ſeqq.*, *Cancer. var. reſol. lib.*3. *cap.*2. *n.*200. *& ſeq.*, *Staiban. Jun. reſ. for. reſ.*111. *n.*9. *& ſeq.*, *Rota in Motulen. Salviani* 6. *Maii* 1707. §. *Altera vero coram Omana*.

Non attenta reſponſione, quod reverſio prædicta ſtipulata fuerit per Co: Julium Sen. pro ſe, ſuiſque filiis, hæredi-

dibus, & Deſcendentibus de Blanchet-
tis, adeo ut ſuffragari non poſſit Com:
Julio Jun., veluti deſtituto qualitate
hæreditaria Julii Sen., quia cum ſit ex-
tra controverſiam, quod hæc Bona eſ-
ſent ab origine Fideicommiſſaria Do-
mus de Blanchettis, & tranſactio præ-
dicta inita fuerit per memoratum Ju-
lium Agentem nomine fideicommiſſa-
rio pro vindicatione Bonorum adver-
ſus dictam Eliſabetham a fideicommiſ-
6 ſo excluſam, dictum pactum reverſivum
ſtipulatum cenſetur ad commodum fi-
deicommiſſi, ac favore vocatorum ad
illud, cum agatur de Bonis, quorum
dominium jam pertinebat ad idem fi-
deicommiſſum; *A Pont. conſ.38. n.26.
lib.1., Caſtill. contr. Jur. lib.4. cap.56.
n.15., Cancer. var. part.3. tit. de re-
nunt. cap.15. n.211.*, & dictum fuit *in
Carpentoraten. Fideicommiſſi 14. Mar-
tii 1691. §. Quo vero cor. cl. me. Card.
Priolo*.

Audiri proinde non merebatur, quod
Co: Julius ſit deſtitutus qualitate hære-
ditaria Julii Sen., quia ulterius antedi-
cta ſtipulatio pro hæredibus, & deſcen-
dentibus de Blanchettis intelligenda
non eſt in præſenti de hæredibus Bono-
rum, ſed Sanguinis, cum verbum illud
7 *Hæredibus*, veluti appoſitum ſine co-
pula adjectum cenſeatur ad indican-
dam qualitatem reſpectu Sanguinis;
*Bald. in cap. de natur. ſucceſſ. Feud.,
Salicet. in lib.2. Cod. de Jur. Emphyt.,
Cravett. conſ.108. n.4., Cephal. conſ.417.
n.8., Odd. conſ.46. num.14., Menoch.
conſ.958. n.3. & ſeqq.*, idque confir-
matur etiam ex facto hæredum dictæ
Eliſabethæ, qui in Inventario poſt illius
obitum confecto deſcripſerunt dicta Bo-
na Emphyteutica utpote ſubjecta fidei-
commiſſis, & Inveſtituræ Familiæ de
Blanchettis, ex quo manifeſte apparet,
quod reverſio conventa fuerit favore
Deſcendentium Sanguinis, & vocato-
rum ad fideicommiſſum.

Altera vero exceptio, quod ſcilicet
pro vindicanda dicta quarta parte Bo-
norum Emphyteuticorum agendum ſit
in ſuo congruo Judicio, & actione di-
verſa ex ſtipulatu in vim dictæ Tranſa-
ctionis citatis omnibus citandis, viſa
fuit mendicata, ex quo pactum rever-
ſivum in eadem Tranſactione appoſi-
tum, adjectum non fuit favore Extra-
nei, ſed vocatorum ad fideicommiſſum,
8 & propterea non inducit novam diſpo-
ſitionem eorundem Bonorum, adeo ut
ex ſtipulatu agendum ſit, ſed continet
reſolutionem aſſignationis, acſi eadem
aſſignatio facta minime fuiſſet, cum fue-
rit temporanea, & limitata, ſicque di-
cta Bona ipſo jure reverſa fuerunt ad
fideicommiſſum; ad *Text. in leg.2. ff. de
in diem adject., Vaſq. quæſt. illuſtr. lib.1.
cap.99. ſub n.2. verſ. reſolutivæ condi-
tiones, Menoch. conſ.388. n.16., Rota
cor. Cerr. dec.441. n.7. & 11.*, & pro-
pterea ſatis ſit repetere, quod aſſignatio
prædicta non obſtat petitæ immiſſioni,
pro qua obtinenda non in vim dicti pa-
cti in præfata tranſactione appoſiti age-
re opus habet Co: Actor, ſed in vim fi-
deicommiſſi actionem tribuentis etiam
ſuper dd. Bonis, ut de ſe patet.

Exequendum etiam putarunt DD.
mandatum ſuper Prædio *la Preſa della
Fabra*, quamvis deſcriptum non appa-
reat nec in liquidatione peracta an-
no 1640., nec in Sententia emanata de
d. anno 1672., quia modo ſatis con-
ſtare viſum fuit, quod Co: Julius Senior
titulo permutationis acquiſivit dictum
Prædium per traditionem Bonorum fi-
deicommiſſariorum, ex quo ſequitur,
quod hujuſmodi Prædium ſubrogatum
remanſerit in ipſorum locum, & pro-
9 pterea, quod aſſumpſerit illorum quali-
tatem, ſicque venire in reſtitutione fi-
deicommiſſi, maxime quando res per-
mutata exiſtit penes hæredem grava-
tum; tradunt *Peregrin. deciſ. Patav.2.
n.7. & ſeqq., Fuſar. de ſubſtit. quæſt.
636. num.1., Giovagn. conſ.23. n.11.,
Calderon. reſ.40. n.50., Surd. deciſ.15.
n.21., Rot. dec.355. n.16. part.17. re-
cent., & in Spoletana Bonorum 2. Maii
1687. §. Equidem cor. bo. me. Urſino,
& in Romana Fideicommiſſi de Ciavel-
lonibus 3. Julii 1702. §. Quia qualitas
& ſeqq. cor. cl. me. Card. de la Tremo-
ille, & in Foroliviien. Fideicommiſſi de
Torchis cor. bo. me. Muto* impreſſ. pe-
nes *Paulut. poſt differt.16. dec.1. n.36.*,
& in illius confirmatoria impreſſ. apud
*Palm. Nep. Deciſ. Lucen. diverſ. tom.4.
dec.385. n.1.*

Idque

Idque locum habet, quamvis Co: Julius Sen. permutationem non expleverit nomine Fideicommiſſario, ſed nomine proprio, ac pro ſe cum clauſula *ad habendum &c.*, quia D. Comes non devenit ad alienationem Fundi Fideicommiſſarii recepto pretio, ex quo acquiſiverit d. Prædium, ſed per viam permutationis conſecutus fuit ejuſdem Prædii acquiſitionem; in quibus termi-
10 nis licet actus expletus minime fuerit nomine fideicommiſſi, adhuc res in permutationem accepta miniſterio legis obnoxia remanet vinculis, & oneribus, quibus affecta reperiebantur Bona Fideicommiſſaria in eadem permutatione diſtracta; *Giovagn. conſ.*23. *n.*10. *& ſeqq. lib.*2., *Rot. dec.*355. *num.*16. *part.*17., *& dec.*176. *num.*21. *& ſeqq. part.*18. *tom.*1. *rec.*

Haud refragante, quod dictus Comes in permutatione prædicta dederit quaſdam tornaturas Terræ, quia cum ſatis conſtiterit, quod res Fideicommiſſaria deſuper diſtracta annexas habebat Terras, quarum confines inſuper deſcripti in Inventario Bonorum Cæſaris dicti *il Venerabile* conveniunt, & concordant cum illis expreſſis, & deſignatis in eodem permutationis Inſtrumento, cenſeri debet, antedictas tornaturas
11 Terræ in contractu permutationis traditas pertinuiſſe ad Fideicommiſſum juxta authoritates enuntiatas *in §. Firmis namque*; Verum quia idem Comes in dicta permutatione perſolvit etiam de propriis pecuniis lib. 500., demandata extitit earum reſtitutio favore Com: Balduzzi, cum congruum non videretur, quod potius eſſet danda reſtitutio ejuſdem Prædii pro adeo exigua portione, nempe ad ratam dictarum librarum 500. non excedentium ſc. 100.

Poſtremo non eſſe exequendum dictum mandatum ſuper Prædio *delle Lezze*, recedendo pariter a deciſis DD. reſponderunt: Animadverſum namque fuit, quod d. Prædium de anno 1666. in præcitato Inſtrumento Tranſactionis ceſſum extitit favore Eliſabethæ in cauſam ſatisfactionis ſuorum Jurium dotalium, & propterea licet deſcriptum
12 appareat in liquidatione anni 1640., attamen cum ex legitima Cauſa avulſum fuerit a fideicommiſſo pro reſtitutione memoratæ dotis, jure merito denegarunt DD. executionem dicti mandati; *Peregr. de fideic. art.*42. *n.*3., *Card. de Luc. de Dote diſc.*145. *n.*84., *Rota cor. bo. me. Molines dec.*493. *n.*12., *& dec.*724. *n.*10., *& dec.*1020. *n.*12., *& cor. cl. me. Card. Falconerio tit. de Dot. dec.*14. *n.*7.

Hanc veritatem comprobat etiam diſpoſitio Teſtamentaria ejuſdem Eliſabethæ, quæ dictum Prædium reliquit favore piæ Cauſæ, aſſerendo ad ipſam ſpectare pro ſuis Juribus dotalibus; Un-
13 de redditur penitus inveriſimile, quod prædicta Eliſabeth legare voluiſſet dictum Prædium ad effectum erogandi illius pretium in opera Pia, atque in beneficium propriæ Animæ cum aſſertiva, illud eſſe dotale, quatenus revera tale non fuiſſet, ut in propoſito ponderant *Mart. Medic. Dec. Senen. exam.*29. *n.*18., *Rota cor. Zarat. dec.*5., *& in rec. dec.*421. *n.*9. *part.*13., *& in Firmana Donationis* 17. *Junii* 1737. *§. Unde propterea cor. Me.*

Penitus autem inſubſiſtens detecta fuit exceptio, quod dictum Prædium non integre aſſignatum fuerit in reſtitutione dictæ Dotis, ſed quod ad commodum fideicommiſſi remanſerit quantitas tornatur. 29., quia deſcriptio ipſius Prædii facta in dicta aſſignatione adamuſſim conſonat cum ſeparatione, ſeu liquidatione anni 1640., quapropter percipi non valuit, quomodo ex recenſito Prædio remanere potuerint tornaturę 29. ad commodum fideicommiſſi, idque in aperto ponit animadverſio, quod in poſteriori Sententia anni 1672. nulla habetur mentio d. Prædii, ſignum evidens, quod integraliter exierat a fideicommiſſo per d. aſſignationem, ut patet ad ſenſum.

Retentionem vero petitam ex parte Comitiſſæ pro melioramentis, aliiſque Juribus denuo denegarunt DD., ex quo juſtificata non remanebat illius prætenſio; Haud quaquam attenta Peritorum relatione exhibita, dum reperta fuit extrajudicialis, ac Parte non citata facta,
14 & per conſeqtens inepta ad probandum, ut in puncto æſtimationis extrajudicialis Peritorum alias dixit *Rot. cor.*

Ubald.

Ubald. dec.499. n.1., cum ibi relatis, ſicque hac exceptione poſthabita ſeſe remiſſive habendo ad meam præteritam Deciſionem pro illis jura reſervarunt.

Et ita &c. utraque &c.

PERUSINA REINTEGRATIONIS.

Veneris 15. Maii 1739.

ARGUMENTUM.

In rebus de ſui natura ad hæredes tranſitoriis Pactum reverſivum nunquam eſt perſonale, ſed hæreditarium, ſecluſa expreſſa conventione in contrarium, non obſtante deſignatione perſonæ, cum qua ſtipulatum fuit, & defectu mentionis hæredum. Ex facultate alienandi vel excluditur quodcunque fideicommiſſum, vel remanet conditionale in caſu nempe non ſecutæ alienationis. Ex ſola poſitione in conditione lineæ maſculinæ non inducitur nec diſpoſitiva vocatio, nec fideicommiſſum.

SUMMARIUM.

1 *Actor ab intentata actione repellitur, niſi fundamentum ſuæ intentionis concludentiſſime probet.*

2 *Pactum reverſivum in donatione appoſitum efficit, ut purificata conditione bona non ad alium, quam ad donantem pertineant;*

3 *Idque in rebus de ſui natura ad hæredes tranſitoriis ſecluſa expreſſa conventione in contrarium nunquam cenſetur perſonale, ſed hæreditarium, non obſtante deſignatione perſonæ, cum qua ſtipulatum fuit, & defectu mentionis hæredum.*

4 *Qualitas pacti ex ſpiritu contractus, & ex voluntate contrahentium dijudicanda eſt,*

5 *Conceſſa Donatario facultate ad ſui libitum diſponendi, fruſtra petitur reintegratio ad bona ab eodem in alterum tranſlata.*

6 *Poſita facultate alienandi vel excluditur quodcunque fideicommiſſum, vel remanet conditionale, in caſu nempe, quo alienatio non ſequatur.*

7 *Per ſolam poſitionem in conditione lineæ maſculinæ non inducitur diſpoſitiva vocatio;*

8 *Nec fideicommiſſum favore poſitorum in conditione.*

9 *Tranſactio bona fide, & juſtis de cauſis facta afficit etiam ſucceſſores;*

10 *Etiamſi lites nondum in judicium deductæ fuerint, cum ad hunc effectum ſufficiat ſolus timor earundem;*

11 *Præcipue autem, ubi antiquiſſima eſt, & inter conſanguineos facta cum interpoſitione amicorum ad ſedandas controverſias emerſuras, quo caſu ſtricte non examinantur rationes tranſigendi, ſed ſufficit, ut de eo tempore adeſſet probabile dubium.*

13 *Heres hæredis habetur in omnibus uti verus primi defuncti hæres;*

14 *Cujus propterea factum ſervare debet*, & num.17.

15 *Semel hæres, ſemper præſumitur hæres.*

16 *Et ad hoc ut qualitate hæreditaria ſpolietur, debet de omnibus bonis hæreditariis rationem reddere.*

18 *Per novationem extinguitur quælibet præcedens obligatio.*

19 *Exceptio excluſiva juris Agentis non eſt exceptio de jure tertii, ſed a quolibet proponi poteſt.*

DECISIO CXLV.

POſt Rotalem Sententiam præviis duabus Deciſionibus ab R.P.D. meo Creſcentio editam, in qua fuit declaratum nullum jus, nullamque actionem competiiſſe, neque competere Fratribus Comitibus de Balleonibus uti hæredibus mediatis qu. Camilli Signorelli pro reintegratione Bonorum Portiæ alienatorum a Fabritio ultimo hærede gravato, jidem Co: de Balleonibus curarunt, ut in gradu appellationis novo ſubjeciſſem examini fundamenta præcedentium Deciſionum, quibus præfata Sententia erat innixa; Quocirca concordato inter Partes, atque per me ſubſcripto conſueto Dubio -- *An Sententia Rotalis ſit confirmanda* -- ? Illud hodierna die Dominis meis reſolvendum propoſui, qui agnita earundem Deciſionum firmitate, fuerunt in ſenſu pro *confirmatione* ejuſdem Sententiæ Rotalis.

Firmum ſiquidem apparuit in Facto, quod Co: de Balleonibus ad petendam reintegrationem Bonorum Portiæ, quę alienavit Fabritius Auctor Co: Philippi de Anſidæis, in hoc ſteterunt Judicio

cio tamquam hæredes Camilli ultimi ex maſculis Familiæ de Signorellis, ac ideo indiſpenſabili afficiebantur onere concludenter probandi, quod ipſis competeret petita reintegratio, uti hæredibus ejuſdem, ac bona penes ipſum immunia penitus remanſerint a quocunque onere, ita ut rite proinde in eoſdem hac hæreditaria qualitate ſuffultos tranſire potuerint; Semota autem hujuſmodi probatione nullimode obtinere valent dictam reintegrationem; cum ab-
1 ſoluti juris ſit, Actorem ab intentata actione eſſe repellendum exceptione non juris, niſi ſuæ intentionis fundamentum concludentiſſime probet, ut ait *Text. in leg. Actor, qui aſſeverat Cod. de probat.*, & firmat *Rot. deciſ.*48. *n.*48. *cor. Celſ.*, *deciſ.*646. *n.*2. *coram bo. me. Molin.*, *dec.*7. *n.*1. *cor. bo. me. Lancetta*, *& dec.*10. *n.*1. *de probat. coram clar. mem. Card. Falconerio*, & firmant præcedentes Deciſiones R. P. D. mei Creſcentii ubique §§. *final.*

Tantum enim aberat, ut ipſi Fratres Com: de Balleonibus adſtruere ſibi poſſent ſupradictam probationem ad effectum obtinendæ reintegrationis, ut ex ipſiſmet eorum Juribus deductis contrarium potius invincibiliter deſumeretur; Et ſane nullum præſidium deducere poſſe compertum fuit ex donatione anni 1531.; Etenim quamvis in ea contineatur fideicommiſſum favore ſupradicti Fabritii, & Balthaxaris Fratrum, eorumque Deſcendentium per lineam maſculinam, attamen cum Portia de Signorellis Donatrix expreſſe ſibi caverit, ut quoties extingueretur ſupradictorum linea maſculina, eadem bona donata ad ipſam revertere deberent; Hinc proinde eſt, quod ob totalem
2 defectum lineę maſculinæ Camilli Jun., nullimode ipſi Co: de Balleonibus obtinere valent petitam reintegrationem ad bona donata, quippe quia eis ſemper obſtat pactum reverſionis, quod ad ſui favorem appoſuit eadem Portia in caſu, quo deficeret linea maſculina dictorum Donatariorum, ut relatis concordantibus firmatum fuit in utraq; Deciſione præcedentis inſtantiæ cor. R.P.D. meo Creſcentio, nempe in prima §. *Licet enim*, & in ſecunda §. *Aut enim*.

Nullimode obſtante, quod hujuſmodi pactum reverſionis expiraverit, antequam defeciſſet linea maſculina ipſorum Donatariorum; quia illud fuit perſonale, & reſtrictum ad vitam Portiæ, quæ deceſſit ante extinctionem ſupradictæ lineæ maſculinæ; Placuit ſiquidem reſponſio, quod ad hoc, ut pactum dijudicandum ſit perſonale, ſufficiens ſane non eſt ſola deſignatio Perſonæ, quæ perneceſſe demonſtrari debet, ut recognoſcatur, cum quo pactum ſtipulatum fuit, ſed ulterius intercedere expreſſa Contrahentium voluntas; Ita ut ad partes poſita hujuſmodi probatione voluntatis in rebus, prout in caſu, de ſui natura ad hæredes tranſitoriis, intrat illico juris præſumptio, quod Donatrix
3 nedum ad ſui favorem inducere voluerit pactum reverſionis, verum etiam favore ſuorum hæredum, licet nullam in eodem pacto de eis mentionem feciſſet, ut in puncto pacti reverſivi favore Donantis firmat *Rot. dec.*127. *a n.*14. *ad* 15. *part.*16. *rec.*, & conſentanee pariter firmant prima Deciſio §. *Haud relevante*, & ſecunda §. *Abſque eo quod*.

Et quamvis nedum ex miniſterio Juris, ſed etiam ex ſpiritu donationis, & voluntate Contrahentium, a quibus ju-
4 dicari ſolet qualitas pacti, dicendi eſſent in dicto pacto reverſivo comprehenſi etiam hæredes Portiæ Donantis, prout late firmat dicta prima Deciſio §. *Sane cum ſeq.*, & ſecunda §. *Et quamvis*; Attamen ſuper hujuſmodi puncto Dominis meis non amplius eſſe immorandum viſum fuit, ex eo, quod Defenſores Fratrum Co: de Balleonibus omni prætermiſſa indagine ſuper donatione, & pacto reverſivo, totum fundamentum in hodierna audientia pro effectu reintegrationis obtinendæ unice reponebant ſuper tranſactione anni 1556., quam Fabritius primus Donatarius ſubinde, & poſt donationem iniit cum eadem Portia.

Ajebant enim ipſi, quod in hac tranſactione expreſſe cautum fuit, ut, quoties Fabritius ejuſque deſcendentes quocunque tempore decederent abſque filiis maſculis legitimis, & naturalibus, hoc caſu medietas tantum bonorum revertere deberet ad Portiam, vel ejus hæ-

hæredes; unde inferebant, quod dicta bona obnoxia remanſerunt reverſioni pro medietate tantum, & pro altera libera fuerunt a dicto pacto, ſuper qua proinde competere debet reintegratio dictis Co: de Balleonibus ex Perſona Camilli ultimi ex maſculis contra dictum Fabritium primum hæredem gravatum, qui eadem bona alienavit, & contra Co: Anſidæum hæredem Fideicommiſſarium ejuſdem Fabritii.

Verum tamen ſedulo Domini ponderantes d. tranſactionem pro comperto habuerunt, quod in dictis bonis neque in vim hujus tranſactionis Fratres Comites de Balleonibus jus aliquod habere poſſunt; Quoniam dd. Bona pro medietate etiam virtute dictæ tranſactionis reverſura erant ad Portiam, ſeu ipſius hæredes; Pro altera vero portione cum Fabritius juxta facultatem ſibi a Portia conceſſam de ea diſponendi favore cujuſcunque Perſonæ, *& cui con-*
5 *cedere voluerit* nunc, *& in futurum* diſpoſuerit per fideicommiſſum hodie purificatum favore Comitis Anſidæi, manifeſtum erat, quod nec etiam in hac parte obtinere poſſunt reintegrationem, ut obſervat prima Deciſio §. *Sive ergo*, & ſecunda §. *Cum igitur*.

Præcipue quia nullum in dicta tranſactione ordinatum fuit fideicommiſſum, quo mediante ipſi Comites de Balleonibus vocationem deſumere valerent; Quod ſane ad evidentiam colligebatur ex eo, quia non tantum in parte diſpoſitiva ejuſdem tranſactionis nulla habetur mentio Fideicommiſſi, & Deſcendentium Maſculorum ejuſdem Fabritii, verum etiam, quia dicta tranſactio ſtipulata fuit pro hæredibus, & ſucceſſoribus quibuſcunque, & quod plus erat, in ea facta fuit eidem Fabritio ampla poteſtas alienandi d. medietatem Bonorum, *cui jus ſuum conceſſerit, ſeu concedere voluerit nunc, & in futurum*; Unde dubitari non poterat, quin eſſet in ea excluſum quodcunque Fideicommiſſum ob conceſſam facultatem alienandi, quæ repugnat ordinationi ejuſdem; Vel in omnem caſum
6 contineri in ea poſſet Fideicommiſſum conditionale in eo caſu, quo Fabritius non alienaſſet, prout fecit, ordinando Fideicommiſſum purificatum favore Co: Anſidæi, ut relatis concordantibus firmat ſecunda Deciſio §. *Quod autem*.

In nihilum obſtante, quod in dicta Tranſactione poſita fuerit in conditione linea maſculina Fabritii; nam cum ex hac ſola conjectura induci minime
7 poſſit diſpoſitiva vocatio illorum de linea dicti Fabritii, quia regula Juris in oppoſitum militat, niſi contrarium ſaltem ex conjecturis eliciatur, juxta conſtantem Sac. Rotæ opinionem, de qua *in deciſ.244. n.2. & ſeq. part.11., deciſ.100. n.7. part.18., dec.328. n.11., dec.303. n.3., & dec.645. n.7. par.19. rec., dec.387. n.3. cor. Buratt., dec.145. n.5. 6. & 7. cor. Celſ., dec.343. n.5. coram Bich., & deciſ.545. n.24. coram bo: me: Molines, & in Foroſempronien. Venditionis 24. Martii 1732. §.7. cor. Rmo P. D. Calcagnino Decano*; Nec
8 etiam ſufficiens eſt ad inducendum Fideicommiſſum favore illorum, qui poſiti fuerunt in conditione, ut docent *Faber. conſ.123. n.2. lib.2., Theſaur. quæſt. forenſ. cap.33. n.7. lib.4.* cum aliis per *Rot. dec.231. n.7. & 8. part.8. recent.*

Minus officere potuit, quod quatenus etiam excluſum remaneret in dicta tranſactione fideicommiſſum, adhuc tamen Tranſigentes tollere non poterant per hujuſmodi actum ſubſequutum præcedens fideicommiſſum ordinatum in dicta donatione in præjudicium vocatorum in ea; Pro remotione enim hujuſmodi objectionis animadverterunt Domini, quod ſupradicta donatio ob plures ſubſtantialiſſimas exceptiones, quas patiebatur, de facili poterat revocari, tum ex quo Portia de tempore donationis Minorennis erat, & conſtituta in obſequiis Patrui, & Fratrum Donatariorum, tum quia ſuſpicione læſionis vacans non erat, tum demum, quia eadem Portia agnoſcens poſtea ipſius inſubſiſtentiam, contra eam ſolemniter proteſtata fuit, atque *revocavit, caſſavit, & annullavit* eo ipſo, quo in libertate poſita fuit.

Quamobrem ſi hujuſmodi donatio anni 1531. tot, tantiſque exceptionibus erat obnoxia, per quas acerbiſſimæ ſuboriri poterant lites inter Perſonas Con-

Conſanguinitatis vinculo conjunctas, juſtitia non patitur, ut de medio tolla-
9 tur dicta tranſactio, quin immo cum in his terminis facta videatur bona fide, & juſtis de cauſis, poterant profecto Partes ad hujuſmodi actum tranſactionis, deſtructivum cujuſcunque contentionis devenire, atque ſucceſſive vocatos omnino afficere, ut notat *dicta prima deciſio §. Fruſtra vero*; etiamſi de eo tranſactionis tempore lites in judicium per Portiam deductæ non fuiſſent; cum de cætero ſolus timor futuræ litis
10 ſufficiens dicatur in jure, ut ſuſtineatur tranſactio, ut pariter obſervat *d. ſecunda deciſio §. Quemadmodum*.

Neque hodie proferri poterant in ſcenam cauſæ, ſeu ſupradictæ contentiones, quæ fomentum dederunt ſtipulationi tranſactionis, neque locus erat earum diſputationi; nam cum agatur de tranſactione a duobus ferme ſæculis
11 inita inter Conſanguineos, ad ſedandas plurimas emerſuras controverſias, & ſub interpoſitione communium amicorum, nequaquam perſcrutandæ ſunt ſub ſtricta juris cenſura hodie, & poſt defluxum duorum ſæculorum rationes, quæ ad tranſigendum movere potuerunt, ſed ſufficiens eſt, ut de eo tempore probabile interceſſiſſet dubium immune penitus ab omni fraudis, & calumniæ ſuſpicione, ita ut hodie ex hoc ſolo circumſtantiarum apparatu valida reputari debeat, ut firmat *dicta prima deciſio §. Neque*, & conſonat *Rot. in Romana Fideicommiſſi de Griſſonibus 20. Decembris 1738. §. Remoto cor. R. P. D. de Cannilliac*.

Sed in totalem everſionem ſupradicti objecti urget ulterius, quod Camillus Auctor Comitum de Balleonibus fuit indubitanter ſimplex hæres Fabritii Tranſigentis; & proinde quemadmodum vetitum abſque dubio erat eidem Camillo impugnare, aut quomodocunque redarguere eandem tranſactionem, tanquam factam a Fabritio ejus Patre, & Auctore, cujus evaſit hæres per acceptationem teſtamenti, & per poſſeſſionem bonorum uſque ad obitum, ita permiſſum eſſe non debet eiſdem Comitibus Fratribus de Balleonibus, qui actionem reintegrationis promovent, non jure proprio, & in-
12 dependenter a Perſona Camilli, ſed tanquam iſtius hæredes, ſupradictam tranſactionem corripere, uti præjudicialem eorum juribus, & deſtructivam fideicommiſſi præcedenter ordinati, ut firmat *ſecunda Deciſio §. Ea ſatisfecit*; hæres enim hæredis ad quoſcunque ju-
13 ris effectus habetur uti verus primi defuncti hæres: juxta *Text. in leg. hæredis appellatione 65. ff. de verb. ſignificat.*, *Rot. dec. 654.*, & *dec. 752. n. 2. cor. Emerix Jun.*, *dec. 1101. n. 1. cor. bon. mem. Lancett.*, *dec. 148. n. 1. cor. Rmo Criſpo*, & *in Romana Cambii 6. Martii 1739. §. Ex his coram Me*. Et ideo etiamſi dd. Comites Fratres de
14 Balleonibus ſint mediati hæredes Fabritii, tenentur tamen intactam ſervare ſupradictam tranſactionem; ad firmata per *Rot. dec. 563. n. 11. part. 18. rec.*, *dec. 1325. n. 26. cor. Emerix Jun. dec. 360. n. 13. cor. bon. mem. Lancett.*, & *dec. 1. n. 16. de Salvian. cor. cl. mem. Card. Falconerio*.

Spreta penitus repetitione, quod ſupradicti Comites de Balleonibus per reſtitutionem fideicommiſſi ab eis factam in figura hæredum Camilli Com. Philippo de Anſidæis expoliati ſint qualitate hæreditaria Fabritii tranſigentis, quandoquidem cum Camillus tanta ſolemnitate acceptaverit teſtamentum Fabritii ſui Patris, ejuſque bona uſque ad ejus obitum tamquam illius ſimplex
15 hæres poſſederit, idcirco quotieſcunque ipſe Camillus per hujuſmodi actus indutus fuit hæreditaria qualitate ſui Patris, talis ſemper præſumi debet, abſque eo, quod unquam ea ſeſe expoliare valuerit; juxta regulam *Text. in leg. qui ſolvendo 60. ff. de hæred. inſtit.*, de qua *Rot. dec. 466. n. 3.*, & *6. par. 4. tom. 2.*, *dec. 474. n. 4.*, & *dec. 486. n. 8. par. 5.*, & *dec. 322. n. 10. par. 11. rec.*, *dec. 843. n. 4. cor. bon. mem. Lancetta*, *dec. 28. n. 6. de uſur.*, & *dec. 24. n. 9. in Miſcell. cor. cl. mem. Card. Falconer.*

Satisfecit quoque altera æque valida reſponſio in eo conſiſtens, quod ad hoc, ut hæres dici poſſit qualitate hæreditaria ſpoliatus, ſufficiens profecto non eſt ſimplex bonorum, ac voluntaria reſtitutio, ſed opus ulterius videtur,

ut ipſe per medium legitimi Inventarii, prius integram reddat rationem de bonis in hæreditate repertis; & ideo cum
16 Comites de Balleonibus minime docuerint de legitima redditione rationis bonorum hæreditariorum, dici ſane nequeunt ſpoliati per hujuſmodi ſimplicem reſtitutionem fideicommiſſi ex qualitate hæreditaria Fabritii, qua ſemel induti fuerunt, ac per conſequens, nec etiam impugnare valent d. tranſa-
17 ctionem, uti factam ab eorum Auctore, eo ferme modo, ac ſi per legitimam redditionem rationis fuiſſent qualitate hæreditaria ſpoliati; ad notata per *Peregrin. de Fideicomm. art.52. num.95., Rot. dec.11. n.26. cor. Zaratt., dec.180. n.14. cor. Alexand., & dec.270. n.13. cor. eodem, dec.55. n.11., & dec.620. n.9. cor. bon. mem. Molin.*

Inutili pariter conatu inſiſtebatur ſuper obligatione emiſſa a Bino de Signorellis occaſione initi matrimonii cum d. Portia, qua cautum fuerat, ne Portia, ejuſque hæredes, & deſcendentes aliquid unquam petere poſſent ex Perſona ejuſdem Portiæ ab omnibus deſcendentibus Fabritii; unde cum hæres Portiæ ſit quoque hæres ejuſdem Bini, prætendere ſane nequit eadem bona propter reſiſtentiam d. obligationis; quidquid enim ſit de hujuſmodi qualitate hæreditaria reſpectu Portiæ, & Bini placuit reſponſio, quod ex poſt Fabritius in tranſactione anni 1556. conſenſit, ut in caſu, quo deficiſſet ejus linea maſculina, eadem ſupradicta bona redirent ad ipſam Portiam, ſeu ejus hæredes; Quamobrem per hanc ſubſequutam novationem quælibet pe-
18 rempta remanſit obligatio Bini de Signorellis præcedenter emiſſa, quæ proinde tanquam de medio ſublata per d. novationem, nullum obſtaculum præbere valet eidem Com. de Anſidæis, ut tradunt *Surd. dec.134. n.9., Rot. poſt Conſtantin. ad Stat. Urb. dec.31. n.2., dec.138. n.35. par.17. rec., dec.76. n.7. cor. Benincaſ., dec.1226. n.4. cor. bon. mem. Molin., dec.13. n.21. de reb. Credit. cor. clar. mem. Card. Falconer., & in Romana Pecuniaria, ſeu Reintegrationis 9. Decembris* 1735. *§.20. cor. R.P.D. Peralta*.

In caſum demum, & poſtquam Comites de Balleonibus totum eorum fundamentum reponebant in dicta tranſactione, hanc de nullitate redarguebant; etenim aſſerta nullitas tranſactionis nedum non probabatur, quinimmo expreſſe excluſa remanebat ex late ponderatis in prima hujus cauſæ *Deciſione §. Stante autem, & ſeq.*; Animadverterunt ulterius Domini, quod Fratres Comites de Balleonibus tanquam hæredes Camilli hæredis Fabritii eam redarguere non poterant, & quatenus etiam hanc haberent facultatem, adhuc tamen aſſerta nullitas in illorum præjudicium penitus retorquebatur; Præterea quod ſi dicta tranſactio nulla eſſet, nil aliud ſequeretur, quam ſervanda foret donatio anni 1531., & propterea, quemadmodum juxta in ea diſpoſita, bona donata redire debebant ad d. Portiam, ſeu ipſius hæredes in caſu deficientiæ lineæ maſculinæ ſæpedicti Fabritii, ita ſupradicti Fratres Comites de Balleonibus, uti hæredes Camilli, & non Portiæ, nullum ex ea deducere valent præſidium; Igitur ſive veniant in vim tranſactionis, ſive hanc eandem tranſactionem uti nullam impugnent, ſive etiam virtute donationis, patens erat, quod utpote deſtituti quacunque actione obtinere nequeunt petitam reintegrationem, ut uſque modo demonſtratum extitit.

Rejecta penitus animadverſione, quod exceptiones propoſitæ per Com. Anſidæum ad ſeſe tuendum in ſua poſſeſſione, ſint de jure Tertii, ex eo quia, quoties exceptiones ſunt excluſivæ, & peremptivæ Juris agentis, indubii Ju-
19 ris eſt, Poſſeſſorem eis juvari poſſe, cum non dicantur de Jure Tertii, ſed de non Jure agentis, quæ ſemper, & a quocunque proponi valent; ut præter relatos in prima, & ſecunda Deciſione, quæ confirmantur ubique §§. *Final.* firmat *Rot. dec.93. n.10. part.10., dec.293. n.4. par.13., & dec.270. n.2., & 4. par.18. rec., & in Peruſina Fideicommiſſi quoad Prædium Aquatraverſa* 17. *Januarii* 1730. *§. Final. cor. R. P. D. Nunez*.

Et ita &c. utraque &c.

TIRASONEN. CAPPELLANIÆ.

Ven. 15. *Maii* 1739.

ARGUMENTUM.

Juſpatronatus Eccleſiaſticum ſubjicitur Reſervationibus Apoſtolicis, quæ læſæ non remanent ab antiquiſſima contraria poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione.

SUMMARIUM.

1 *Literæ Apoſtolicæ plene juſtificatæ ſunt exequendæ.*

2 *Earum autem juſtificatio quoad qualitates perſonales ſatis educitur ex forma gratioſa, ſub qua expeditæ fuerunt.*

3 *Menſis Septembris, ſtante alternativa, eſt reſervatus S. Sedi.*

4 *Juſpatronatus Eccleſiaſticum eſt ſubjectum Reſervationibus Apoſtolicis;*

5 *Quæ læſæ non remanent ab antiquiſſima poſſeſſione;*

6 *Quia Decretum* irritans, *& Clauſula* ſublata *in Regulis Cancellariæ contenta impediunt principium præſcriptionis, & acquiſitionis juris.*

DECISIO CXLVI.

Vacavit per obitum Franciſci Avvendani ſequutum die 18. Septembris anni 1738. perpetua Cappellania ſine cura nuncupata *de los Angulos* in Parochiali Eccleſia Villæ de Cintruenigo Tiraſonen. Diœceſis, ejuſque a S. Sede collationem reportavit Raymundus Tarenque, qui literis Apoſtolicis expeditis, & pro executione mihi directis, cum notitiam iſte interim habuiſſet de altera ejuſdem Cappellaniæ collatione a Rmo Tiraſonen. Epiſcopo facta in Perſonam Joannis Antonii de Pazos, ut conſultius occurreret vexationibus, quas forſan in partibus adinveniſſet, quatenus aliquam ſimplicem citationem tranſmiſiſſet, mihi etiam dirigi curavit commiſſionem Cauſæ manu Sanctiſſimi ſignatam cum derogatione diſpoſitionis Sacri Concilii Tridenini in cap. Cauſæ omnes, in cujus ſequelam expeditis conſuetis literis citatorialibus, illiſque contra dictum Joannem Antonium legitime executis, & nemine intra præfixum terminum comparente, per contradictas hodierna die DD. earundem literarum Apoſtolicarum executionem demandarunt.

Eo innixi fundamentali, ac obvio principio, quod nempe literis Apoſto-
1 licis plene juſtificatis præbeatur prompta, & celeris executio ob earum reverentiam, & auctoritatem; ad *Text. in cap. ſi quando de reſcript., & cap. ſi capitulo ubi Gloſſ. verb. exequatur de conceſſ. præbend. in 6., Lotter de Re Benefic. lib.2. quæſt.41. n.7., Rot. coram Coccin. dec.144. n.3., cor. Duran. deciſ.59. n.1.; cor. bon. mem. Herrera dec.182. n.1., & in rec. dec.357. n.16. part.10., & in Giennen. Beneficii* 21. *Martii* 1735. *§. Quoniam: cor. Me.*

Juſtificatio vero, in eo quod reſpicit Raymundi qualitatem Sacerdotalem, nobilitatem, ſcientiam, aliaque ad idoneitatem Perſonæ pertinentia, abſque ulla ulteriori indagine ſatis educebatur
2 ex ipſiſmet literis Apoſtolicis expeditis in forma gratioſa, ſub qua in Dataria concedi non ſolent, niſi prius dd. qualitatibus plene, concludenterque juſtificatis; juxta ſtylum de quo *Roſ. de Execut. liter. Apoſtolic. par.1. cap.13. n.1., Rot. cor. Merlin. dec.141. n.21., cor. Ceſ. dec.274. n.2., cor. Emerix Jun. dec.175. n.3., cor. clar. mem. Card. Falconer. tit.3. de Benefic. dec.14. n.4., & in rec. dec.189. n.8., & dec.249. n.1. par.18., & in Burgen. Archipreſbyteratus* 11. *Maii* 1731. *§. Viſa namque cor. R. P. D. meo Creſcentio.*

Pro eo autem quod concernit reſervationem Beneficii, ſeu Cappellaniæ, in qua ſubſtantiale reſidet fundamentum gratiæ a S.Sede reportatæ concludentiſſime juſtificabatur ex fide obitus Franciſci Avvendani ſecuti d. die 18. Septembris anni nuper effluxi, qui ſa-
3 ne menſis ſtante alternativa ab Epiſcopo Tiraſonen. acceptata, ut ex libris Apoſtolicæ Datariæ apparebat, dubitari non valet, quin ſit de illis S. Sedi reſervatis ex indigitatione in eiſd. literis Apoſtolicis, de quarum executione agitur, facta, cui conſonat *Lotter. de Re Benefic. lib.1. quæſt.40. n.117., Gonzal. ad Regul. Cancellar. Gloſſ.54. num.1.*

His nequaquam refragari viſum fuit collationem ejuſdem Cappellaniæ factam fuiſſe ab Ordinario, vel Jure devolu-

voluto, aut antiquiſſimæ poſſeſſionis, ſeu quaſi illam conferendi, in qua tam ipſe, quam ejus Anteceſſores reperiri aſſertum fuit in quadam citatione, ſeu monitorio ad inſtantiam Promotoris Fiſcalis in partibus expedito, & hic in Curia incongrue præſentato.

Etenim, præterquamquod neque ſuper aſſerto Jure devoluto, neque ſuper prætenſa antiquiſſima poſſeſſione documentum ullum uſque modo indicatum, aut adductum fuit, urget quoad dictum Jus devolutum, quod etiam ſi proviſio facta fuiſſet ab Epiſcopo non tanquam Ordinario, ſed uti Patrono, ſeu ſubrogato in locum alicujus antiqui Patroni, adhuc tamen Juſpatronatus reſidet
4 penes Perſonam Eccleſiaſticam, & per
conſequens ſubjectum omnibus Reſervationibus Apoſtolicis; *Vivian. de Jurepatronat. lib.1. cap.9., Card. de Luc. eod. tract. diſc.49. n.13.* Et quoad anti-
5 quiſſimam poſſeſſionem, ſeu quaſi, quod
quatenus etiam iſta ſubſiſteret, adhuc non relevaret, nec eſſet allegabilis adverſus Reſervationes Apoſtolicas; cum Regulæ Cancellariæ utpote in ſeſe con-
6 tinentes Decretum *irritans*, & clauſu-
lam *ſublata*, tollant quamcunque præſcriptionem, & reſiſtant initiali cujuſcunque in contrarium Juris acquiſitioni, ut firmavit *Rot. in dec.572. n.11. cor. Cerro, & in Monaſterien. Vicariæ* 12. *Martii* 1707. *§. Final. coram Omanna; & in Baſilicen. Canonicatus* 26. *Februarii* 1731. §.14., *&* 15. *cor. Rmo P. D. Caleagnino Decano, & in Tridentina Archipresbyteratus* 3. *Februarii* 1737. *§.Maxime, & ſeq. cor. eod. R. P. D. meo Decano.*

E ita per contradictas &c.

SQUILLACEN. ABBATIÆ SUPER INSTITUTIONE,

Lunæ 8. *Junii* 1739.

ARGUMENTUM.

Verbum *Familia* includit agnationem, & excludit cognationem, etiamſi adjiciatur aliis generalibus verbis -- *hæredibus, & Succeſſoribus quibuſcunque* -- Præſentari poteſt inhabilis ex defectu ætatis ſub conditione diſpenſationis reportandæ,

SUMMARIUM.

1 *Ad inſtitutionem reportandam unice attendenda eſt præſentandi poſſeſſio.*

2 *Competentia vero patronalis, tanquam altioris indaginis, ad petitorium rejicitur.* & ſub num.4.

3 *Quaſi poſſeſſio Auctoris tranſit in Succeſſorem;*

4 *Maxime ſi fuerit in judicio declarata.*

5 *Verbum* Familia *includit agnationem, & excludit cognationem, etiam adjectum aliis generalibus verbis* --Hæredibus, & Succeſſoribus quibuſcunque --.

6 *Fœminarum agnatarum admiſſio non obſtat qualitati agnatitiæ Juriſpatronatus.*

7 *Poſt erectionem Juriſpatronatus Patroni nullam legem addere poſſunt primæ fundationi contrariam.*

8 *Præſentari poteſt inhabilis ex defectu ætatis ſub conditione diſpenſationis reportandæ, quæ deinde ad ipſum diem præſentationis retrotrahitur.*

DECISIO CXLVII.

IN ultimo, ſub quo deceſſit teſtamento, laudabilis Vir Nicolaus Carnevale, juſſit, quod ex pecuniis per eum de tempore ſui obitus relinquendis, conſtrueretur in domo propriæ habitationis Monaſterium Monialium Ordinis S. Benedicti ſub Invocatione S. Mariæ de Conſolatione, quod eſſe deberet de Jurepatronatus ipſius Familiæ de Carnevale; pro dote vero ipſius Monaſterii, ac ſubſtentatione illius Abbatiſſæ, & duodecim Monialium applicavit nonnulla bona pariter poſt illius obitum relinquenda; Defuncto d. Pio Teſtatore, Joannes Baptiſta Altobellus, Hieronymus, & Joannes Franciſcus illius Fratres executioni demandare curarunt antedictam diſpoſitionem; ſed compertum extitit, quod reditus deſuper aſſignati ſatis eſſe non poterant pro congrua ſubſtentatione Monialium.

Quapropter antedicti Fratres recurſum habuerunt ad ſan.mem. Paulum III. ſupplicando, ut prævia commutatione voluntatis præd. Teſtatoris, loco Monaſterii erigeretur in eadem domo Eccleſia, ſeu Cappella ſub eadem Invocatio-

catio-

eatione S. Mariæ de Conſolatione pro uno Rectore Abbate nuncupando, qui ibidem ſingulis diebus Miſſæ Sacrificium peragere, ſeu peragi facere teneretur cum perpetua reſervatione Juriſpatronatus ad eorum favorem, eorumque hæredum, & ſucceſſorum quorumcunque de illorum Familia exiſtentium, & voti compotes effecti fuerunt; prout ex literis Apoſtolicis ejuſdem Summi Pontificis ſub dat. Romæ apud S. Marcum anno 1539. octavo Kal. Septemb.

Sequuta igitur erectione d. Abbatiæ, cum illa ultimo loco vacaſſet per obitum Guglielmi Bono, Franciſcus Odo Bonoadeam præſentavit Fridericum ejus filium; e contra vero Gregorius Crea nominationem reportavit ab illis de Conteſtabile, & Crea, atque nominationi hujuſmodi adhæſerunt quoque Nicolaus Capialbo, & Patres S. Mariæ de Jeſu Ordinis Prædicatorum, omnes Jus habere contendentes ad nominationem præd., unde orta controverſia coram R̃mo Ordinario inter prætenſos Compatronos, lata fuit Sententia, in qua conceſſa extitit manutentio favore memorati Franciſci Odo Bono in Jure præſentandi vigore quaſi poſſeſſionis ſuorum Auctorum, decernendo proinde inſtitutionem ad commodum D. Friderici ab eodem Franciſco nominati, reſervatis Juribus ad favorem illorum de Crea, Conteſtabile, aliorumque contendentium ſuper pertinentia Juriſpatronatus in petitorio, ſeu plenariiſſimo poſſeſſorio examinandis; At ex Signaturæ Juſtitiæ Reſcripto devoluta cauſa ad Sac. noſtrum Auditorium, & mihi commiſſa, dedi in præſenti Audientia dubium — *An, & cui ſit danda Inſtitutio* — cui DD. reſponderunt — *Inſtitutionem eſſe dandam Friderico* —.

Ex facto etenim compertum fuit, quod Joannes Franciſcus Carnevale ultimus maſculus ſuperſtes, Jure particularis Legati tranſtulit hoc Juſpatronatus favore Catherinæ Sororis ejus vita naturali durante, poſt cujus obitum eodem Jure Legati devolvi juſſit Xaverio Bono, ſuiſque Hæredibus, & Succeſſoribus, quodque etiam d. Catherina titulo irrevocabilis donationis illud ceſſit eidem Xaverio, ac Hæredibus, & Succeſſoribus, atque vita functo dicto Joanne Franciſco ultimo maſculo, cum accidiſſet vacatio controverſæ Abbatiæ, conſtitit etiam, quod antedicti Xaverius, & Catherina nominarunt ad illam Guglielmum Bono, cumque etiam eo tunc prodiiſſent in ſcenam illi de Familia Crea, & Conteſtabile, qui ſub prætextu extinctionis Familiæ, & Agnationis dd. Fratrum de Carnevale contendendo nominationem habere, præſentarunt Joannem Baptiſtam Conteſtabile, emanavit in partibus Sententia, per quam conceſſa fuit manutentio eidem Catherinæ cum inſtitutione favore Guglielmi ab ea nominati, reſervando dd. de Crea, & Conteſtabile eorum Jura in petitorio Judicio experienda, quam Sententiam exequi etiam demandavit Judex Commiſſarius; cum proinde certiſſimum quoque in facto reperiretur, quod præfato Xaverio univerſaliter ſucceſſerit antedictus Franciſcus Odo Bono, de plano ſequebatur, quod inſtitutio eſſet danda Friderico ab eo
1 nominato; quia ad effectum reportandi inſtitutionem, unice attendenda venit poſſeſſio præſentandi; ad *Text. in cap. Conſultationibus de Jurepatr., Gonzal. ad Regul. Cancellar. Gloſſ. 45. §. 2. n. 4. & ſeqq., Garz. de Benefic. par. 5. cap. 5. n. 2., Lotter. de Re Benefic. lib. 1. quæſt. 34. n. 26., Rot. cor. cl. mem. Card. Falconer. tit. de Jurepatr. dec. 30., & dec. 31. utrobique n. 2., & magiſtraliter in Mediolanen. Beneficii 1. Aprilis 1707. §. 1. cum ſeq. cor. bon. mem. Anſald., & ubique paſſim*; rejectis ad Judi-
2 cium petitorium prætenſionibus competentiæ patronalis tanquam involventibus altiorem indaginem, ut paſſim reſpondit *Rot. cor. clar. mem. Card. Falconer. dec. 34. n. 6. tit. de Jurepatr., cor. R̃mo Criſpo dec. 193. n. 8., & 9., & in Placentina Parochialis 22. Mart. 1715. §. In conſpectu cor. bon. mem. Cerro*.

Quæ ſane poſſeſſio certi Juris eſt, quod reſederit penes d. Franciſcum præſentantem, veluti univerſalem Succeſſorem præd. Xaverii, qui Legatarius, & reſpective Donatarius extitit dd. Joannis Franciſci, & Catherinæ;
3 quaſi poſſeſſio enim Auctoris tranſit in Succeſſorem ad effectum Juris præſentan-

Digitized by Google

tandi, & reportandi inſtitutionem; *Lotter. de Re Benefic. lib. 2. quæſt. 11. n. 18., Vivian. de Jurepatronat. lib. 11. cap. 5. n. 100., Rot. in Salernitana Juriſpatronatus 11. Martii 1715. §. Verum quia cor. clar. mem. Card. Falconer.* inter ejus impreſſ. *dec. 28. tit. de Jurepatr., in Placentina Parochialis 22. Martii ejuſdem anni §. Subſtulit cor. bon. mem. Cerro, in dicta Derthuſen. Beneficii §. Poſita cor. bon. mem. Gamaches; & in Paderbonen. Beneficii 28. Junii 1734. §. Quidquid enim cor. Me.*

Animadvertendo præſertim, quod
in antecedenti vacatione conſimilem
prætenſionem excitarunt dd. de Crea,
& Conteſtabile, ac per binas Sententias
rejecti fuerunt cum remiſſione eorum
prætenſionis ad Judicium petitorium,
ſicque eo fortius attendenda ve-
4 nit poſſeſſio anted. Franciſci, veluti approbata
in contradictorio Judicio, adeo ut in hoc poſſeſſorio Judicio, in quo non de pertinentia, & qualitate patronali inquiritur, audiri non mereantur præfati Oppoſitores, qui eorum Jura proſequi, & experiri neglexerunt in petitorio, prout indiſpenſabiliter tenentur ad formam Judicatorum, quæ occaſione antecedentis vacationis emanarunt; *Rot. in Tuden. Parochialis de Calvoi 2. Julii 1725. cor. bon. mem. Gentilotr., & in præciſis terminis in Reginen. Juriſpatronatus 30. Junii 1727. §. Final. cor. bon. mem. Gamaches.*

Minime officiente, quod hujuſmodi Juſpatronatus non ſit agnatitium, ſed ex lege fundationis appoſita in Bulla Pauli III. reſervatum appareat pro Hæredibus, & Succeſſoribus quibuſcunque; ſicque ſit comprehenſivum tam Agnatorum, quam Cognatorum, & Fœminarum, earumque Deſcendentium; quia
cum verba illa -- *Hæredibus, & Succeſ-*
5 *ſoribus quibuſcunque* -- qualificata fuerint
per ſubſequentia verba -- *de illorum Familia* -- verbum iſtud -- *Familia* -- deſignat qualitatem gentilitiam, & agnatitiam excluſivam Cognatorum; *Card. de Luc. de Jurepatr. diſc. 26. n. 6., Vivian. de Jurepatr. lib. 14. cap. 2. n. 56., Ciarlin. Controverſ. Forenſ. 107. n. 76., & ſeq., Antonell. de Regim. Eccl. lib. 3. cap. 6. n. 13., Rot. cor. Ceiſ. dec. 106. n. 6., & in Lucana Beneficii 13. Junii 1701. §. Quinimmo, & 21. Martii 1703. §. Minus obſtat cor. bon. mem. Muto.*

Nec antedictæ interpretationi, quod
ſcilicet Juſpatronatus ſit agnatitium, obſtare
poteſt contraria obſervantia deſumpta
ex binis præſentationibus factis
6 a fœminis, quia admiſſio fœminarum,
quando ſunt agnatæ, non obſtat qualitati Juriſpatronatus familiaris agnatitii; *Gabr. concluſ. 595. n. 3. lib. 1., Garz. de Benefic. par. 5. cap. 9. §. 1. n. 144., Rot. dec. 313. n. 1. cor. Pamphil., dec. 563. n. 15. cor. Merlin., & dec. 166. n. 15. par. 6., & dec. 503. n. 10. par. 18. rec.,* ac proinde excluſa quoque remanet paſſiva vocatio Gregorii in reſervatione facta a Patronis in prima nominatione favore majoris natu, & prioris in ordine Clericali de eorum Familia; quia dicta reſervatio non includit paſſivam vocationem Cognatorum, atque ulterius
cum eadem reſervatio expleta fue-
7 rit per Patronos poſt ſequutam erectionem,
non erat amplius in eorum poſſe adjicere legem aliquam, quæ aliquo modo adverſaretur primævæ fundationi, & erectioni Juriſpatronatus; *Fagnan. in cap. Conquerente de Cleric. non reſiden., Garz. de Benefic. part. 7. cap. 1. n. 107., Rot. dec. 216. n. 5. par. 2. rec., & dec. 1151. n. 20. cor. Molin.*

Verum hæc omnia, cum innegabile ſit, quod involvant plures tam facti, quam juris controverſias petitorium reſpicientes, putarunt DD. non eſſe ſuper illis inſiſtendum in præſenti Judicio poſſeſſorio ad effectum iſto interim impediendi, & retardandi inſtitutionem antedicto Friderico, ſed funditus diſcutienda veniunt in petitorio, in quo dd. de Crea, aliiſque litis Conſortibus eorum Jura ſuper prætenſa qualitate compatronali datum erit examinare.

Denique refragari viſum non fuit, quod Fridericus veniat ab inſtitutione rejiciendus, ex quo inſtitutus fuerat de anno 1736., & diſpenſatio ſuper illius inhabilitate ex defectu ætatis reportata fuerat expoſt, nempe de anno 1737., & hac de cauſa antedictus quoque Franciſcus pro hac vice privatus remanſerat Jure præſentandi, cum inhabilem præſentaverit: ſiquidem recenſitus Franci-

ſcus

ſeus ad hanc devenit præſentationem ſub lege, & conditione, quod a præſentato reportaretur Apoſtolica diſpenſatio ob defectum ętatis, ſibi etiam præcavendo, quod in caſu illius non reportationis illæſa remanerent ejus Jura pro explenda altera nominatione; cum proinde talis diſpenſatio jam reportata fuerit, objectum hujuſmodi penitus corruebat tam quoad Franciſcum præſentantem, ſeu nominantem, quam quoad Fridericum præſentatum, & nominatum, cujus reſpectu non juvat, quod diſpenſatio obtenta fuerit de ann. 1737., dum ſatis eſt, quod diſpenſatio ſuper-
8 veniat, qua ſuperventa retrotrahitur ad tempus habile, & per conſequens ad tempus nominationis, ſeu præſentationis, ſub cujus conditione facta extitit, & ſuum operatur effectum, ac ſi a principio reportata fuiſſet; *Piton. de Controv. Patron. alleg.* 100. *n.* 135., *Rot. in Volaterrana Beneficii* 7. *Decembr.* 1708. §. *Nec valuit cor. R̃mo Criſpo inter ejus impreſſ. dec.* 2. *ante n.* 24.

Et ita &c. utraque &c.

SQUILLACEN. ABBATIÆ SUPER EXECUTIONE LITERARUM APOSTOLICARUM.

Lunæ 30. Junii 1739.

ARGUMENTUM.

Pro deſertione litis requiritur vel animus expreſſus, vel tacitus inductus per lapſum 30. annorum, vel Sententia Judicis.

SUMMARIUM.

1 *Ex judicialibus oppoſitionibus lis dicitur conteſtata.*
2 *Literæ Apoſt. juſtificatæ ſunt exequendæ.*
3 *Ex reſervatione Jurium in petitorio examinandorum eruitur pendentia litis ſuper pertinentia patronali.*
4 *Lis ut deſerta poſſit dici, requiritur vel animus expreſſus, vel tacitus inductus per lapſum 30. annorum, vel Sententia Judicis.*
5 *Inſtantia de jure Canonico eſt perpetua.*
6 *Ad oſtendendam continuationem litis ſufficit animus ex conjecturis deductus.*
7 *Subreptio non comittitur ex reticentia rerum, quæ Principem a conceſſione gratiæ non removiſſent.*

8 *Clauſula* Dummodo &c, *in literis Apoſtolicis appoſita præſervat dumtaxat jura certa Patronorum exiſtentium in quaſi poſſeſſione.* & ſub n. ſeq.
9 *Taciturnitas jurium incertorum, & præſentationum factarum a non exiſtente in quaſi poſſeſſione non cauſat ſubreptionem.*

DECISIO CXLVIII.

CUm per obitum Guglielmi Bono vacaverit Beneficium, ſeu Abbatia ſub invocatione S. Mariæ de Conſolatione, ad illud nominatus extitit Fridericus Bono; qui vigore talis nominationis ad ſui favorem factæ a Franciſco Bono illius Patre, reportavit etiam inſtitutionem ab Ordinario, contradicentibus tam illis de Familia Crea, & Conteſtabile, quam aliis litis Conſortibus qualitatem compatronalem habere contendentibus, qui cum appellaverint ab Ordinarii Sententia, commiſſa reperitur cauſa huic Sac. Auditorio, & mihi directa, prout ex alia mea contemporanea deciſione.

Verum quia præfata controverſia initium habuit uſque, & de tempore antecedentis vacationis, ideo ſupradictus Fridericus ſub fundamento talis controverſiæ, curavit illius proviſionem a Dataria Apoſtolica reportare, prout de facto reportavit cum derogatione Patronatus in totum; expeditis idcirco literis Apoſtolicis, illiſque Executori præſentatis, ac verificata litis pendentia, d. Executor pro ipſarum literarum executione Sententiam protulit, a qua cum provocaſſent aſſerti Patroni, obtinuerunt a Signatura Juſtitiæ cauſæ commiſſionem mihi directam cum clauſula -- *Parito literis arbitrio Rotæ circumſcripta poſſeſſione, & appoſito ſequeſtro, & eidem Auditori Rotæ* -- ad cujus reſcripti normam una cum alio dubio ſuper inſtitutione, hoc quoque alterum contemporanee propoſui dubium -- *An intret arbitrium pro retardatione literarum Apoſtolicarum Friderici* -- quod DD. reſolverunt mihi reſponſum tradentes -- *Non intrare arbitrium.*

Etenim principale gratiæ fundamentum extitit litis pendentia Summo Ponti-

tifi-

tinci narrata, quæ ſatis, ſuperque juſtificata remanebat ex eo, quod de anno 1710. tempore antecedentis Beneficii vacationis orta fuit controverſia inter Patronos præſentantes ſuper controverſia Patronali, & Judex de Partibus manutentionem conceſſit favore Catherinæ Carnevale, ac inſtitutionem Guglielmo Bono ab ipſa Catherina præſentato, reſervatis Juribus cæteris Collitigantibus in petitorio Judicio diſcutiendis, & devoluta cauſa ad Curiam, Judex Commiſſarius exequi mandavit Judicatum
1 de partibus; unde ex judicialibus oppoſitionibus tam in partibus in prima inſtantia, quam etiam hic in Curia in ſecunda, certa res eſt, quod inducta, & conteſtata fuerit lis ſuper competentia Patronali; *Gloſſ. in Clement. 2., & lit. penden. Auth. litigioſa Cod. de litig., Lotter. de Benef. lib. 2. quæſt. 20. n. 117., Rot. cor. Seraph. dec. 920. n. 2., & ſeq., Emerix Jun. dec. 1247. in principio, cor. b. m. mem. Kaunitz dec. 80. num. 2., & in Mediolanen. Prioratus 26. Januarii 1728. §. Sed inſuper cor. bon. mem. Cornelio.*

Cum itaque narrativa emiſſa Summo Pontifici undequaque verificata remaneret, de plano ſequebatur, Arbitrium, quod regulatur a Jure, non intrare pro retardatione Literarum Apoſtolicarum
2 a Friderico obtentarum; imo attenta illarum plenaria juſtificatione celerem ob reverentiam promerebantur executionem; *Cap. ſi Capitulo, ibique Gloſſ. verb. Exequatur de conceſſ. Præbend. in 6., Rot. in Pampilonen. Beneficii 12. Junii 1724. §. Quandoquidem cor. R.mo Decano, in Squillacen. Canonicatus 25. Aprilis 1727. §. Vigore cor. Em.o D. meo Card. Cincio, in Melevitana Beneficii 2. Junii 1738. §. Cum enim cor. Me, & in Tiraſonen. Cappellaniæ 15. Maii anni currentis §. Eo innixi pariter cor. Me.*

Haud quaquam relevante, quod lis ſuborta de prædicto anno 1710. verteret tantum in poſſeſſorio, non vero ſuper pertinentia Juriſpatronatus, & in Petitorio, proptereaque cum eadem lis abſoluta remanſerit per bina Judicata ſpatio viginti, & ultra annorum ante præſentem vacationem Beneficii obſervata, Literæ obtentæ ſub expreſſione pendentiæ litis juſtificatæ non remanerent; Animadverſum namque fuit, quod in præfata lite, in qua præter prætenſos Compatronos comparuit etiam Promotor Fiſcalis, prætendens ob deficientiam Maſculorum de Familia Carnevale libertatem Beneficii, reſervata fuerunt Jura favore Collitigantium in Petitorio examinanda, & propterea pendentia litis ſuper pertinentia, & competentia Patronali erat innegabilis; Si enim res acta fuiſſet in mero Judicio poſſeſſorio, utique nulla adfuiſſet neceſſitas reſervandi Jura in Petitorio; ſed cum liti-
3 gantium prætenſiones, & ſignanter illa Promotoris Fiſcalis reſpicerent pertinentiam Juriſpatronatus, deventum extitit ad prædictam reſervationem; ſicque Cauſa ſuper competentia patronali omnino fatendum eſt, quod jam eſſet inſtructa, & adhuc penderet; *Roſ. de execut. Literar. Apoſtolic. part. prima cap. 15. n. 6.; Rot. cor. Caprar. dec. 300. n. 2., in Romana Cappellaniæ 3. Februarii 1708. §. Quia cor. clar. mem. Card. Scotto, & in Mediolanen. Juriſpatronatus 15. Januarii 1717. §. Ille enim cor. bo. me. Cerro.*

Nec ex eo, quod per ſpatium tot annorum Collitigantes proſequi neglexerint Cauſam ſuper reſervatis, dici valet, quod habuerint animum illam deſerendi, proindeque dici poſſit, quod ea remanſerit deſerta, & penitus extincta; Quia deſertio litis, ut inducta dici
4 poſſit, vel requiritur animus expreſſus, & indubitatus deſiſtendi a lite, vel lapſus 30. annorum inductivus animi taciti, & præſumptivi, qui ſane temporis lapſus non concurrit in præſenti, aut Sententia Judicis, quæ deſertionem declaret; *Lotter. de re Benef. lib. 2. qu. 20. n. 104., Rot. dec. 4. n. 9. cor. Anſald., in Ferrarien. Cappellaniæ 21. Martii 1727. §. Quod vero cor. bo. me. Criſpolto, & in Squillacen. Juriſpatronatus 17. Junii 1735. §. Quo vero cor. Me;* De cætero namque Inſtantia de Jure
5 Canonico remanet perpetua; juxta communiter receptam propoſitionem, de qua late *Rot. coram Achill. de Graſſ. deciſ. 7. per tot., cor. Caprar. dec. 46. n. 8., in Melevitana Beneficii 5. Junii 1733. §. Pro remotione ſiquidem, & in illius* Con-

Digitized by Google

Confirmatoria 18. *Junii* 1734. §. *Spectata ſiquidem & ſeq. cor. Emo D. meo Card. Rezzonico, & in dicta Squillacen. Juriſpatronatus cor. Me eodem* §. *Quo vero in fine*. Quodque revera cauſa dici non poſſet deſerta, ſatis etiam deducebatur ex præſentationibus hinc inde factis in poſtrema Beneficii vacatione, per quas evidenter demonſtrabatur, Collitigantes perſeveraſſe in eorum prætenſione, cum pro continuatione
6 litis ſufficiat etiam animus deductus per conjecturas, ſicque multo fortius per dd. præſentationes præſeferentes eandem antiquam prætenſionem ſuper ipſo Jurepatronatus, *Rot. dec.*383. *n.*3. *& ſequen. part.*2., *& dec.*166. *n.*4. *par.*4. *tom.*1., *& dec.*416. *n.*2. *& ſeqq. eadem part.*4. *tom.*2., *& dec.*349. *n.*19. *par.*17. *rec.*, *& cor. Kaunitz dec.*89. *n.*2. *&* 3., *& in Bituntina Beneficii* 17. *Jun.*1735. §. *Non equidem cor. R.P.D. meo Millin.*

Ad retardandam dd. Literarum Apoſtolicarum executionem neque crediderunt DD. attendendum eſſe prætenſum vitium ſubreptionis, & obreptionis deſumptum ex eo, quod narratæ minime fuerint Summo Pontifici omnes præſentationes, quæ expletæ fuerant a Patronis, & ſignanter illa ſecuta a majori parte aſſertorum Patronorum in Perſonam Canonici Gregorii, qui veluti Sacerdos antiquior vacationem quoque paſſivam prætendebat, quodque per clauſulam *Dummodo &c.* præſervata extiterint Jura Patronorum, nec non etiam, ex quo falſo expoſitum fuerit pro obtinenda gratia, quod dictus Fridericus eſſet in decimo ſuæ ætatis anno conſtitutus, quando nonum agebat annum.

Siquidem prætermiſſo, quod principale Gratiæ fundamentum ſteterit in pendentia litis ſupra jam ſatis verificata, & per conſequens, quod expreſſio
7 dd. præſentationum non removiſſet Summum Pontificem a conceſſione Gratiæ; *Corrad. in prax. diſpenſ. lib.*7. *cap.*4. *n.*54., *Rot. dec.*179. *n.*12. *par.*12. *rec.*, *& dec.*7. *n.*6. *de reſcript. cor. Falconerio*, pro eo, quod reſpicit clauſulam *Dummodo &c.*, in Literis Apoſto-
8 licis apponi ſolitam, iſta præſervat Jura certa Patronorum exiſtentium in quaſi poſſeſſione præſentandi, favore autem aſſertorum Patronorum talis poſſeſſio non aderat, nec aſſiſtebat aliquod Jus certum a Judice approbatum, ſed dependentiam habebat ab exitu Litis in petitorio, in quo Judicio eorum Jura reſervata fuerunt, idcirco non tenebatur Fridericus aliquam ſpecificam mentionem facere de præſentationibus an-
9 tedictis, veluti reſpicientibus Jura dubia, atque incerta, quæ ſub Judice manebant, & cum aſſerti Patroni, qui ad prædictas nominationes devenerunt, non reperirentur in quaſi poſſeſſione præſentandi, ſolumque lis eſſet in petitorio ſuper pertinentia Juriſpatronatus, taciturnitas prædicta non valuit inducere aliquod vitium ſubreptionis, nec per clauſulam *Dummodo &c.* præſervata dici poterant jura illorum, *Piton. de Controv. Patron. allegat.*16. *n.*7. *&* 8., *Rot. in Caputaquen. Cappellaniæ* 31. *Martii* 1732. §. *final. cor. Emo D. Card. Rezzonico*, *& in Bituntina Beneficii* 17. *Junii* 1735. §. *Hujus coram R.P.D. meo Millino*.

Quo vero ad falſam expreſſionem ætatis, ex Fide Baptiſmatis eruebatur, quod d. Fridericus ortum habuit die 6. Martii 1727., e contra vero Gratia reportata extitit die 27. Auguſti an. 1737., quapropter calculanti patebat, quod non ſolum Fridericus agebat annum decimum, verum etiam illum excedebat, & proinde ætatis expreſſio cauſare non potuit deductum vitium obreptionis.

Nullitas deniq; ejuſdem Gratiæ quoad diſpenſationem ætatis ſub prætextu, quod reportata fuerit poſt quatrimeſtre conceſſum Patronis Laicis ad præſentandum non erat præſentis inſpectionis, quia hic agebatur de Gratia reportata cum derogatione Juriſpatronatus ob pendentiam litis, & Summus Pontifex unico contextu diſpenſavit etiam defectum ætatis, ſicque lapſus quatrimeſtris nil ponebat in eſſe, & hujuſmodi objectum potius reſpiciebat ea, quæ ſpectabant ad aliud Dubium ſuper inſtitutione, prout ex contemporanea mea Deciſione, in qua ratio habetur hujus objecti.

Et ita utraque &c.

ASTEN. BENEFICII.

Ven. 10. Junii 1739.

ARGUMENTUM.

Requiſita ſubrogationis gratioſæ ſunt poſſeſſio defuncti, & exiſtentia Litis; Calumnia autem ad repellendum gratioſe ſubrogatum intervenire debet uſque ab initio, & excluditur a titulo etiam levi.

SUMMARIUM.

1 *Literæ Apoſtolicæ juſtificatæ ſunt ſtatim exequendæ*;

2 *Nec pro iiſdem retardandis intrat arbitrium, quod a jure regulatur.*

3 *Literæ Apoſtolicæ in forma gratioſa juſtificatæ præſumuntur, antequam expediantur.*

4 *Inſtrumentum poſſeſſionis a defuncto captæ probat ipſius defuncti poſſeſſionem*;

5 *Quæ eſt unum ex præcipuis fundamentis ſubrogationis gratioſæ.*

6 *Clauſula* ſine præjudicio *facultatem tribuit proſequendi litem in devolutivo.*

7 *Exiſtentia litis eſt aliud fundamentum ſubrogationis gratioſæ*;

8 *Quæ ſi de tempore ceſſionis, vel deceſſus fuiſſet extincta, ceſſat hoc requiſitum.*

9 *Tres Sententiæ conformes faciunt rem judicatam, & litem extinguunt niſi interpoſita, ac obtenta fuerit appellatio.*

10 *Lis de jure Canonico ſemper vigere dicitur, niſi per Sententiam declaretur deſerta*;

11 *Neque per ſolum temporis lapſum perimitur, ſed ulterius conſtare debet de animo eam deſerendi.*

12 *Calumnia ad repellendum gratioſe ſubrogatum intervenire debet uſque ab initio litis*;

13 *Eaque excluditur a titulo etiam levi.* & num. 16.

14 *Cujuſmodi eſt ille, qui oritur ex favorabili Sententia.*

15 *Explicatur* Regul. 29. Cancell. de ſubrogan.

DECISIO CXLIX.

AD ſimplex Beneficium ſub titulo Sancti Angeli Cuſtodis de Jurepatronatus plurium Familiarum vacatum uſque ab anno 1730., fuit a majori parte Patronorum præſentatus Antonius Franciſcus Ventura tunc agens ætatis ſuæ annum undecimum. Dum autem ſupplex erat coram Ordinario Aſten. ad effectum conſequendi inſtitutionem, ad illud de ſe acerrime oppoſuit Antonius Maria Capua, qui fretus qualitate paſſivæ vocationis, & incapacitate ſupradicti Ventura ob defectum annorum quatuordecim præſcriptorum a Sacro Concilio Tridentino pro aſſequutione Benefici Eccleſiaſtici, petiit ab eodem Ordinario, ut ſibi dignaretur conferre dictum Beneficium; Inſtructo itaque coram eodem formali judicio, Antonius Ventura opportunum exiſtimavit reportare a S. Sede proviſionem Apoſtolicam una cum diſpenſatione ab ætate, eaque exhibita coram laudato Ordinario illius Executore, illico prodiit ſententia pro illius executione.

Interpoſita autem per Antonium Capua appellatione ab hujuſmodi Sententia, licet obtinuerit per tres conformes prædictæ Sententiæ revocationem, atque inſtitutionem hujus Beneficii, quarum ultima emanavit in hoc Sac. Auditorio, in ſequelam Deciſionis latæ *ſub die 1. Februarii 1737.* coram Eminentiſſimo D. Rezzonico, habito per Venturam recurſu ad Signaturam Juſtitiæ, obtinuit ulteriorem appellationis commiſſionem cum Clauſula *ſine præjudicio*, in cujus ſequelam idem Antonius Maria Capua ſub die 28. Septembris anni 1737. poſſeſſionem dicti Beneficii accepit. Verum cum vix elapſo menſe a die captæ poſſeſſionis d. Antonius Capua fato ceſſiſſet, Antonius Ventura illico obtinuit a Sanctiſſimo Literas ſubrogationis gratioſæ in juribus, ac poſſeſſione defuncti Poſſeſſoris Beneficii, quibus Ordinario Aſten. præſentatis, ſtatim per eundem decreta fuit ipſarum executio, rejectis penitus exceptionibus propoſitis per Jo: Baptiſtam Capua, qui occaſione hujus iteratæ Vacationis a Patronis fuerat præſentatus; Cum vero ab hujuſmodi judicato idem Jo: Baptiſta obtinuiſſet a Signatura Juſtitiæ commiſſionem mihi directam cum Clauſula — *parito Literis arbitrio Rotæ* — propterea concordatum fuit dubium

bium -- *An intret arbitrium pro retar-
datione Literarum Apoſtolicarum* --
quod in hodierna audientia *negative* a
Dominis meis reſolutum fuit.

Fundamentum ſiquidem hujus reſo-
lutionis in eo ſtetit, quod eum Literæ
Apoſtolicæ ſubrogationis gratioſæ,
quas obtinuit Antonius Ventura, in
omnibus ſuis partibus pleniſſime eſſent
1 juſtificatæ; propterea quemadmodum
illarum executio de jure minime retar-
dari poterat; juxta diſpoſitionem *Text.
in cap. ſi Capitulo ibique Gloſſ. verb. exe-
quatur de conceſſ. præbend. in 6.*, &
millies firmavit *Rota*, ſignanter *in Bar-
chinonen. Beneficii 30. Junii 1732.
§. Tranſitum cor. R. P. D. Creſcentio,
& in Biteẞen. Beneficii 14. Janua-
rii 1732. §. Juſtificatio coram Eminen-
tiſſimo D. Card. Rezzonico*; Ita in his
circumſtantiis, nec arbitrium, quod
2 regulatur a jure, intrare poterat, ad
effectum retardandi ipſarum executio-
nem, ad firmata in his terminis per
*Rot. deciſ. 83. num. 1. & 2. part. 17., &
deciſ. 82. num. 1. part. 19. recent., de-
ciſ. 1091. num. 1. cor. Emer. Jun., de-
ciſ. 3. num. 2. cor. bon. mem. Herrer.,
Hildeſimen. Canonicatus 20. Janua-
rii 1717. §. primo, & in Melevitana
Nullitatis Brevis 1. Julii 1726. §. Age-
batur coram bon. mem. Cerro, & in
Bituntina Beneficii 30. Martii 1736.
§. Per hanc in fine cor. R. P. D. Milli-
no, & in Melevitana Beneficii 2. Ju-
nii 1738. §. Cum enim coram me.*

Juſtificationis itaque dd. Literarum
ſubrogationis gratioſæ, quoad pretium
controverſi Beneficii, quoad Clerica-
tum, & idoneitatem Antonii Venturæ,
nulla erat difficultas, quinimo eorum
omnium verificatio præſumebatur jam
facta præventive in eadem Dataria;
cum Literæ Apoſtolicæ expeditæ in
3 forma gratioſa ſemper præſumantur in
ea verificatæ, antequam concedatur
illarum expeditio; juxta praxim, de
qua *Roſ. de execut. Liter. Apoſtolic.
part. 1. cap. 7. num. 9., Rot. dec. 6. n. 1.
de Benefic. coram clar. mem. Card. Fal-
coner., in Gerunden. Beneficii, ſeu
Præpoſituræ de Xunda 4. Julii 1732.
§. Juſtificatio coram Eminentiſſimo D.
Card. Cincio, in Compoſtellana Benefi-
cii del Pino 28. Junii 1734. §. Ratio
reſolutionis cor. Eminentiſſimo D. Card.
Rezzonico, & in Abulen. Beneficii 6.
Junii 1735. §. Et profecto cor. R.P.D.
Buſſio, & in Tiraſonen. Cappellaniæ 15.
Maii 1739. §. Juſtificatio cor. me.*

Verificatum pariter remanebat in
facto alterum præcipuum hujus ſubro-
gationis gratioſæ fundamentum conſi-
ſtens tum in poſſeſſione Antonii Mariæ
Capuæ defuncti, in qua a S. Sede fuit
ſubrogatus Antonius Ventura, tum
præexiſtentia litis inter ipſum Antonium
Capua, & Antonium Ventura; Pro-
pterea quod, quoad poſſeſſionem Bene-
ficii captam a d. Antonio Capua, in qua
pariter vix fere poſt menſem ipſe deceſ-
ſit, nulla aderat inter Partes difficultas,
dum hæc poſſeſſio juſtificabatur ex In-
ſtrumento captæ poſſeſſionis; Ex quo
4 ſicuti innegabile reſurgebat Teſtimo-
nium poſſeſſionis defuncti Beneficiati;
*Poſth. de manut. Obſerv. 21. n. 5., Rot.
deciſ. 105. n. 3. part. 17. dec. 109. n. 1.
part. 18., dec. 401. n. 2., & deciſ. 433.
n. 4. part. 19. rec, deciſ. 104. num. 9.
coram Zaratt., deciſ. 404. num. 1., &
deciſ. 26. n. 10. cor. bon. mem. Anſaldo*,
ita pariter comprobatum remanebat
5 unum ex præcipuis fundamentis ſubro-
gationis gratioſæ, conſiſtens in poſſeſ-
ſione defuncti, ad tradita per *Lotter.
de re benef. lib. 2. quæſt. 20. n. 212., &
lib. 3. quæſt. 13. n. 57., Gonzal. ad Re-
gul. 8. Cancellar. §. 3. proœmial. n. 93.,
& §. 7. n. 212., Rot. dec. 165. num. 1.,
& 2. par. 18., & dec. 655. n. 1. par. 19.
recen., & in Ferrarien. Cappellaniæ 21.
Martii 1727. §. Verificata coram bon.
mem. Criſpolto.*

Pendentia pariter litis adhuc vigen-
tis reſurgebat ex eo, quod Antonius
poſtquam per tres Sententias confor-
mes paſſus fuerat revocationem ſui pri-
mi favorabilis Judicati, ſtatim adverſus
ultimam contrariam Sententiam obti-
nuit a Signatura Juſtitiæ ulteriorem
commiſſionem appellationis cum clau-
6 ſula *ſine præjudicio*, per quam cum ei-
dem facta fuiſſet ulterior facultas revi-
dendi, & proſequendi litem in devo-
lutivo, ut de praxi teſtatur *Scacc. de
appellat. quæſt. 17. limit. 6. membr. 8.
n. 22., & 24., limit. 9. n. 51., & ſeq.,
& quæſt.*

& quæſt.19. n.27., *& 28.*, *Ridolphin.*
in prax. par.1. cap.13. n.491., pariter
dubitari nec poterat, quin probata re-
maneret exiſtentia litis, iſtiuſque con-
tinuatio inter defunctum Antonium
Capua ultimum Poſſeſſorem contro-
verſi Beneficii, & Antonium Ventura,
in qua conſiſtit alterum principale fun-
7 damentum gratiæ ſubrogationis gratio-
ſæ, juxta *Regul.29. Cancellariæ* deſum-
ptam ex Juris communis diſpoſitione *in*
cap.1., *& 2*, *lit. penden. in 6.*, & con-
ſentanee obſervant *Garz. de Benefic.*
par.6. cap.4. n.16., *Lotter. de Re Benef.*
lib.2. quæſt.20. n.114., *Roſ. de Execut.*
Liter. Apoſtol. part.1. cap.17. n.8., *&*
ſeq., *Rot. dec.154. n.1. par.1.*, *dec.104.*
n.1. par.13., *& dec.427. n.1. par.18.*
rec., *dec.780. n.1. cor. Molin.*, *dec.182.*
n.9., *& 10. cor. bon. mem. Herrera*, *in*
Nolana Parochialis 21. Martii 1738.
§.3. cor. R. P. D. Vaio, *& in Averſa-*
na Juriſpatronatus, ſeu Cappellaniæ 16.
Februarii currentis anni §. Ratio autem
coram Me.

Attento præſertim, quod pendentia
litis adhuc vigentis non probatur in
genere, ſed quidem juſtificatur de ipſo
tempore obitus d. Antonii Mariæ Ca-
puæ, in cujus locum ſubrogatus fuit
Antonius Ventura; ac propterea in his
terminis dicendum erat pluſquam pro-
batum fundamentum gratioſæ ſubro-
gationis; quippe quia, ſi de tempore
8 ceſſionis, vel deceſſus eadem lis fuiſſet
extincta, ceſſaret quoque penitus hu-
juſmodi requiſitum pro obtinenda exe-
cutione literarum ſubrogationis gratio-
ſæ; ad notata per *Lotter. de Re Benef.*
lib.2. d. quæſt.20. n.50., *Card. de Luc. de*
Benef. diſc.92. n.36., *Rot. dec.42. n.13.*
par.9. rec., *dec.307. n.1.*, *& 2. cor. Bu-*
ratt., *dec.480. n.4. cor. bon. mem. Lan-*
cett., *& in Tuden. Parochialis S. Chriſti-*
næ de Valleix 20. Aprilis 1731. §. Quan-
tum enim cor. Emo D. Card. Cincio.

Quin ad effectum demonſtrandi præ-
cedentis litis extinctionem, attendi pro-
meruit, quod in præcedenti cauſa ema-
naverint tres Sententiæ conformes, quæ
indicunt rem judicatam, ac de ſui na-
tura litem penitus extinguunt; ſiqui-
9 dem objectum procederet, ſi poſt ſuper-
ventam rem judicatam ex tribus Sen-
tentiis ſuborta ſuccumbens appella-
tionem ab ultima Sententia non inter-
poſuiſſet, neque obtinuiſſet, quo ſane
caſu eadem res judicata producere po-
tuiſſet extinctionem litis; non autem
in præſentiarum, ex eo quia Antonius
Franciſcus Ventura poſt reportatam ul-
timam contrariam Sententiam in hoc
Sac. Auditorio *cor. Emo D. Card. Rez-*
zonico, illico recurſum habuit ad Signa-
turam Juſtitiæ, a qua obtinuit ulterio-
rem cauſæ cognitionem cum clauſula
ſine præjudicio, hujuſmodi enim actus,
cum ex ſe denotet animum proſequen-
di litem, dici proinde nequit, quod
præcedens lis fuerit extincta; ad firmata
per *Rot. in Romana Cappellaniæ 25. No-*
vembris 1707. §. Nec majoris cor. clar.
mem. Card. Scotto cum aliis relatis con-
cordantibus in *Caputaquen. Cappella-*
niæ 2. Martii 1732. §. Nec diverſimode
cor. Emo D. Card. Rezzonico.

Minuſque profuit, quod Ventura poſt
ſignatam commiſſionem cum clauſula
ſine præjudicio, nil per decurſum men-
ſis egerit, quod denotare poſſit proſe-
cutionem litis, quæ per conſequens di-
cenda erat penitus deſerta; quandoqui-
10 dem lis, quæ de jure Canonico ſem-
per vigere dicitur, niſi ſucceſſive con-
currat Judicis Sententia ſuper deſertio-
ne ejuſdem; ex firmatis per *Rot. in*
dec.397. n.18. cor. Bich., *dec.166. n.5.*
part.4. recen. tom.1., *in Caputaquen.*
Capellaniæ 31. Martii 1732. §. Quibus
conſtabilitis, *& in Pampilonen. Paro-*
chialis 21. Martii 1732. §. Parique cor.
Emo D. Card. Rezzonico, *& in Squil-*
lacen. Abbatiæ ſuper Executione Lite-
rarum Apoſtolicarum 8. Junii currentis
anni §. Nec ex eo: coram Me, nun-
quam præſumi poterat ex lapſu tempo-
ris unius tantum menſis deſerta; nam
cum Ventura ſuum pandiderit animum
proſequendi litem, ex quo ſollicitus
fuit reportare etiam in devolutivo ul-
teriorem appellationem a Signatura
Juſtitiæ, ceſſat penitus præſumptio de-
11 ſertionis litis, quæ nunquam dicitur
perempta ex ſolo temporis lapſu, niſi
conſtet quoque de mente, & animo ſuc-
cumbentis litem penitus deſerendi, ut
ad rem firmat *Rot. dec.166. n.5. par.4.*
tom.1., *& dec.388. n.6. par.16. recen.*,
in

in Compoſtellana Parochialis de Caldelas 1. *Aprilis* 1726. §.*Etiamſi cor. bon. mem. Cornelio*, *in Ferrarien. Cappellaniæ* 1. *Decembris* 1727. §.*Et quamvis cor.R.P.D. Nunez*, & *in d.Caputaquen. Cappellaniæ* 3. *Martii* 1732. §.*Quibus in fine cor.Emo D. Card. Rezzonico*, & *in d. Squillacen. Abbatiæ ſuper Executione Literarum Apoſtolicarum d.* §.*Nec ex eo : coram Me*.

Quibus ita conſtabilitis quoad durationem litis fruſtra opponebatur, quod eadem lis, quatenus duraret, dicenda erat tamen calumnioſa, quæ ſuffragari non poterat Venturæ, cum ad effectum ſuſtinendi gratiam ſubrogationis exigatur, ut lis bona fide fuerit inſtructa, & cum aliquo titulo boni Juris; Quoniam aſſerta calumnia, quæ, ut ſuffragari poſſit Jo: Baptiſtæ Capuæ probari deberet interveniſſe uſque ab initio litis, ita ut evidenter conſtaret, Antonium
12 Venturam ſuperſtitem, & ſubrogatum in locum prędefuncti Collitigantis, mala fide, & cum ſcientia mali Juris litem aſſumpſiſſe; juxta *Gloſſ. final. in cap.*1., *ut lite penden.*, de qua *Rot. dec.*116. *n.*5., & 6. *cor.Cavaler.*, *dec.*403. *n.*3. *par.*4., & *dec.*627. *n.*5., & 6. *par.*18. *recen.*, & *in Ferrarien.Cappellaniæ* 21. *Martii* 1727. §.*Etenim cor.bon. mem. Criſpolto*, penitus excludebatur, animadvertendo in facto, quod Ventura litem proſequutus fuit, poſtquam primam Sententiam favorabilem obtinuerat etiam coram Ordinario ſuo, qui mandaverat executioni Proviſionem Apoſtolicam ab eo obtentam una cum diſpenſatione ab ætate; in quibus proinde terminis Ventura fretus d.favorabili Sententia, juſtum habebat titulum pro-
13 ſequendi litem ex probabili credulitate ſui boni Juris, non autem ex dolo, & calumnia, quæ ſemper excluditur, quoties Collitigans habet titulum etiam levem, & coloratum, ut dixit *Rot.deciſ.*403. *n.*4. *par.*14., & *dec.*532. *n.*14. *par.*19. *rec.*, *dec.*126. *n.*6., & 7. *cor.Cavaler.*, *dec.*4. *n.*1. *cor.Anſald.*, *dec.*469. *n.*7. *cor.Caprar.*, *in Colonien. Decanatus* 14.*Junii* 1703. §.*Immo cor.Emo Corio*, & *in Pampilonen. Parochialis* 2. *Martii* 1732. §. *Pro remotione in fin. cor.Emo D.Card. Rezzonico*.

Et ratio potiſſima ea eſt, quia ad effectum, ut lis calumnioſa dicenda ſit, neceſſe profecto eſt, ut ab initio fuiſſet ita manifeſte,ac notorie injuſta,ut nulla excuſatione, ac legali poſſibilitate Collitigans defendi potuiſſet; quæ omnia cum non interveniant reſpectu Antonii Venturæ, dicendus non eſt calumnioſus Litigator, propterea quod ſuum
14 habet titulum innixum ſua prima favorabili Sententia Ordinarii Aſten., prout notant *Lotter.de Re Benef. lib.*2. *quæſt.*20. *n.*99., *Rot. deciſ.*164. *n.*9. *part.*10., *dec.*135. *n.*10. *part.*11., & *dec.*655. *n.*19. *part.*19. *recen.*, *dec.*288. *n.*21. *cor. Celſ.*, *dec.*90. *n.*12. *cor. Otthobon.*, & *in d.Pampilonen. Parochialis* 21.*Martii* 1732. §.*Pro remotione in princ. cor.Emo D. Card. Aldrovando*.

Nec hujuſmodi aſſertæ calumniæ probatio conſtitui poterat in ea circumſtantia, quod defunctus Collitigans valetudinarius erat, & ſenex, quo caſu ſupponenda venit calumnia, & ſubrogatio gratioſa effectum habere nequit ex defectu intentionis Summi Pontificis, &
15 ex lege ſcripta in *Regul.*29. *Cancellar. de ſubrogan.* Præmiſſo etenim, quod d. Regula Cancellariæ loquitur non quidem de Præſentatis a Patronis, & paſſive vocatis, ſed de Expiſcatoribus, ſeu Impetratoribus beneficiorum, quæ poſſidentur ab eis, quibus imminet vitæ periculum, vel propter ſenectutem, vel propter infirmitatem aliquam; quæ equidem lex extranea prorſus videbatur in præſenti hypotheſi, in qua Antonius Ventura non ſtetit in Judicio, uti Expiſcator, ſed unice tanquam paſſive vocatus, & a Patronis præſentatus.

Urget ſemper, quod Antonius Ventura litem minime introduxit contra Antonium Capua ſenem, & valetudinarium, quinimmo in facto ſatis erat compertum, quod ex oppoſito idem Capua litem aſſumpſit contra eundem Venturam coram Ordinario Aſten., dum inſtabat, ut ad excluſionem Venturæ incapacis propter defectum ætatis ſibi deberetur inſtitutio ad controverſam Cappellaniam; in his proinde terminis ſæped. Ventura tanquam provocatus poterat abſque dubio Jus ſuum defendere ſine incurſu calumniæ, ac litem

tem proſequi, ex quo cum reportave-
rit ab eodem Ordinario favorabilem
Sententiam eidem inſtitutionem con-
cedentem, nedum ab initio juſtus Col-
litigator erat dicendus, ſed etiam in
proſecutione cauſæ, dum habebat pro
ſe Judicium Epiſcopi, in quo fundare
poterat opinionem, & juſtam credulita-
16 tem ſui boni Juris; quoties enim ſub-
ſtentatio litis ad juſtam, ſeu rationabi-
lem rationem referri valet, præſumptio
calumniæ ſemper excluditur; *Abb. in conſ.78. num.1. verſ. Calumnia autem, part.1., Rebuff. ſuper Reg. de ſubrogat. Collitigan. gloſſ.7. n.3., Caſſador. dec.3. n.4., & 5. de reſtit. ſpoliat., Rot. dec.126. n.6., & 7. cor. Cavaler., & dec.403. n.4. par.14. rec., & in ſuprad. Ferrarien. Cappellaniæ 21. Martii* 1727. *§. In præſenti cor. bon. mem. Criſpolto.*

Et ita &c. utraque &c.

Finis Tomi Primi.

VA 1
1531250

Digitized by Google

Digitized by Google

165.
g.
11.

165
g

Digitized by Google